



JOANNIS BONA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

RERUM LITURGICARUM

LIBRI DUO

Cum Notis, & Observationibus

D. ROBERTI SALA.

RERUM
LITURGICARUM
LIBRI DUO
AUCTORE
JOANNE BONA
S. R. E. TIT. S. BERNARDI AD THERMAS
PRESBYTERO CARDINALI
ORDINIS CISTERCIENSIS

PEDEMONTANO PATRITIO MONTIS REGALIS

Hac novissima Editione denuo recogniti, aucti, Notis, Observationibus, ac perpetuo fere Commentario Historico, Critico, Dogmatico illustrati, novisque accessionibus locupletati, ac in quatuor Tomos distributi,

Quibus quæcumque ad Missæ Sacrificium, Rei Liturgicæ originem, Statum, Antiquitatem, Successionem, Ordinem, Ritus, Cæremonias, Ministerium, Disciplinam, seu notitiam spectant, proferuntur, disquiruntur, enucleantur,

STUDIO, ET LABORE

D. ROBERTI SALA TAURINENSIS

Ejusdem Ord., & Congr. S. Bernardi Abbatis Tit. Sac. Facultatum, & in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Professoris.

TOMUS SECUNDUS

Sive Libri I. a Cap. XVIII. ad XXV.

PARS SECUNDA

De reliquis, quæ ad Missam, & speciatim ad locum, tempus, quo celebretur, ejus præparationem, & apparatum pertinent, videlicet de Templis, Oratoriis, Altaribus, eorumque ornatu; de materia Sacrificii. Item de sacris indumentis Sacerdotum, & Ministrorum, supellectili sacra, &c. denique de Ministris ipsis, eorum officiis, singulorum Ordine, & Cantu Ecclesiastico.

ACCEDUNT PRO APPENDICE

Quamplures Eruditorum de celebri Azymi & Fermentati Controversia opiniones, & variæ hac de re Epistolæ Selectæ, tum ipsius Cardinalis BONA, tum aliorum ad eumdem scriptæ ante hac ineditæ.

CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

Adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psal. 137. vers. 2.





AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCXLIX.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.





PRÆFATIO

IN SECUNDAM PARTEM, SEU TOM. II. COMMENTATIONUM

Ad primum Rerum Liturgicarum Librum Card. BONA.



ISTITUR Tibi, benigne Lector, secundus Liturgicarum Observationum Tomus, sive Libri primi Pars secunda, item ea complectens, quæ ad Missam generatim spectant, a Cap XVIII. usque ad ultimum XXV. Quid contineat Volumen istud, etsi in fronte habeas; nihilominus operæ pretium est illud ipsum tibi expressius indicare. Jam in primo Tomo, de Missa, ejus nomine, institutione, variisque etiam particularium tum Occidentis, tum Orientis Ecclesiarum in Sacrificando ritibus actum est, quid nempe, quale, & quantum præ omnibus tremendum, augustissimum, & undequaque divinum sit Missæ Sacrificium, quomodo idem, discrepantibus licet linguis, usibus, ac cæremoniis diversimode oblatum, unum tamen quoad sui partes essentiales ubique existat apud omnes, qui Christiana Fide Orthodoxa, & professione censentur; nunc vero ubi, quando, a quibus personis, quibus Ministris, vasis, indumentis, quo ritu, quove apparatu, qua corporis dispositione, qua materia, seu Pane, sive Azymo, vel Fermentato, dictum Missæ Sacrificium celebrari debeat; scilicet de Templis, Oratoriis, Altaribus, eorumque ornatu, ac supellectili sacra, singulis item Ministrorum Ordinibus, cantuque Ecclesiastico, aliisque rebus ad Eucharisticum Dei cultum spectantibus differendum est. Habentur itaque hoc in Tomo nonnullæ criticæ, simulque inter Eruditos controversæ quæstiones, videlicet, ubi de Templis agitur, de Philippis Impp. Patre, & Filio an Christiani vere fuerint, necne. Idem de Therapeutis contra Clar. Valesium; ex quibus, aliisque deducitur Christianos primis etiam adolescentis fidei seculis publice Ecclesias habuisse; item de Aquæ benedictæ usu, de Sanctissimæ Crucis Dominicæ, Sacrarum Reliquiarum cultu, ac Campanarum solemni benedictione contra Sectarios, aliæque inter Catholicos agitatæ opiniones suis momentis ponderatæ, & discussæ inveniuntur, quibus res Liturgica plurimum illustratur; quæ omnia Eruditis non ingrata fore confido.

Cæterum, ficut in hoc opere cuncta prorfus omnia, quæ de Liturgicis rebus extant monumenta, me prodere potuiffe nemo rite cenfuerit, fic neque id me voluiffe cenfere debet; in immenfum enim quodammodo excreviffet opus, fi quæcumque de ipfis, vel ad eafdem fpectantia fcripto tradita alibi plerifque locis difperfa congerere ftuduiffem; Pauca igitur dumtaxat exhibentur, eruditiffime Lector, fi cum illis, quæ dici poffunt, conferantur: obvia tantum, & quæ illuftrando, ut licuit, eximio huic Cardinalis Operi opportuna vifa funt, collegi, meifque animadverfionibus, notis, atque additamentis inferta, fuis deinde locis, quantum ingenii modulo datum, aptare curavi. Verum, uti evenire facile potuit, quemadmodum in Præfatione Generali fubindicatum eft, quod plura hoc etiam in Tomo præterierim, quæ prætermitti nullatenus debuiffent, & e contra alia exaraverim, quæ forte effent aut fuperflua, vel iucongrua, proindeque, vel omittenda, aut alio loco apponenda; ita in iis ordinandis, difponendifque haud difficile potuit error irrepere; dum dicendarum rerum, fateor, inopem me copia fecit.

Nonnulla item fortaffe invenies repetita, quæ alias dicta jam fuerant, idque data opera factum credas, ut melius audientium mentibus imprimerentur, quæ dicerem: eo enim, quod femel aut bis audieris continuo tibi memoriam experiri licet, ait Quintilianus de Inftit. Orat. Cap. XI. hinc quanto magis eadem ipfa funt, tanto ea ftabilius firmata fapiens quifque adjudicabit, quæ etiam fideliffima traditione a majoribus in pofteros derivata perfpiciet. Si Catholicis tantum, piifque fcriberem, illa femel innuiffe fatis, non diffiteor; at aliis, hypercriticis nempe Mifoliturgis, quorum ea vox eft: *nifi videro, & tetigero, non credam*, his neceffe fuit, non modo veritatem indicare, verum & ipfam nolentibus agnofcere, ac renitentibus pleniffime ingerere, ut eo magis inexcufabiles redderentur, quo non modicam tantum oblatam lucem refpuerint, fed prorfus meridianam, fplendidiffimo rebelles lumini, rejecerint; atque ad excufandas excufationes in peccatis, pravis fenfibus fuis indulgentes, qui quamvis vocati ad cœnam illam magnam Eucharifticam, quam in fola & unica Ecclefia Romana ex Petri Cathedra, extra quam ipfa non guftatur ad æternam falutem, partim *neceffe exire*, partim *non poffe venire* adhuc prætexant, iterum atque iterum multiplicatis rationibus, & argumentis vocare. & provocare perneceffarium duxi.

Quia vero de hujufmodi hominibus Novatoribus, ac Sectariis fermo incidit, ne quis fortaffe miretur me iterum eos acriori ftylo perftrinxiffe, adeoque hac in parte non imitatum pietate, doctrina, & manfuetudine præclariffimos S. Francifcum Salefium Epifc. Gebennenfem adverfus Bezam Calvini in caliphatu anticatholico fucceflorem, Jacobum Ben. Boffuetum Epifc. Meldenfem contra pfeudo-evangelicos Miniftros Claudium, & Juriæum, aliofque ex noftris infignes Romanæ Orthodoxæ fidei vindices, qui lenitatis potius, quam ardoris fpiritu acti fe in ipfos prævaricatores redarguendos, & ut ad cor redirent, non iracundiæ, fed manfuetudinis zelo moveri & invehi oftenderunt; quamvis in alia Præfatione generali ad Primum Tomum pag. lx. & feqq. rationes aliquot, quibus movebar, in mei qualemcumque excufationem, & patrocinii fubfidium attulerim, nihilominus id in anteceffum obfervandum dicam

fum-

summos illos eximios, doctissimosque viros contra Sectarios quidem, de quibus nondum prorsus erat desperata conversio, ita scripsisse, ut eos errantes facilius in funiculis Adam, & vinculis charitatis, quam in manicis ferreis rigidi sermonis emendandos traherent, si fieri poterat, in caulam Domini, & ad Ecclesiæ Romanæ gremium reducendos allicerent; me vero contra Hæresiarchas ipsos, eorumque palpones, Basnagium præcipue, Caveum, Oudioum, Binghamum scribere, quos utpote vita functos, jam judicatos ac propterea incorrigibiles noveram, in quos haud ita mitius agere adjudicavi, non alio fine, nisi ut apud asseclas suos eorum præjudicata minueretur authoritas, ac minori etiam apud ipsos in æstimatione haberentur, quateous sic ex adductis rationibus, & argumentis isti fortiter convicti hæreticalis doctrinæ falsitatem a suis Prædicantibus expositam, non Orthodoxæ veritatis simplicitate ornatam, sed lethifero calicis aurei Babylonis fuco illitam agnoscentes ad Catholicam Fidem promptius redire cogerentur.

Quare si molestum illis est in his Liturgicis scriptis aliquem verborum aculeum invenire, atque interdum linguæ lapsum offenderint, cordis tamen ne unquam credant. Quandoque ipsorum salutis zelo permotus optatæ mansuetudinis limites excedere visus sum, fateor; at si verba ad intentionis trutinam revocaverint, Ipsis displicere non poterunt, cum eo directa sint, ut removeatur error, non persona lædatur; *melior enim est manifesta correptio, quam amor absconditus*, inquit Sapiens Proverb. cap. 27. *& meliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Ex quo S. Augustinus Epist. 93. alias 48. ad Vincentium de Donatistis: *Non omnis, ait, qui parcit, amicus est, nec omnis, qui verberat, inimicus*. Atque ut etiam ex profanis afferam, Martialis utar verbis lib. 10. Epigr. 35.

Hunc servare modum nostri novere libelli:
Parcere personis, dicere de vitiis.

Proinde excusatum me habeant Heterodoxi, si aliquo usus acumine eorum hæreses refellerim. Obsecrandi revera sunt delinquentes, ut monet Apostolus Epist. 2. ad Timotheum cap. 4. sed & etiam arguendi, ac increpandi, ut cognoscant se deliquisse. Ita & tradiderunt majores nostri Tertullianus, Athanasius, Augustinus, Hilarius, Hieronymus, aliique antiqui Patres, qui contra hæreses, eorumque fautores scribentes, sicuti in rebus, ita in verbis fortes apparuerunt; & quidem Tertullianus, ut de reliquis taceam, in Scorpiace adversus Gnosticos cap. 2. *Ad officium*, inquir, *Hæreticos compelli, non inlici dignum est, duritia vincenda est, non suadenda*, quem textum sic exponit Rigaltius: „ Septimius adversus id genus Hæreticos sic agendum sibi „ non esse ait, ut blandis, aut subtilibus rationum illecebris suadeantur, sed in ipso jam limine disputationis vim adhibendam, „ qua compulsi, coactique sentiant &c. „. Ipse etiam meæ Congregationis Parens S. Bernardus Abbas ClaræVallensis & Ecclesiæ Doctor Mellifluus Sectarios sui temporis Henricianos, Arnaldistas, Albigenses, aliosque hujusmodi ab Ecclesia extorres, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, fures pardo similes, detractores, & canes plerisque locis appellat; lege inter cæteros, Sermones 65. & 66. in Cantica.

Ea

Eapropter Otto Frisingensis lib. I. de Gestis Friderici Imp. cap. 47. illum reprehendit, & notat tanquam nimium ex *Christianæ* religionis fervore *Zelotypum*. „ Verum hæc ipsa (inquit Mabillonius in Præf. generali ad ipsius Sancti Patris Opera num. lvi.) in glo„ riam cedunt, cum nihil magis ad Scriptorem Catholicum pertineat, „ quam ejusmodi homines Philosophicis rationibus plus justo tribuen„ tes, maxime ubi nova cudunt vocabula, quæ in errorem inducere possunt incautos, quamprimum reprimere. *Porro*, ut cum Guil„ lelmo Abbate (Vitæ S. Bernardi lib. I. cap. 8. num. 41.) loquar, „ *si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris: habet certe apud pias mentes* „ *excessus iste reverentiam suam, quia quicumque spiritu Dei aguntur verentur* „ *reprehendere nimium istam nimietatem* . . . . *felix cui solum re*„ *putatur ad culpam, quod cæteri sibi solent præsumere ad gloriam* „. Hæc non ad duritiem vindicandam, sed ut benignius excipiar, dicta sunto; paratus etenim ero duriorem retractare sermonem, & mitiorem amplecti, ubi hunc ita profecturum sperem, ut Novatores falsa sua dogmata devitare, & vera probare moveantur. *Fortasse non canimus surdis* (Lactantii verbis allicior lib. 5. Div. Instit.) *nec enim tam in malo statu res est ut desint sanæ mentes, quibus & veritas placeat, ac monstratum sibi rectum iter & videant & sequantur*. Faxit Deus.

Jam cuipiam fortasse videbitur me in priori, atque etiam in hoc secundo Tomo non undequaque perspecto satis prolixum, & plusquam oporteat, fusiorem esse in digerendis observationibus, notisque exarandis, atque item nonnulla superflua procudere. Hæc ex parte non negaverim, maxime quoad Appendices; at ubi præfata non satis arrideant, notum sit quod eorum exactam rationem reddere in animo nobis haud est, id unum afferentes cum Satyrico quodam:

Causam non reddo, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere: debueram.

Cæterum cum quot homines tot sententiæ sint, ea & scribentium conditio est, ut varias, & discrepantes eorum querelas sustinere cogantur; inde mihi ostium magnum apertum est & adversarii multi; alii quippe volunt ut plurima paucis complectens, singula quæque obiter perstringerem, alii e contra ut rei uni me totum dedens eam prorsus exhaurirem, quod a plerisque mihi indictum & insinuatum fuit; sic illorum genio quanrumcumque deserens, si probationes addas probationibus, hasque abunde satura usque lance congesseris, nunquam sufficient; horum ex adverso, etsi paucas tantum selegeris, summaque restrictione id feceris, delicatum ipsorum patieris fastidium, & de prolixitate male audies; „ Quis tam diversa sen„ tientibus (Thomassini verba mutuabor Præf. in ver. & nov. Discip. Eccl. num. 5.) tam discrepantia jubentibus servire se, aut place„ re posse speret opere in uno? Huic probatur brevitas, illi pro„ lixitas. Medium quod jacet inter utrumque, & neutrum tamen „ est; quis obtineat, ut possit placere omnibus, aut saltem nemini „ displicere? Id optare, id conari me alias professus sum, & pro„ fiteor, ac præ me fero, consequi ne spero quidem.

Lectoribus igitur meis, quibus me commendo, quod mihi, plusquam Thomassino fuit, perdifficile est, facillimum, idque expedi-

peditissimum erit, si de me sentire in animum adducere dignentur, quod prudentia, quod æquitas, quod mansuetudo, & Christiana charitas jubet. Sane in hisce eruderandæ antiquitatis Ecclesiasticæ studiis, quæ in veteris novæque disciplinæ, inque factorum, legum, sanctionum, consuetudinum, variorumque Rituum sacrorum cognitione plerumque sita sunt, multo plus periculi videtur esse, ne præpropera festinatione quis erret, aliique in eumdem trahantur errorem, quam ubi quis omnia diligenter summa consideratione perscrutatur, ac suo rationum pondere singula rimatur, & librat. Certe quæ ad disciplinam, & mores pertinent, ita varia, ita dissimilia persæpe sunt pro locorum, & temporum diversitate, ut alias plerisque locis jam diximus, mutabilia itidem, crebrisque, & necessariis interdum vicissitudinibus obnoxia, ut nisi quam maxima attentione singulæ res examinentur, quæ obscura, & involuta sunt, numquam satis brevitate dilucidari & evolvi poterunt; quare nisi plurimæ undequaque probationes, & conspirantia in id congerantur testimonia, quæ prolixitatem una simul inducunt, nihil plene exploratum, nihil perfectum, absolutumque erit. Frustra igitur, apud Eruditos etiam, superfluæ prolixitatis incusabor, quandoquidem ex dicto Martiali lib. 2. Epigr. 77. ad Cosconium:

Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis;

Quod scilicet non sit quoquo modo congruens, opportunum, & quandoque ad rem pertinens, aliquibus item, si non omnibus, omnino necessarium; cum enim sapientibus & insipientibus juxta Apostolum debitor sit qui scribit, quod uni superfluum videbitur, alteri non erit; etenim ex communi adagio: *pro captu Lectoris habent sua fata libelli*. Hinc iterum ex Martiali lib. 8. Epig. 29.

Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

Dicam ego *si tomus est?* Denique & cum eodem Valerio concludam ex initio lib. 10.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber, legito pauca, libellus ero.

Nec mihi quis vitio vertat (verba sunt Theod. Macrobii Præf. in Saturn. mihique accommoda) si res, quas ex lectione varia mutuabor, ipse sæpe verbis, quibus ab ipsis authoribus enarratæ sunt, explicavi, & iterum explicabo, quia præsens opus, ut jam alias dixi, non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Sancti Ambrosii scripta Divo item Hieronymo teste initio Apolog. ad Pammachium, & Epist. ad eumdem de Origene, hujus sermonibus plena sunt, atque ex aliis Patrum Græcorum Operibus (ut inquit Guillelmus Cave Hist. Litter. de Script. Eccl.) hortulos suos largiter irrigavit, in hoc laudandus, quod suppressis loliis flores decerpserit; utinam & mihi id simile contingat! A suspectis porro, damnatisque Authoribus interdum abstinere non potui, nonnulla ab ipsis excerpens, Senecam imitatus de Tranquill. cap. 11. qui volens Publium Mimum citare, ait: numquam me in bona re mali pudebit autho-

authoris, nec quisquam me arguet de peccato, si salutem ex inimicis nostris eruerim, & de manu eorum, qui oderunt nos. Quæ vero omnium scriptis evulgata sunt, quandoque prætermisi, quia operæ redundantis est, inquit Plinius Hist. Natur. lib. 7. cap. 37. cunctis nota explicare, atque omnia persequi velle, aut nimiæ miseriæ, aut inani jactantiæ adscribi solet. Sic peculiares leviorum rituum observationes, & rubricarum Missalis regulas Gavanto, Tonellio, Merato, aliisque examinandas reliqui. Symbolicas item explicationes nonnullas interdum, sed paucas tantum attuli, quas ad rem opportunas existimavi, cæteras apud Innocentium III. de Mysteriis Missæ, Durantum, Scortiam, & alios habere possunt, qui volent.

Sed & me multos forsan excitasse ex Eruditorum Senatu, quorum æquis censuris petar, persuasum habeo; attamen hac in re id solatii consequar, quod sciens, prudensque haudquaquam veritati obstiterim, cujus si quandoque cursum non teneam, vel Historicæ notitiæ, vel justi criterii, aut scientiæ defectu, quem diffiteri non vereor, id magnis cæteroquin ausis excidisse humanum erit: in multis etenim quandoque offendimus omnes. Demum, ut observantiæ meæ signum, æternumque in sanctam Romanam Apostolicam Sedem testimonium ea, qua par est, reverentia exhibeam, visum mihi est Præfationem hanc ipsissimis Natalis Alexandri verbis concludere (Præf. gen. ad suam Hist. Eccl.), „ securum me existimo Cathedræ Sancti Petri, „ unde unitas Sacerdotalis exorta est, ex qua veritatis oracula funduntur, & Doctrinæ fidei, morum Disciplinæ, quæ in ea prædicatur & traditur, ab Apostolis acceptæ, & ad nos usque per „ continuam Pontificum successionem derivatæ, firmiter adhærens: „ Ecclesiæque Romanæ omnium Ecclesiarum Matris, & Magistræ, „ ac Summi Pontificis doctrinarum omnium ac librorum supremi „ Censoris, ac Judicis examini & judicio hoc opus, cæteraque a me „ edita, vel deinceps edenda, ut humilis filius, ac discipulus summa reverentia, & devotione subjiciens: *Ut ejus auctoritate, quæ suscipienda sunt, approbentur, & quæ corrigenda sunt, emendentur.* Ex S. Anselmo in Præfat. Libri de Fide Trinitatis.



APPRO-

APPROBATIONES
THEOLOGORUM ORDINIS.

Liturgicarum Rerum Librum secundum, jam olim ab Eminentissimo Cardinali Bona omnium Eruditorum plausu evulgatum, nunc vero a R. P. D. Roberto a S. Maria, notis, additionibus, ac perpetuo fere Commentario illustratum, Reverendissimi P. D. Pauli Antonii a S. Maria nostræ Sabaudo-Pedemontanæ Provinciæ Abbatis Visitatoris Provincialis obsequentes mandatis, ea qua par est animi delectatione perlegimus. Hoc siquidem in Opere, non modo nihil, quod bonis adversaretur moribus, aut a recta dissonum fide, unde in lucem prodire non deberet, offendimus; Verum omnia, aut erudite a Criticorum contraria opinantium sententiis vindicata, aut innumeris prope Authorum testimoniis ita comprobata reperimus, ut illud perutile Sacræ Liturgiæ studiosis optime cognoscentes dignum profecto judicaverimus, quod prælo subjiciatur.

D. VITALIS a S. Joseph
Sacræ Scripturæ explanator.

D. CONSTANTIUS a S. Joanne Baptista
Sacræ Theologiæ Lector.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS

Congregationis Monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterciensis in Sabaudo-Pedemontana Provincia Abbas Visitator Provincialis.

CUm opus inscriptum: *Joannis Bona S. R. E. Cardinalis &c. Rerum Liturgicarum Libri duo &c. aucti notis, observationibus &c. Tom. 2.* quod A. R. P. D. Robertus Sala præfatæ Congregationis nostræ Abbas Titularis magna cum eruditione, & non sine ingenti studio elucubravit, duo ex sacræ Theologiæ Lectoribus nostris, quibus id injunximus, accurate recognoverint, & in lucem edi posse veraciter probaverint, Nos, ut typis in publicum proferatur, tenore præsentium facultatem facimus, servatis tamen de jure servandis.

In quorum fidem has manu nostra subscriptas litteras Officii nostri sigillo muniri mandavimus. Taurinorum Augustæ e nostro B. M. V. Consolatricis Cœnobio hac die x. Novembris MDCCXLIX.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS
Abb. Visit. Provincialis.

Loco ✠ Sigilli.

D. IDELPHONSUS RAYMUNDI Secr.

Imprimatur. Vicarius Gen. Sancti Officii Taurini.

V. Reyneri Sac. Fac. P. & R.

Se ne permette la stampa. Morozzo per la Gran Cancelleria.

INDEX
CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET NOTARUM,
QUÆ
In hac Secunda Parte continentur.

Notandum, quod ea, quæ reperiuntur inter parenthesim, & clausulam, sunt errata correcta.

CAPUT XVIII.

De veteris Ecclesiæ moribus circa Missam.

CAP. XIX.

De Templis, sive Ecclesiis.

Et

C A P. XX.

Altarium uſus, & origo &c.

In

rium

C A P. XXI.

De jejunio, tempore, aliisque requisitis ad Missam.

Epi-

CAP. XXII.

Quo signo olim, & nunc ad Synaxim convocantur Fideles.

IDEM CAP. XXIII.

Ex Editione Parisiensi Billainiana.

De Eucharistico Pane Azymo, vel Fermentato.

Et

&

APPENDIX AD HUNC PARAGRAPHUM,

Et additamenta quædam de Colo, seu Colatorio, Aquamanili, aliisque vasis, & instrumentis ad Ecclesiæ supellectilem spectantibus.

Crucis

Palla

Dia-

Le-

Errata omissa

(*Ad pag.* 247. *col.* 2. *lin. a fine* 3. *loco* Armilicatum, *lege* Armillatum.)

(*Ad pag.* 351. *col.* 1. *loco* Sameron. *lege* Salmeronius.)

INDEX

Ad Appendices, & Supplementa

Ad aliqua Capita hujus secundi Tomi.

Vaz

Dif-

RERUM

RERUM LITURGICARUM
LIBRI PRIMI
PARS SECUNDA.

De iis, quæ ad Missæ tempus, locum, ministerium, & apparatum pertinent.

CAP. XVIII.

Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus æstimandos non esse. Cur interdum mutati ritus. De diebus Aliturgicis. Feria quinta quare olim Missa caruerit. An quotidie veteres Monachi celebrarint. De diebus Liturgicis, & de quotidiana oblatione. Qui fuerint dies Polyliturgici. Ab uno Sacerdote plures quandoque Missas una die actas, & unam a pluribus.

§. I.

Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus æstimandos non esse. Cur interdum mutati ritus.



E sacris Ecclesiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi proculdubio male merentur, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil unquam ab iis usibus diversum fuerit, quos a parentibus, & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt, obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti comparantes: & si forte in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt, & nutant, vel inconsulto respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quicquid a suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit ut in maximos errores, inque rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirum illorum causas, & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant, quas bene percipere nemo potest, nisi ideam, & imaginem antiquæ disciplinæ in mente habeat. Multa quidem vocabula nobis, & priscis Patribus communia retinemus, sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam nostra tempora a primis post Christum seculis remota sunt, ut palam fiet cum de oblatione, de communione, deque aliis partibus divini Sacrificii Libro secundo disseremus. Possem multa proferre Ecclesiasticæ disciplinæ detrimenta, quæ mater errorum ignorantia peperit, sed alienum hoc est a meo instituto, & quicquid in hoc genere peccatum est, naturæ lapsæ corruptioni semper in pejora ruentis malim adscribi, quam illorum negligentiæ, qui succrescentibus malis non obstitisse, vel fomenta præbuisse censentur. Vetus mortalium querimonia est, a majorum pietate, fervore, & zelo nos recessisse, Christianæ probitatis vix remansisse vestigia: & quamvis fides una, perpetua, & invariabilis est, vere tamen credentium numerus adeo in dies decrescit, ut Christus Salvator noster prænuntiarit, vix se fidem in hominibus inventurum, cum terrarum orbem judicaturus adveniet: *Cum venerit*, inquit, *Fi-*

Rituum Ecclesiasticorum causas, & fundamenta dignoscant, ne in errores labantur, qui de iis judicant.

Moribus quippe immutatis facros quoque ritus variari consequens fuit.

lius hominis, putas inveniet fidem in terra? Moribus autem immutatis, sacros quoque ritus variari consequens fuit. Et multa quidem sapientissime ab Oecumenicis Conciliis, & a summis Pontificibus, quorum est in populum Christianum summa potestas, & irrefragabilis, atque infallibilis auctoritas, innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristinæ consuetudinis districtionem semper in eodem statu manere non patitur (1): sed & (1)
fatendum nihilominus est, non paucos abusus sensim irrepsisse hominum vitio, vel imperitia, quibus nunc adversum ire, & remedium afferre difficillimum est, cum in mores transierint, quæ vitia fuerunt. Distinguendæ igitur ætates, disquirenda mutationis ratio, & omnia ad sua principia revocanda sunt, ut certa rerum notitia habeatur. Tum illud solerter cavendum est, ne ea, quæ juste, & prudenter statuta sunt, cum abusibus, & corruptelis absque legitima auctoritate introductis temere confundantur. Optime de hac re Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. Fidei par. 11. in fine cap. 12. *Etiamsi aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse quam fuit, demonstretur: non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur, & aliter institutum sit, quam fuit. Sed quod tunc oportebat, & ita salubre fuit, ut sic teneretur, & sic juberetur: nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum, sive necessarium saluti humanæ.* Hac monitione necesse fuit lectorem initio hujus Capituli præmunire, in eo siquidem, & deinceps quædam tractanda sunt ab usu hodierno longe diversa, quæ præcipiti sententia damnare quidam scriptores ausi sunt, vel pervivaciter ea olim facta negantes, quæ hodie non fiunt, vel susque deque omnia vertentes, ut eadem ad hodiernas consuetudines accommodent (2). Sed jam tempus est ut de diebus Aliturgicis, Liturgicis, & (2)
Polyliturgicis, quorum occasione hæc præmissa sunt, tractationem aggrediamur.

(1) *In eodem statu manere non patitur*) Plura in hanc rem allata sunt Parte I. ad cap. 6., ubi diversas Ecclesiarum consuetudines in Missæ celebratione olim fuisse, & nunc esse ex SS. Patribus, aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus abunde demonstratum est. Sed & historicam hanc facti veritatem circa variam hujusmodi consuetudinum, ac rituum diversorum disciplinam, quæ, ut ibi dictum, fidei unitatem non lædit, vel ipsi Hæretici, quamquam rebelles lumini, aliquando coacti sunt profiteri; siquidem in Præfat. Helveticæ Confessionis sic legitur: *Semper in ritibus, & cæremoniis Christi Ecclesiæ usæ sunt libertate: id quod in historia Ecclesiastica videre licet*; quibus verbis (inquit Jo. Laur. Berti de Theologicis Discipl. lib. 30. cap. 23. tom. 6. pag. 271.) Reformati saltem concedunt dari ritus, qui a Christo instituti non sunt, & possunt pro libito Ecclesiæ, temporumque opportunitate immutari. In Confessione pariter Augustana art. XV. etsi impie asseritur complures Ecclesiasticos ritus servari non posse sine peccato, habetur nihilominus ritus plures, *qui sunt humana authoritate instituti, servandos esse, ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ, & alii similes ritus*. Bullingerus Decade 5. serm. 8. fatetur, ritus, qui observantur in Ecclesia Romana, vetustissimos esse, idque de Baptismo exquisitis Augustini testimoniis comprobat, nec aliter Calvinus, tametsi impudentissime eosdem ritus incantationes appellitet. Vide Joannis Georgrii conversionem pag. 38. Adiaphoristæ etiam, sive Indifferentes dicti, Lutherani Molles, de quibus Hosius de Hæres., Prateolus de Sectis, & Sianda noster in Lexico Polemico, qui scilicet Lipsienses, & Witembergenses, ut ipsos vocant, Reformati, Sacramentorum cærimonias res indifferentes existimant; ideoque poterat illas Ecclesia præscribere, & in usum recipere salva veritate Evangelii, & legitima Sacramentorum administratione: hinc liquido ex dictis apparet quam scite, prudenter, & juste Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 21. cap. 2. declaraverit: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Ex quibus item apparet quam insane de sacris ritibus sentiant, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metiuntur, & veterem disciplinam ad hujus ævi praxim imprudenter expendunt, uti contra eos juste declamat Cardinalis noster.

Vel ipsi Sectarii, inviti licet, fatentur Ecclesiam sacros ritus, & cæremonias statuendi, aut immutandi libertatem semper habuisse.

Quin & ritus, qui in Ecclesia Romana observantur, vetustissimos esse.

(2) *Ad hodiernas consuetudines accommodent*) Præter quæ jam huc usque dicta sunt, lege item Petri de Goussanvilla eruditissimas notas in Petri Blesensis Epist. 86., ubi plura in hanc nostri Eminen. sententiam „ Inter „ quæ (inquit) ut eos culpa non eximerem, „ qui nimio antiquitatis studio quidquid hac

„ ætate

Non ferendi qui nimium ex antiqua, vel hodierna consuetudine omnia metiuntur.

„ ætate temporum ratio in Ecclesiæ ritus, & „ disciplinam invexit, quantumvis leve, & minime periculosum, continuo damnant, & „ repudiant; sic non sunt ferendi, qui hodierna consuetudine ita omnia metiuntur, ut, „ quod nunc fit, fieri semper debuisse contendant, & quæ ab antiquis sanctissime, „ ac sapientissime instituta, ac frequentata sint, si jam in desuetudinem abierint, aspernari, ac contemnere non verentur. „ Atqui ii quam non pauci! unica jam fere „ regula, invalescens usus. Exemplo sit Auctor quidam Æthiopicæ Historiæ, qui inter Abyssinorum errores recensendos morem illum jejunii ad vesperam usque producendi annumerat; cum tamen hæc jejunandi ratio sanctissima, a sanctis Patribus tradita, & servata multis in Ecclesia seculis viguerit; ea vero, quæ nunc usu recepta est, quam solam Author ille velut ab Ecclesia receptam agnoscit, remissum plane, & infractum vigorem antiquum præ se ferat.

§. II.

De diebus Aliturgicis. Feria quinta quare olim Missa caruerit.

APud Græcos dies *Aliturgici* erant, & hodie item sunt omnes dies Quadragesimæ, quibus Missa Præsanctificatorum utuntur, exceptis Sabbato, Dominica, & die Annunciationis. Diem Sabbati Alexandriæ, & Romæ Liturgia olim caruisse (1) testatur Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 21. (1)
De Synaxi, inquit, *variæ consuetudines sunt: nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die Sabbati mysteria celebrant, Alexandrini tamen, & Romani ex antiqua traditione istud facere renuunt.* Addebant Sabbato Alexandrini feriam quartam, & sextam, ut idem asserit eodem loco. *Rursus*, ait, *Alexandriæ quarta feria, & ea, quæ dicitur Parasceve, & leguntur Scripturæ, & Doctores eas interpretantur, omniaque, quæ ad Synaxim pertinent, administrantur, præter mysteriorum celebrationem.* Socrati adstipulatur eisdem fere verbis Nicephorus Callistus *lib.* 12. *cap.* 34. Ecclesia Mediolanensis sextas quasque ferias Quadragesimæ sine sacrificio transigit, ut supra dictum est Cap. X. In eadem Quadragesima officio Missæ caruit feria quinta, (2) usque ad Gregorium II., cujus (2)
vitam scribens Anastasius ait, *Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium*, (3) *atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non* (3)
agebatur, instituit. Notat vero Durandus *lib.* 6. *Rationalis cap.* 36. & 43. hinc ortam esse varietatem Epistolarum, & Evangeliorum, quæ huic feriæ assignantur. Cum enim ejus officium a Gregorio Magno institutum non fuerit, diversæ Epistolæ, & diversa Evangelia a diversis Ecclesiis pro eo ordinata sunt, vel quia serius ad eas pervenit Gregorii II. decretum, vel quia ejusdem officium a quorumdam Ecclesiarum Episcopis pridem fuerat institutum. De hac feria Vvalafridus Strabo cap. 20. hæc scribit: *Melchiades Romæ præsulatum agens statuit, ut nulla ratione Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret; Pagani enim his diebus quasi jejunia frequentabant. Ideo B. Gregorius in dispositione officiorum anni infra Quadragesimam quintam feriam vacantem dimisit, ut quia festiva erat, veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ quinta feria, quoniam postmodum cœpit, ut cæteræ, jejuniis applicari, Gregorius junior statuit eam Missis, & orationibus esse solemnem, & undecumque colligens ejusdem diei augmentavit officia.* At hæc Anastasio adversari videntur; ille enim ait Gregorium constituisse, ut jejunium, & Missarum celebritas hac die fieret, quod prius non agebatur: Strabo vero Missam propriam ab illo institutam asserit, cum prius Missa diei Dominicæ ipsa feria quinta repeteretur. Melchiadis statutum a Strabone citatum refert Gratianus *de consecr. dist.* 3. *cap. Jejunium*, ex epistola ejus suppotititia ad Episcopos Hispaniarum (4). (4)
Habetur quoque in libro de Romanis Pontificibus Damaso Papæ perperam tributo (5) his verbis. *Hic constituit, ut nulla ratione die Dominica, aut* (5)

quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. Quicquid autem sit de hoc Melchiadis decreto, certum est in antiquis Sacramentorum libris, itemque in Lectionariis, & Calendariis nullam inveniri Missam, vel Evangelium tam in Quadragesima, quam extra ipsam per totum annum feriæ quintæ assignatum, nisi post Gregorium II. qui sedit an. 714. in Quadragesima tantum, & in octavis Paschæ. Cujus Ecclesiastici ritus ex Concilio Narbonensi an. 589. celebrato rationem petendam putat Joannes Fronto in Prænotatis ad suum Calendarium §. 6. in quo statutum est, ne ullo religioso cultu hæc dies transigeretur. *Ad nos pervenit*, ajunt Patres illius Concilii, *quosdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu quintam feriam, qui & dicitur dies Jovis, multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes, & blasphemantes, quicumque ab hac die præter festivitates in eo die venientes, ausus, vel ausa fuerit vacare, & operam non facere, si ingenuus est, aut ingenua, de Ecclesia repellendus, & sub pœnitentia mittendus anno uno, & eleemosyna, & metu satisfaciat, ut eis Dominus ignoscat: si servus, aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti Domino consignantur, & ultra talia eos observare non permittant*. Declamat quoque adversus eos, qui feriam quintam colebant, Augustinus prædicto Concilio antiquior in fine sermonis 215. de tempore, ubi inter cætera hæc habet. *Quia audivimus, quod aliquos viros, vel mulieres ita diabolus circumveniat, ut quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo, & sanctis Angelis ejus contestamur, quia quicunque hoc observare voluerint, nisi per prolixam, & duram pœnitentiam tale sacrilegium emendaverint, ubi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices, & miseri, qui in honore Jovis in quinta feria opera non faciunt, non dubito, quod ipsa opera die Dominico facere nec erubescunt, nec metuunt*. Nullo igitur honore feria quinta colebatur, nec ullus in ea cogebatur Fidelium conventus, donec Gregorius II. statuit, ut in Quadragesima jejunio, & Missa, sicut & aliæ legitimæ feriæ, coleretur. Extra Quadragesimam vero diu mansit sine proprio, & solemni Sacrificio, & si quis privatim sacrificare voluisset, præcedentis Dominicæ Missa utebatur. Sic Anastasii, & Strabonis sententiæ conciliari commode possunt (6), (6) neque enim puto uni potius quam alteri credendum, cum ambo eodem tempore vixerint. Præcitata Strabonis verba Micrologus transcripsit c. 50. hæc de suo adjungens: *In hebdomada quoque Pentecostes quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata etiam ante Quadragesimam, & ante Palmas Dominicarum suarum officia recipiunt, nec immerito, cum quilibet dies privati de suis Dominicis soleant inofficiari*. Cur autem hæc Sabbata carerent officio (7), ratio assignari potest ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud (7) Pamelium, quia D. Papa dabat eleemosynam, cujus ritus mentionem faciunt Amalarius *lib. 1. cap. 9.* & alii officiorum expositores, nihil tamen quod ad historiam pertineat afferentes. *Sabbatum ante Palmas*, inquit Amalarius, *prætitulatur in Sacramentario nostro, & in Antiphonario*, Sabbato vacat, *Dominus Papa eleemosynam dat*. Deinde pias hujus rei expositiones comminiscitur. Clarius de hac re disserit Grimoldus Abbas in præfatione libri Sacramentorum editi a Pamelio tomo 2. Liturgic. pag. 388. Agens enim de diebus, qui in Sacrament. Gregorii Magni carent officio, ait: *Sicut quorundam relatu didicimus, Dominus Apostolicus in eisdem diebus a Stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanæ feriis Stationibus vacando fatigatus, eisdem requiescat diebus, ob id scilicet, ut tumultuatione populari carens, & eleemosynas pauperibus distribuere, & negotia exteriora liberius valeat disponere*. Erant igitur Romæ Aliturgici illi dies, in quibus Pontifex, qui semper

In antiquis Sacramentorum libris nulla reperitur per totum annum Missa Feriæ quintæ assignata.

Hinc olim Feria quinta apud Fideles nullo honore colebatur usque ad Gregorium II.

per

per solebat Missarum solemniis assistere, quiescebat; quem ritum servabant etiam omnes Ecclesiæ Romanis usibus adhærentes.

Sabbato quolibet per annum observatur antiquitus Jejunium in Ecclesia Rom.

(1) *Diem Sabbati Alexandriæ, & Romæ Liturgia olim caruisse &c.*) Sabbato cujuslibet hebdomadæ extra quadragesimam, & quatuor tempora observatum esse jejunium in Ecclesia Romana, tam manifesta evincunt testimonia, ut qui illud negaverit, contentionem magis, quam veritatem amare existimandus sit. Hanc quippe consuetudinem viguisse circa an. Christi 387. notum est ex Augustino Epist. 86. & 118. ad Januar. cap. 2. Cum enim S. Monica Mediolanensem Ecclesiam Sabbato non jejunantem inveniens, quid agendum sibi esset, dubitaret, interrogatus ab Augustino Ambrosius ita respondit: *Quando hic sum, non jejuno Sabbato, quando Romæ sum, jejuno Sabbato*: Idem confirmat Hieronymus Epist. 28. ad Lucinium Bœticum, idem Innocentius ad Decentium, de qua Epist. infra n. 3., moremque hunc etiam Leonis I. Papæ tempore perseverasse testis est ejusdem Epistola 11., alias 81. ad Dioscorum Alexandrinum. De hoc Sabbatico Romæ jejunio vide Thomasinum de jejuniis Eccles. parte 1. cap. 20. Natal. Alexand. Hist. Eccl. sec. 2. Dissert. 4. art. 6.

In aliis vero Occidentis non servatum.

Per hoc autem, quod Romæ Sabbato jejunabatur, in aliis vero Occidentis Ecclesiis non servabatur hæc jejunandi illo die consuetudo, eadem in istis improbanda non erat; etenim sapientissime Augustinus laudata Epist. 86. ad Casulanum Romani cujusdam Disputatoris procaciam retundens, qui universas pene Ecclesias a Romana in hoc more jejunandi Sabbato discrepantes lacessebat, hæc habet: *Quod utinam sic quæreret, aut sic affirmaret, ut toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus apertissime non blasphemaret Ecclesiam. Nunc vero quis ferat per omnes Orientales, & multos etiam Occidentales populos Christianos de tot, tantisque famulis, & famulabus Christi, Sabbato sobrie, modesteque prandentibus ab isto dici, quod in carne sint, & Deo placere non possint? Cum ergo his opprobriis, atque maledictis infectatur Ecclesiam per totum mundum fructificantem, atque crescentem, & die Sabbati pene ubique prandentem, admoneo quisquis est, ut se se cohibeat*: Et paulo infra: *Non tibi persuadeat urbem Christianam sic laudare Sabbato jejunantem, ut cogaris orbem Christianum damnare prandentem &c.* Item post pauca: *Sicut itaque inter se concorditer vixerunt Petrus, & Condiscipuli ejus; sic inter se concorditer vivant Sabbato jejunantes, quos plantavit Petrus, & Sabbato prandentes, quos plantaverunt Condiscipuli ejus. Sit ergo una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tamquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur.* Ita Augustinus, cujus testimonio ulterius confirmantur dicta ab Emin. Authore supra cap. 6. in fine, atque hic initio. Porro an Romæ antiquitus Sabbatum vere Liturgia vacasset, dicetur infra num. 3.

[...]im in Quadragesima officio Missæ caruit Feria [qu]inta.

(2) *In eadem Quadragesima officio Missæ caruit Feria quinta*) Christianus Lupus in notis ad Can. 52. Concilii Trullani contrarium demonstrare conatur ex Sacramentali Magni Gregorii, *nempe*, ait, *ad singulas Quadragesimæ quintas ferias omnino* (habente) *Missam jejunii, ac quadragesimalem*; Walafridum Strabonem erroris arguit, qui cap. 20. scripserat Gregorium I. *in dispositione officiorum anni infra Quadragesimam quintam feriam vacantem reliquisse*. Verum ea, quæ de feria quinta leguntur in Sacramentali Divi Gregorii, constat ab ejus successoribus addita fuisse; etenim Grimoldus Abbas in Præfatione lib. 2. Sacramentorum apud Pamelium pag. 388. hæc scribit: *Hucusque præcedens Sacramentorum libellus a B. Papa Gregorio constat esse editus, exceptis his, quæ in eodem in Nativitate, vel Adsumptione Beatæ Mariæ, præcipue vero in Quadragesima, virgulis antepositis lectoris invenerit jugulata solertia*. Eadem scribit Rodradus, qui floruit anno 853. in Præfatiuncula ab Hugone Menardo relata in Præfatione ad lib. Sacramentorum; porro officia quintæ feriæ per totam Quadragesimam inter ea sunt, quæ Grimoldus, & Rodradus affirmant olim fuisse virgulis antepositis jugulata, ut testatur Pamelius pag. 215. Vera igitur est sententia Strabonis, quam Anastasius Bibliothecarius, & Micrologus etiam confirmant.

Vox jejunium ab Anastasio adhibita, pro statione sumpta a Mabillonio.

(3) *Ut in quinta Feria jejunium &c.*) Hanc vocem *jejunium* ab Anastasio adhibitam Mabillonius Comment. in Ord. Rom. cap. 5. pag. 33. sumendam arbitratur pro statione, ita ut Gregorius II. stationes assignaverit etiam feriis quintis Quadragesimæ, quod non fecerat Gregorius Magnus. Subdit postea: attamen singulas Quadragesimæ ferias quintas fuisse instar Dominicæ festivas, Micrologus auctor est in cap. 1. Verum hunc cum Strabone hallucinatum ostendemus infra nota 6.

Melchiadis Epistola ad Episcop. Hispaniarum quoad jejunium Feriæ quintæ supposititia.

(4) *Epistola .... ad Episcopos Hispaniarum*) scripta, cujus falsitas primo ex ipsa data elucet, vid. *Kalend. Maii Volusiano, & Rufino viris clarissimis Coss.* jam enim a die decima Januarii illius anni 314. Melchiades fato functus erat. Præterea citantur in ea Epistola Sacræ Scripturæ verba juxta Hieronymi versionem, & refertur prolixum fragmentum ex Eucherii Homilia de Pentecoste, quæ communiter tribuitur vel Eusebio Emisseno, vel Fausto Regiensi Melchiade junioribus. Ita ex omnium fere Eruditorum consensu. Denique hujus Epistolæ sub Melchiadis nomine conscriptæ falsitas evidenter deducitur ex eo, quod Epistolæ Decretales Summorum Pontificum, quæ sub Isidori (quicunque ille fuerit) larvato titulo circumferuntur usque ad Siricium, ab eruditis pene omnibus tamquam supposititiæ rejiciantur, sicque cum illis hæc etiam Melchiadis Epistola. Vide superius dicta Parte 1. seu Tom. 1. cap. 3. §. 1. nota 2. & seqq.

Liber de Romanis Pontificibus Damaso Papæ perperam tributus.

(5) *In Libro de Romanis Pontificibus Damaso Papæ perperam tributo*) Sane Pontificalem hunc librum Damaso perperam tribui, id satis evincunt Sancti Hieronymi de eo silentium in lib. de Script. Eccl. ubi vera dicti Pontificis opera recenset; item squallida,

&

& barbara scribendi ratio ab eleganti, nitidoque Damasi stylo plane diversa. Quis porro hujus libri author fuerit, non est nobis hac in re immorandum, satis enim apud Baronium Tom. 1. Annal. ad an. 69. n. 35., & 38., & Tom. 4. ad an. 389. n. 67. Bellarminum de Script. Eccl., Labbeum, aliosque claros hujusmodi authorum Ecclesiasticorum Nomenclatores, item apud Vossium de Hist. Lat. lib. 2. cap. 8. & 35. ac Nicolaum Antonium Bibl. vet. Hisp. Tom. 1. lib. 2. cap. 6. num. 217. disputatum itur. Præ cæteris autem litem hanc eruditissime dirimunt illustrissimi viri Joannes Ciampinus in Exam. libri Pontific. Sect. 1., ubi pag. 16. in eam descendit sententiam, quod Sanctus Damasus Historiam Romanorum Pontificum non composuerit, sed publici juris fecerit, & Franciscus Blanchinius in Prolegom. ad Tom. 3. Anastasii de vitis Pontificum.

Casimirus Oudinus notatus.

Casimirus Oudinus in Comment. de Script. Eccles. Sæculi IX. Dissertationem singularem de vita, moribus, & scriptis Portuensis Episcopi, qui postea Formosus Papa dictus est, inseruit, in qua Librum de Romanis Pontificibus præfato Damaso Portuensi Episcopo tribuendum censuit ob manuscriptorum, inquit, Codicum fidem constantem, ac vetustam, quam opinionem contumeliis in Formosum, & Romanam Ecclesiam potius, quam solidis rationibus firmare fategit. Non est animus hic nænias ejus refutare; unum tamen adverto, quod licet author Pontificalis falso Damaso Papæ tribuatur, negari tamen non potest, illum ætatem Damasi Portuensis Episcopi longe præcedere, ut invictissimis argumentis ostendit laudatus Blanchinius loco mox indicato.

Iterum Melchiadis Papæ Decretum supposititium probatur.

Quo vero ad suppositum Melchiadis Decretum, falso id huic Pontifici adscribi duplici item ratione liquet, primo quidem, quia ante hujus Papæ tempora fidelibus interdictum fuit die Dominica jejunium, constatque ex Tertulliano lib. de Corona Milit. cap. 3. *die Dominico jejunium nefas ducimus: reus enim erit peccati* (legitur ad calcem lib. 5. Apostolicarum Constitutionum) *qui Dominico die jejunaverit, cum sit dies Resurrectionis*: Item ex Augustino Epist. 36. ad Casulanum cap. 12. num. 27. aliisque Sanctis Patribus. Secundo quoad Feriæ quintæ jejunium, numquam ea fuit Christianorum erga Feriam quintam extra Quadragesimam communiter ex aliquo præcepto servata religio, qua hac die jejunare prohiberentur, uti Dominico die: tantum invaluit mos, ac nonnullorum consuetudo, ut cum alii Feria quarta, & sexta, alii sexta, & Sabbato jejunarent, plerique Feria quinta, quæ diebus illis vicina est, sibi a jejunio abstinendum censerent. Hinc Apostolicæ Constitutiones ab Hypocritarum, qui singularia semper affectant, more nos dehortantes præcipiunt lib. 5. cap. 24. jejunia vero nostra ne sint cum Hypocritis communia, jejunant enim secunda Feria, ac quinta. Quare dummodo cum Hypocritis communia non essent, & veluti affectata cum ipsis jejunia, liberum fidelibus erat, olim, sicut est nunc, ac licitum, sive ex devotione, sive ex alio pio fine, quocunque anni die (Dominico excepto) jejunare, atque inde etiam Feria quinta. Id non obscure indicat antiquissimus Tertullianus nondum Montanista lib. de Jejuniis cap. 2. ubi de statis Catholicorum jejuniis differens, hæc inter cætera habet: *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum abolitis legalibus &c.* & post pauca: *Itaque de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus, & causis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Tertulliano subscribit S. Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam, ubi Catholicæ Ecclesiæ disciplinam circa jejunia Motanistarum moribus opponens sic loquitur: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus, illi tres Quadragesimas in anno faciunt, quasi tres passi sint Salvatores; non quod & per totum annum, excepta Pentecoste jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offeere.*

Romæ Gregorii Magni tempore non intermissa in Quadragesimæ feriis quintis jejunia.

Et sane non modo ex Cassiano coll. 21. cap. 24. sed & ex Gregorio ipsomet Magno constat etiam Romæ quintis Quadragesimæ Feriis non fuisse intermissa jejunia. Sic porro Homil. 16. in Evangelia loquitur: *Sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo sunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam sex, & triginta remanent.* Ex quo patet Ferias quintas non abstinentiæ subtrahi, sed in abstinentia inter sex, & triginta computari. Hinc luculenter confutatur, quod Strabo cap. 20., & ex eo Micrologus cap. 50. spuria Melchiadis Epistola, ac Libro Pontificali decepti scribunt. Sic Sanctus Pater Benedictus nullam noscens legem, quæ jejunium Feria quinta servari prohiberet, regulæ suæ cap. 41. continuum usque ad Sanctum Pascha jejunium præscribit, nec Feriam quintam excipit; pariter Sanctus Isidorus Hispalensis Regulæ cap. 10. quotidiana per totum annum jejunia, solis Dominicis exceptis, ad imitationem Patrum permittit.

Anastasii, & Strabonis sententiæ utcumque conciliantur.

(6) *Sic Anastasii, & Strabonis Sententiæ conciliari commode possunt*) Fortasse hujusmodi Sententiarum conciliatio non omnibus placitura erit; Strabonis etenim verba de Sacrificio privato vix capi posse videntur, cum asserat Feriam quintam festivam fuisse, sicut Dominicam, illis verbis: *ideo Beatus Gregorius . . . . . quintam Feriam vacantem dimisit, ut quia festiva erat, veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur*: Porro festivis diebus non privatum, sed solemne Sacrificium offerebatur. Videtur item palam Strabonis verba errare, atque illis Anastasii sententia præferenda, præcipue cum ejusdem Strabonis opinio falso, ut prætenditur, fundamento innitatur; Paganos enim affirmat die Jovis jejunasse, quod a vero alienum esse demonstrant Canon Narbonensis Concilii an. 589. & Author Sermonis 265. in Append. Augustin. ab Emin. Scriptore relati, ex quibus illud etiam colligitur, Feriam quintam nullo apud

Chri-

Christianos honore observatam, ut bene advertit doctissimus Cardinalis noster, quod tamen, si Straboni credendum, falsum est. At his non obstantibus ambo conciliari possunt. Strabo enim loquitur de Feria festiva veluti Dominica, non quoad solemnitatem, sed quoad officium Missæ ejusdem diei, ac Dominicæ, quod officium utique privatum esse poterat; quod autem asserat Paganos die Jovis jejunasse, hoc non officit; Missa enim apud Cristianos celebrabatur eadem, ac Dominica.

Non omnia vero hæc Sabbata officio carebant.

(7) *Cur autem hæc Sabbata carerent officio*) Non omnia semper hæc Sabbata officio vacasse, colligi potest ex antiquo Indice Collectarum, & Stationum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tom. 2. Musæi Italici pag. LXIV., ubi hæc leguntur: *Sabbato collecta ad Sanctum Xistum: Statio ad Sanctum Joannem in Porta Latina*: in alio vero Codice Vaticano: *Sabbato ad Sanctum Petrum, quando eleemosyna datur: Collecta ad Sanctum Xistum, Statio ad Sanctum Joannem in Porta Latina*: Ex quibus colligere licet, inquit Edmundus Martene de antiq. Eccles. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 3. pag. 282., arbitrarium fuisse Summo Pontifici aut abstinendo a Statione, elemosynam ad Sanctum Petrum distribuere, aut eleemosynarum distributione aliis commissa, Stationem, ac proinde Missam ad Sanctum Joannem in Porta Latina agere; idque jam observaverat Mabillonius loco cit. pag. 65.

Idque ulterius nonnullis veterum testimoniis confirmatur.

Præterea quod non omnia hujusmodi Sabbata Officio, & Missa carerent, rursus colligi, & comprobari potest ex eo, quod istis diebus Sacræ plerumque ab Ecclesiarum Prælatis Clericorum Ordinationes habebantur. Nonnulla extant hac de re veterum Summorum Pontificum statuta; & primo S. Gelasius Papa, qui multo ante Anastasium, & Strabonem vixit, an. 494. Epistolam Decretalem dedit ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos, in qua cap. seu decreto XI. jussit: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, idest quarti mensis jejunio, septimi, & decimi, sed & etiam Quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Hinc Alexander Papa III. ad Herefordensem Episcopum scribens inter ejus epistolas Tom. X. Concil. collectas circa finem ait: *Nonnisi in quatuor Temporibus, aut in Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare.* Ad hanc vero Decretalem Epistolam si attendisset Clar. Edmundus Martene, non ita facilis excurrendo sic scribere processisset Tom. 2. seu Parte 2. de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 8. art. 4. n. 6. in fine: *Porro,* inquit, *nullas legi antiquas leges Ecclesiasticas, quæ Ordinationes Sacras Sabbato Sancto celebrare permittant, nec sane id permittebat solemnis Cathecumenorum instructio, & Baptismus, quibus integram plane noctem insumere necesse erat.* Itaque ubi saltem non aderant Cathecumeni instruendi, & baptizandi, liberum erat Episcopis, si vellent, Ordinationes Sacras celebrare. Id autem Alexander non de novo constituit, sed jam a Prædecessoribus suis traditum confirmavit; *fuit enim* (ait Robertus de Monte Sigeberti Gemblacensis Continuator de eodem Pontifice loquens) *in divina pagina præceptor maximus, & in decretis, & canonibus, ac Romanis legibus præcipuus &c.*

§. III.

Olim Feria Sexta, & Sabbato majoris Hebdomadæ Aliturgici dies. An quotidie veteres Monachi celebrarint.

Dies item Aliturgici olim erant feria sexta majoris hebdomadæ, quæ sola hodie in Ecclesia Latina sacrificio caret, & Sabbatum sanctum, qua die licet Missa nunc celebretur, ea tamen agi solebat in nocte Resurrectionis, ad quam spectat. Et hoc quidem Sabbatum omni officio vacabat, feria autem sexta habet Missam Præsanctificatorum, qua Græci semper in Quadragesima utuntur modo supra explicato. Extat de hoc biduo testimonium S. Innocentii Papæ epist. ad Decentium, in qua docens oportere Sabbato jejunare, hanc rationem affert, quia si *sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Ait deinde hanc formam singulis hebdomadis esse tenendam, quod procul dubio de solo jejunio exponi debet, (1) de quo præcipue loquitur, non autem de omissione Missæ, quam obiter assumit ad jejunii convenientiam astruendam. Possent quoque inter Aliturgicas computari feria secunda, & tertia, quibus extra Quadragesimam nulla in antiquis Codicibus Missa annotatur. Epiphanius in Expositione fidei *num.* 22. sacros conven- (1)

Olim feria secunda, & tertia extra Quadragesimam aliturgici dies putati, quia nulla his Missa assignata, sed contrarium infra ostenditur.

ventus, & synaxes quarta, sextaque feria, & Dominica ab Apostolis insti-
tutas ait (2). An vero hæc institutio de Liturgia intelligenda sit (3), in- (2) (3)
certum est: nam cum varii Ecclesiarum mores essent, si Liturgiam illis
tantum diebus agi Apostoli præcepissent, omnes eam legem observassent.
Crediderim Epiphanium de consuetudine Alexandrinæ Ecclesiæ loquutum,
quam Cypria sequebatur. His diebus Basilius Magnus *Ep.* 289. *ad Cæsa-
riam Patriciam*, addidit Sabbatum. *Singulis certe diebus*, inquit, *communi-
care, & participare sancti corporis, & sanguinis Christi bonum, & fructuo-
sum est, cum dixerit ipse perspicuis verbis. Qui comederit carnem meam, &
biberit sanguinem meum, vitam habet æternam. Jam vero quis dubitat, quin
vita frequentius participare, non sit aliud omnino quam frequenter vivere?
Quater igitur nos singulis septimanis communicamus, Dominico die, feria
quarta, in Parasceve, & Sabbato: sed & per dies etiam alios, si Martyris
alicujus memoria celebretur*. Additum quoque est Sabbatum ab Occidenta-
libus, qui quarta, & sexta feria, ac Sabbato jejunabant, & celebrato sa-
crificio jejunium solvebant. Tertullianus de Jejuniis cap. 14. *Stationibus
quartam, & sextam feriam dicamus, & jejuniis Parasceven*, ideft Sabbatum,
utpote quod fit Parasceve Dominicæ, ut notat Pamelius. Olim etiam ad
diem Sabbati remitti solebant Sanctorum festivitates in diebus Quadragesi-
mæ occurrentes ex statuto Synodi Laodicenæ cap. 51. *Quod non oporteat
in Quadragesima Martyrum natales peragere, sed eorum in Sabbato, & Do-
minica tantum memoriam fieri*. Idem clarius exprimitur in Capitulis Martini
Bracarensis cap. 48. *Non liceat in Quadragesima natales Martyrum celebrare,
sed tantum Sabbato, & Dominico die pro commemoratione eorum oblationes
offerri* (4). In secundo Concilio Matisconensi c. 6. decernitur, ut reliquiæ (4)
sacrificiorum feria quarta, vel sexta dentur infantibus vino permixtæ, quia
nimirum hæ feriæ præ cæteris celebres erant. Nusquam tamen reperio, quod
secunda, & tertia omni prorsus sacrificio carerent, unde non credo Ali-
turgicis accensendas esse. Restat Dominica post Sabbatum quatuor Tem-
porum, quæ propria Missa caret, & vacare dicitur in priscis Sacramento-
rum libris. Nam cum Sabbati hujus Missa, & ei annexa Sacrorum Ordi-
num collatio vespere celebraretur, sæpe contingebat, ut jejunio usque ad
lucem producto Missa die Sabbati inchoata sequenti Dominica perficere-
tur, ipsaque Dominica proprio officio careret, nisi propriam haberet cele-
britatem, sicut Dominica Resurrectionis. Tempore S. Augustini diversæ
erant diversarum Ecclesiarum hac de re consuetudines, sicut ipse testatur
tract. 26. in Joannem: *Sacramentum corporis, & sanguinis Christi alicubi
quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, &
de mensa Dominica sumitur*. Et ep. 118. ait: *Alibi nullus dies intermit-
titur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum
Dominico*. In Monasteriis antiquo ritu omnes dies Liturgia carebant, ex-
cepta Dominica (5), & solemnitatibus; idque ex regulis, & historiis ve- (5)
terum Monachorum perspicuum est. S. Benedictus Missæ mentionem bis
facit in Regula sua *cap.* 35. & 38. ex utroque autem loco colligitur Domi-
nicis tantum, & festivis diebus ad Missæ sacrificium Monachos convenisse
(6). Ægyptios Monachos Sabbato dumtaxat, & die Dominica ad divina (6)
mysteria celebranda, & percipienda in unum congregari consuevisse narrat
Cassianus *lib.* 3. *Institut. cap.* 2. (7) Cartusianos olim diebus tantum Do-
minicis, & festis Missas celebrasse referunt Petrus Cluniacensis *lib.* 2. *Mi-* (7)
racul. cap. 28. Guibertus Abbas *lib.* 1. *de vita sua cap.* 11. & Petrus Ble-
sensis *Epist.* 86. quæ legenda cum notis viri eruditissimi Petri de Gussa-
nuilla, S. Fructuosus Bracarensis Episcopus in regula secunda Monachorum
cap.

Olim etiam ad diem Sabbati, aut Dominicæ remitti solitæ Sanctorum festivitates in Quadragesima occurrentes.

Feria secunda, & tertia non omni prorsus Sacrificio carebant, quare non aliturgicis diebus accensendæ.

cap. 13. omni die Dominico congregari Monachos ad Collectam præcipit, & non plusquam septem dies interponere. Regula Magistri *cap.* 45. Missam agi mandat diebus Dominicis, & in Natalitiis Sanctorum. Ejusdem ritus occurrunt passim exempla in vitis Patrum Orientalium, quæ hic referre ut nimis longum, ita & superfluum foret: nusquam enim solemnis conventus ibidem mentio fit, nisi festis diebus, qui soli publica Sacri oblatione colebantur (8). (8)

(1) *Quod procul dubio de solo jejunio exponi debet*) Verba Innocentii sunt hæc: *Quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda*. At si verum, quod ait Socrates Hist.Eccl. lib. 5. cap.22. edit. Valesf. Romanos ex antiqua traditione die Sabbati non celebrasse mysteria, quod Eminentissimus Author admittit num. 2. hujus capitis, cur de jejunio tantum, non vero de omissione Missæ intelligi debeant Summi Pontificis verba? Argumenta non desunt, quæ Socratem errasse demonstrant; nam Hieronymus legitimus haud dubie Romanarum consuetudinum testis in Epist. ad Lucinium olim 28. nunc 52. Tom.4. pag. 579. diserte scribit Romæ Sabbato Eucharisticum Sacrificium celebratum: *De Sabbato*, ait, *quid quæris, utrum jejunandum sit, & de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia, & Hispaniæ observare perhibentur*: Item, secus suadent (inquit Petrus Coustantius in notis ad eam Innocentii Epistolam) Gregorii, Gelasiique Liturgiæ, quæ etiam Quadragesimæ Sabbatis Missas præscribunt: præterea non majorem Socrates meretur fidem, cum ait, Romæ Sabbato celebrata non fuisse mysteria, quam cum asserit eodem cap. Romæ tribus tantum hebdomadis ante Pascha, exceptis Sabbato, & Dominica observatum fuisse jejunium, quod falsum esse Baronius ostendit ad annum Christi 57., & 391. Scio Halloixium Societatis Jesu Scriptorem in notationibus ad cap. II. vitæ Sancti Irenæi pag. 678., & Henricum Valesium in adnotationibus ad lib. 5. Socratis pag. 70. illius historici sententiam adversus Baronium defendere, sed ipsorum, & Socratis errorem Paschasius Quesnellus in singulari de jejunio Sabbati Romæ observato Dissertatione, Cassiani potissimum authoritate valide confutavit, quem Lector consulere poterit. Refutato Socratis testimonio, quod negotium facessere poterat, nihil vetat, quin vera sit Eminentissimi nostri Scriptoris assertio, illa Innocentii Pontificis verba de solo jejunio exponi debere.

Socratis testimonium explòditur, & Cardinalis nostri sententia vindicatur.

(2) *Ab Apostolis institutas ait*) Cui concinit S. Hieronymus lib. 2. Comment. in Epist. ad Galatas his verbis: *Quartam Sabbati observantes, & Parasceven, & diem Dominicam*: intellige quoad ipsos conventus, & Synaxes, iis diebus observari solitas, non quoad jejunium, Dominica etenim die, non Christifideles, sed Hæretici Aeriani jejunabant, uti de his idem Epiphanius Hær. 75. n. 3. 6. *Hinc est quod isti*, inquit, *Dominica die jejunare potius affectant, quarta vero, sextaque feria vescantur*.

(3) *An vero hæc institutio de Liturgia intelligenda sit &c.*) Revera Casaubonus Exerc. 16. in Baronium num. 42. & Dionysius Petavius in Animadversionibus ad Epiphanii Expositionem fidei pag. 350. dubitare videntur, num Aliturgicæ fuerint necne quartæ, & sextæ feriæ Synaxes ab eodem Epiphanio commemoratæ, quorum authoritate motus Eminentissimus Author, de eo etiam dubitare videtur. Probabilius tamen existimarim quartæ, & sextæ feriæ Collectas cum Eucharistiæ celebratione fuisse conjunctas, ea ratione ductus, quod Epiphanius Synaxes quartæ, & sextæ feriæ cum die Dominica jungat: *Sacri porro conventus, & Synaxes*, inquit, *ab Apostolis institutæ sunt his potissimum diebus quarta, & sexta feria, & Dominica*: & post pauca: *Pro illis conventibus, qui ad horam nonam quartis, sextisque feriis celebrari consueverunt per illos dies, perinde ac Dominica die matutinæ Synaxes obeuntur*: Ex quibus optime colligit Thomasinus de jejuniis Parte I. cap.19. nu. 8. in fine Missas matutinas, & vespertinas, de quibus infra cap. 21. §. 2., & 3. Atqui Collecta diei Dominicæ non erat ab Eucharistico Sacrificio divulsa, neque igitur quartæ, & sextæ feriæ Synaxes apud Cyprios aliturgicæ erant.

Quartæ, & sextæ feriæ Synaxes cum Eucharistiæ celebratione conjunctæ.

Illud nunc accurate examinandum, utrum Epiphanius sermonem instituat de consuetudine Alexandrinæ Ecclesiæ, quam Cypria sequebatur, quod visum est Eminentissimo Scriptori, nec Petavio displicuit. Sane si Collectæ ab Epiphanio memoratæ, Eucharistiæ expertes erant, vix dubitari potest, quin ea fuerit Epiphanii mens, cum Socrates lib. 5. Hist. Eccles. cap. 21. Feriam quartam, & sextam apud Alexandrinos Liturgia caruisse testetur. Verum cum ostenderimus Epiphanii Synaxes a Sacrificio non fuisse sejunctas, Sanctus Pater, dum illa scribebat, ad aliquam Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem animum non intendisse videtur. Accedit Authoritas Alexandrinæ Synodi, a qua perspicue docemur apud Alexandrinos Sacram Liturgiam sola Dominica celebratam. Locus est in Epist. illius Synodi relata ab Athanasio in Apologia contra Arianos pag. 133. *Etenim locus ille, in quo fractum esse poculum ajunt, non erat Ecclesia, Presbyter non erat, qui in illo loco habitabat, dies, qua id fecisse Macarium volunt, non erat Dominica. Cum igitur neque ibi Ecclesia esset, neque qui sacra faceret, neque dies hoc ipsum requireret, quale, aut quando, aut ubinam mysticum poculum fractum est*? Ita Athanasium a calumniis Arianorum vindicant dictæ Synodi Patres, quæ Athanasium defendendi ratio non infirma esse non potest, si apud Alexandrinos alii a Dominica dies liturgici fuissent. Accedit item quod Sozomenus, qui post Socratem scripsit, & illum interdum

Sacra Liturgia apud Alexandrinos sola die Dominica celebrata.

emendat, ut non semel observatum Valesio, eam Socratis narrationem omisit lib. 7. cap. 19. pag. 795., & de solo Sabbato scribit Alexandrinos non egisse Collectas, quod de feria etiam quarta, & sexta Socrates scribit: *Alii Sabbato*, inquit Sozomenus, *perinde ac Dominico die conventus agunt, ut Constantinopoli, ac fere ubique: Romæ vero, & Alexandriæ non item. In multis autem Urbibus, ac vicis Ægypti contra receptam omnium consuetudinem die Sabbati sub vesperam convenientes jam pransi Sacra Mysteria percipiunt*. Illud etiam Alexandrinorum mores minus Socrati notos fuisse demonstrat, quod ibidem asserit Lectores, Cantoresque Alexandriæ absque ullo discrimine fieri tam Cathecumenos, quam Fideles, quod nulli, credo, persuadebit Socratis authoritas.

Nullum antiquitus festum in Quadragesima observatum.

(4) *Pro commemoratione eorum Oblationes offerri*) Nullum per totam Quadragesimam festum observatum antiquitus fuisse testatur Concilium Toletanum X. ann. 656. celebratum; ait enim: *Nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari*. (Bail summa Concil. Tom. 2. pag. 264. cap. 1.) Idque etiam evincitur ex antiquo Kalendario Ecclesiæ Romanæ circa sæculum V. condito apud Martene Anecdot. Tom. 5. pag. 70. Immo ibi etiam tempore Adventus, idest in Decembri usque ad Natale Domini nulla Sanctorum solemnitas occurrit.

Immo & Adventus tempore.

(5) *In Monasteriis antiquo ritu omnes dies Liturgia carebant, excepta Dominica*) Id de Monasteriis Occidentis intelligi debere dignoscitur; nam in Monasteriis Orientis non sola Dominica peractum fuisse Sacrificium pluribus testimoniis evincitur; in Monasterio quippe Sancti Apollonii Abbatis, qui vergente sæculo IV. floruit, quotidie Missam celebratam fuisse docet nos Palladius in ejus Vita apud Bollandum cap. 5. ad diem 25. Januarii pag. 627. In Cœnobio Sancti Euthymii, qui sæculo V. vixit, Sabbato etiam Missa celebrabatur, ut narrat Cyrillus Scythopolitanus in ejus Vita cap. 13. In Laura etiam Sancti Gerasimi Dominica, & Sabbato Eucharisticum Sacrificium offerebatur, eodem Cyrillo teste cap. 15. Vitæ S. Euthymii. Itaque quoad Occidentales Monachos, quod olim apud ipsos omnes dies, excepta Dominica, Liturgia carerent, id nonnullis veterum monumentis comprobatur; & primo in diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis, *non canebatur Missa* tempore S. Benedicti, ait Hildemarus primus Regulæ Benedictinæ Commentator, Ludovico Augusto imperante, ad cap. 48. In Concilio Cloveshoviensi in Anglia an. 747. celebrato cap. 14. statutum fuit, ut Dominicus dies legitima veneratione a cunctis celebraretur, essetque divino tantum cultui dedicatus, omnesque Abbates, & Presbyteri isto sacratissimo die in suis Monasteriis, ac Ecclesiis manerent, Missarumq; solemnia agerent. Hoc Concilium habetur apud Spelmannum Concil. Angliæ Tom. 1. pag. 232., & apud Labbeum Concil. Gen. Tom. VI. col. 1565. Ex quo colligitur aliis hebdomadæ diebus prædictos Monachos Sacerdotes a publico conventuali Sacrificio abstinuisse, etsi eorum aliqui privatim ex devotione interdum fortasse celebrarent, sicuti de S. Anstens Abbate Metensi legitur apud Acherium, & Mabillonium Sec. V. Bened. pag. 388. *Quod omnibus Dominicis, & festivitatibus Sanctorum celebrioribus Missas publice dixit: ad hoc unaquaque quarta feria privatim*. Sed ne in hanc rem confirmandam ulterius progrediar, de qua qui plura volet, adeat Edm. Martene lib. 2. de Monach. Rit. cap. 6. §. 3. adjicere sufficiat hujusmodi consuetudinem apud Carthusianos etiam circa medium sæculum XIV. viguisse, uti patet ex Petri Boherii Apparatu ad constitutionem Benedicti Papæ XII. ubi ad cap. 27. ita loquitur: *Unde non quotidie, immo raro sacrificat Carthusiensis Ordo*: Et Guigo magnus Carthusiæ Prior in Statutis cap. 14. ait: *Raro hic Missa canitur, quoniam præcipue studium, & propositum nostrum est silentio, & solitudini vacare*.

Apud Monachos, maxime Occidentales, antiquo ritu omnes dies, excepta Dominica, Liturgia carebant.

(6) *Ad Missæ Sacrificium Monachos convenisse*) Vide supra Parte I. ad Cap. XIV. §. 6. in notis. Ad hæc additur, quod ita etiam interpretatur Hildemarus Monachus, qui sæculo nono floruit, Comment. ad eamdem Regulam S. Benedicti Cap. 48., ubi eam exponens, ait, quod „ dicit in Quadragesima usque ad Decimam „ plenam operentur, ideo plenam dicit, quia „ tunc in Monasterio non canebatur Missa.

(7) *Lib. 3. Inst. cap. 2.*) Ammonius Monachus Ægyptius lib. de SS. Monachis Synaitis, & Rhaitunis edito a P. Combefis pag. 88. omnes refert die tantum Dominica ad Missam convenisse, & quemdam Josephum, qui diu vixit in cella sua a nemine conspectus, discipulo suo dixisse narrat: *nulla me dies Dominica præterit, quin Christi Mysteria cum vobis perceperim*.

(8) *Qui soli publica fatri oblatione celebantur*) Aliturgicis diebus accenseri potest apud Mozarabes vigilia Nativitatis Domini, cum in eorum Missali nulla hac die Missa notetur, uti advertit Edmundus Martene de antiqua Eccles. Discipl. pag. 8. Item apud Ambrosianos Mediolani qualibet Feria sexta Quadragesimæ; in istis namque diebus nullam iidem Missam celebrant, neque præsanctificatam adhibent, uti mos est apud Græcos, & sacro die Parasceves apud Romanos, quemadmodum videre est in eorum Missalibus.

§. IV.

De diebus Liturgicis, & de quotidiana Oblatione.

Venio nunc ad dies Liturgicos, quo nomine si privatam, & quotidianam celebrationem complectimur, extra controversiam est semper licuisse quacumque die Sacrificium offerre, paucis dumtaxat exceptis, quibus id nominatim vetitum fuit, quales sunt in Ecclesia Orientali dies Quadrage-

dragesimæ, quibus Præsanctificatis utuntur, & in Ecclesia Romana feria sexta, & sabbatum majoris hebdomadæ, in Ecclesia autem Mediolanensi omnes feriæ sextæ Quadragesimæ. Testimonia veterum Patrum de usu quotidiani Sacrificii quædam attuli supra Capite XIV. cum de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatæ oblationis laudabilis consuetudo firmius stabiliatur.

Quotidiana Missæ celebratio iterum comprobatur.

Tertullianus de jejunio cap. 14. *Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur* (1). Andreas Apostolus se (1)
quotidie hostiam incruentam immolasse testatus est, ut Acta ejus referunt a Presbyteris Achajæ conscripta (2). Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, (2)
Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus (3). Basilium Magnum quotidie sacris operatum scribit Am- (3)
philochius in ejus vita: idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. Chrysostomus hom. 60. ad Pop. Antioch. Deum ait nobis sua beneficia per singulos dies quodammodo per hæc mysteria alligare, non annuatim, sicut olim Hebræis. Et hom. sequenti Dominum per singulos dies venire inquit, ut videat in sacra mensa discumbentes. Innocentius I. epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, ideo a Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, qua a Sacrificiis divinis vacent (4). Petrus Chry- (4)
sologus serm. 5. loquens de Christo, *Hic est vitulus*, ait, *qui in epulum nostrum quotidie, ac jugiter immolatur*. S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum quotidie Missam celebrasse refert Serarius *lib.* 3. *rerum Mogunt. notat.* 12. *in ejus vitam* ex quodam fragmento S. Ludgeri. Gregorius Turonen. *lib.* 1. *de Gloria Confess. cap.*22. calicem, & patenam vocat ministerium quotidianum (5). In veteri Missa edita ab Illyrico Sacerdos post communio- (5)
nem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quod Corpus, & Sanguinem Christi quotidie audet accipere. Ne vero deessent diebus singulis propriæ Missæ, Alcuinus Caroli Magni Magister rogatu S. Bonifacii Archiepiscopi Missam composuit de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de Sapientia, pro feria III. de Spiritu Sancto, pro feria IV. de Charitate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, pro Sabbato de S. Maria. *Et hoc ideo*, teste Micrologo cap. 60. *ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi, nondum Ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent, cum quo officium suum qualibet die possent explere. Unde & adhuc quidam easdem orationes quotidie, etiam cum proprio abundent officio, nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus sexta feria de Cruce, sabbato de S. Maria pene usquequaque servatur, non tam ex auctoritate, quam ex devotione* (6). In antiquis Usibus Mona- (6)
chorum feria II. notatur Missa pro Defunctis, feria III. de S. Benedicto, sive de Sancto cujusque Congregationis institutore, feria IV. pro familiaribus, feria V. de Spiritu Sancto, feria VI. de Cruce, vel de passione Domini, sabbato de S. Maria. Missam de Trinitate olim Cistercienses singulis diebus Dominicis cantabant post Primam. Nunc autem quæ Missæ singulis feriis proprio officio carentibus assignatæ sint, ex Rubricis Missalis Romani constat, & ex praxi communiter recepta. Sunt & Missæ votivæ nulli diei addictæ, quæ quoties occasio fert, ad arbitrium Sacerdotis celebrantur. Extat de Missis quotidianis Concilii primi Toletani sub Anastasio Papa hoc decretum c. 5. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad Ecclesiam, ad Sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur*. At hic canon ad Missam solemnem pertinet, quandoquidem jubet omnes Ecclesiasticos ordines ad

eam convenire. Ex hoc autem infertur eam quotidie in Ecclesia Toletana initio quinti seculi actam fuisse, quod teste Augustino supra citato alicubi ipso vivente servabatur (7). Cæterum de Missa solemni singulis diebus (7)
cantanda varias olim fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudines superiori paragrapho demonstratum est, recensitis diebus, qui apud Antiquos Aliturgici erant. Quo vero tempore Sacrum quotidianum, atque solemne ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem Sacramentorum libris, & ex Ritualibus Monachorum manifestum est octavo seculo hunc ritum in omni fere regione receptum, ut non solum diebus Dominicis, & festivis, ac in diebus Stationum, sive in pervigilio majorum festivitatum solemnis Missa celebraretur, sicut Apostolica traditio, primique, & secundi seculi usus ferebat; sed singulis etiam diebus, sola feria VI. ante Pascha excepta: qui mos hodie in omnibus Ecclesiis collegiatis, & conventualibus exactissime observatur (8). (8)

(1) *Omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur*) Idem de Orat. cap. 6. *Corpus ejus in Pane censetur, hoc est Corpus meum, itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem a corpore ejus*. Clarius lib. de Idololatria cap. 7. ubi loquens de impiis Sacerdotibus: *Proh scelus!* inquit, *semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie Corpus ejus lacessunt &c.* Notum item est ex Act. Apost. 2. quotidie circa domos panem fregisse, scilicet Eucharisticum, non enim de alio pane communi usquam intelligi potest, uti alias dictum est Parte I. cap. 4. §. 2. nota 1.

Acta S. Andreæ Apostoli genuina.

(2) *Ut acta ejus referunt a Presbyteris Achajæ conscripta*) De Actis S. Andreæ Apostoli, an vere genuina sint, nec ne, plura disputant Eruditi, ut supra jam monuimus ad lib. 1. cap. 4. §. 4. Quia vero hoc loco hinc inde relata nimium excrescerent, ideo hujusmodi Dissertationem Apologeticam, qua eorumdem veritatem vindicabimus, cum aliis suo loco digerendam reservamus in fine hujus operis.

(3) *Hostias Deo, & Victimas præparemus*) Idem Sanctus Martyr de Oratione Dominica: *Hunc panem*, inquit, *dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & quotidie Eucharistiam ad cibum salutis accipimus &c.* Atque iterum Epist. 69. edit. Pamel. ad Florentium Pupianum circa finem: *Si de innocentia Sacerdotum .... si Deo, & Christo ejus, quibus servio, & quibus puro, & immaculato ore Sacrificia, & in persecutione pariter, & pace indesinenter offero &c. Indesinenter*, idest quotidie, ut supra dixit, Sacrificia Dei quotidie a Sacerdotibus celebrata.

Idem, ut supra, quotidianum Sacrificium Missæ uberius confirmatur.

(4) *Quia non præterit dies, qua a Sacrificiis divinis vacent*) Vide apud Labbeum Concil. Tom. 2. col. 1254. §. 1. quod & antea iisdem verbis scripsit ad Victricium Rothomagensem ibid. col. 1251. §. 9. ac utrobique idem confirmans dicit, quod Sacerdotibus *orandi, & sacrificandi juge officium est*: Porro hæc initio utriusque Epistolæ non nova præcepta imperari, ait, sed quæ ex *divinarum legum manifesta disciplina Apostolica, & Patrum traditione constituta*. Quare subdit §. 1. *Hoc enim & in Synodo Nicæna constitutum est*, ut sicdictæ Apostolicæ, Patrumque traditioni Oecumenici Concilii authoritatem conjungens, quod in his Decretalibus Epistolis suis observandum denunciat, firmius roboraret. Sed & ante ipsum Innocentium Siricius Papa, cujus idem meminit laudata Epistola ad Exuperium §. 1. quotidianum Missæ Sacrificium a Sacerdotibus celebratum affirmat ad Himerium Tarraconensem Episcopum scribens an. 385. apud Labbeum loco citato col. 1020. n. 7. ubi ait: *Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, Sacrificiis placeamus*. Et ne hæc sacrificia aliter quam de Euchatistico interpretari possent Misoliturgi Novatores, circa finem subdit pœnam Sacris Ministris incontinentibus impositam, illos scilicet declarans ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis authoritate dejectos, nec unquam posse deinceps veneranda attrectare Mysteria, per quæ non aliud profecto, quam sacrosanctum Missæ Sacrificium veteres omnes intelligunt.

(5) *Vocat ministerium quotidianum*) Julianus Pomerius, qui sæculo labente V. floruit lib. 1. de Vita Contemplat. cap. 21. quotidianas Sacerdotum oblationes commemorat.

Missæ peculiares quaque die hebdomadæ ex devotione, ac pro libito celebrandæ ab Alcuino compositæ.

(6) *Non tam ex authoritate, quam ex devotione*) Inter Opera ejusdem Alcuini extat Liber Sacramentorum, in quo tres Missæ pro qualibet die hebdomadæ ab ipso etiam compositæ sic enumerantur. Die Dominica de Sancta Trinitate, de gratia Spiritus Sancti postulanda, & Missa, quam vocat S. Augustini, fortasse ex ejus operibus conflata, quæ singulis diebus tertio loco ponitur pro venia peccatorum obtinenda. Feria 2. pro peccatis, pro petitione lacrymarum, & Sancti Augustini. Feria 3. ad postulanda Angelica suffragia, pro tentationibus cogitationum, Sancti Augustini. Feria 4. de Sancta Sapientia, ad postulandam humilitatem, Sancti Augustini. Feria 5. de Charitate contra tentationes carnis, Sancti Augustini. Feria 6. de Sancta Cruce, de tribulatione, & necessitate, Sancti Augustini: Sabbato de Sancta Maria, item Commemorationis Sanctæ Mariæ: Sancti Augustini.

(7) *Quod*

(7) *Quod teste Augustino alicubi ipso vivente servabatur*) Item S. Hieronymus Epist. 52. ad Lucinium Missam quotidie apud Hispanos celebratam fuisse affirmat, uti nos supra monuimus in notis ad cap. XIV. §. 1.

(8) *Qui mos hodie .... exactissime observatur*) Confirmat id Theodulphus Aurelianensis, qui octavo sæculo floruit in suo Capitulari art. 45., ubi statuit, quod (Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur) Porro de Missa quotidiana antiquitus primis etiam Ecclesiæ sæculis celebrata fuse, & eruditissime differit clar. P. Cajetanus Maria Meratus in suis novis observationibus ad Gavantum Parte I. Prælim. n. 16.

§. V.

Qui fuerint dies Polyliturgici.

Polyliturgici dies ii, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ dicebantur.

ERant & alii dies in veteri Ecclesia, quos Polyliturgicos vocare libet, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ dicebantur, sicut hodie fit in die Dominicæ Nativitatis. Quamvis enim Leo Magnus *Epist. ad Dioscorum Alexandrinum* eadem die iterari Missam prohibeat, nisi ob angustiam Ecclesiæ omnis populus interesse non possit: hoc tamen decretum vel ita intelligendum est, ut id passim non liceat, & quandocumque Sacerdoti libuerit, sed certis tantum diebus, & ex aliqua causa: vel non usu, aut contraria sanctione a Summis Pontificibus abrogatum fuit. Leonem III. septem, quandoque imo & novem Missas celebrasse ex Walafrido Strabone cap. 21. refert Baronius tom. 9. an. 816. Notabilia sunt Strabonis verba, & ideo non omittenda. *Diversitas quædam inter Sacerdotes oboriri solet, quia est talis, qui semel tantum in die Missam celebrare velit, nimirum credentes idem mysterium passionis Christi cunctarum necessitatum esse generale subsidium. Alius vero bis, ter, vel quoties libet, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur. Et fortasse consuetudinem suam inde confirmandam existimant, quia Romanorum usus habet duas, vel tres interdum unius solemnitatis facere Missas, uti in Nativitate Domini Salvatoris, & aliquorum festis Sanctorum. Et revera non esse absurdum crediderim, si dum plures in una die faciendæ sunt Missæ, unus Sacerdos duas, vel tres necessitate, vel voluntate persuadente celebret potius, quam quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quod totius usus Ecclesiæ habet sæpius Missas agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemosynis, & aliis diversis causis, quod etiam officia his attributa testantur. In diebus itaque publica celebritate conspicuis aut illæ diversarum rerum necessitates sunt intermittendæ, aut concurrentibus sibimet publica observatione, & privata necessitate, utriusque expletio suis est discernenda officiis, vel una oblatione diversæ causæ sunt explendæ.* Hactenus Strabo, cui Auctor Gemmæ animæ adstipulatur lib. 1. cap. 114. *Semel in die debet Missa ab uno Sacerdote celebrari, sicut & Christus semel voluit immolari. Si autem necessitas cogit, idest si duæ festivitates simul occurrunt, duæ, vel tres celebrari poterunt.* Sunt & Conciliorum decreta ad hunc ritum pertinentia. Nam Toletanum XII. habitum ann. 681. can. 5. sic loquitur. *Relatum nobis est quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in una die videntur offerre; sed in uno die si plurima per se Deo offerant Sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, & in sola tantum extremi Sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt.* Vetat autem id fieri sub pœna suspensionis. Et in Emeritensi aliquot annis ante Toletanum habito sub Vitaliano Papa c. 19. cautum est, ut Presbyter, qui plures Ecclesias sub suo regimine habet, in singulis die Dominica Missas agat. At vero Salegunstadiense anno 1022. celebratum cap. 5. numerum præfixit decernens, ne quis præsumeret amplius quam tres Missas in die celebrare. Nec desunt

San-

Sanctorum exempla, qui pluries in die Sacrificium offerebant absque necessitate.

Sanctorum exempla, qui pluries in die Sacrificium offerebant, nulla etiam urgente necessitate, quia nimirum sic ferebat illorum temporum consuetudo. De Leone III. diximus supra, quem Durantus *lib.* 2. *cap.* 7. falsò putat primum fuisse, cum Strabo dicat eum non longe a suis temporibus claruisse. S. Udalricum Episcopum Augustanum duas, & tres Missas una die celebrasse scribit in ejus vita Berno Augiensis. A S. Norberto duas quotidie actas, itemque a S. Aiberto Monacho legimus apud Surium. De S. Libentio Bremensi Episcopo (1) idem in sua Metropoli narrat Krantzius *lib.* 4. *cap.* 11. In libello de Alamannicæ Ecclesiæ Fraternitatibus, quem edidit Goldastus *tom.* 2. *Alaman. Antiquit.* occurrit Fraternitas more priscorum Monachorum inita inter Monasterium Augiense, & S. Galli tempore Caroli Magni, in qua conventum utrimque est, ut quandocumque aliquis frater obierit, eo die Presbyteri tres Missas, (2) & cæteri fratres pro eo Psalterium decantarent. Et hæc quidem universim evincunt licitam olim fuisse multiplicem eadem die celebrationem, non solum id aliqua causa exigente, sed etiam libere, & ex sola Sacerdotis devotione. In Ecclesia autem Romana antiqua viguit consuetudo bis, vel ter offerendi Sacrificium in certis quibusdam festivitatibus, quas operæ pretium duxi hic breviter recensere.

(1) *De Sancto Libentio Bremensi Episcopo*) Item Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus cum esset Monasterii Beccensis Prior, duas aliquando Missas celebrasse legitur apud Eadmerum ejus Vitæ lib. 1., & S. Aybertus ex Monacho Cospiniensi reclusus *factus Presbyter duas in die celebrabat Missas, unam pro vivis, alteram pro Defunctis*: ex ejus vita apud Bollandianos 7. Aprilis num. 14. Ante hos Sanctus Severinus, seu, ut in vetustissimo Codice legitur, Severus, de quo S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confess. cap. 50. cum duas Ecclesias ædificasset, ubi, *dies Dominicus advenerat, celebratis Missis uno loco, ad alium pergebat*.

(2) *Eo die Presbyteri tres Missas &c.*) Hinc ad calcem testamenti, & donationis Ethelvulphi Westsaxonum in Anglia Regis, qui ibi sæculo nono regnavit, hæc leguntur Tom. 8. Concil. pag. 245. Append. *Placuit etiam Episcopis . . . . cum suis Abbatibus, & Servis Dei consilium inire, ut . . . . . . unusquisque Presbyter duas Missas unam pro Rege Ethelvulpho, & aliam pro Ducibus ejus huic dono consentientibus, pro mercede, & refrigerio delictorum suorum . . . . dicat*. Statutum hoc refert Willelmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Regum Anglorum cap. 2. atque ex eodem Labbeus indicatus, & Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæc. 9., & 10. cap. 9. art. 1. Regis hujus fortasse exemplo Edgarus item Rex Angliæ in Canonibus an. 669. a S. Dunstano Cantuariensi, aliisque Episcopis editis, & ipsius nutu collectis apud Labbeum Concil. Tom. 9. pag. 680. cap. 37. habet, *ut nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die celebret, quam ter ad summum*. Plures etiam Missas sæculo XI. peractas a singulis Sacerdotibus testatur Petrus Damiani lib. 5. Epist. 19. Vide Christianum Lupum in Scholiis ad Concilia Parte 4. ad Alexandri II. Decretum I. pag. 302., & seqq. ubi plura in hanc rem. Quando autem & quomodo hujusmodi plures Missæ celebrarentur, dicetur infra.

§ VI.

Ab uno Sacerdote plures quandoque Missas una die actas.

Describuntur dies, in quibus plures Missæ ab eodem Sacerdote olim dicebantur.

PRima fuit dies Kalendarum Januarii ex veteri Frontonis Kalendario ante annos nongentos conscripto, in qua duæ Missæ cantari solebant, una de Octava Nativitatis, altera de S. Maria: quia, ut ait Durandus in suo Rationali lib. 6. cap. 5. *hac die duo festa concurrunt, scilicet parientis, & partus; unde & duæ Missæ celebrantur, prima de pariente, scilicet de B. Virgine, in qua dicitur introitus*, Vultum tuum, *& communio*, Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori: *secunda est de partu, scilicet de Filio, in qua dicitur introitus*, Puer natus est nobis, *vel in aliis Ecclesiis*, Dum medium silentium. *Unde & in quibusdam Gradualibus officium utrumque intitulatum invenitur*. Nunc vero utrumque festum in unum conflatum est, nam oratio in Missa est de S. Maria, Evangelium de Circumcisione, reliqua de octava: in officio autem major pars est de ipsa Virgine, additis non-

nonnullis de Circumcisione, & de octava, a qua hæc dies in antiquis Sacramentorum libris, nulla facta mentione Circumcisionis, denominatur. In prisco Ordine Romano ipsis Kalendis Januarii alia Missa reperitur, *Ad prohibendum ab Idolis*, cujus prima oratio hæc est. *Omnipotens sempiterne Deus da nobis voluntatem tuam & fideli mente retinere, & pia conversatione depromere, ut Ecclesia tua a profanis vanitatibus expiata non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione*. Meminit hujus Missæ Menardus in notis ad lib. Sacram. pag. 33. ubi optime observat rationem hujus Missæ instituendæ fuisse, quia olim Pagani Kalendas Januarii multiplici superstitione polluebant. (1) (1)

Altera est dies Cœnæ Domini, in qua Episcopus tres Missas celebrabat, quæ teste Menardo ibid. pag. 68. extant in antiquo Codice Remensi, (2) (2) quarum prima erat pro reconciliatione Pœnitentium, secunda pro conficiendo Chrismate, tertia serotina de ipsa diei solemnitate, cum oratione, *Deus, a quo & Judas*. Has item Missas reperi in libro Sacramentorum Petaviano, nunc Reginæ Sveciæ, omnium, quos vidi, antiquissimo. Olim quoque duas Missas hac die in quibusdam Ecclesiis actas, unam mane, alteram sero scribit Augustinus epist. 118. ad Januarium.

Tertia est vigilia Ascensionis Domini, in qua duplex Missa præscribitur, una de Feria, sive de Rogationibus, altera de ipsa vigilia, ut constat ex Kalendario Frontonis, & ex priscis Missalibus, ipso quoque Ascensionis die in prædicto Codice Reginæ duæ Missæ notantur, & in singulis propria Præfatio.

Quarta tres dies jejuniorum hebdomadæ Pentecostes complectitur, in quibus asserit Micrologus cap. 58. duas Missas ab aliquibus suo tempore decantatas, unam de octava, sive de festo Spiritus Sancti post Tertiam, alteram de jejunio quatuor Temporum post Sextam. (3). (3)

Nativitatis Domini dies, in qua tres Missæ dicuntur, sola ceteris abrogatis adhuc observatur.

Quinta est dies Nativitatis Domini, in qua tres Missæ dicuntur, & hæc sola, cæteris abrogatis, in usu permansit (4). (4) Addit Joannes Fronto in prænotatis ad suum Kalendarium §. 10. sanctum diem Resurrectionis, dicens: *In die Paschatis sunt tres Missæ, prima sabbatina de nocte, secunda de die, tertia in concessione Ordinum* (5), *quæ non adnotatur, quia sumitur de communi*. (5) Erat enim Missa quædam specialis, quæ semper dicebatur in Ordinum collatione. In præcitato Codice Reginæ, & in aliis antiquis extat etiam Missa de Pascha annotino, quæ recurrente die anniversaria Baptismatis pro his celebrari solebat, qui præcedenti anno baptizati fuerant, non omisso diei officio, in qua leguntur istæ orationes. *Deus, per cujus providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla superest expectatio futurorum, tribue permanentem peractæ, quam recolimus, solemnitatis effectum, ut quod recordatione percurrimus, semper in opere teneamus. Per*. Alia. *Deus, qui renatis fonte baptismatis delictorum tribuis indulgentiam, præsta misericors, ut recolentibus hujus Nativitatis insignia plenam adoptionis gratiam largiaris. Per Dominum*. In alio Codice Reginæ, quem supra cap. XII. Gallicanum ritum continere dixi, singulis diebus octavarum Paschatis duæ sunt Missæ, una pro parvulis, qui renati sunt, altera de ipsa festivitate. Eadem Missa extat in Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ ibidem laudato sic inscripta, *Missa matutinalis per totam Pascham pro parvulis, qui renati sunt, mature dicenda*. Ejus oratio hæc est. *Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut qui sacro baptismate sunt renati, regni cœlestis introitum mereantur. Per Dominum*. Græcos quoque in die Resurrectionis Missam unam ante solis exortum celebrasse scribit Gabriel Philadelphiensis relatus a Gretsero *lib. 3. comment. in Codinum cap. 1.*

(1) *Quia olim Pagani Kalendas Januarii multiplici superstitione polluebant*) Tres etiam Missas hujusmodi assignatas in vetustissimo Gellonensis Monasterii Sacramentario ante annos non-

nongentos exarato se legisse affirmat Edmundus Martene de antiq. Eccles. rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 7. quarum prima, & secunda inscribitur in *Octava Domini*, tertia *ad prohibendum ab Idolis*.

(2) *Extant in antiquo Codice Remensi &c.*) Eædem tres Missæ habentur in ordine Gelasiano, & in Codice Noviomensi Sanctæ Mariæ, ac in Gellonensi, item in Remensi S. Remigii teste Edmundo Martene de antiq. Eccl. rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. pag. 284., qui, ait quartam Missam addi in veteri Codice Bibliothecæ Regiæ annor. circiter 900. Addit Joannes Fronto in prænotatis ad suum Kalendarium §. 10. sanctum Resurrectionis diem dicens: *In die Paschatis sunt tres Missæ*.

(3) *Alteram de jejunio quatuor temporum post sextam*) Item in Feriis quatuor temporum Adventus ex antiquis consuetudinibus Monasterii Cassanensis Canonicorum Regularium tres Missæ dici debebant, prima de Jejunio, secunda de Defunctis, tertia de Beata. Ita Martene de antiq. Eccles. Discipl. pag. 75.

In dicta Nativitatis Domini die quatuor etiam Missæ olim dictæ.

(4) *Et hæc sola cæteris abrogatis in usum permansit*) Immò quatuor Missas hac die Nativitatis Domini præscribit dicendas supra memoratus antiquissimus Codex Gellonensis, videlicet unam in nocte ad Sanctam Mariam in Gallocanto, secundam de mane prima ad Sanctam Anastasiam, tertiam item ad Sanctam Anastasiam de mane prima, quartam ad Sanctum Petrum in die. Et quidem in Monasterio S. Petri supra Divam quatuor hac die Missas solemnes celebratas fuisse observat præfatus Edmundus Martene de antiquis Monachorum ritibus lib. 3. pag. 289. & lib. 1. cap. 3. art. 3. de antiquis Eccl. rit. pag. 284.

(5) *Tertia in concessione Ordinum*) De tertia Missa, quam ait Fronto celebratam in collatione Ordinum, die Paschatis dubitare videtur Edmundus Martene loco citato, quia, inquit, non concessos fuisse Sacros Ordines olim in Festo Paschæ probare nititur Pasch. Quesnellus in sexta Dissert. ad S. Leonem Papam. Quidquid sit de hac Quesnelli sententia, certum est olim in die Paschatis alicubi tres Missas celebratas fuisse; Eldephonsus enim Episcopus Toletanus (alter scilicet a S. Ildephonso Episcopo etiam Toletano) in opusculo, quod an. 855. exaravit, & publici juris fecit Mabillonius, tres Missas assignat pro festivitatibus Nativitatis Christi, Paschatis, Pentecostes, & Transfigurationis.

§. VII.

Multiplex item Sacrificium in Natalitiis Sanctorum offerri consuetum.

Variæ causæ multiplicationis Missarum hujusmodi in Natalitiis Sanctorum describuntur.

MUltiplex item Sacrificium in natalitiis Sanctorum offerri consueverat, cum duorum, vel plurium eadem die festivitas agebatur, qua de causa in vetustis Sacramentorum libris duæ Missæ certis diebus notantur, ut *die* 20. *Januarii*, una de S. Sebastiano, altera de S. Fabiano, *die* 3. *Maii* de Inventione S. Crucis, & de Sanctis Alexandro, Eventio, & Theodulo: *die* 28. *Junii* de S. Leone, & de vigilia Apostolorum. Et hac die in libro Sacramentorum Sancti Gregorii edito ab Hugone Menardo ante secundam Missam extat hæc nota. *Quando Apostolicus duas Missas celebrat una die, inter eas non lavat os, nisi post officium; sed absque intervallo finita priore incipitur alia:* nimirum ut jejunus celebret. In Codice Reginæ de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo *die* 30. *Junii* tres sunt Missæ, una de S. Petro solo, altera de utroque simul, tertia de S. Paulo: *die* 29. *Julii* ex Sacramentali Pamelii duæ quoque sunt, nempe de S. Felice, & de Sanctis Simplicio, Faustino, & Beatrice: *die* 28. *Augusti* de Sancto Hermete, & de S. Augustino: *die sequenti* de martyrio S. Joannis Baptistæ, & de S. Sabina: *die* 8. *Septembris* de Nativitate S. Mariæ, & de S. Adriano: *die* 14. de Exaltatione S. Crucis, & de Sanctis Cornelio, & Cypriano: *die* 16. de S. Euphemia, & de Sanctis Lucia, & Geminiano (1): *die* 11. *Novembris* de S. Menna, & de S. Martino: *die* 23. de S. Clemente, & de S. Felicitate: *die* 29. de S. Saturnino, & de vigilia S. Andreæ. Nunc autem prædictæ festivitates una die occurrentes, vel simul unico officio celebrantur, vel altera in alium diem transfertur, aut ipsa die sola commemoratione expeditur. (1)

Sunt & aliæ causæ multiplicationis Missarum de iisdem Sanctis, nimirum, cum eorum Reliquiæ in diversis Ecclesiis conditæ erant. Sic festo S. Felicitatis cum septem filiis *die* 10. *Julii* tres Missæ assignantur in Kalendario Frontonis, quia in tribus diversis locis ipsorum corpora sepulta fuerunt, & ad singula concurrebat populus, & idem Sacerdos in singulis Sacris operabatur. Sic etiam Papa in die Apostolorum bis olim celebrabat, semel in Basilica S. Petri, & iterum in Basilica S. Pauli, ut Prudentius testatur hym. 12. de Coronis.

Aspi-

Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una festis.
Transtyberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Vel quando ejusdem Sancti memoria in pluribus locis colebatur, utpote in Basilica ipsi dedicata, & in loco ubi conditus fuit. Et hæc est causa trium Missarum, quæ in die S. Laurentii dicebantur, quarum prima erat vigiliæ, quæ sero fiebat propter jejunium, quando more Ecclesiastico dies festus incipiebat: altera summo mane, tertia post Tertiam. Tres quoque Missas singulari privilegio Nativitati S. Joannis Baptistæ tributas liquet ex libro Sacramentorum Pamelii, & ex aliis Codicibus, quos laudat Menardus in notis sui Sacram. pag. 169. vigiliarum scilicet, diluculi, & diei. Harum mentionem faciunt Alcuinus *cap.* 30. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 38. & *lib.* 4. *cap.* 40. Hugo Victorinus *lib.* 3. *de offic. Ecclesiast. cap.* 6. & Baronius *in notis ad Martyrolog. die* 24. *Junii*. Berno quoque in vita S. Udalrici scribit eum in hoc festo bis sacrificasse, *ut est*, inquit, *statutum*. Missæ vero eadem die primo mane celebratæ post hymnum *Te Deum laudamus* in matutinis decantatum, mentio fit in vita Roberti Regis Franciæ scripta ab Helgaldo Monacho Floriacensi. Duæ item Missæ leguntur in libro Sacram. S. Gregorii apud Pamelium, & in Codice Ratoldi apud Menardum pag. 32. pro die S. Joannis Evangelistæ, primo mane, & in die, quarum meminit Amalarius *lib.* 4. *cap.* 40., easque negligendas non esse ait Radulfus in fine libri de Canonum observantia.

Postrema plurium Missarum celebrandarum causa fuit, ut supra ex Strabone notavimus, cum Missa votiva pro aliqua necessitate (2), aut Missa (2) defunctorum pro alicujus sepultura, aut commemoratione agenda erat. Concilium Carthaginense relatum c. Sacramenta Altaris, *de consecr. dist.* 1. imminente alicujus sepultura, eam fieri solis orationibus præcepit, si jam pransi Sacerdotes invenirentur. Ex quo infertur, quod si jejuni forent, poterant iterum Missas agere. Concilium Oxoniense in Anglia (3) tempore Honorii (3) III. unam Missam in die dici mandat, exceptis die Nativitatis, & Resurrectionis, & exequiis, ac sepultura Defunctorum. In Regno Valentiæ, & in aliis quibusdam locis Hispaniæ Sacerdotes bis, vel ter celebrant in die commemorationis omnium defunctorum sive ex privilegio, sive ex consuetudine, quæ fortassis ex eo profluxit, quod Alexander II., qui unam dumtaxat in die Missam agi præcepit, morem celebrandi unam de die, alteram pro defunctis refert, & non abrogat. Certum nihilominus est hunc morem jam pridem desuevisse. Decretum Alexandri extat apud Gratianum *de consecr. dist.* 1. *c. sufficit* (4). Cui consonat Innocentius III. *c. Consuluisti, de celebratione Missarum*, his verbis: *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*. Addit Honorius III. ibidem c. *Te referente*, (4) valde felicem esse, qui celebrat digne unam (5). (5)

(1) *Die decima sexta de Ss. Euphemia, Lucia, Geminiano &c.*) In Sacramentario S. Gregorii duæ habentur Missæ Kalendis Novembris: prima de Sancto Cæsario: secunda de omnibus Sanctis. Item in Codice Sacrament. Regio 3865., uti legitur inter Selecta vet. Testim. de S. Hilario præfixa operibus ejusdem pag. CLXIV., in Cod. Colbert. 1927., atque in Missalibus antiquis Turonensi, Benigniano, & Noviomensi eodem die habentur tres Missæ: prima de omnibus Sanctis, secunda de Sancto Cæsario, tertia de Sancto Hilario. In alio Codice ejusdem Ecclesiæ Turonensis quinque occurrunt Missæ. Primæ præfigitur hic titulus. *Natale omnium Sanctorum*. Secundæ. *Eodem die Natale S. Cæsarii*. Tertiæ: *Item alia Missa in natalitiis omnium Sanctorum*. Quartæ: Item alia Missa. Quintæ: eadem die: *Solemnitas S. Hilarii Episcopi, & Confessoris*. Neque mireris hac die appositam Missam de Sancto Hilario, etenim celebratam ejus festivitatem Kalendis Novembris testantur

stantur Martyrologia antiqua MS. Casalis Benedicti, & Monasterii S. Georgii Rotomagen. apud Martene de antiq. Eccl. disciplina pag. 588., ubi etiam in Indice plures Missæ citantur eadem die de diversis Sanctis, quas omnes hic recensere non vacat. Verumtamen silentio prætereundum non est, quod in prædicto Codice antiquo secundo Ecclesiæ Turonensis apud eumdem Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 4. & seqq. ubi plures item referuntur Missæ eadem die de variis festivitatibus celebrandæ, n. XIII. tres Missæ describuntur in die natali Sancti Patris Benedicti Abbatis cum suis quatuor peculiaribus orationibus.

Missæ votivæ nonnullæ pro aliqua necessitate.

(2) *Missa votiva pro aliqua necessitate &c.*) Hæc legitur in Sacramentario Gregorii, scil. pro aliqua cujuspiam necessitate. In Codice Calensis Monasterii ante annos 800. scripto, multæ sunt Missæ votivæ, videlicet de S. Trinitate, de Sapientia, ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, in honorem Sanctæ Mariæ, ad postulanda Angelica suffragia, de S. Joanne Baptista, de S. Petro, de S. Stephano, de S. Cruce &c. Atque hujusmodi Missarum mentio fit in Synodo Salegustadiensi an. 1022. celebrata can. 10., de quo supra; his, & inter votivas Missas accensendæ sunt supra relatæ §. 4. n. 6. ab Alcuino compositæ.

(3) *Concilium Oxoniense in Anglia*) Ante hoc Oxoniense II. quod fuit an. 1217. jam vetuerat Concilium Lambethense an. 1206. cap. 3. ubi legitur: *Bis in die Missam nullus celebrare præsumat, nisi in diebus Nativitatis &c. qui contrafecerit ab officio se noverit suspensum &c.* Eodem tendunt Constitutiones Ricardi Episcopi in Anglia an. 1217. editæ cap. 38. apud Spelmannum Concil. Britan. Tom. 2. pag. 140. Concilium Oxoniense alterum, & Sarisburiense an. 1222. cap. 6. Wigorniense an. 1240. cap. 26., & Coloniense an. 1280. cap. 1.

(4) *Apud Gratianum de consecr. dist. 1. c. sufficit*) Integer textus hic est: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam Missam dignam celebrare potest.* Ad istud Alexandri Papæ statutum, (uti observat Edm. Martene Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 4.) alludere videtur Vita S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & Mart. a Joanne Sarisburiensi ejusdem Pontificis familiari, & in exilio, molestiísque comite scripta, in cujus cap. XI. hæc leguntur: *Scripta vero canonica sicut nec jubent, nec inhibent, nec dissuadent, aut suadent, ut Sacerdos quotidie offerat, sed hoc testantur, quod una die semel offerre sufficiat, quemadmodum & semel oblatus est Christus; illum vero valde felicem prædicant, qui in die una digne celebret. Illos autem in præsentiarum nec memoratu dignos, non Christi, sed mammonæ Sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæstum unam Christi, & semel oblatam hostiam quotidie non semel, sed libentius iterum non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes, & ostentui.* Hæc ille. Istius porro decreti Alexander non tam author, quam restaurator dicendus est, utpote quod ipsissimis illius verbis expressum reperiatur in Egberti Eboracensis Archiepiscopi, qui sæculo octavo longe ante Alexandrum II. tercentum circiter annis floruit, Excerptis apud Henr. Spelmannum Concil. Britann. Tom. I., & Labbeum Concil. Gen. Tom. VI. col. 1586. ac seq. ubi cap. 54. illud decretum Egbertus roborat, non modo Christi exemplo, qui semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, verum etiam veteris Testamenti Scripturæ Sacræ authoritate; nam *in Levitico quoque*, ait, *scriptum est, non debere Aaron ingredi assidue interius in Sancta.*

Cæterum hujusmodi Alexandrina Constitutio ab Innocentio III., & Honorio III. postea confirmata Missam potius privatam extra diem festum, quam solemnem in die festo urgente necessitate repetitam, ut infra notabitur, respicere videtur; de hac enim luculentum nobis exhibet testimonium supra indicata §. 5. a Cardinali nostro Epistola XI. S. Leonis Papæ ad Dioscorum Alexandrinum: *Ut autem*, inquit, *in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum sollemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur:* Hunc in locum Paschasius Quesnellius observat hanc fuisse Ecclesiæ Romanæ S. Leonis tempore consuetudinem, quam revera indicant illa verba: *ut in omnibus observantia nostra concordet*; quinimmo & Africanæ, ait, eamque antiquæ institutionis, quæ *ex forma paternæ traditionis insederat*, non quidem aliqua lege Ecclesiastica, sed solo usu, & arbitrio Pontificum invectam; quam etiam consuetudinem, necessitate sic impellente, observatam adhuc videre est in aliquibus pagis, seu vicis maxime alpestribus, ubi plures familiæ vilibus in casis, seu tuguriis multum ab Ecclesia dissitis habitantes degunt, neque ad eamdem, ob angustiam, aut distantiam loci omnes simul convenire possunt, quibus idcirco unus tantum addictus Parochus, ex aliorum Sacerdotum penuria, solus iterare Sacrificium cogitur, sic exigente populi multitudine, ac de Superiorum indulto, ut Christifidelium hujusmodi spirituali indigentiæ satisfieri possit, de qua re vide item nota sequenti.

(5) *Valde felicem esse, qui celebret digne unam*) Addit præterea Alexander Pontifex (non primus, uti perperam Guillelmus Burius in brevi Notitia Romanorum Pontificum, sed secundus, uti optime Card. noster) eos, qui duas Missas celebrant, unam de die, alteram pro Defunctis, id facere permitti, *si causa necessitatis suadeat.* Necessitas quippe legitimum bis in die celebrandi titulum suppeditare potest, etiamsi ex mera devotione Defunctis opitulandi id non liceret; cum enim unus Sacerdos duabus Parœciis addictus inservire debet, ut utriusque necessitati satisfiat, fas est eadem die multiplicare Sacrificia, ut ex Suarez in 3. Part. Tom. 3. Disp. 80. sect. 3., & Vasquez pariter in 3. Par. D. Thomæ Disp. 232. In fine firmat Rainaudus Heterocl.

Sacerdoti duabus Parœciis addicto, ex Prælatorum indulto bis sacrificare conceditur.

teroci. Tom. 2. puncto 1. n. 14., qui hoc fieri posse subdit, etiamsi non esset dies festus, sed tantum serviendum sit devotioni populi, quod tamen non ita facile admitterem, maxime, si non ingens, ac notabilis fuerit populi multitudo. Similiter fas esset eodem die multiplicare Sacra, si in solemni festivitate, ad quam multus populus conveniret, omnes non possent Templi finibus contineri, nec posset extra illud celebrari; tunc enim posset sæpius ab eodem una die Sacrificium fieri, ut omnes, qui convenerunt, audiendi Sacri copiam haberent; contrarium tamen statuit Synodus V. Mediolanensis Tit. *De his, quæ ad divina officia pertinent*; cum autem ea Synodus Provincialis sit, non videtur jus condere universale; si itaque similis aliqua necessaria causa urgeret, (ajunt præfati Doctores, quibus & alii adstipulantur apud Thomam Franc. Rotarium. Theol. Reg. Tom. 3. lib. 1. de Sacramentis cap. 2. puncto II. n. 5. & seqq.) quæ vere ob necessitatem; non utilitatem tantum, aut populi commodum, bis celebrari exigeret, non sumpta, nisi ad ultimam Missam purificatione, deesset culpa. Atque huc tantum respexisse videntur Alexander II. præfatus in dicta sua Decretali, Innocentius III., & Honorius III. Item Concilium Emeritense apud Lusitanos Æra Hispana 704. collectum, seu anno Christi 666. can. 19., quo ob penuriam Sacerdotum Missas fieri permiserat per singulas, quæ uni Presbytero commissæ erant, Parochias *pro diebus Dominicis*, Londinense an. 1200. celebratum, ubi can. 2. & 4. dicitur: *Non liceat Presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente.*

Denique Burdigalense anno 1583. celebratum statuit cap. 5. *Ne hujusmodi facultatem* (bis scilicet uno die Sacrum faciendi) *Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ bonitatis, idque gravissimis de causis, necessitate cogente*: Ad quam etiam multo ante respexerat superius dicta Salegustadensis Synodus ad Mœnum in Germania celebrata an. 1022. apud Labbeum Concil. Gen. Tom. IX. col. 844., in cujus canone 5. præcipitur: *Ut unusquisque Presbyter in die non amplius quam tres Missas celebrare præsumat.* Hinc neque ob viaticum infirmorum, maxime post haustam ablutionem; neque in commodum itinerantium, neque ob nuptiarum celebrationem, aut propter Episcopi, vel Principis adventum, aliamque hujusmodi devotionis, & convenientiæ causam, fas est eidem Sacerdoti iterum celebrare; cum hi casus, aliique similes necessitatem absolutam non inferant, quam Pontifices, & dictæ Synodi intendunt. Quo vero ad Regnum Valentiæ, & nonnulla Hispaniæ loca, de quibus Cardinalis noster, scilicet Aragoniæ Regnum, & Catalauniæ Provinciam, apud quas Regiones mos est, ut in die Commemorationis omnium Defunctorum Sacerdotes Sæculares duas Missas, Regulares vero tres Missas celebrent, id speciali privilegio Apostolico innititur, quod quidam a Julio Papa III., alii a Paulo III. concessum affirmant. Eamdem facultatem petierunt & alii ab Apostolica Sede, uti Archiepiscopus Pragensis, sedente Clemente XI., sed Pontificis jussu res ad examen revocata in Sacra Congregatione Concilii sub die 4. Martii 1711. supplicationis repulsam passa est. Porro de hac Missarum multiplicatione in eadem die præter memoratos Authores, legendi Joannes Baptista Thiers. Tom. I. libri posthumi de superstitione, Mabillonius Præfat. ad sæc. 2. Bened., Christianus Lupus in Scholiis ad citatum Alexandri II. Decretum, qui de hac re fusissime agit. Item Edmundus Martene lib. primo de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 3. art. 3. nu. 4. & 18., Thomasinus de vet. & nov. Discipl. Tom. 2. pag. 270., Grancolasius vet. Liturg. Tom. 2. pag. 371. Videri etiam merentur Gervasius Dorobernensis in Actis Pontificum Eboracensium col. 1649. ac Menardus in Notis ad Gregorii Magni Sacramentarium pag. 167. Hæc autem Missarum multiplicitas in eodem die, atque ab eodem Sacerdote celebrandarum, ut diximus, nunc omnino suspensa remanet, & solum illæ tres permittuntur, quæ in Nativitate Domini quolibet anno a singulis Sacerdotibus celebrantur, de quibus supra §. 6. nota 4.

Idque tantum ex necessitate urgente, non vero ex alia quacunque causa.

Indicantur Authores, qui de hac Missarum multiplicatione agunt.

§. VIII.

Unum, & idem Sacrificium interdum a pluribus Sacerdotibus celebratum.

HÆC de multiplici Sacrificio ab uno Sacerdote una die peracto dum scribo, incidi in librum cujusdam recentioris (1), qui ex præsenti (1)
tempore antiquum æstimans audacter pronuntiat non ab uno Sacerdote in suprascriptis casibus sacrificatum, sed a pluribus, quia nimirum hunc hodie usum in Ecclesiis vidit, ut cum duæ Missæ eadem die celebrandæ occurrunt, sicut in Quadragesima, & in aliis vigiliis, una de feria, altera de festo, hæc ab uno Sacerdote post Tertiam, illa ab altero post Nonam peragatur. Sed si antiquos sacrorum rituum Expositores, & libros Rituales perlegisset, invenisset procul dubio diversos tunc fuisse Ecclesiæ mores: nam quoties duæ Missæ cantandæ erant, unus & idem sive Presbyter, sive Episcopus, sive Pontifex Maximus, utramque cantabat, ut ex allatis veterum testimoniis evincitur. Sicut enim hodie in die Nativitatis Domini unus Sacerdos tres Missas celebrat; ita & tunc in aliis diebus polyliturgicis.

cis. Nam unus Sacerdos uni Eccleſiæ addictus erat, & cum plures eſſe cœperunt, ex his hebdomadarii conſtituebantur, qui ut loquitur Cyprianus *Epiſt. 5. ad Clerum*, ſinguli per ſingulas vices alternabant. Hebdomadarius autem quidquid publice in Eccleſia cantandum erat, ipſe canebat, ſive una, ſive plures pro more illius temporis Miſſæ occurrerent: eademque munera in majoribus ſolemnitatibus, qui dignior erat in Clero, fungebatur. Narrat Palladius in vita Abbatis Arſiſii in Eccleſia Montis Nitriæ octo fuiſſe Presbyteros, inter quos qui primus erat, ſolus offerebat, & quamdiu ipſe vivebat, reliqui nec offerebant, nec judicabant, nec ſermonem habebant. Libuit hoc obiter adnotare, & ad alium veteris Eccleſiæ ritum enucleandum progredior.

(1) *Cujuſdam recentioris*) Quis umquam ſit liber iſte, quiſve ejus Author, de quo loquitur Cardinalis noſter, tantillo mihi hucuſque expiſcari non libuit. De nonnullis quidem, nec ſine fundamento, ſuſpicatus ſum; at quem revera innuere intendat Purpuratus Scriptor, profecto divinare haud valeo. Quidquid de illo ſit, certe prævalet hujuſmodi recentiorum opinionibus Eminentiſſimi ſententia tot veterum monumentorum authoritate fulcita, in cujus pleniorem confirmationem præſtat exſcribere, quæ hanc deſuper Clar. Edm. Martene, (cui inter cæteros ſuffragatur nuperus alter, ac nobilis Liturgicus Author Cajet. M. Meratus Comment. in Gavantum Prælim. num. 16.) refert l. de antiquis Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 19.

Cardinalis ſententia recentiumScriptorum teſtimoniis confirmatur.

„ ex Durandi, inquit, authoritate, qui dictis „ caſibus plures Miſſas ab uno eodemque Sa„ cerdote celebrari poſſe aſſerit, in Rationali „ lib. 4. cap. 1. apparet quam longe a vero „ aberrent nonnulli recentiores Scriptores, qui „ antiquas Eccleſiæ conſuetudines ex hodier„ no uſu demetientes incunctanter aſſerunt „ non plures olim ab eodem Sacerdote Miſ„ ſas celebratas fuiſſe, cum plures eodem die „ occurrerent feſtivitates, ſed a diverſis, quem„ admodum hodie, cum duæ Miſſæ eodem die „ cantandæ occurrunt, ut in feſtis Quadra„ geſimæ, quibus una poſt Tertiam de feſto „ ab uno, altera ab altero poſt Nonam de „ jejunio cantatur. Verum longe alia regula „ de antiquis ritibus dijudicandum eſt, pro„ batiſſimis ſcilicet veterum teſtimoniis, qui„ bus facili quidem negotio revinci poſſunt „ illi neoterici Scriptores. *Et revera non eſſe* „ *abſurdum crediderim*, inquit Walafridus cap. „ 21. *ſi dum plures una die faciendæ ſunt Miſ*„ *ſæ, unus Sacerdos duas, vel tres neceſſitate,* „ *vel voluntate perſuadente celebret potius, quam* „ *quaſdam dimittat*. Et Honorius de Gemma „ Animæ lib. 1. cap. 114. *Semel*, ait, *in die* „ *debet Miſſa ab uno Sacerdote celebrari, ſicut* „ *Chriſtus ſemel voluit immolari, ſi autem ne*„ *ceſſitas cogit, ideſt ſi duæ feſtivitates ſimul* „ *occurrunt, duæ, vel tres celebrari poterunt*. Hæc Martenius, cui & alii adſtipulantur moderni Rerum Liturgicarum Scriptores, Mabillonius, Thomaſius, Grancolas, Brunus &c. quos nominaſſe ſufficiat, cum apud Sacræ Antiquitatis Eccleſiaſticæ Eruditos iſta tamquam certa habeantur.

Ad uberiorem porro veteris hujuſce multiplicis Sacrificationis Euchariſticæ diſquiſitionem duo ſuperſunt animadvertenda; primum, cum duæ, vel plures Miſſæ ab uno, eodemque Sacerdote celebrari contingebat, in ultima tantum, uti & nunc in die Nativitatis Domini fit, perfuſionem, quam ita vocat Innocentius III. de Myſt. Miſſæ lib. 6. cap. 8. ſeu ablutionem, aut purificationem ex hodierno vocabulo, idem Sacerdos accipiebat poſt communionem; de hac ita Synodus Colonienſis an. 1280. Sacerdotibus, ſi plures Miſſas celebraverint, præſcribit: *in prima Miſſa poſt perceptionem Sanguinis non utatur ablutione vini, & aquæ, ſed reſervet in tuto, ac honeſto loco, & eam accipiat in ſecunda Miſſa, vel det honeſtæ perſonæ jejunæ, quam noveris ad hoc eſſe paratam*. Ita etiam & aliæ Synodi plures, quas recenſere ſuperfluum exiſtimamus. Hanc vero conſuetudinem *in diſciplinatis Eccleſiis* vigere docet S. Petrus Damiani lib. 5. Epiſt. 18. qui Uberto Presbytero interroganti ita reſpondens ait: *De celebrandis vero Miſſarum ſolemniis nos hanc conſuetudinis regulam in diſciplinatis Eccleſiis & didicimus, & tenemus, ut calicem differamus in Miſſarum fine perfundere, ſi noſmetipſos eodem die Sacrificium denuo ſperamus offerre*: De hac porro calicis purificatione vide quæ dicentur infra ad lib. 2. cap. 20. §. 1. ſeu hujus operis Tom. III.

Cum plures dicuntur Miſſæ, purificatio, ſeu ablutio in ultima Miſſa ſumenda.

Alterum quod nobis obſervandum obvenit, eſt, quod cum plures olim ab eodem Sacerdote Miſſæ uno die celebrarentur, has non in uno, ſed in diverſis Altaribus decantaret, quod ſane canone 10. Concilii Antiſſidorenſis an. 578. celebrati cautum legimus: *non licet*, inquit, *ſuper uno altari in una die duas Miſſas facere*: quod autem id intelligatur de eodem Sacerdote, non de diverſis, uti reponi poſſet, idem oſtenditur ex Gregorio Turonenſi coævo Scriptore, qui hanc tunc fuiſſe praxim exprimit lib. de Gloria Confeſſorum cap. 50. & in Hiſtoriæ Franc. lib. 5. cap. 49. ubi de quodam Severo bis in die celebrante, & de ſe narrat, quod cum ipſe maledicentiæ in Fredegundem Reginam ab æmulis fuiſſet accuſatus apud Brennacum Villam, *reſtitit ad hoc cauſa ut dictis Miſſis in tribus Altaribus, ſe de his verbis exueret Sacramento*. Confirmat id Gregorii Papæ III. Diploma apud Mabillonium in Commentario prævio ad Ordines Romanos de oblationibus quotidianis per eum factis ad S. Paulum, *nempe in prima Miſſa ad corpus oblatam unam, in ſecunda Miſſa ad S. Timotheum oblatam unam, in tertia Miſ-*

Eædem plures Miſſæ olim non in uno, ſed in diverſis altaribus dictæ.

ſa

sa ad imaginem Salvatoris, quæ & Apostolorum, oblatam unam, in quarta Missa ad S. Gregorium ad januas oblatam unam, deinde in Missa quinta ad majore Altare oblatas duas: Quod autem ipsemet Pontifex iste has quandoque Missas celebraverit, plane & admodum credibile constat, tum ex superioribus veterum allatis exemplis, tum ex S. Leone III. Successore suo, de quo, ut jam dictum est, scribit Walafridus Strabo cap. 21. septem interdum, immo & novem Missas in die celebrasse, quod & notat Baronius ad an. 816. De S. Udalrico Episcopo Augustano legitur in ejus Vita apud Mabillonium Sæculo V. Benedictino n. 23. quod duas in Paschatis festo Missas celebrabat, primam mane in Ecclesia S. Ambrosii de Trinitate, secundam in Basilica Cathedrali post Tertiam. Verum jam multo ante Sæculo septimo plures Missas in eodem Altari celebrari permissum habetur ex selectis Theodori Cantuariensis Archiepiscopi Capitulis apud Dacherium Spicil. Tom. 9. cap. 32. ubi sic legitur: *in uno Altari duas facere Missas conceditur*. Ex prædictis omnibus perspicue dignoscitur, quam male mereantur de Sacris Ecclesiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metientes omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, uti optime ait Cardinalis doctissimus initio hujus Capitis. Quare studiose Lector in ritibus, & disciplina statuendis cave, ne quidquid factum olim intelliges, id propterea probari, aut quæ pridem obtinuerunt, nunc etiam in præceptis posita credas; multa siquidem, ut alias diximus, conditio temporum invexit, quæ licet exacta, scire convenit, at ne iterum suscipiantur, aut restitui debeant, ipsa recens laudabilis ex Ecclesiæ authoritate introducta consuetudo, quam sequi in omnibus præcipimur, nunc judicare non sinit.

§. IX.

Idem prosequitur Argumentum.

SOlemne hoc fuit in utraque Ecclesia Græca, & Latina, ut unum & idem Sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur. Episcopo enim, sive Presbytero celebrante, reliqui quotquot aderant Episcopi, seu Presbyteri simul celebrabant, ejusdemque sacrificii participes erant. Hic autem mos hactenus servatur a Græcis: apud nos vero in solis ordinationibus Presbyterorum, & Episcoporum permansit. Hujus celebrationis modum, & ritum late describit Joannes Morinus *lib. de Sacris Ordinationibus parte 3. exercit. 8. cap. 1.* Res ipsa probatur antiquorum canonum, & Patrum testimoniis. Constitutiones Apostolicæ lib. 8. Episcopum describunt sacris operantem cum Presbyteris circumstantibus, simulque offerentibus, & communicantibus. Eumdem ritum supponunt Canon 8. Apostolorum adversus Presbyteros, & Diaconos, qui oblationis factæ participes non fuerint: Canon 5. Concilii primi Toletani præcipiens omnes Presbyteros, & Diaconos quotidiano Sacrificio adesse: Canon 14. Concilii Arvernensis mandans Presbyteros in præcipuis festivitatibus nullo loco divina celebrare Mysteria, nisi cum Episcopo suo in civitate (1). In Concilio Chalcedonensi Bassianus ab Episcopatu Ephesino depositus de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens ait: *Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Missas mecum celebrabat, mecum communicabat.* Domnus Antiochiæ Episcopus Simeonis Stylitæ vitam admiratus simul cum illo Sacrificium celebravit, eoque peracto alter alteri tradidit communionem, ut referunt in historia Ecclesiastica Evagrius *lib. 1. cap. 13.*, & Nicephorus *lib. 14. cap. 51.* (2) Ebbonem Remensem Archiepiscopum narrat Flodoardus ad Missæ celebrationem cum aliis Episcopis processisse, cum sedi suæ restitutus fuit. Joannes VIII. in fine octavæ Synodi ad Photium scribens suos Apocrisarios defendit, quod cum ipso Photio simul sacrificare noluerint. Athanasius *Apolog. 2. pro fuga sua* Ischyræ calumniatori suo exprobrat, quod nunquam Synaxim cum aliis Presbyteris fecerit (3). Vetus Pontificale Rothomagensis Ecclesiæ apud Menardum in notis ad Sacrament. pag. 81. *Mos*, inquit, *est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione Corporis, & Sanguinis Domini adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis, & manibus conficiant* (4). In alio antiquo Rituali, sive Rationali cære-

(1) (2) (3) (4)

cæremoniarum apud Morinum loco cit. reperitur hic titulus. *De diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus*. Ordo etiam Romanus hunc ritum exprimit, qui adhuc vigebat tempore Innocentii III. Nam lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 25. *Consueverunt*, ait, *Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est Sacrificium, de manu ejus communionem recipere* (5). Improbat audacter, (5)
ac temere hanc consuetudinem Durandus *in 4. sentent. dist. 13. quæst. 3.*
quem multi e Scholasticis sequuti sunt (6) rem clarissimam intricatissimis (6)
difficultatibus implicantes, quorum aliqui multa fingunt in ea incommoda, & pericula; alii negant unquam fuisse ab Ecclesia Romana usurpatam, & quæ prolata sunt, priscorum Patrum testimonia alio detorquent: ac si in Ecclesia nihil unquam factum sit, nisi quod fieri nunc vident. Illos nimirum in varia absurda præcipites egit antiqui ritus desuetudo, & ex desuetudine ignorantia. Hic ego non disputo, sed constanter assero hunc fuisse
Ecclesiæ morem per plura sæcula, qui in Ecclesia Orientali adhuc viget (7). (7)
Hunc convellere scholasticis subtilitatibus audax consilium est. Desiit, fateor, ille mos, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit; sed quia ritus, ac cæremoniæ non in æternum permanent, tollique possunt, ac mutari sine fidei, ac unitatis dispendio. Cur autem desierit, causa mihi videtur fuisse, primo quidem quod fundatis Ordinibus Mendicantium, & longe, lateque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum; atque ideo necesse fuit singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. Deinde quia charitas multorum refrixit, cessavit etiam frequens accessus ad hoc Sacramentum, adeo ut hodie nec ipsi quidem Ministri in plerisque Ecclesiis communicent, licet Sacrificio cooperentur. Olim vero
hic ritus diebus festis, & solemnioribus potissimum servabatur (8), quia (8)
sicut populus tunc Sacro adesse, & sacra communione refici consueverat, ita viri Ecclesiastici Missæ solemni ministrabant, & quisque sui ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram Synaxim peragebant, Christique Corpus, & Sanguinem in fine percipiebant. Hæc autem vere, & proprie communio Ecclesiastica dicebatur a sanctis Patribus tantopere commendata, qua Clerici delinquentes diversimode pro criminum varietate privabantur, & cum quis ab ea totaliter abstentus erat, veluti redactus ad laicam conditionem inter laicos in Ecclesia locum habebat.

Durandus, ac nonnulli Scholastici eum sequentes notati.

(1) *Cum Episcopo suo in Civitate &c.*) Concilii Ephesini Patres in relatione sua ad Cælestinum Papam inter alia ad hoc propositum scribunt: *Fratribus itaque nostris, & Comministris Cyrillo, & Memmoni, quos contumelia affecerunt* (Nestoriani), *communicamus omnes, & post temerariam illorum sententiam una cum ipsis Sacris operati sumus, & operamur*: In Concilio item Calcedonensi Act. XI. idem Bassianus, cujus meminit Cardinalis noster, modum exponens, quo ab Ecclesia Ephesina expulsus fuerat: *Crastina*, inquit, *die Missas celebravimus omnes simul, & post Missas manus injecerunt in me*. Egregium porro hujusce consuetudinis exemplum nobis suppeditat Evagrius Hist. Eccl. lib. 1. cap. 3. ubi narrat quod cum Domnus Episcopus Antiochenus ad Symeonem Stylitem venisset, & ejus vivendi rationem admiratus fuisset, *ambo simul convenerunt, & cum immaculatum Corpus sacrificassent, vivificam communionem sibi mutuo impertierunt*. Plura ad hunc locum profert Christianus Lupus in Append. ad dictam Synodum Chalcedon. ubi vetustum hunc utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ morem fuisse luculenter ostendit, quod & infra uberius demonstrabitur.

Presbyteri cum Episcopo suo concelebrantes olim in præcipuis festivitatibus.

(2) *Nicephorus lib. 4. cap. 51.*) Sic etiam imperante Basilio Porphyrogenito Agapius Seleuciæ Archiepiscopus in Syria factus Hierosolymorum Patriarcha, cum Constantinopolim venisset, Missarum solemnia celebravit una cum Patriarcha Constantinopolitano Nicolao, & cum Sacra Synodo, ut legitur in lib. 4. Juris Græco-Romani pag. 294. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Ephesini Concilii cap. 14. scribens ad Cælestinum Papam, quam etiam Epistolam refert Cardinalis Baronius ad an. 428. n. 37. hæc ait de Dorotheo Marcianopolitano Episcopo impii Nestorii fautore, quod post habitum sermonem ad populum, *ubi e Cathedra descendisset, eidem* (Nestorio) *in divinorum mysteriorum celebratione communicavit*. Hæc quoad Græcos exempla

Quin & Episcopi cum aliis simul offerentes.

pla sufficiant, & quoad Latinos sequentia damus.

(3) *Synaxim cum aliis Presbyteris fecerit*) Uranius in vita Sancti Paulini Episcopi Nolani, ubi narrat: quod *cum ante triduum quam de hoc mundo ad cæleste habitaculum vcsirretur . . . . . . ad eum Episcopi visitandi studio convenissent, idest Symmachus, & Benedictus, & Hyacinthinus . . . . quasi profecturus ad Dominum, jussit sibi ante lectum suum sacra mysteria exhibere, scilicet, ut una cum Sanctis Episcopis oblato Sacrificio animam suam Deo commendaret.* Insigne porro testimonium habemus apud Gregorium Magnum lib. 6. Epist. 31. ad Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas de Legatis Constantinopolitanis ita scribentem: *Eosdem vero responsales, quia hoc omnino precabantur, Missarum solemnia mecum celebrare feci*: Idemque habet Epist. antecedente 30. ad Mauritium Imperatorem.

Item cum ipso Romano Pontifice.

(4) *Simul cum Pontifice verbis, & manibus conficiant*) Quæ verba pariter leguntur in Amalario lib. 1. cap. 12. sub medium. Idem etiam habent Ritualia Senonensis, & Bellovacensis Ecclesiarum apud Martene de Discipl. Eccl. cap. 22. pag. 257., & 312., & alia alibi, quorum nonnulla antiqua hunc titulum habent: *de diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus.*

Cum quo consueverunt Presbyteri Cardinales pariter celebrare.

(5) *De manu ejus communionem recipere*) Hæc eadem habet Jacobus a Vitriaco Hist. Occid. cap. 38. Idem Ordo Rom. apud Mabillonium primus §. VIII., seu num. 48. fuse hunc ritum exprimit, quare non est dubitandum de ejus existentia, & antiquitate. Et quidem jam fere a primis Ecclesiæ Sæculis; etenim Innocentius Papa I., qui initio quinti Sæculi floruit, eamdem sacram consuetudinem suo tempore frequentatam scribit Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum, *sæpe Dilectionem tuam*, inquit, *ad urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem, vel in consecrandis Mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat* (Apostolica Sedes) *cognovisse dubium non est*: Conveniendi verbum hoc loco non aliud quam quod concelebrare dicimus, significare videtur, illudque non obscure idem indicat Innocentius dicta Epistola, dum ibi refert se die Dominico ad Presbyteros Titulares Ecclesiarum Urbis Eucharistiam mittere, *quia ea die propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt.*

Ac de manu ejus sacram communionem accipere.

Porro istiusmodi ritum his verbis exprimit Ordo Romanus loco mox indicato, quem Usserius Armachanus, & ex ipso Caveus circa an. 730. collocant, Presbyteri *Cardinales*, inquit, *accedente Pontifice ad altare, dextra, lævaque circumdant altare, & simul cum illo canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus, non super altare, ut vox Pontificis valentius audiatur, & simul consecrant Corpus, & Sanguinem Domini*: Idem firmat Amalarius præfatus loco mox dicto in nota præcedenti; *Mos est*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis, & manibus conficiant*; uti ex veteri Pontificali Rotomagensi Cardinalis noster. Hæc sacra consuetudo nedum Sæculo XII. exeunte viguit, quo Innocentius III. sedit, verum & sequenti XIII. perduravit, uti ex Card. Jacobo a Vitriaco supracitato. De hac autem Missæ concelebratione eruditam texuit Dissertationem Clar. Dominicus Georgi Tom. 3. de Liturg. Rom. Pontif. initio, aliique infra citandi.

(6) *Quem multi e Scholasticis sequuti sunt*) Durando fortasse in hac erronea opinione ansam præbuit Ricardus da Mediavilla dictus Ordinis Minorum Doctor, qui in suis Quæstionibus ad Petri Lombardi sententiarum Librum IV. Distinct. 13., artic. 11. quæstione 1. sentit recenter initiatos Sacerdotes cum Episcopo ordinante celebrantes solum recitative, & materialiter consecrare in signum potestatis sibi concessæ, veram autem, & formalem consecrationem esse solum ab Episcopo. Cæterum huic, ac Durando, eorumque Sectatoribus reponi possunt, quæ ex Capreolo Dissert. 13. quæst. 3. affert Christianus Lupus in Append. ad Synodum Chalcedonensem, *ad ea*, inquit, *quæ dicit Durandus contra Innocentium, & Ecclesiam Romanam, non oportet respondere, quia temere, & detractorie dicta sunt.* Eadem habet Morinus de Sac. Ordinat. Part. 3. Exercit. 8. cap. 1. & 2. ex quo item fortasse Lupus; ostendit ibi clariss. Gallicanus Scriptor hunc apud Græcos communem fuisse ritum, ut nimirum celebranti Episcopo ex utraque altaris parte per modum coronæ circumstent Diaconi retro Presbyteros, una cum Episcopo Sacrificium offerentes, quod & pluribus veterum testimoniis confirmat. Tam illustrium virorum suffragio magis profecto roboratur critica, & justa Cardinalis nostri in Durandum animadversio, ac plurium Scholasticorum circa veteres Ecclesiæ consuetudines, & disciplinam inscitia detegitur, de qua item infra. Theologi porro inter cæteros Durandum hac in parte secuti, hi sunt Albertus in summa Pisan. verbo Euchar. 3. in quam sententiam inclinant Gabriel lect. 6. in can. Angelus in summa verbo Euchar. 2. §. 3. nec multum repugnant Soto dist. 3. quæst. & art. 3., ac Palacios quæst. 4. Verum, ut observat Vasquez 3. par. disp. 218. cap. 2. n. 18. non omnes istorum idem in re sentiunt, quos doctus doctissime ibi refellit, & nuper D. Joseph Cacheranus in sua Theolog. assert. de Euchar. Tract. 9. cap. 1. §. 3. n. 46. & seqq. quos etiam refutabimus nota sequenti.

Notantur Durandus, & Scholastici eum secuti.

(7) *Qui in Ecclesia Orientali adhuc viget*) Quoad Græcos dictum est supra, quoad Maronitas etiamnum vigere asserit Scriptor Gallicus Historiæ Criticæ cap. 13., quod est de fide, & ritibus Maronitarum; cui non dissentit clar. Joseph Assemanus Biblioth. Orient. Tom. 3. Part. 2. Dissert. de Syris Nestor. cap. 13. §. 4. n. 9. pag. 593. ubi ait: *De Presbytero tamen, & Episcopo* (ordinandis) *aliud sentiendum est testibus Goario, Morino, & Juvenino, debent enim cum Pontifice consecrante celebrare, & integram Liturgiam perficere.* Itaque antiquitus hanc fuisse universalis Ecclesiæ consuetudinem extra omnem controversiam est, & confutata Durandi, & qui eum secuti sunt quorumdam non

Prædicta consuetudo Sacerdotum Missam cum Episcopo suo celebrantium adhuc in Ecclesia Orientali usitata.

tam

tam opinio, quam temeritas: negando enim morem hunc ubique olim obtinuisse, quid aliud, quam antiquitatis inscitiam, affirmando vero, in hypothesi quod obtinuerit, fuisse tollendum, quia incommodis plerisque obnoxium, quid aliud, quam audaciam prodiderunt?

Sane ecquis patienter audiet viros Theologos contra universalis, ipsiusque Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ sanctiones, quasi ex tripode pronunciantes, easdemque non jure antiquo, non Scripturæ, aut Patrum Decretis, sed frivolis scholæ subtilitatibus metientes, dum ex eo, quod jam a longo tempore mos iste in Latina Ecclesia esse desiit, malum agnitum fuisse arguunt, ac propterea sublatum; si etenim antiquas omnes, & nunc obsoletas consuetudines, ideo malas fuisse argui licebit, quia non amplius in usu, aut in alias pro tempore immutatæ conspiciuntur, adeoque nullum discrimen inter fidei Canones, qui soli inconcussi, & immutabiles sunt, ac rituum, & consuetudinum disciplinam, & praxim, quæ justa interveniente causa sine reprehensione ab Ecclesia mutari possunt, ut supra cap. 6. luculenter ab Emin. demonstratum est, in longum utique progrediemur, actum erit de authoritate Ecclesiæ in condendis ritibus, ipsamque accusandi de eorum varietate nullus erit finis. Quod vel cogitare quam Catholico indignum sit, judicet, qui Historiam Ecclesiasticam vel a limine salutarit.

Neque ex eo quod mos iste in Ecclesia Latina observari desiit, redarguendus.

Et vero quem latet, pleraque a majoribus sancte instituta, & sanctissime custodita, vel populorum, ac Pastorum desuetudine abrogata, vel mutata conditione temporum ipsa quoque necessario immutata? Sic ut e mille exemplis unum afferam, pœnitentiæ publicæ nostris temporibus vix aliquod vestigium remansit, desierunt namque flentium, audientium, substratorum, aliorumque pœnitentium gradus, seu stationes, quas olim lapsi fideles tanto rigore decurrebant, ut supra cap. præcedenti. Numquid ideo dicemus malum fuisse hunc morem ita sedulo antiquitus observatum, ac propterea in desuetudinem abiisse? Absit; etenim, ut optime concludit Emin. Author hoc loco, & ante ipsum doctissimus Joannes Morinus de Sac. Ordin. Par. 3. exerc. 8. cap. 1. Ecclesiasticæ cæremoniæ æternæ non sunt, variis de causis immutari possunt, atque etiam sola temporis vicissitudine antiquari; nullum inde periculum imminet, frustra sudat, & cum larvis acerrime luctatur, qui ut ejusmodi periculum avertat, hæret anxius, & sollicitus. Vide hac in re præter supra laudatum Dominicum Georgi nuperrimum Scriptorem, Joseph Catalanum Commentar. in Pontif. Rom. par. 1. tit. 12. §. XVII. Videndus insuper Emmanuel a Schelestrate de Concil. Antioch. pag. 214. ubi plura sunt circa Sacerdotes cum Episcopo celebrantes, quæ hic inseri possunt. Præterea quoad plures Missas in eadem Ecclesia celebratas nonnullas refert supracitatus Theoph. Raynaudus part. 2. Heterocl. Spirit. pag. 8. n. 15.

Multa enim in desuetudinem abiere, quæ a majoribus sancte instituta fuere, & custodita.

(8) *Et solemnioribus potissimum servabatur*) Uti supra ex Ord. Rom. ubi habetur: *In diebus festis, idest Paschæ, Pentecostes, S. Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor solemnitates habent colligendas Presbyteri Cardinales &c. & simul consecrant Corpus, & Sanguinem Domini*. Prisco etiam ritu Missas duas simul a duobus Episcopis eodem Choro utrique respondente celebratas fuisse legitur apud Mabillon. Vet. Analect. in fol. ubi de Virorum illustrium aliquot Elogiis pag. 384. idque actum fuisse in funere Philippi Augusti Francorum Regis, scribitur his verbis: *Missam autem exequiatem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, & Remensis Archiepiscopus una voce ad duo altaria propinqua, cæteris Episcopis cum Clericis, & Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, & eis respondentibus, sicut uni.*

CAP. XIX.

De Templis. Eorum usus, & necessitas. Origo ab Apostolis: Veterum Scriptorum de illis testimonia. Templi, & Ecclesiæ apud Antiquos discrimen. Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quædam obiter de Cryptis subterraneis. Varia Templorum nomina. De Cœmeteriis. Erecta olim Templa supra Martyrum sepulturas. Reliquiæ Martyrum sub Altari.

§. I.

De Templis. Eorum usus, & necessitas.

QUamvis Deus ubique sit, & in omni loco ad eum liceat puras, & innocuas levare manus, ut Apostolus docet, 1. *Tim.* 2. sacrificium tamen, cum sit publicus, & maximus Dei cultus, necessariam habet cum altari, & templo connexionem. Obeundum enim est per publicum ministrum ad hoc munus legitime deputatum; nec decet, ut tantum Myste-

mysterium fortuito peragatur, ubicumque Sacerdoti libitum fuerit, sed locus rite consecratus requiritur, cujusmodi est altare, cujus sanctitati, & venerationi ut prospiceretur, & omnia profana ab eo arcerentur, additum est templum, tanquam domus Numini sacra, ad quam omnes statis horis convenirent, primo quidem ut sacrificio interessent, deinde ut alias Religionis functiones sanctius, & congruentius in ea exercerent. Sicut autem extra templum Hierosolymitanum nefas erat in veteri Lege victimas immolare; ita in Evangelica certa loca ab Apostolis, eorumque Successoribus delecta sunt, extra quæ illicitum foret sacrificium offerre; nisi necessitas, cui parent omnes leges, dispensationi in aliquo casu locum esse suaderet. Hinc Cyrillus Alexandrinus lib. adversus Antropomorphitas cap. 12. *Donum*, ait, *sive oblatio, quam mystice celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui secus faciunt, aperte legem violant*. In eandem sententiam loquitur Basilius lib. de Baptismo cap. 8. *Nobis periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret*. A temporibus igitur Apostolorum loca fuisse Deo dicata, quæ a quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, in quibus populus orare, verbum Dei audire, synaxim agere, & Corpus Christi sumere consueverat, Paulus Apostolus ad Corinthios scribens *Ep.* 1. *cap.* 11. testis locupletissimus est. *Convenientibus*, inquit, *vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos*, & paucis interjectis. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* (1) Etsi enim (1)
nomen Ecclesiæ pro Fidelium congregatione frequenter sumatur, hic tamen ab Apostolo pro ipso loco, in quem illi conveniebant, usurpari evidens est. Quem locum exponens Basilius in Regulis brevioribus Interrog. 310. ait: *Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari*. Hoc ipsum confirmat Augustinus qu. 57. in Leviticum: *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur*, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. *Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait*, numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur* (2). (2)
Ejusdem Apostolici temporis aliud testimonium ad Ecclesiarum nostrarum originem comprobandam profert Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 3. ex Evodio Sancti Petri in Antiochena Cathedra successore (3), asserente in domo illa, (3)
in qua Christus hoc sacrificium instituit, & in qua Spiritus Sanctus advenit, tamquam in prima Christianorum Ecclesia Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum consecratum fuisse, & septem Diaconos ordinatos. Romæ item ab Apostolis dedicatas Ecclesias eo ipso tempore, quo fidem ibi prædicare cœperunt, ostendit Baronius *anno Christi* 57. *num.* 100. Extat in Bibliotheca Reginæ Sveciæ Codex antiquissimus, in quo aliquot fragmenta ex diversis Martyrologiis in unum compacta sunt, simul cum fragmento Ordinis Romani de ritu Baptismi. In uno autem ex dictis fragmentis hæc leguntur, Kalendis Augusti. *Romæ, Dedicatio primæ Ecclesiæ a Beato Petro constructæ, & consecratæ*. Eadem verba reperiuntur in vetustissimo Martyrologio S. Hieronymi nomine insignito, & a Luca Dacherio *tom.* 4. *sui Spicilegii* edito: itemque in alio nuper Lucæ evul-

A temporibus Apostolorum loca Deo dicata, quæ Oratoria, seu Ecclesiæ dicta erant.

gato a viro eruditissimo Francisco Maria Florentinio, cui alia consonant
ab eodem in notis indicata. Quæ autem fuerit Ecclesia prima præ omnibus in Urbe consecrata, an ea quæ in Exquiliis Titulus Eudoxiæ, sive
S. Petri ad vincula postmodum dicta fuit: an Titulus Pastoris, nunc
S. Pudentianæ in Colle Viminali; an vero alia, idem diligenter exquirit
Exercit. 11. ad diem primam Augusti, in qua multa congerit de primi,
secundi, & tertii sæculi Ecclesiis (4). Eamdem veritatem confirmant an- (4)
tiqui Patres. Tertullianus de Idololat. cap. 7. *Tota die ad hanc partem
zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de
adversarii officina in Domum Dei*. Idem de Virginib. velandis cap. 13.
*Certe virginitatem suam in Ecclesia abscondant, quam extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur & fratres, aut constanter audeant &
in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesiis*. Et de Pudicitia cap. 4.
nefarios quosdam submotos ait, *non modo limine, verum omni Ecclesiæ
tecto*. Irenæus, & Origenes Altaris, & Ecclesiæ meminerunt, *ille lib. 4.
cap.* 20. & 34. *hic Homilia* 11. *in Numeros*. Zeno Veronensis *serm. de
Psal.* 126. Conventus, inquit, Ecclesiarum, quos ad secretam Sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra Domum Dei solita est nuncupare. Optatus Milevitanus *lib.* 2. ait Donatistas
inter quadraginta, & quod excurrit, Basilicas non habuisse locum Romæ,
ubi colligerent, idest Sacrificium offerrent (5). Eusebius denique *lib.* 8. (5)
Eccles. hist. cap. 2. Edicta Imperatorum promulgata fuisse scribit de evertendis Christianorum Ecclesiis, ex quibus manifeste deducitur eas dudum
extitisse. Facta est hæc eversio, imperante Diocletiano (6). Sed & tem- (6)
pore Philippi Cæsaris quinquaginta, & amplius annis ante Diocletianum
Christianos Ecclesias habuisse ex eo constat, quod idem Eusebius narrat
lib. 6. *cap.* 34. Cum enim Philippus, utpote Christianus (7), in Vigilia (7)
Paschæ Ecclesiam ingredi vellet, ab Ecclesiæ aditu ob scelera, quæ commiserat ab Episcopo exclusus, & non nisi peracta pœnitentia admissus fuit:
sive id Romæ contigerit sub Fabiano Papa, ut putat Baronius *anno* 246.,
sive Antiochiæ sub S. Babyla, ut refert Auctor Chronici Alexandrini ex
narratione Leontii Episcopi Antiocheni; & confirmat Chrysostomus *in
Orat. de eodem S. Babyla contra Gentes*, tacito tamen nomine Imperatoris.
Nec desunt testimonia ab his etiam qui foris sunt. Nam Philo Judæus libro, quem inscripsit de vita contemplativa, seu de virtutibus supplicum,
vitam primorum Christianorum describens, si Eusebio credimus (8) (8)
lib. 2. *hist. cap.* 17., & Hieronymo *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in
singulis eorum domiciliis Sacellum quoddam fuisse ait, quod *Semneum*
vocabant, in quo remotis arbitris sanctioris vitæ mysteria peragebant. Lucianus quoque Ethnicus, qui Apostolorum temporibus vixit, res Christianorum deridens in Philopatre Critiam quemdam introducit, qui cum
ab aliquo Fidelium Christianus fieri suaderetur, ab eo deductus est in locum, ubi conventus Christianorum agebatur. *Pertransivimus*, inquit, *ferreasque portas, & ærea limina. Multis autem superatis scalis in domum
aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse.
Atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ insularis ille adolescens.
Video autem non Helenen mehercle, sed viros in faciem inclinatos, &
pallescentes*. Scio in dubium revocari a quibusdam Criticis, an hic Dialogus a Luciano scriptus sit; fatentur tamen auctoris esse ejusdem temporis, qui Trajano Imperatori ob victoriam in Oriente partam hac compositione gratulari voluerit (9). Est & apud Lampridium de Ecclesiis Chri- (9)
stianorum luculentum testimonium; cum enim Christiani locum quemdam

Idque profanorum etiam Scriptorum testimonio comprobatur.

dam (10), qui publicus fuerat, ut erigeretur in eo Ecclesia, occupassent, (10) Popinarii autem dicerent eum sibi deberi, Lampridius ait Alexandrum Imperatorem rescripsisse, melius esse ut quomodocumque illic Deus coleretur, quam dari Popinariis.

(1) *Aut Ecclesiam Dei contemnitis*) Deinde v. 18. cum dixisset: *Cum convenistis in Ecclesiam*, mox v. 20. repetens exponit: *Cum convenitis eodem loci*, indicans Ecclesiam non tam denotare multitudinem eorum, qui conveniebant, quam locum, in quem conveniebant.

(2) *Quibus Ecclesiæ congregatio continetur*) Item Epist. 157. *Sicut appellamus Ecclesiam Basilicam, qua continetur populus, qui vere appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, idest populi, qui continetur, significemus locum, qui continet.*

(3) *Ex Evodio S. Petri in Antiochena Cathedra Successore &c.*) Ad hunc locum rigidiores Critici possent objicere nullius esse ponderis hoc testimonium ex Evodio desumptum a Nicephoro; incertum enim, num Evodius, qui Petro in Antiochena Cathedra successit, eam epistolam scripserit, quæ a Nicephoro laudatur loco citato, cum nec Eusebius in Historia, nec Hieronymus in Catalogo, Scriptores ambo accuratissimi, ejus meminerint. Verum quidquid sit de hoc Evodii scripto, cujus tamen fidem non reprobant Euthymius Zigabenus, ac Possevinus, & cum iis Annatus Appar. ad Theol. Posit. lib. 4. art. 7. certum est, quod Nicephorus ex Evodio, ut supponitur, & Emin. noster ex Nicephoro sumpsit: illud idem, ac pene ad verbum, imo luculentius reperitur in Commentario Chronico Hippolyti Thebani, qui multo ante Nicephorum floruit, & de quo Glycas tertia parte Annal. Gesnerus in Epitome Bibl. Gerardus Vossius lib. 2. de Hist. Græc. cap. 25. Lambecius Tom. 3. Bibl. Cæsar. Vindob. ac Script. Eccles. Nomenclatores fere omnes meminere; istudque opusculum ab iis admissum primus edidit Henricus Canisius Tom. 3. antiq. lect. postque ipsum Emmanuel Schelestratius Antiquit. Eccl. Tom. 1. pag. 510. ibi igitur pag. seq. legitur: *Porro hic est Joannes &c. mansit Hierosolymis in domo sua Ecclesiarum matre, ad quam confugerunt Apostoli propter metum Judæorum. Ibi præparatum fuit & Pascha, ibi primo mysterium discipulis traditum fuit, ibi post resurrectionem Dominus illis apparuit, ibi Spiritus Sanctus illapsus est discipulis, ibi Thomæ ostendit typos clavorum, ibi Apostoli in primum Episcopum ordinarunt filium Josephi fratrem Domini &c.*

Confirmatur ex Hippolyti Thebani Chronico Paschali.

(4) *De primi, secundi, & tertii Sæculi Ecclesiis*) Quidquid sit, certant utique de vetustate inter se hæ duæ Ecclesiæ apud Scriptores. Florentinius antiquiorem pronunciat Ecclesiam S. Petri ad vincula; verum e contra Titulum Pastoris, seu S. Pudentianæ Ecclesiam tamquam vetustiorem præfert Cardinalis Baronius tam in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 19. Maji, quam in Annal. Tom. 1. an. 44. n. 61. an. 59. n. 18., & Tom. 2. an. 159. n. 8., omnibusque urbis Ecclesiis priorem affirmat Onuphrius Panvinius de septem præcipuis urbis Ecclesiis cap. ult. quibus assentiri non inficiatur Daniel Papebrochius ad dictam diem 19. Maji, cum hac tamen restrictione, & quidem admittenda, quod nempe hæc Ecclesia Titulus Pastoris antiquitus diceretur ex illius nomine, qui primitus eum titulum tenuit, ac primo idem titulus in Ecclesiam consecratus fuit, deinde Thermas Novati in ipso loco sitas, unamque cum dicto titulo Ecclesiam conficientes ab eodem Pontifice Pio I. rogatu S. Praxedis in Ecclesiam sub nomine Beatæ Virginis Pudentianæ sororis ejus jam defunctæ consecratas fuisse, in harum SS. Virginum Actis a S. Pastore Presbytero oculato teste conscriptis legitur, & apud Anastasium Bibl. in Pio. Prædictis adstipulantur Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 1., & Ciampinus in vet. monument. p. 1. cap. 17. pag. 140., ubi eruditam texuit Dissertationem, qua contra Heterodoxos eximie probat Christianos tribus primis fidei sæculis Ecclesias habuisse.

Titulus Pastoris, seu Sanctæ Pudentianæ Ecclesia cæteris Romæ antiquior.

Ut autem justo suo quæque criterio disquirantur, & elucidentur, non me latet hujusmodi Acta SS. Virginum Pudentianæ, Praxedis, ac Novati, & Timothei ipsarum fratrum a plerisque in dubium vocari, quæ tamen ab aliis non inferioris notæ, uti genuina admittuntur, inter quos Ambrosius Gardebosc Hist. Eccl. Sec. 2. Par. 1. Dissert. 3. quæst. 3. qui eadem ibi strenue vindicat. Hinc si prolata ab ipso momenta pro eorum authentica veritate, apud rigidiores Criticos rem adhuc non plene conficiant, illos in contrarium profecto dubitare non sinet Epistola S. Pii I. Papæ ad Justum Viennensem, quam ut supra Tom. 1. seu Parte 1. cap. 3. §. 1. dicit Emin. Author ab omnibus Orthodoxis recipi, nec audent reprobare Sectarii, quamque tot invictis argumentis propugnat doctissimus Præsul Justus Fontaninius in sua posthuma Historia Aquilejensi lib. 2. cap. 4. n. 2. ut nihil ex adverso respondendum supersit. In hac itaque de Pastore scribens ait: *Titulum condidit, & digne in Domino obiit*: quod & ipse Pastor ad Timotheum Presbyterum in dicta Pii Epistola memoratum confirmat apud Baronium an. 162. n. 2. & Tom. 4. Maji Bollandiani pag. 296. 298. & 299. domum Pudentis Senatoris in Vico Patricio se in Titulum convertisse.

Notum est Eruditis hoc Tituli nomine ante concessam a Constantino Ecclesiæ pacem ædes Sacris Christianorum Conventibus adsignatas appellari, item Ecclesias dici, quas nunc Parochiales nuncupamus; id vero ita esse, & dictum Pastoris Titulum, nunc S. Pudentianæ ex hujusmodi Parochialibus Ecclesiis olim fuisse, plenissime testantur Acta S. Stephani Papæ I., quæ germana cognita, atque legitima non tantum Occidentalis Ecclesiæ complexa est, sed & Orientalis, eadem græce reddita in ipsorum Martyrum natali-

Ante Constantinum ædes sacris Christianorum conventibus assignatæ tituli nomine appellatæ.

tiis legere consuevit, ut inquit Baronius ad an. 259. n. 20., & n. 23., hæc ibi ex iisdem actis leguntur: *His dictis statim jubet Stephanum, hoc est Nemesium duci ad titulum Pastoris, ubi cum cathechizasset eum, & filiam ejus secundum consuetudinem Christianorum, & indixisset jejunium usque ad vesperum, cum diei hora appropinquasset vespertina, in eodem titulo fontem benedixit, & deponens Nemesium in aquam dixit: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizo te &c.*

Per id tempus, Sæculo scilicet tertio, Novatianos ipsos hæreticos Romæ plures habuisse Ecclesias, quarum nonnullas ab eorum impiis manibus eripuit Innocentius I. ac deinde Cælestinus omnes eisdem ademit, testatur Socrates Novatianorum Patronus lib. 7. Hist. Eccl. cap. 9. his verbis: *Anastasium*, inquit, *deinde excepit Innocentius, qui quidem primus Novatianos Romæ degentes persequi cœpit, multasque eis Ecclesias ademit*. Et cap. 11. *Huic Bonifacio deinde successit Cælestinus, & hic quoque Novatianis Ecclesias, quas habebant, ademit, & Rusticolam eorum Episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit; etenim ad id usque temporis Novatiani plurimum floruerunt, cum multas ibi Ecclesias possiderent, & maximam populi multitudinem in eis colligerent*: hinc si Novatiani sub Innocentio, & Cælestino clam in privatis domibus se colligere compulsi sunt, necessario consequitur eosdem antea non privatas, sed publicas Ecclesias habuisse, quod multo magis de Catholicis dicendum erit.

Seculo tertio Romæ & ipsi Hæretici Novatiani plures habebant Ecclesias.

(5) *Ubi colligerent, idest Sacrificium offerrent*) Et in Gestis purgationis Felicis, & Cæciliani apud Baluzium Miscell. Tom 2. pag. 83., & *Zamæ, & Furnis dirui Basilicas, & uri Scripturas vidi*.

(6) *Facta est hæc eversio imperante Diocletiano*) Verum & longe ante Diocletiani tempora, prout in dies major augebatur Christianorum numerus, antiquitus erectas Ecclesias fuisse ab illis ipsis Christianis dirutas, ut eædem ampliores, & augustiores excitarentur, idem Eusebius testatur loco cit. cap. 1., & 3., easdemque sic restitutas, tandem ab ipso Diocletiano fuisse prostratas. Hinc quamvis de erectis olim Ecclesiis nullum aliud suppeteret argumentum, vel ratio, ipsa saltem Imperatorum edicta de demoliendis Christianorum Ecclesiis, quorum Eusebius meminit, plane eas jam ante ædificatas fuisse certissimam fidem faciunt; destrui enim non poterant, si prius erectæ non fuissent. Sane id evidenter comprobat ea Ecclesia, quæ Neocæsareæ longe ante a magno illo Gregorio Thaumaturgo erecta non sine insigni miraculo fuerat, & motibus terræ, ac furori Diocletiani superstes exstitit ipsius Gregorii fide suffulta, ut testatur Gregorius alter Nyssenus in ejus Vita. Item Eusebius lib. 7. cap. 30. scribit, quod cum Paulus Samosatenus morem gerere detrectaret decreto Concilii Antiochiæ adversus eum ejusdem urbis Episcopum congregati, *nec domo Ecclesiæ excedere vellet*, jussit Aurelianus Imperator illi eam addici, ad quem Episcopi Italiæ, & Romanus Præsul rescripsisset; *iis demum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis Antistites; & Romanus Episcopus scriberent*. Statim post Diocletianum Galerius Maximianus ejusdem Diocletiani in imperio, & Christianorum persecutione successor, tandem edicto præcepit (ut refert Eusebius Hist. Eccl. lib. 8. cap. 29.) ut homines denuo se libere Christianos profiteantur, & ut ædes, in quibus convenire solent, resarciant. Maximinus etiam a Licinio Constantini Collega victus apud eumdem Eusebium lib. 9. cap. 8. *hoc edictum statuit divulgari, quo omnibus plane constet liberam esse potestatem illis, qui Christianam religionem sequi voluerint, eam pro arbitratu sancte, ut mos eorum fert, & auguste excolendi: quin etiam ut Dominica, & sacras ædes reficiant, concessum est*. Legendi & hac de re Lactantius Firmianus lib. de mortibus Persecutorum a cap. 22. usque ad 48. ac Paulus Orosius Hist. lib. 7. cap. 17., qui clarissime prædicta confirmant. Sed de Christianorum Ecclesiis antiquitus ab Apostolorum tempore ædificatis iterum infra nota 10.

Multo magis Catholici Christifideles in universo Orbe.

(7) *Cum enim Philippus, utpote Christianus*) De Philippi Imperatoris fide Christiana nonnulla diximus supra in Prima Parte hujus Operis ad cap. 17. §. 4. nota 1. Atque ut eadem amplius confirmentur, nonnullas adjicimus rationes, & ad singulas ex adverso respondemus objecta. Et quidem obtrudet fortasse quispiam Emin. Authori historiam hanc de Philippi Imperatoris, alteriusque Philippi ipsius filii ad fidem Christianam conversione, utcumque fuerit, sive Romæ sub Fabiano, sive Antiochiæ sub Babyla Episcopo a plerisque eruditis viris oppugnari, præcipue a Josepho Scaligero in suis animadversionibus ad Eusebii Chronicon sub an. 246., ubi nonnullis, acribusque conviciis dictum Cæsarem impetit, totumque id fabulam a Christianis confictam pluribus asseverat, cui adstipulantur & alii Heterodoxi David Blondellus, & Sethus Calvisius in suo opere chronologico ad dictum annum, deque eadem dubitat Spanhemius, quos ex nostratibus sequuntur Pagius uterque, Senior in Critica Baronii ad an 244. n. 5. qui tamen in prima voluminis editione Baronio adhæserat, Junior Breviar. Gest. Pontif. in Fabiano, aliique nonnulli. Omnium primus Pomponius Lætus, qui in compendio Romanæ Hist. ait Philippum Idololatram sub ascito Christiani nomine dolo malo, fœdaque hypocrisi Ecclesiæ fucum fecisse: *Philippus vero*, inquit, *homo punica fraude deterior, qui ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat*. At Pomponio homini extra legitimum thorum nato, qui religionis Paganæ admirator, & Christianæ contemptor fuit, uti de eo habet Anglo-Brittannus Scriptor Thomas Pope-Blount in Censura celebr. Author., quæ fides sit habenda, judicent æqui, bonique omnes; certe apud plerosque Lætus male audit, & exiguæ eruditionis virum hunc vocat Ludovicus Vives de Tradit. Discipl.

Asseritur Philippi utriusque Patris, & Filii Imperatorum ad fidem Christianam conversio.

Indicantur Authores contrarium sentientes.

Isti nihilominus facem præbenti adhæserunt Joannes Baptista Egnatius, Joseph Scaliger præfatus vir quidem Criticorum facile Princeps,

ceps, sed conjecturis audacibus, & ingeniosis ubique in suis Commentariis scatens, uti Author Novellarum Reip. Liter. Junii 1684. pag. 532. non diffitetur. His addendus Joannes Andreas Bosius Lipsiensis Exercit. 2. de Pontificatu maximo Romanorum Imperatorum, quibus omnibus suum adjecit calculum Illustrissimus Præsul Franciscus Blanchinius Tom. 2. Anastasii de Romanis Pontificibus in notis ad S. Fabiani Vitam, ac novissime in eamdem descendit sententiam Thomas Vincentius Monelia Ord. Prædic., qui elegantem hac de re, omnique eruditione refertam Dissertationem adornavit, quam ex dictorum momentis fere totam contexuit, & an. 1741. Romæ edidit; qui nuperus Scriptor ingenue quidem fatetur pag. 2. in confesso esse apud omnes emunctæ naris Scriptores Philippos Cæsares non palam Idololatriæ repudium misisse, ejuratoque profano Deorum cultu, Christo nomen dedisse, sed fortasse clanculum, remotisque arbitris: at in consequentibus contrarium ostendere nititur, cui postmodum respondebimus, explosis prius dictorum ex adverso Scriptorum objectis.

Eorumque argumenta refelluntur.

Toti itaque hi sunt in evertenda prorsus hujusmodi historia, eorumque præcipuum argumentum ex eo est, quod constet ex ipso Eusebio, Lactantio Prooem. lib. 2. Instit. cap. 1. Authore vitæ S. Pachomii, qui sæculo etiam quarto vixit cap. 1. Ambrosio in funere Theodosii, Sulpicio Severo, ac Theodoreto lib. 5. cap. 39. Constantinum Magnum primum ex Imperatoribus fuisse, qui Christo nomen dederit. *Hoc opus*, inquit Lactantius Crispi Cæsaris Constantini filii Præceptor loco citato, *nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator maxime, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus majestatem Dei singularis, ac veri, & cognovisti, & honorasti*: Ex quo sequitur, ajunt illi, Philippum, qui multo ante Constantinum præcessit, non fuisse primum ex Imperatoribus Christianum; verum quam debili contraria hæc eorum assertio nitatur fundamento, viriliter ostendit Daniel Huetius Episc. Abrincensis Origenianorum parte 1. lib. 1. cap. 3. nu. 12. concludens ibi validis, solidisque rationibus *Christi Sacris a Fabiano Papa initiatum fuisse Philippum, sed occulte*. Constantinus igitur, & ultro fatemur, primus ex Imperatoribus fuit, qui publica attestatione, publico edicto, ipsis etiam Gentilibus noto, publicoque item monumento Christianam Religionem professus fuerit; statim enim, ac de Maxentio Tyranno victoriam reportavit, urbem ingressus, propriam statuam, hastam longam in Crucis formam manibus gestantem in celeberrimo urbis loco cum hac inscriptione poni jussit: *Hoc salutari signo, quod veræ virtutis argumentum est, vestram Urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi &c.* Idolorum postmodum templa omnia ubique terrarum destrui, Ecclesias uni, ac vero Deo ædificari jussit.

Quod autem Constantinus Cæsarum primus publice Christianam Religionem professus fuerit, non obstat, quin ante ipsum Philippus non publice, sed privatim, & quasi in occulto, eamdem Christi fidem amplexus sit, insciis Gentilibus, solisque id scientibus Christianis. Id ita affirmare intendunt Eusebius, Hieronymus, Chrysostomus, Auctorque Chronici Alexandrini, ex Leontio Antiocheno ab Eminentissimo Scriptore allati. Et quidem Eusebius nedum Historiæ Ecclesiasticæ lib. 6. ab eodem Card. citato, verum & in Chronico, ubi de Philippo ait: *Primus omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit*; item in Vita Constantini Magni lib. 4. cap. 62. *Solus*, inquit, *ex omnibus, qui umquam fuerunt, Imperatoribus, Constantinus in Christi martyriis renatus, & consummatus est*: idest publice in Ecclesia, ita his verbis ad Philippum alludens, quem aliter, ac Constantinus, qui publice, occulte baptizatum supponit. Denique lib. 7. cap. 10., ubi Dionysii Alexandrini Epistolam laudans, & recitans, de Valeriano hæc habens ait: *neque enim ullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur &c.* Quibus verbis certe non alios, quam duos Philippos indicare conspicitur; Valerianus enim Philippo posterior fuit, & pluribus annis Constantinum præcessit. Quorum proinde Scriptorum authoritas non ita facile convelli posse videtur, cum iisdem ulterius assentiantur, dictamque historiam de Philippi conversione adstruant, & confirment Origenis Epistolæ ad istum Principem, & ad Severam Augustam ejus uxorem datæ, quas se legisse testatur idem Eusebius Hist. Eccl. lib. 6. cap. 36. ubi ex versione Henrici Valesii hæc habet: *Extat etiam*, inquit, *ejus Epistola ad Imperatorem ipsum Philippum, & altera ad Conjugem ejus Severam*, addit Rufinus, has epistolas *absque ullo adulationis fuco scriptas, diversæ præterea ad diversos scriptæ; ex quibus quotcumque sparsim apud varios asservatas reperire potuimus, seorsum in proprios libros, ne iterum dissiparentur, digessimus. Sunt autem illæ numero supra centum*. Quæ verba, si diligentius observasset Pagius in Critica Baronii ad an. 244. n. 7. ab iis, qui ibi de Eusebio dicit, abstinuisset, quod scilicet Eusebius non asserat, se eas Epistolas legisse, non enim ipsas seorsum in proprios libros digerere, & ordinare potuisset, si easdem vere non legisset.

Philippus Imperator primus omnium Imperatorum Christianus, non publice, sed privatim insciis Gentibus.

Sed & Sanctus Hieronymus id expresse confirmat lib. de Script. Eccl. in Origene hæc dicens de his Epistolis, *quodque*, ait, *ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus litteras fecit, quæ usque hodie extant, quis ignorat*? Advertenda sunt hæc ultima verba, quibus id tamquam de re non tantum vera, & certa, verum etiam apud omnes notissima asseveranter affirmat, quibus item omnis in contrarium dubitandi ansa præcluditur. Et quidem id etiam clarissime demonstratur; etenim S. Hippolytus Episcopus Portuensis, & Martyr Origeni nedum coævus, sed & familiarissimus Protrepticum scripsit ad Severam Augustam, ut non improbabili sane conjectura Guillelmo Caveo teste censet Moynius, cum quo idem subdit Hist. litter. Scrip. Eccl. pag. 64. *Scripsit Hippolytus Epistolam exhortatoriam ad Severam Philippi Imperatoris uxorem, quam Origenem etiam litteris compellasse scribit*

Id testantur Epistolæ ad Severam Imperatricem ipsius uxorem scriptæ.

Euse-

Eusebius lib. 6. cap. 36. Certe Epistolam ad Augustam, (quæ profecto non alia est a Severa Philippi uxore) Hippolytum scripsisse testatur Theodoretus, & ex ea bina adducit fragmenta Dialogo III., & alterum Dial. II. Testantur item Vincentius Lirinensis in Commonitorio adv. hæres. cap. 23. ubi & de Origene loquens hæc inquit: *Ejusdem Epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani Magisterii auctoritate conscripsit.* Cognovisse plane eas, (subdit Card. Baronius) visus est Vincentius, qui & cujus argumenti essent, declarat; adeo ut omnis erroris debeat abesse suspicio. Orosius etiam Vincentio, & Augustino coævus lib. 7. cap. 13. sic de eodem Imperatore uti Christiano loquitur. *Hic primus Imperatorum omnium Christianus fuit, ac post tertium Imperii ejus annum millesimus a conditione Romæ annus impletus est. Ita Ludis magnificis, augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem ad Christum, & Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse Capitolium, oblatasque ex more hostias, nullus Author ostendit.* Hunc Orosii textum ita integrum refert Sigebertus Havercampius in nova ejusdem Historici editione, quam adornavit, vulgavitque an. 1738., quem tamen locum iste refert quidem lib. 7. sed cap. 20. pag. 512. At de his ludis paulo infra respondebimus ad objecta. His omnibus plenissime suffragantur Acta Martyrii S. Domnini apud Mombritium, Acta vetustissima S. Pontii Martyris, nuper ex antiquis, probatæque fidei MSS. primum a clar. Viro Stephano Baluzio Miscell. lib. 2. dein a Continuatoribus Bollandianis ad diem 14. Maji iterum edita, Paulus Diaconus lib. 10. Histor. aliique plures illorum temporum Scriptores affirmant. Item Martyrologia, Romanum, Usuardi, & Adonis ad dictam diem, ubi Sancti Pontii prædicti Martyris prædicatione, & opera duos Philippos Cæsares ad Christi fidem conversos fuisse legitur. Haymonius Alberstadensis Episcopus in sua Hist. Eccl. lib. 6. cap. 2.

Hæc de Philippis Impp. Christianis Historia recentiorum Authorum illustrium testimoniis comprobatur.

Tot locupletissimorum testium sollicitare fidem quis amplius audeat, cum insuper omnia in contrarium, quæ adduci possunt argumenta solidissime post Huetium laudatum, & Valesium in notis ad Eusebium lib. 6. cap. 34., diluant Natalis Alexander. Hist. Eccles. sæc. 3. cap. ult. & Joannes Ciampinus vet. monum. par. 1. pag. 146. Item in Disquisit. de duobus Emblem. in Cimelio Card. Carpinei asservatis edit. Rom. an. 1691., ubi Philippum Imperatorem postremis saltem vitæ suæ annis ab Idololatriæ cœno ad Fidei Christianæ veritatem conversum asserit, cui subscribunt Petrus Taffinus Audomarensis Soc. Jesu de anno, & Ludis sæcularibus, Tillemontius in Historicis Imperatorum monumentis, & adnotationibus de Philippo agens nota 1., itemque in vita S. Babylæ Episcopi, & Martyris Antiocheni Tom. 3. pag. 400. ubi fuse ex Chrysostomi oratione id probat, aliique jam indicati: & ex Heterodoxis præter descriptos Joannes Radulphus Wetstenius, qui edita in id Dissertatione Trajecti ad Rhenum an. 1692. hæc fusius prosecutus est. Horum testimonio, & momentis omnis obstruitur dubitationi locus, cui vel ipse non admodum repugnat Binghamus Orig. Eccl. Lib. XVI. cap. 3. §. 5. Quod si vel inviti concedamus suspectæ fidei esse hanc de Philippis ad fidem conversis historiam, hoc nobis sufficiet persuasum id fuisse Eusebio Christianos Philippi Augusti temporibus Ecclesias habuisse, quod satis esset Eminentissimo nostro Scriptori.

Atque hæc pluribus rationibus confirmatur.

Cæterum ad Philipporum Cæsarum Christianitatem ulterius comprobandam, præter tot gravium Scriptorum authoritatem, rationes etiam suppetunt bene multæ, quibus nedum eadem historica veritas, dictorumque Principum in Christianam Religionem cooptatio roboratur, sed & omnis contra ipsam evanescit ambigendi suspicio. Atque in antecessum non facile adhærentes Huetio mox laudato asserenti Philippum Imperatorem, occulte licet (quod lubentes admittimus) Romæ a Fabiano Papa Christi Sacris initiatum fuisse, verosimilius, ac per omnia magis probabile affirmamus, non illic, sed Antiochiæ a S. Babyla Episcopo eumdem Principem Imperii initio circa an. 244. ex Pagio, vel 246. juxta Baronium, quo ipse ex Perside Romam redux cum Philippo filio a militibus acclamatus Imperator, ejusque jussu Gordiano, cujus Tutor erat, occiso, Antiochiam divertit, ibi ab Episcopo in Ecclesiam admissum dicimus, uti refert Eusebius lib. 6. cap. 34., precationum participem factum, postquam crimina confessus in pœnitentium ordinem redactus est. Id autem non Romæ, sed Antiochiæ, & quidem dicto tempore contigisse, in extremis scilicet Romanæ ditionis oris, procul a Romanorum, & Gentilium quorumcumque conspectu, quos utique hujusmodi conversio, atque Ethnicæ superstitionis abdicatio commovere poterat, plurimum credibile facit, quod nempe in medio Christianorum cætu, conscio tantum cum paucis Episcopo Imperator mutata veste, detractisque Imperatoriis insignibus facile delitescere potuisse a veritate alienum non sit; quod utique Romæ id fieri, & a Paganorum notitia occultum Imperatorem inter Christianos latere, ne difficillimum quidem, sed & pene impossibile fieri videtur.

Initio sui imperii Philippus Christianam fidem amplexus.

Sub ipsa porro Imperii initia, ut diximus, Christi fidem amplexum Philippum fuisse, ex eo liquet, quod in Christianorum cœtum recipi jam creatus Imperator efflagitaverit Antiochiæ, quo nisi post arreptum recenter Imperium, sese usquam in posterum contulit, uti in prima suæ in Baronii Annales Critices editione adnotaverat Pagius loco supra indicato. Et sane admodum verisimile est, neque falso inniti fundamento conspicitur; non enim credendum videtur Eusebium temporibus illis proximum, qui hæc narrat loco citato, toti posteritati voluisse illudere, atque in re tam gravi sic expresse mentiri, cum non unus id scribat, sed & idem gravissimi Authores præfati ferme coævi, summique judicii viri confirment, de quorum fide, aut incerta auditio-

ditione, vel minimum fufpicari infanum eft, ut infra oftendemus. Neque obftat, quod Eutropius Hift. Rom. in Philippo afferat hos Cæfares Patrem, & Filium poft mortem a Gentilibus inter Divos fuiffe relatos; etenim ex his plane dignofcitur tum eos, licet Gordiani nece perofi olim extitiffent, mutatis poftea moribus Senatus, Populique Romani animos, tum fic eos Chriftiana Religione initiatos fuiffe, ut tamen nullum Ethnicæ fuperftitioni negotium facefferint. Præterea cum unicus id fcribat Eutropius, qui nec diligens, nec elegans Hiftoricus, apud Eruditos, præcipue Cardinalem noftrum in Notitia Authorum Divinæ Pfalmodiæ præfixa reputatur, non eft cur uni illi irrefragabilem præbeamus affenfum. Ut ut autem fit, non admodum Philipporum Chriftianitati officere videntur hujufmodi fingularia Gentilium Scriptorum teftimonia.

Et quidem leges a Philippo poft fufceptum imperium latæ Chriftianum Principem ubique fpirant.

Et fane Principis certe Chriftiani pietatem fpirant leges illæ a Philippo Imperatore latæ, quibus fentinam deteftabilium turpitudinum Romæ inolitam, atque immobiliter hærefcentem, nempe exoletorum claffes, propudiofiffimum, ac fceleftiffimum hominum genus penitus fuftulit, ut Lampridius teftatur in Alexandro Severo, cum de eo ait: *Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod poftea Philippus fecit*. Plane non Ethnicorum, fed Chriftianorum Principum, id opus erat; etenim poft Philippum fub Paganis Imperatoribus iidem reftituti, poftea per Conftantinum Magnum denuo fublati funt. Sed & illa quoque Philippi fanctio, qua garrulam Poetarum linguam licenter nimis honeftatis famam in quibufque probis etiam viris carpentem coercuit, Chriftianam fane profeffionem redolet, quod ea etiam arte abuterentur ad juvenum animos inficiendos, etfi enim eos penitus tollere difficillimi videretur res effe negotii, lege tamen edita eofdem ex albo bonarum artium Profefforum expunxit, dum ipfos ab illorum privilegiis exclufit, ut conftat ex L. *Poetæ C. de Profefforibus lib. 10. Poetæ nulla immunitatis prærogativa juvantor*: Multa præterea alia ab ipfo Imperatore pie ftatuta, & gefta extitiffe, quæ exciderunt, ex eo facile dignofcitur, quod fi facta ejufdem poft invafum imperium improba fuiffent, ac in idem ingreffus, Scriptores Ethnici illius temporis, qui fcelus illud teftatum reliquere, eadem profecto non tacuiffent.

Neque obftat quod illi veterum Gentilium nemo avitæ fuperftitionis mutationem criminetur.

Neque etiam ex adverfo objiciat quifpiam, quod Gentilium Scriptorum nemo in dicto Imperatore Chriftiano avitæ fuperftitionis mutationem criminetur, quod inanium Deorum templa diruiffe, Ecclefias Chriftianis erexiffe, legefque ullas in favorem veræ Religionis ab ipfo amplexæ tuliffe non legatur, quemadmodum fecit poftea Conftantinus, quod denique poft mortem ipfe inter Divos a Senatu Romano Ethnicorum more cum filio relatus fit, ut unicus teftatur Eutropius, & alia hujufmodi Gentilitatis indicia; hæc enim omnia non obftant, nec probant Philippum Chriftum non coluiffe, fed quod occulte dumtaxat, non palam Chriftianam Religionem profeffus fuerit. Noverant Chriftiani ipfum Chriftianum effe, præfumebant Gentiles eumdem Deorum effe cultorem, quod ipforum facra, ritufque pateretur. Non finebat autem rerum, temporumque illorum conditio, ut palam Philippus Chriftianus innotefceret, utque templa idolorum dirueret, quia non fatis firmum erat ejus Imperium, & Senatus, Populique Romani, atque exercitus militum inconftantia, ac levitas in mutandis paffim Principibus, quæ in ejus Prædecefforibus fublatis, & cæfis, fatis fuperque fe prodiderat, ratio fufficiens videbatur occultandæ Ethnicis fuæ Chriftianæ Religionis, ut propriæ vitæ, atque imperio confuleret; fic enim Ecclefiæ rebus utilior erat, inquit Natalis Alexander fupra citatus, quam fi hocce rerum ftatu palam fe Chriftianum profeffus fuiffet. Porro profanorum Authorum filentium perfpicue denotat illum Ethnicæ fuperftitionis ritus abdicaffe; cum enim annum conditæ Urbis millefimum ludis folemnibus ab eo celebratum referunt, non memorant fuiffe ab ipfo falfis Numinibus oblata facrificia, ufitato aliis Principibus more, de quibus id fcribunt, neque afcenfum ab eo Capitolium, uti Paulus Orofius fupra allatus expreffe teftatur.

Pagii utriufque objectionibus quoad Eufebii Hiftoriam refpondetur.

At opponunt Pagii ambo fupra laudati, Annotator Baronii ad an. 247. n. 7., & ejufdem Nepos Romanorum Pontificum Chronographus in Fabiano n. 5. dicentes: Eufebii Hiftoriam ab aliquo interpolatam fuiffe, ficut ejus Chronicon ab Hieronymo, vel certe falfis rumoribus deceptum, in Chronico enim fupponit in ludorum fecularium celebratione plura gentilitatem redolentia peracta effe, quod manifefte repugnat narrationi Libri fexti ejus Hiftoriæ. Quoad Vincentium Lirinenfem, Caffiodorum, & alios, qui Philippum Chriftianum fuiffe perfuafum habuere, illi (ajunt) in errorem tracti funt a Paulo Orofio, qui & ipfe deceptus eft, uti primum ex Sexto Aur. Victore de Cæfaribus cap. 28. oftendere nituntur: *Cum Pontificum lege* (inquit ille) *hoftiæ mactarentur, fuis, utero maris fæminarum genitalia apparuere. Id Arufpices folutionem pofterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati; quod fruftratum iri æftimans Imperator Philippus, tum quia forte præteriens filii fimilem pro merito ephebum confpexerat, ufum virilis fcorti removendum honeftiffime curavit*. Quibus, inquiunt, omnia fpectacula Chriftianis interdicta in ludis a Philippo editis repræfentata fuiffe, quod & indicare præfumitur Capitolinus in Gordiano juniori cap. 33. *Fuerunt*, inquit, *fub Gordiano Romæ elephanti triginta, & duo, quorum ipfe duodecim miferat, Alexander decem &c., quæ omnia Philippus ludis fecularibus vel dedit, vel occidit*. Addunt infuper plura numifmata, in quibus gentilitiæ fuperftitionis ab utroque Philippo profeffæ certa veftigia extare contendunt, atque ex his, aliifque, quos proferunt, Ethnicis Scriptoribus eos Imperatores Gentiles fuiffe, & confequenter Eufebium, Orofium, cæterofque contrarium fcribentes ex incerta auditione deceptos effe affirmant. Hæc ex adverfo Philipporum Cæfarum converfionis impugnatores; at non obftant quæcumque ab iis prolata, quin revera hos Principes Chrifto nomen dediffe credamus; fingula proinde ad examen accedant.

Et

Et primo S. Hieronymi authoritate.

Et primo quis umquam credat S. Hieronymum alias Eusebio infensissimum, non eximiæ tantum sanctitatis, & doctrinæ, sed & summi criterii virum, uti lippis, atque tonsoribus notum, ab ipso hanc suppositam fabulam pro vera historia desumpsisse? Qui in Epistola ad Chromatium, & Heliodorum scribit ipsum a Constantino Magno Cæsaream ingressso obtinuisse, ut sollicita perscrutatione publica monumenta discuterentur, quo certius constaret, quid in universo Orbe Romano gestum fuerit, indeque idoneum relatorem factum Ecclesiasticam historiam texuisse, quam Epist. 65., & lib. 1. Apolog. adv. Rufinum præclare contextam, & laude dignam asserit, de qua etiam re fidem facit Antipater Bostrensis Episcopus item Eusebii adversarius, qui Serm. 1. contra Eusebii apologiam pro Origene in Concilio Nicæno II. act. 5. *Ego vero*, inquit de eodem Eusebio, *quod multum quidem in Historiis vir fuerit, & nihil ex veteribus Scriptis illius latuerit notitiam, consentio, & confiteor, imperiali quippe cooperatione usus facile, quæ ubique sparsa erant, colligere poterat*. Quidni ergo ex Ecclesiarum præsertim Antiochenæ archiviis hanc de Philippis historiam haurire potuit? ac proinde non ex incerta, ut autumant Censores nostri, sed ex vera prorsus, ac indubitata traditione, authenticisque monumentis eorum Christianitatem litteris consignavit.

Eusebium nec facile falli potuisse, nec fucum facere censendum, vel ipsi Acatholici affirmant.

Miror Catholicos, & doctissimos viros hac in re, quæ in Christianæ religionis decus, & incrementum vergit, priscamque Ecclesiæ disciplinam circa pœnitentes perspicue ostendit, Eusebio sic scribenti nolle acquiescere, ejusque potius authoritatem detrectare, cum illius Ecclesiasticam historiam vel ipsi non respuant, verum & admirentur Sectarii, inter quos præsertim Presbyteriani, & apud ipsos magni nominis, Joannes Pearsonius Vind. Ignat. Par. 1. cap. 8. „Ego vero, inquit, „Eusebium tanta diligentia, tantoque judicio in examinandis Christianorum primævæ antiquitatis scriptis, in quibus Traditionem Apostolicam contineri arbitratus est, usum fuisse contendo, ut nemo umquam de ejus fide, aut scriptis, quæ ille pro indubitatis habuit, postea dubitaverit„ Suffragatur & alter Anglicanus item, & ejusdem Sectæ Guill. Cave Hist. Litter. Eccl. pag. 2. „Magnum, ait, apud me pondus habet Eusebii fides, & authoritas..... cumque nec ipse facile falli potuerit, neque nobis fucum facere censendus erit„ Deus bone! nostri temporis Critici Constantinum Magnum Romæ baptizatum negant, quamvis Eusebius in ejus Imperatoris vita rhetorice potius, quam historice, uti ex Photio Bibl. Cod. 127. exarata, & in gratiam Constantii Ariani Principis scripta, de qua etiam plerique dubitant, an vere ejus sit (veluti Gothofredus Epist. ad Rivetum edit. Genev. pag. 37., & Differt. ad Philost. lib. 7. cap. 3. Dorschæus Exercit. ad Conc. Nicænum Sect. 1. §. 22.) refert non Romæ, sed Nicomediæ ab illius Urbis Episcopo Ariano Sacris undis ablutum fuisse, & cum idem Eusebius tum in Chronico, tum in Historia Ecclesiastica, de quibus a nemine, quod genuini illius fœtus sint, in controversiam ducitur, dicat Philippos Cæsares Christo nomen dedisse, illi fidem derogare non verentur.

Neque obstat quod Eusebii Historia Eccl. a Gelasio Papa in Synodo Romana inter Apocrypha rejecta fuerit.

At inquient, Eusebii Chronicon, & Hist. Eccles. a Gelasio Papa in Synodo Romana inter Apocrypha rejici, ac proinde nullam, aut prorsus dubiam authoritatem mereri, non enim aliam hisce libris tribuit Ecclesia. Ita plane; ista nihilominus Gelasii in Eusebium censura haud officit, quin illi debitam præbeamus fidem in iis, quæ nec ad Origenis laudes, aut Arii errores spectant, quorum hæresiarcharum Encomiastes, & Fautor profecto fuit Eusebius, expresse Origenis, cujus apologiam texuit, Arii vero subdole, licet enim ipsius numquam in dicta historia memoriam proferat, quin & cum in Synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus est Arius, astute dissimulavit in Paschatis quæstionem digressus, & callide hominis impii nequitiam, & commemorationem præteriens, quem Synodi authoritate obrutus laudare non est ausus, amicitiæ lege noluit vituperare, ut inquit Melchior Canus lib. XI. Loc. Theol. cap. 6. In his a Romana Synodo prædicta jure damnatum, & reprobatum fatemur; in reliquis tamen, quæ ad hæc non tendunt, uti hujusmodi Philipporum conversionis narratio, juxta dictum Gelasii decretum apud Gratianum Dist. 15. cap. *Sancta*: ubi de Eusebii Chronico, & Hist. Eccles. libris, *propter rerum singularem notitiam, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos*. In iisdem propterea, & non in aliis, Gelasius alter Cyzicenus quinti Sæculi Scriptor Hist. Eccl. lib. 2. cap. 1. Eusebium vocat: *Ecclesiastici fundi præstantissimum aratorem, veri studiosissimum, & inter veteres Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores fide dignissimum*. Photius item in Biblioth. Cod. 196. de Eusebio æquissime censens hæc ait: *Eusebius, cujus gravis est in historia, non item in dogmatibus fides*.

Id enim ex Pelagii II. Papæ testimonio unice fuit propter Origenis laudes, quas refert; atque etiam propter Arium, cujus partibus favet.

Porro Gelasii mentem in ejusdem Synodali Decreto quoad Eusebii libros, nemo melius interpretari potuit, quam Pelagius II. item Papa, qui non multo post an. 577. illi successit, cujus scriba fuisse dicitur Magnus Gregorius, qui eumdem assecutus est. Is itaque Pontifex Epistola tertia ad Eliam Aquilejensem, aliosque Episcopos Istriæ, quam refert Card. Baronius Tom. 7. ad an. 586. n. 81. Eusebii historiam impense commendans: *An non & malos* (inquit) *a bonis aliquando laudatos novimus, nec tamen ejusdem laudibus defensos? Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid ex Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nescit in libris suis quantis Origenem præconiis attollat? Sed quia Sancta Ecclesia suorum fidelium corda benignius, quam verba, districtius pensat, nec in Hæreticis sensum proprium testatio Eusebii absolvere potuit, nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit*: Hæc Pelagius Papa, & cum eodem Gregorius, qui hanc prolixiorem, & antecedentes Epistolas Pelagii nomine exaravit; opus quidem, subdit Baronius, dignum

Romano Pontifice, & Gregorio, qui scripsit, authore. Hinc cum memorato Melchiore Cano, si ab Eusebio Origenis laudes demas, digna ejus Historia est, cui fides omnino habeatur, præsertim si in Ecclesiæ contra Arium pugna non ab ipso, sed pro Ecclesia stetisset.

Neque item officit quod Eusebii Historia ab aliquo interpolata fuerit.

Quod autem Eusebii Historia ab aliquo interpolata fuerit, ut nobis objicitur, non ab alio, certe quam a Rufino Aquilejensi, qui eam primus latine reddidit, quemadmodum Hieronymus Chronicon, id factum adjudicabitur. At Rufinus, etsi in Eusebio transferendo nimia libertate usum Critici vociferentur, cumque multa ibi abstulisse, plura addidisse, nonnulla mutasse dicatur apud Vossium de Hist. Latinis lib. 2. cap. XI. Dupinium in Biblioth. Ecclesf. Script. aliosque; in dicti tamen Eusebii Hist. lib. 6., & 7. ubi de Philippis tamquam Christianis loquitur, nihil ab ipso interpolatum, nihil assutum, aut demptum, præter ordinem capitum, quem paululum Rufinus invertit, fatentur omnes. Vide Clar. Fontanini Hist. liter. Aquilejen. lib. 5. cap. XI. n. 2. Ita pariter de Chronico Hieronymus: *Sciendum* (inquit in Præfat. ad ejus translationem) *me esse & interpretis, & scriptoris ex parte usum, quia & Græca fidelissime expressi, & nonnulla, quæ mibi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maxime historia, quam &c.* Cum autem Philipporum Cæsarum ad Christi fidem conversio Antiochiæ, non Romæ contigerit, ut supra tum ex Leontii Antiocheni relatione, atque Joannis Chrysostomi hom. de S. Babyla, tum etiam, & maxime rationabilibus ex momentis ostendimus; ac proinde Historia hæc non Romana, sed Græca sit, uti per se patet, eamdem Hieronymum fidelissime expressisse firmiter tenendum est. Quare falsis rumoribus deceptum Eusebium fuisse, quod perperam unus post alium putant recentiores Critici, etsi viri doctissimi, nullatenus suspicandum erit; hanc enim de Philippis narratiunculam, si vera non fuisset, tam Hieronymus Eusebii, ut diximus, adversarius, & fabularum inimicus, quam Rufinus, qui in eo vertendo nimia libertate usus dicitur, ambo coævi, illisque temporibus proximi, absque dubio ab ipsius libris expunxissent, aut saltem emendassent, quemadmodum & alia, quæ sibi non videbantur in rei veritate subsistere, ab ipsis dempta sunt.

Rufinus enim, & Hieronymus, qui Eusebium latine reddiderunt hanc de Philippis historiam, si vera non fuisset, expunxissent.

Quod & dicendum est de Paulo Orosio, Jornande, Cassiodoro, aliisque.

Non absimili modo differendum de Paulo Orosio, Hieronymo, & Rufino ætate suppare, neque enim ipse deceptus est, neque in errorem traxit Vincentium Lirinensem, Cassiodorum Jornandem de Regn. ac Temporum successione lib. 1., aliosque, ut ajunt adversarii; tantorum quippe virorum, & maxime Hieronymi authoritatem sequutus ille, quos utique fide dignissimos noverat, eosque nec facile falli, aut fallere velle sciebat, quæ ab eis vel auditu, vel lectu hac in parte hausit, tamquam vera, & indubitata descripsit, ac proinde cum juxta Melchiorem Canum præfatum loco jam dicto cap. ult.: „ quædam ita certo humana fides tradat, ut „ ea in dubium vertere stultitiæ sit argumentum vel certissimum, quæ si in usum „ suum quisquam vindicarit, nihil fallax, „ nihil imbecillum, ineptumque conficiet, „ sed rem veram, firmam, rationique „ tum humanæ, tum etiam divinæ consentaneam: profecto deceptus, aut decipiens Orosius nequaquam dicendus erit, quod scilicet nimium Philippo detulerit, quodve facile vulgi rumoribus aures accommodaverit, uti laudatus Pater Monelia in sua Dissertatione contendit, alioquin omnis humana fides ab hominum consortio tollenda, omnesque idonei testes, & fide digni proscribendi erunt, quod nemo sanum sapiens affirmabit. Subdit idem nuperrimus, & clarus Scriptor ex Vincentii Lirinensis verbis, quibus Origenis Epistolas ad Philippum Imperatorem *Christiani Magisterii authoritate* conscriptas asserit, ejusdem Cæsaris Christianitatem probari non posse; at id gratis dici, quis non videt? Quid enim, amabo, aliud significabunt illa verba, nisi istud indicent? Sicut Pater dicit relationem ad Filium, Dominus ad Servum, ita Magister ad Discipulum, quare *Magisterii Christiani* authoritatem non aliud, quam Christianum Discipulo supponere, & ad Christianum Discipulum referri debere perspicuum est, ac proinde hac in parte frigidas hujusmodi in contrarium exceptiones ea verba dispellunt.

Aliis contra hanc historiam objectis respondetur, & maxime quoad ludos seculares a Philippis permissos.

Sed & aliis item respondeamus objectis; Plura dicuntur gentilitatem redolentia peracta esse a Philippis in ludorum sæcularium celebratione, idque Eusebium in Chronico supponere, quod repugnat, ajunt, narrationi lib. 6. ejus historiæ cap. 34. At hujusmodi repugnantiam nullus video. Utrobique, ut supra advertimus, Eusebius Philippum Cæsarem Christianum scribit, & in Chronico quidem hæc ait: *Regnantibus Philippis millesimus annus Romæ urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ, ludique in Campo Martio theatrales tribus diebus, ac noctibus populo pervigilante celebrati*: quod & confirmant Ethnici Scriptores Aurelius Victor de Cæsaribus, Eutropius lib. 9., & Julius Capitolinus in Gordiano; at isti omnes, etsi ludos hujusmodi sub Philippis permissos, & a populo peractos fuisse scribant, attamen Gentilium Sacrificiis ipsos interfuisse non tradunt, quod expresse firmant Acta S. Pontii mart. supra memorata apud Bollandianos ad diem 14. Maji, ubi hæc de iisdem Principibus leguntur: *Ex die illa, & deinceps sacrificia Idolorum declinantes spectacula tantum pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri impetraverunt*: & clarius Orosius, ut supra, asseveranter affirmat de Philippo, quod *vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus author ostendit.*

At vero subdit ex adverso Pagius ad an. Christi 247. n. 11. in Victore de Cæsaribus citato id diserte legitur „ & Philippus spectacula Christianis prohibita ad Christum, „ & ad Eccelsiam reportare non potuit „ Miror Pagium doctissimum, & summi Criterii virum hac in re unico pene Aurelio Victori totum fidisse, ejusque authoritate sen-

Notatur Clar. Pagius unico Aurelio Victori nimium fidens.

tentiam mutasse, cum unius tantum testis ac nullius idem ferme sit pondus juxta Euripidis effatum in Heraclidis: *Invalida pugna unicæ tantum manus*: eo vel maxime, quod de illo varia hinc inde Eruditorum judicia extent, uti videre est in Thomæ Crenii Animadversionum Philologico-Histor. par. 18. Ex his Car. Sigonius de Hist. Rom. in Victore. *Is*, inquit, *ut elegantia Romana haud mirabilis est, ita propter magnitudinem materiæ valde nobis utilis, licet non semel erret, & pleraque dicendo omittat*: quare errantem authorem sequi parum erit Pagio laudandum. Deinde, ut vidimus, e contra plura aliorum suffragantur testimonia, quibus Philipporum Cæsarum ad Christi fidem conversio perspicue demonstratur. Et sane, quomodo id Philippo Patri imputatum de immundo animali, setigeroque sue impurissimum Sacrificium, quod ex dicto Victore deducit Pagius ad indicatum annum n. 7. non Zosimo, Symmacho, Eunapio, non Ammiano Marcellino, Julio Capitolino, Eutropio, aliisque Ethnicis Historiæ Augustæ Scriptoribus, ex quibus Aurelius Victor suum texuit historicum Breviarium, innotescere potuit? Ludos quidem sæculares sub Philippis celebratos, tradunt eorum plerique, at suis sacrificium silent, quod, sicuti consimile de Severo Imp. consignarunt, qui in antecedentibus Ludis porcam immolarat, uti & in ejus nummis visitur, de quo nulla hae de re numismata extant, idem utique si verum esset, de Philippo non tacuissent.

Idem Aurelius denuo, & plenius audiatur; dolens ille, quod sua ætate *annus urbis post mille centesimus, Consule Philippo, excesserit, nullis*, inquit, *uti solet, solemnibus frequentatus: adeo in dies cura minima Romanæ Urbis. Quod equidem denunciatum illo tempore prodigiis, portentisque, ex queis unum memorare brevi libet. Nam cum Pontificum lege hostiæ mactarentur suis utero maris &c.* ut supra jam recitatum est „ Ex quibus, inquit „ Pagius, apparet in ludis sæcularibus Philippi Suem impurissimum animal mactatum fuisse exemplo Severi, qui in suis „ sæcularibus ludis porcam immolarat „ At scribit ne Victor, ipsummet Philippum sacrificasse, aut ejus jussu impurum suem mactatum fuisse; sicuti de Severo dictum est? nihil penitus; ex alio enim texu Pontificum lege mactatas hostias scribit, nec præsentem, seu assistentem Imperatorem, sed forte prætereuntem solummodo memorat; immo vero ut vana Aruspicum portenta aspernatum, aversatumque nobis ipsum repræsentat narrans usum virilis scorti removendum curasse. Quare cum Baronio, & Spondano ad an. 253. n. 2. sentiendum Philippos Cæsares sic Christiana fuisse religione imbutos, ut tamen nullum facesserint Gentilitiæ superstitioni negotium, quemadmodum dictum est, idque iis rationibus, & momentis superius ex Natali Alexandro allatis, sic etiam ad evitandum majus malum, ne scilicet Ethnici, ex quibus Senatus Populusque Romanus magna ex parte constabat, in se ipsos concitati Ecclesiam persequendo sævirent, Dei exemplo, qui ut ait Augustinus in Enchiridio cap. 27. *Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere*, Ethnicis sua sacra, & profanos ritus tolerari existimarunt (quorum occasione Philippus Imperator editis legibus, ut diximus, exoletos sustulit, & Poetarum licentiam compescuit) *ne eis sublatis*, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 11. in corp. *majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur...... sic ad aliquod malum vitandum, vel scandalum, aut dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem, propter hoc enim etiam Hæreticorum, & Paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo*. Atque his satis quoad hujusmodi objecta responsum.

Victor quippe non scribit Philippum animalia Diis Gentilum sacrificasse.

Quo vero ad Ethnicorum spectacula, quibus in ludis sæcularibus Philippus Imperator una cum filio Cæsare interfuit, eadem Christianis prohibita lubentes cedimus; at si Neophyti Principes, recenterque ad fidem conversi, nec dum satis omnium circa præcepta observandorum instructi id ignorassent, uti in his plerumque contingit, vel id sibi ex officio, ut populum forte excedentem continerent, quod innuere videtur Tertullianus de Spect., & de Idol. licitum saltem existimassent, aut Ecclesia in Christiano Imperatore non abnuisset, quid inde? utrumque probabile, & alterutrum ita factum profecto adjudicandum est. Si primum, ignorantia excusat, ut per se patet. Pro secundo, quandoque id ab Ecclesiæ Patribus toleratum, permissumque discimus, tum ex his, quæ S. Hieronymus tradit in vita S. Hilarionis de Christiano agitatore, ut infra ad cap. 20. §. 5. nota 6. referemus, tum etiam ex Can. 4. Concilii Arelatensis I., in quo cum, ut ait Card. Baronius ad an. Christi 314. n. 59., nimium difficile Christianis Circensia spectacula interdicere videretur, prohibuit Synodus tantum, ne diversarum functionum agitator aliquis Christianus reperiretur, sic statuens: *de agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quandiu agitant, a communione separari*: sic pariter Can. 5. *De Theatricis, & ipsos placuit, quandiu agunt, a communione privari*: ubi vides hos Canones actores potius, quam spectatores afficere, quos tamen non a culpa immunes affirmamus; valde enim periculosa res est hujusmodi spectaculis adsistere, & Christiana religiositate prorsus indigna; quare etsi id in Principe recens ad fidem converso, ut dictum est, ad Plebis licentiam coercendam, condonandum, quia vero in dictis sæcularibus ludis nimium cachinnantem se prodidit Philippus Imperator, uti scribit Aurelius Victor, & idcirco a Philippo filio Christiana societate, ac vultu averso notarus, & tacite redargutus fuerit, Patrem quidem peccasse dicemus; sed non propterea adhuc Ethnicum fuisse, nisi alia in contrarium solidiora proferantur documenta.

Spectaculis quidem astiterunt Philippi, sed vel ignari quod essent Christianis prohibita, vel ex officio, ut populum continerent.

Quod autem Philippus uterque, saltem Filius spectacula hujusmodi ad Christum, & Ecclesiam reportare potuerit, uti tradit Orosius,

Eadem spectacula reportare potuerat Philippus ad Christum, & Ecclesiam, uti tradit Orosius.

sius, & Pagius negat, eruditissimum virum excessisse crediderim; si enim præcipiente Apostolo Epist. ad Coloss. cap. 3. *Omne quodcumque* facimus *in verbo, aut in opere, omnia* jubemur facere *in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*, quod & repetit Ep. 1. ad Corinth. cap. 10. dicens: *Omnia ad gloriam Dei facite*: omnia, (ut exponit Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem cap. 3. adv. Pelagium scribens) extendens ad quaslibet actiones humanæ necessitatis etiam secretas, & secundum naturam viles, & sordidas: sic D. Thomas, Estius, aliique Interpretes ad hunc Pauli locum. Quidni ergo spectacula, quæ, ut quoddam indifferens, sibi ex Principis proprio munere vel licitum, aut debitum existimabat Philippus Imperator, aut certe ab Ecclesia indultum, non poterat ad Christum, & Ecclesiam referre gratias agens ei, qui sibi præbuit mortali, & fragili ista supplementorum solatia? Ut verbis utar Augustini, Enarrat. in Psal. 146. Sed neque Tertullianus ipse in spectacula aversus id refragari videtur; ait enim lib. de Pœnitentia cap. 4. *Nos non de hominibus modo servitute subnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obsequii, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes usibus nostris a Domino provisas, traditasque*: alludens ad illud Genesis cap. 9. *terror, & tremor vester sit super omnia animantia &c.* ut observat Pamelius in notis ad hunc locum. Sic ergo Philippus bestias, quas pro ludis sæcularibus ad Populi oblectamentum Gladiatoribus in Circo exercendas, & interimendas dedit, eas in contestationem illius dominii, quod uti homo, & Princeps a Deo constitutus super illas accepit, eidem supremo rerum omnium Domino, & Creatori suo referebat, ipsi gratias agens, qui sibi mortali, & fragili, una cum imperio talia præbuit supplementorum solatia.

Difflantur desumpta in contrarium ex Philipporum nummis argumenta.

Neque adhuc objectorum finis; Numismata nobis ex adverso quoad Philipporum conversionem opponuntur, gentilitatem, ut ajunt, redolentia; verum e contra quotquot viderunt Joannes Bollandus, & Godefridus Henschenius, atque illa etiam a Jacobo Bizo edita, nil Idololatricam superstitionem redolens repræsentant. Neque quamvis ex illis quidpiam fortasse gentilitatem redolens proferatur, nos minimum movebit; notum quippe Eruditis est officinatores numismatum, sicuti Epitaphiorum conditores, ac Poetas ad ea, quæ fieri solitum erat, plerumque allusisse, quod & exemplis ipse confirmat Pagius ad an. Christi 147. n. 20. qui hoc ipsum ad an. 208. n. 3. ingenue fatetur, inquiens, *vix credi potest quantum Antiquarii litteris nocuerint, dum Inscriptiones nummorum, & lapidum, quas non percipiebant, corrupere &c.* eumdem etiam vide ad an. Christi 312. n. 22. ubi parum, aut nihil hujusmodi monumentis fidendum esse pronunciat, utpote insciis Imperatoribus, a Gentilibus procusis. Postrema denique objectionum ea est, quam nobis laudatus Ord. Prædic. Scriptor Vinc. Monelia diluendam profert. Ait sub Philippo Imperatore circa ipsius Imperii finem Alexandriæ motam in Christianos persecutionem fuisse, ex quo ipsum Cæsarem iisdem potius infensum infert, quam Christi fidem amplexum; at quantum a vero distet hæc Clarissimi viri deductio, satis superque Dionysius Alexandrinus cognomine Magnus illius Eccl. Episcopus, & oculatus testis ostendit. Verba ejus hæc sunt in Epist. ad Fabium Anthiochenum apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 6. cap. 41. *Nequaquam*, inquit, *ex Imperatoris edicto persecutio cœpta est, quippe quæ integro anno anteverterat: etenim infaustus quidam Vates, & Poeta quisquis ille fuit, commoverat jam antea, atque incitaverat adversus nos Gentilium turbas ...... ab hoc igitur homine stimulati &c.*

Alexandrina in Christianos concitatio inscio Philippo Imperatore secuta.

Quare inscio Philippo, ac penitus ignaro hæc Alexandrina in Christianos concitatio facta est, neque sic excitatam idem Cæsar ullo modo promovit; etenim quoad ipse vixit, qui paulo post Decii gladio necatus occubuit, Ecclesia summa in pace composita, Christifideles plena libertate potiti, impiis Gentilium aris, & simulacris destructis, *omnes in omni loco* (ut scribit Gregorius Nyssenus in vita S. Greg. Thaumaturgi) *in Christi nomine Templa erigebant, & Oratoria*. Longe igitur abest, quod Philippus persecutionem in Christianos Alexandriæ moverit, quin & certo certius sit (ut non diffitetur vel ipse Gravesonus Hist. Eccl. Tom. 1. Coll. 1. edit. Ven. pag. 12.) *Philippum Imperatorem benevolentia sua Christianos dignatum fuisse* Imperii sui tempore. Sed & Decius Philipporum interfector, eorum Christianitatem satis superque ostendit, cum in ipsos bellum, non tantum imperandi libidine, quantum ex Christianæ religionis, quam illi colebant, odio movit. Id innuunt Eusebius tum in Chronico, tum Hist. Eccl. lib. 6. cap. 39. Nicephorus lib. 5. cap. 27. 32. præcipue Orosius lib. 7. cap. 21. ubi de Decio loquens: *Idem*, inquit, *continuo* (*in quo se etiam Philippos interfecisse docuit*) *ad persequendos, interficiendosque Christianos septimus post Neronem feralia dispersit &c.* Geogius Cedrenus: *interfectus est*, ait, *Philippus una cum filio pro Christianis contra Decium pugnans*: His adstipulatur Jornandes de Regn. ac Temp. success. *Decius*, scribit, *occisis Philippis utrisque ..... armisque in Christianos erectis ob Philipporum nominis odium, ipse &c.* Plura adhuc in horum Cæsarum Christianorum gratiam producenda forent; at iis omissis tot, tantorumque testium authoritate, & monumentis nos facile persuasum imus, quod ad Christianam eorumdem Imperatorum causam vindicandam hactenus allata sufficiant, adeout omnis in contrarium obstruatur dubitandi locus, & pro certo tenendum maneat Christianos illorum Principum tempore non solum Ecclesias habuisse, verum etiam *in omni loco nova Templa, & Oratoria erexisse*, uti ex laudato Gregorio Nysseno.

(8) *Si Eusebio credimus*) Quibus adstipulatur Epiphanius in Panario lib. 1. hær. 29. ubi de Esseniis: *atque hæc* (ait Dionysius Petavius in notis ad ejusdem Epiphanii librum hær. 28. pag. 53. n. 5.) *Hieronymi, cæterorumque Patrum opinio fuit, quam Epiphanius secutus est*. Denique concludit non absurdum

Therapeutæ, seu Essæi Theoritici apud Philonem dicti, Christiani erant.

Philonianos illos Therapeutas Essæos Theoriticos dictos, Christianos fuisse; quæ autem adversus ea a Philone tradita magno cum strepitu, ac stomacho disputantur, cum aut levia sint, aut facile dissolvi possint, nihil erit, quod nos vetustissimæ illius opinionis, ac tantorum Patrum authoritatis, & consensionis pœniteat. Ita Petavius. Vide quæ de his ante ipsum eruditissime Serrarius lib. 3. Trihæresii adversus Scaligerum lib. 6. de Emend. Temp., ac Junium scripsit. Huic sententiæ firmiter adhæsere Baronius ad an. 64. n. 12., & Spondanus n. 3. & 4. aliique. Verum his non obstantibus notum hodie in vulgus eruditorum est Eusebium, & Hieronymum a pluribus etiam Catholicis Scriptoribus intemperantioris fortasse critices Eruditis impugnari, qui dictos Philonis Therapeutas Christianos contra veterum sententiam minime fuisse contendunt, inter quos Henricus Valesius in Animadvers. ad Eusebium, Pagius in Critica Baronii ad an. 62., sed hanc antiquorum causam, adversus Valesium maxime, vel ex Heterodoxis nonnulli viriliter egerunt, Beveregius lib. 3. Codicis Canonum vindicati cap. 5. §. 4. apud Cotelerium PP. Apostol. Tom. 2. pag. 152., & nuper Thomas Bruno Anglus peculiari Dissertatione, quam Clementis Romani Epistolis ad Corinthios attexuit Paulus Colomesius. In ea pag. 177. hæc pro Hieroymo disserit: *De his Essenis scio agitari multa apud multos, quos certum est non posse esse adeo æquos rerum æstimatores, ac Eusebius, & Hieronymus fuerunt, qui nullo partium studio poterant abripi, cum nullæ partes essent.* Quibus subscribit Ernestus Tenzelius ad Hieronymi librum de Script. Eccles. in Philone. Hanc porro integram Brunonis Dissertationem refert Laurentius Cozza, postmodum S. R. E. Card. in suis Vindiciis Areopagiticis pag. 423. Hæc qui consideraverit, mirabitur Valesium, Pagium, aliosque nonnullos, etsi eruditissimos viros, ita adversus Eusebium, ac Hieronymum pronunciasse. Utinam publici juris fuisset doctissima Schelestratii Dissertatio contra Reprehensores Eusebii, quam apud se retinebat clarissimus vir Franciscus Bencinus, fortasse hac de re aliter de Eusebio sensissent.

Hanc sententiam de Therapeutarum Christianitate vel ex heterodoxis nonnulli propugnant.

Clar. Henrici Valesii exceptionibus in contrarium adductis respondetur. Objectio I.

Sed ut non solum authoritate, verum etiam rationibus hanc de Therapeutis Philonianis sententiam, quod nempe Christiani fuerint, obfirmemus, præstat doctissimi Valesii, quem Pagius, aliique recentiores secuti sunt, exceptionibus in contrarium deductis respondere. Et quidem opponit primo, quod libros quosdam antiquos suæ religionis, ac sectæ evolvisse referat Philo, & ex eodem Eusebius loco a Card. indicato cap. 16. ubi hæc de iisdem Therapeutis habet: *Extant etiam apud illos*, inquit, *Commentarii veterum quorumdam hominum, qui illorum sectæ, & religionis authores, ac duces fuerunt, quique complura monumenta de ea specie, & ratione doctrinæ, quæ in allegoriis cernitur, post se reliquerunt; quibus quidem tamquam exemplaribus utentes, & professionis illius, & instituti modum sedulo imitantur.* Quod certe (ait Valesius) de Christianis Alexandriæ a S. Marco institutis, quos viderat Philo, dici non potest, cum nulli tunc de Christiana Religione libri conscripti essent. At Clar. Scriptor nimium fortasse criticus in Eusebium, quem tamen eleganter adornavit, observare poterat libros, quos in Therapeutarum manibus continuo versatos fuisse scribit Philo, non alios extitisse quam libros Prophetarum Christum, Christianæque Religionis mysteria prænuntiantium; Evangelium item ab ipso S. Marco conscriptum, aliaque fortasse reliquorum Evangelistarum, & quasdam Apostolorum Epistolas, id namque expresse tradit Eusebius: *Per illos autem veterum commentarios*, inquit, *quos ait apud se reservatos esse, probabile est eum Philonem Evangelia, Apostolorum scripta, & expositiones quasdam veterum, ut videtur, Prophetarum mysteria aperientes intellexisse, quales quidem tum Epistola Pauli ad Hebræos, tum aliæ complures ejusdem complectuntur*: neque obstat quod Eusebius *probabile* esse hoc loco dicat; etenim paulo post idem firmat his verbis: *Quod si ea, quæ dicta sunt, cuiquam videantur illius vivendi rationis, quæ ex Evangelio instituitur, non esse propria, sed posse aliis, præter eos, quos commemoravimus, convenire, illis saltem vocibus, quas idem Author postea recenset, tandem sit persuasus ex quibus (modo æquus rerum æstimator sit) testimonium de ista re certum, & indubitatum accipiet; sic enim scribit &c.* ac deinde prosequitur dictorum narrans Therapeutarum vigilias, jejunia, psalmodias, aliaque eorum pia opera, divinæque Religionis exercitia, quibus profecto illos non alios, quam Christianos homines fuisse procul dubio asseverandum est; quare sic concludit Eusebius: *Ista Philonis tam perspicua, tamque rata testimonia de nostræ religionis viris solum tradita esse pro certo arbitramur.*

Objectio II.

Opponit item Valesius, quod Philo illos, de quibus loquitur, Therapeutas dictos, hymnos Deo cecinisse testetur, qui tamen nulli tunc erant compositi, nec ante quartum sæculum in Ecclesia cani cœperunt: præterea eosdem Ascetas solitos bis in die, mane scilicet, ac sub vesperam Deum precari, cum tamen Christiani aliis etiam diei horis, videlicet tertia, sexta, & nona preces Deo funderent. Sed antequam juste respondeamus eruditissimo viro, distincte audiatur quid scribat Philo: *Hymnos*, inquit, *canunt in Dei laudem, vel recens a se factos, vel pridem ab aliquo priscorum vatum, qui carmina, & cantica multa ipsis reliquerunt trimetri generis; prosodias item & hymnos varios, qui ad libamina, ad aram, in stationibus quoque, & choris concinuntur, diversis, quæ in choro fiunt, conversionum vicibus eleganter commensurati. Peracta cœna, subdunt vigilias, in quibus pernoctare solent, & cantare hoc modo. Confestim surgunt omnes ex utraque parte convivium quoddam celebraturi, & primum fiunt chori duo, virorum unus, alter mulierum, in utroque suus eligitur dux, & præcentor, qui simul, & personæ dignitate, & arte musicæ antecellit; deinde hymnos canunt in Deum metris, & modulationibus multis compositos, nunc junctis vocibus simul resonantes, nunc sibi invicem congrue respondentes*: Hæc Philo Judæorum disertissimus, & uno Platone minor, ex Card. nostri testimonio de div. Psalm. cap. 1. §. 3. n. 3. Vides inde ex integro Philonis textu hymnos,

de quibus Alexandrinus iste Hebræorum Scriptor ait, quosque Therapeutæ canebant, dissimiles illis fuisse, qui in Ecclesia post sæculum quartum, ut Valesius autumat, ad horas canonicas recitantur, sed hymnorum nomine laudes quascumque divinas intellexit, quo sensu vocabulum istud a veteribus usurpabatur. Sic inde Apostolus ad Ephesios cap. 5. scribit: *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes &c.* quod & ad Colofs. repetit cap. 3. Dionysius Areopagita Epistola ad Demophilum laudat S. Carpum, quod soleret circa mediam noctem ad divinos hymnos evigilare, & libro de Ecclesiastica Hierarchia passim meminit hymnologiæ, & canticorum. S. Justinus Martyr Epistola ad Zenam, & Serenum, atque initio Dialogi cum Triphone Judæo hymnos, & laudes divinas Christianorum, eorumque vigilias in iis decantandis commemorat, item Tertullianus Apologet.cap.39. *Quisquis*, inquit, *prout de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere*.

Atque ut etiam ex iis, qui foris sunt, Ethnicis Scriptoribus testimonia sumamus, Lucianus Samosatenus cognomento Atheus, secta Epicuræus in Philopatre, postquam ore sacrilego Christi Religionem impudentissime derisit, Christianos in fine conviciatur ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes. Plinius item secundus lib. 10. epist. 97. ad Trajanum Imperatorem scribens de Christianis, ait ipsos ante lucem convenire solitos, carmenque Christo tamquam Deo canere secum invicem. Ammianus quoque Marcellinus Hist. lib. 28. in fine Christianorum in Ecclesia pernoctationes, & cantus indicat. Quo vero ad psallendi tempus bis in die a Therapeutis observatum, Philo quidem præcipua, quibus illi ad hymnodiam, & orationem convenirent, tempora sibi adnotanda constituit; at reliquas precandi horas ab ipsis frequentatas non negat: certe in ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis sacras horas, quibus Christiani ad divinas laudes persolvendas colligerentur, denotat Clementis Romani nomine Author Constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 34., ubi orandum esse præcipit mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, & ad galli cantum. In Monasterio S. Heleni Episcopi, cui sæculo secundo præfuit Theodorus, eique successit Eugenia, quæ ibidem in habitu virili mentita sexum, Monachum agebat, inter hujus virtutes Author vitæ ejus apud Heribertum Rosveidum de Vitis Patrum lib. 1. hæc habet: *Tertiæ, sextæ, nonæ, vespertinis, vel nocturnis, atque matutinis horis tam cautissime insistebat, ut videretur jam periisse Deo, si horarum vel quidpiam spatii absque divinis laudibus aliqua præterisset*: Tertullianus memoratus lib. 2. ad Uxorem, & lib. de jejuniis horam tertiam, sextam, nonam, & vespertinam, earumque rationem eleganter explanat. Clemens Alexandrinus secundi pariter sæculi Scriptor Stromatum libro 7. tertiæ, sextæ, ac nonæ horarum meminit. Mitto alios veteres Patres, quorum in hanc rem comprobandam longum agmen ducit Cardinalis noster de Div. Psalm. cap. 1. §. 4. n. 1. & seqq.

His tamen non obstantibus adhuc nonnulli Magdeburgensibus Centuriatoribus aures præbentes potius, quam Eusebio, Hieronymo locis a Cardin. indicatis, item Epiphanio Hær. 2. nu. 5. Sozomeno lib. 1. cap. 12. Cassiano de Cœnobiorum Instit. lib. 2. cap. 5. Venerabili Bedæ in Prologo Commentarii in Evang. S. Marci, aliisque, qui Philonem per Therapeutas in Alexandriæ finibus commorantes non alios, quam Christianos intellexisse affirmant, adhuc, inquam, objiciunt id verisimile non esse, eo quod idem Philo istos cum mulieribus habitasse scribat, quod sane, ajunt, alienum est a moribus priorum Christifidelium, qui primis sæculis vitam asceticam profitentes, mundo, ejusque deliciis abrenunciantes, consortia mulierum, quibus hac in strictiori Religionis observantia nihil periculosius, nihil damnosius est, sedulo vitabant; quare credendum non esse dicunt hos Therapeutas a Philone descriptos Christianos fuisse. At hæc, sicut & cæteræ memoratæ exceptiones, nullo negotio facillime diluitur; etenim quamvis Philo fuerit religione Judæus, poterat utique oculatus testis, & ex rei veritate tamquam fidelis, & accuratus Historicus Christianorum sui temporis mores, quos apud Alexandriam viderat, sub Marci Evangelistæ magisterio degentes describere, eosque, sicut expressit Eusebius, laudare, atque sententia, & opinione sua plurimum approbare. Neque id alicui delicatulo creditu difficile videatur: numquid enim Josephus non fuit Judæus, atque ex eodem genere sacerdotali, quo Philo? & tamen ipse Antiquitatum Judaicarum lib. 18. cap. 4. vitam, miracula, & resurrectionem Christi Domini, ac Salvatoris nostri egregio commendat testimonio, cui derogare fidem qui fortasse meditetur, respondeat primum, si valet, argumentis, quæ in hujus textus veritatem comprobandam profert ipse heterodoxus licet, Guillelmus Cave Hist. litter. script. Eccl. Parte 2. in Josepho. *Objectio III.*

Quod vero Therapeutæ prædicti cum mulieribus ejusdem instituti procul a mundanis negotiis habitarent, non inde ullo pacto evinci potest illos haud fuisse Christianos, qui vitam asceticam in solitudine profiterentur, quia sicut Apostolorum temporibus Christiani omnes vitam asceticam in societate peragebant (inquit Clar. Ignatius Hiac. Gravesonius Hist. Eccl. Tom. I. edit. Ven. pag. 26.) quamvis bene multi ex illis suas haberent uxores; ita in primo Ecclesiæ sæculo fuerunt Christifideles, qui eamdem vitæ perfectionem in solitudine, ubi major est animi tranquillitas, & fuga mundi una cum suis uxoribus, quæ sponte idem amplectebantur institutum, peragebant: nec enim, opinor, in ullius mentem veniet matrimonium a Christo Domino institutum vitæ asceticæ oppositum esse, cum multa exempla virorum, & mulierum, quæ in Christiano matrimonio sanctissime vixerunt, Historia Ecclesiastica suppeditet. Vita autem ascetica, quam Therapeutæ agebant in solitudine, perfectior ea erat, quam Christiani Apostolorum temporibus in societate, & in suis ædibus ducebant, illi siquidem, qui asceticam vitam sic in commune profitebantur, in iisdem

iisdem ædibus cum suis uxoribus permanebant, & ab usu matrimonii non abstinebant; Therapeutæ vero, quamvis in eadem solitudine cum suis uxoribus degerent, nihil tamen commercii cum illis ex mutuo consensu habebant, sed seorsim ab illis in sacris ædiculis habitabant, dumque teste Philone singulis diebus Dominicis mulieres ad eamdem Ecclesiam una cum viris conveniebant, specialem occupabant locum a virorum loco sejunctum, interpositis videlicet parietibus, qui a solo surgebant tribus, quatuorve cubitis, seu tabularis similibus, ita tamen ut superiora usque ad tectum paterent. Sic itaque scribit Philo: *Commune*, inquit, *Semnæum* (idest augustum templum, exponit Eusebius) *in quod septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum, & mulierum cœtibus; nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxat quæ institutum idem sectantur. Medius autem paries a solo surgit tribus, quatuorve cubitis in modum loriculæ, superiora usque ad tectum patent, unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei sexus consulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile absque ullis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant.* Quæ cum ita sint, atque istis argumentis quid in contrarium reponi possit, ignorem; hinc contineri non valeo, quin cum Natali Alexandro Hist. Eccl. sec. 1. dissert. 22. in resp. ad object. 3. succenseam viris alioquin clarissimis, & eruditis, qui dictos Therapeutas, de quibus loquitur Philo, vel nusquam extitisse asserunt, vel Christianos non fuisse, cum veteribus laudatis Scriptoribus Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, aliisque id ex Philonis testimonio tamquam certissimum habitum fuerit, memoratos Sancti Marci discipulos, utpote Christianos, publicam Ecclesiam, in qua convenirent, seu *commune Semnæum*, uti eam vocat Philo, habuisse, quo in loco orarent, Dei verbum audirent, Synaxes agerent, & Eucharistiam sumerent dicti Christifideles. Neque his refragatur nuperus eruditissimus Scriptor Augustinus Calmet Tom. 2. Dissertationum, Dissert. de Pharisæis, Sadducæis &c. art. 3. pag. 92. edit. Lucen. quam sic claudit his verbis, de Esseniis loquens: *Post Christi Ascensionem plures Esseniorum villas fidei manus tradidisse non inviti censemus, nihilque mihi probabilissimum apparet in ea Patrum sententia, quæ Therapeutas primam Ægypti Christianitatem constituisse arbitratur. Profecto ad eorum normam prima in Ecclesia Cœnobia constituta sunt, & inter Ægypti Fideles plura etiam spectantur vestigia veteris Esseniorum disciplinæ.* Atque hæc satis ad confirmandam Cardinalis nostri sententiam, priscis Christianæ Fidei cultoribus, & ipso Apostolorum ævo loca Deo dicata, sacras ædes, sive Oratoria nuncupata extitisse. Sed de hac re iterum infra.

Ex prædictis responsionibus ad objectiones plenissime consequitur Therapeutas Alexandrinos, utpote Christianos, publicam Ecclesiam habuisse.

(9) *Compositioni gratulari voluerit*) Ita Guillelmus Cave in sua Hist. litter., ubi de Luciano, aliique nonnulli Scriptorum veterum Nomenclatores. Quidquid autem sit de hoc impio sub nomine Luciani opere, an eidem, vel alteri coævo Epicuræo, Atheoque Scriptori adscribi debeat, certum est momum hunc, & blasphemum Christianorum subsannatorem secundo Ecclesiæ sæculo, circa Trajani tempora vixisse, atque ex ipsius sannis complura nihilominus ad veritatem catholicam, priscamque Ecclesiæ disciplinam, veterumque priorum Fidelium mores spectantia colligi, quibus novatorum nostri temporis contumax, & incorrecta malitia retunditur. Primum itaque legimus apud Scurram istum, irrisorie licet, Catholicam tamen de Trinitate fidem expressam; *cum enim ille* (Critias) *rogaret dicens: quemnam igitur tibi jurabo? Ad eum Triephon: Deum alte regnantem magnum, æthereum, atque æternum, filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria; hæc tu Jovem puta, hunc tu existima, Deum.* Hinc quia ita ibi legimus, optime inferimus ex Gerronis istius verbis primos illos Christianæ Fidei pugiles eadem nobiscum de augustissima Triade sensisse; præterea non multo post subdit: *Quando me Galilæus ille convenit recalvaster, naso aquilo, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus est, quæque optima, & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.* Ex quibus item verbis per derisorem istum, in Gentium Doctorem maximum Sanctum Paulum intortis, habemus aperte indicatas imagines Sanctorum, easque in antiqua Ecclesia, uti & nunc, sacro usui, ac venerationi adhibitas fuisse dignoscimus; unde enim impius nugator iste, nisi ex aliqua, sive sculpta, sive depicta imagine, quam viderit, cum inter Christianos versaretur, inde effigiem Apostoli animo expressam referre potuit?

Ex Luciano, licet Atheo, plura ad Catholicam fidem, ac veteris Ecclesiæ disciplinam spectantia colliguntur.

Et primo mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

2. Sanctorum imagines honoratas.

Docet præterea locus iste veteris Ecclesiæ sensum de renovatione, & sanctificatione hominis per Baptismi Sacramentum. Locus item illustris est in Dial. de morte Peregrini, ex quo perspicitur quanta cura primi Christiani misericordiæ operibus, præsertim circa Martyres designatos, insisterent, quam curam vix alibi uspiam apud nostros magis expressam habemus, quam apud hunc Nebulonem, a quo ista effuse deridetur; sed hoc nobis joci ejus, & sales profuerunt, ut a ridente praxim antiquæ Ecclesiæ sanctissimam, & omni studio imitandam disceremus. Sed ad Christianorum Ecclesiam, quam Ethnicus iste describit, redeamus. Prius quam ad scalas deveniret, ferreas portas, & ærea limina narrat pertransisse. Non solum apud Gentiles in eorum Templis, sed & apud Christianos in vestibulo Ecclesiarum æreæ portæ statuebantur, ut aditus ipse ingredientibus religionem quamdam, ac pium terrorem ingereret, atque in memoriam revocaret ejus Numinis majestatem; cui locus sacris obeundis dicatus erat, & demum ærei liminis arcta custodia loci ipsius venerandam sanctitatem innueret. Dein superatis scalis ipsam Ecclesiam ingressus insignem aurato fastigio, & qualem Menelai Homerus finxit Odyss. 4., se conspexisse inquit. Inde mirari licet munificentiam, ingentemque in res divinas, cum adhuc angustæ essent Christianorum fortes, liberalitatem, qua proxime post Apostolorum tempora in ornandis, excolendisque locis sacris primi illi

3. Sanctificationem hominis per baptismum.

Denique veterum Ecclesiarum structuram, & ornatum.

Fide-

Fideles adeo large pecunias erogabant, ut Dei ædes cœlo pares redderent, non secus ac de Domitiani aula scribit Martialis lib. 8. Epigr. 36. Hanc autem magnificentiam in Sanctas Dei Ecclesias auro; aliisque metallis, ac pretiosis cultibus exornandas posteriorum temporum Fideles imitati sint, ut infra suis locis dicetur.

(10) *Cum enim Christiani locum quemdam*) Hunc locum, quem sibi Christiani vindicabant, inquit Basnagius Annal. Polit. Eccl. Tom. 2. pag. 291. ad an. 225. „ aream esse, in qua „ erigeretur Ecclesia, creditum Baronio ad an. „ 57. nu.102., & ex eodem Eminentissimo „ Bonæ; nostro tamen judicio de ædificio po„ tius, quam area capiendus est Lampridius: „ quippe jure postliminii hunc sibi locum vin„ dicare Christiani videbantur, cum in alie„ na bona non invaderent; sacra igitur jam „ sua in eo loco consecerant, non tamen sub „ Jove frigido. Tum ut Popinarii eum sibi „ locum deberi jure contenderent, necesse „ fuit eos aliquandiu ejus possessionem occu„ passe. Domus ergo fuerat, quæ Popinis „ inservierat. Fruatur quisque judicio suo. „ Putat Blondellus Apol. 229. ædificium fuisse: „ *quod exinde Callixti, & Julii titulum, sive* „ *S. Mariæ trans Tyberim vocavit posteritas*.

Ex Basnagio confutantur qui tribus primis Ecclesiæ seculis Ecclesias Christianis fuisse negant.

Hæc Basnagius: cui licet Heterodoxo hæc in parte non inviti assentimur, cum ex hujus Sectarii apud gregales suos magnæ æstimationis viri testimonio confutentur eorum nonnulli, inter quos Jo. Henricus Ottius, qui in suo Examine Annal. Bar. Tom. I. tribus primis Ecclesiæ sæculis Christianos sine sacris Templis degisse falso affirmat. Ipsi tamen Basnagio, qui etsi contra Polydorum Virgilium, & suos Hospinianum, & Blondellum mox citatum, negantes circa an. 200. Templum aliquod Christianis esse publice ædificatum, recte ostendat ad an. 213. 0. 4. Tom. 2. pag. 268., ex Clemente Alexandrino, Tertulliano, aliisque illius sæculi Scriptoribus eosdem Christianos, sæculo secundo exeunte Ecclesias aliquot habuisse imperante Commodo extructas, atque fundatas, certo videlicet publicoque ædificio, quod cultui divino dicatum esset, ac consecratum. Ipsi, inquam, nullo modo assendri possumus, aut debemus in eo, quod paulo ante num. 2. nimia confidentia affirmat, primo scilicet labeote sæculo Christianis nullas fuisse Ecclesias, cum ex supradictis contrarium evidenter demonstretur ab Eminentissimo Authore, & nobis, videlicet ab Apostolorum temporibus primis Fidelibus sive Oratoria, sive Ecclesias fuisse, in quibus ad Sacram Synaxim populus conveniret, tum ex Apostolo Paulo I. ad Corinth. cap. II. ex Liturgia Jacobi, ubi Ecclesiæ Montis Sion fit mentio, tum ex Evodio, & Hippolyto Thebano, tum ex vetustissimo Hieronymi Martyrologio; tum etiam ex ipsis Actis S. Justini Mart., quæ idem Basnagius profert pag. antecedente locum citatum; etenim Sancti Martyris verba illa, quibus interroganti Rustico Præfecto respondit: *Ego prope domum cujusdam Martini ad Balneum Timothinum hactenus mansi. Veni in Urbem Romam secundo, neque alium quempiam locum, nisi, quem dixi, cognosco*: non subobscure indicant Ecclesiam, seu Titulum Pastoris, de quo nos nota præcedente aliquid diximus; siquidem Timothinas Thermas easdem, & Novati dictas reperiri, positas a Sexto Rufo, & Publio Victore in viminali observat Baronius V. ad an. 165. n. 3., cum Timotheus, & Novatus fratres germani essent, & Pudentis Senatoris filii, earumdem autem Thermarum vestigia superque Pastoris titulum præfatum erectum permanere, adeuntibus Ecclesiam S. Pudentianæ nuncupatam constat, in qua majorum firma traditione præscriptum esse, ait idem Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die 19. Maii, domum Pudentis sitam, eamque primum hospitium S. Petri Apostolorum Principis fuisse, illicque primum Christianos convenisse, vetustissimumque omnium Titulum Pudentis nomine appellatum, qui item & Pastoris nomine dictus reperitur, pluribus cum Baronio probant Florentinius, & Ciampinus supracitati, aliique plures.

Et contra ipsum primo Ecclesiæ seculo suas Ædes sacras Christianis extitisse demonstratur.

At inquit Basnagius: *privatorum quidem in domibus Christiani cogebantur, audiendis concionibus, celebrandæque Eucharistiæ, primo tamen labente sæculo nullas eisdem Ecclesias fuisse, nobis est persuasum*. Hæc ille quasi ex tripode pronuncians. Verum esto, quod primi Fideles nulla publica ædificia omnibus nota, in quibus convenirent, habentes, in privatis tantum domibus ad sacra facienda cogerentur, an propterea domus, aut ædes, in quibus congregabantur, quæcumque illæ fuerint, vere, & proprie non erant Ecclesiæ? an ideo ita dici, & appellari non poterant, quia Christianis tantum, & non omnibus etiam Gentilibus publice notæ? An idcirco eæ ædes Deo sacræ, domus Dei dici non poterant, quia privatæ tantum, & non publicæ erant? Quis umquam gentium, cui sanum sinciput, hoc dicet? An Marci, seu Joannis domus Hierosolymis, in qua ipse Dominus noster Jesus Christus Pascha cum Discipulis suis celebravit, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, in qua iisdem post resurrectionem apparuit, & Spiritus Sanctus illapsus est, vere Ecclesia non fuit, aut dici poterat, cum hanc ipsam Ecclesiarum Matrem vocet Hippolitus Thebanus supracitatus, nullamque aliam fortasse sanctiorem invenies? Quæ quidem domus etsi privata, ac primum Marci propria, postmodum ex quo ille factus fuit Christi discipulus, & ex eorum numero, quorum erant omnia communia, sacris exinde faciendis in communem hujusmodi Fidelium usum cessit, adeoque ab Antiquis Ecclesiæ nomine, & Ecclesiarum Matris nuncupatione merito donata est, quemadmodum & Apostolus Paulus ad Corinth. cap. 11. 18., ac cap. 14. 34. 35., eam ædem, in qua Corinthi Fideles conveniebant, Ecclesiam vocat.

Iterum & tertio confutatur Basnagius.

His non obstantibus adhuc in sua perstans opinione Basnagius „ etsi non ignoremus, in„ quit, eruditorum nonnullos in verbis Pauli „ Ecclesiam quæsivisse: „ *num domos non habetis* „ *ad manducandum, & bibendum? aut Eccle*„ *siam Dei contemnitis*? Quasi hic instituere„ tur loci ad locum, privatæ ædis ad publi„ cam oppositio. Si verum placet, Ecclesia

„ non

„ non ædem, locumve eo loci significat, sed „ conventum ipsum Christianorum. Præoc- „ cupata cœna non parietes quidem, sed pau- „ peres in contemptum abducti fuerant, quos „ utut ab injuria prohiberet, egregio titulo „ donat *Ecclesiæ Dei*. Neque id moris est „ novo Testamento, ut phrasi *Ecclesiæ Dei* „ loci alicujus significationem imprimat, in- „ dicat perpetuo Fidelium societatem. Exem- „ pla sunt Act. 19. 29. 1. Cor. 1. 2. cap. 10. 32. Hæc ille, qui si ad superius allata ab Eminentissimo Authore SS. Cyrilli Alexandrini, Basilii, & Augustini in contrarium testimonia, in hanc rem clarissima attendisset, non ita fortasse contra communem hujus loci Paulini Interpretum sensum effutiisset; siquidem nullus video quomodo aliter de conventu Fidelium, non de sacro Ecclesiæ loco, ea Pauli verba ibid. vers. 18. *convenientibus vobis in Ecclesiam*, ipse intelligi debere affirmet, cum privatis uniuscujusque domibus Ecclesiam opponens Apostolus dicat: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Igitur Ecclesia a Fidelium domibus distincta erat. Et post pauca: *si quis esurit, domi manducet*: idest non in Ecclesia. Quod & confirmans infra cap. 14. v. 34. 35. *Mulieres*, inquit, *in Ecclesiis taceant, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et paulo ante vers. 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia*. Denique cap. 16. *Salutant vos*, inquit, *in Domino multum Aquila, & Priscilla cum domestica sua Ecclesia*, quibus etiam ad Romanos scribens Paulus cap. 16. salutem nomine suo dici jubet his verbis: *Salutate Priscam, & Aquilam...... & domesticam Ecclesiam eorum*: quænam autem domestica Ecclesia est, nisi domus, quam conventibus sacris Christianorum habendis Prisca, & Aquila concesserant, & quam Apostolus in Domini Ecclesiam consecraverat? Ad hæc inquit Theophylactus Comment. in Epistolas Pauli: *Observa autem ipsorum virtutem, quoniam domum suam Ecclesiam fecerint, collectionem Fidelium in ea facientes.*

Memorata Pauli verba ad Corinth. non de conventu fidelium, sed de ipso sacro Ecclesiæ loco interpretantur Patres.

Non diffitemur tamen in Scripturis Sanctis Ecclesiæ nomine quandoque fidelis populi conventum designari, at id semper, & perpetuo Christianorum societatem indicare, uti contendit Basnagius, ex dictis constanter negamus. Novo Testamento in hunc sensum consonat & vetus, ubi Ecclesiæ nomine plerumque significatur locus ipse, non conventus Fidelium, sic Deuteron. cap. 23. 1. 2. 3., & alibi pluries in sacris antiqui fœderis libris, ne omnes percurram, præcipue Judicum libro cap. 20. *Cunctæ Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt*, & Judith 6. 21. *postea convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt*. Facessat igitur Basnagius, & primos Christifideles vere suas non habuisse Ecclesias, etsi intra privatas domos, numquam nobis obtrudet. Neque aliquid urget in contrarium illa sua Paulini textus interpretatio, qua dicit „ præoccu- „ pata cœna non parietes quidem, sed paupe- „ res in contemptum abducti fuerant; etenim Paulus optime distinguens Christianorum domos a Domo Dei, seu Ecclesia, atque ab eadem, & illis pauperes, clare se explicat, alloquens divites, & dicens, *numquid domos non habetis &c., aut Ecclesiam Dei contemnitis*, idest Domum Dei vestris commessationibus, & ebrietatibus profanatis, etenim ante dixerat: *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*: an fortasse negabit Basnagius hisce publicis excessibus Ecclesiam profanari? *& confunditis eos, qui non habent*, scilicet pauperes, qui neque domos, neque cibos ad manducandum habent. Vides igitur ex Pauli sensu contemptum per divites Corinthios, quorum quisque suam cœnam præsumebat ad manducandum, Ecclesiæ Dei, idest sacræ ipsius domui adductum, non pauperibus, quos esurientes, nec cibum habentes ipsi copiosis suis epulis confundebant. Ita hunc Apostoli textum, ut dictum est, Sancti Patres, sacrique Interpretes communiter explicant, & præter superius a Purpurato nostro productos testes Cyrillum, Basilium, & Augustinum, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, aliique eodem sensu dictum Pauli locum exponunt.

Licet autem in scripturis quandoque Ecclesiæ nomine Populi conventus designetur; id non semper, uti audacter contendit Basnagius.

Quod si pro Ecclesiis, quas primis Christifidelibus fuisse negat Basnagius, sumptuosas ædes intelligit a privatis domibus distinctas, in quibus quemadmodum Judæi in Templo, ipsi palam, & publice in his Deum adorarent, id utique & nos affirmamus, caruisse scilicet Christianos crebris persecutionibus agitatos Templis illis instar fanorum Gentilium, vel Templi Judaici; temporum quippe ratio id minus fieri posse compellebat, cum clanculum sæpius, sive in privatis domibus, sive interdum in cryptis, ut docent sincera Sanctorum Martyrum Acta, eos oportuit adunari, quibus cessantibus habuisse eos loca publica, quo æque omnes convenirent, citata supra, atque etiam mox citanda Principum rescripta testantur: quæ tamen non dicebantur Templa, sed more majorum, & Pauli exemplo nominabantur Ecclesiæ, tunc instar domorum potius, quam Templorum. Imo vero Templa ipsa, seu Ecclesiæ inde Domus Dei appellatæ fuerunt, quod ab initio loca, in quibus Deus a Christianis colebatur, domus erant privatæ, quæ sacris servatis ritibus Domus Dei fiebant. Atque hæc pro Apostolicis Christianorum primi sæculi Ecclesiis.

Qui si pro Ecclesiis intelligit sumptuosas Ædes a privatis distinctas, non diffitemur.

Cum primo Ecclesiæ seculo illæ ad instar domorum, & privatæ fuissent.

Principio secundi sæculi prosequitur Basnagius, nullas Christianis Ecclesias adhuc fuisse „ ex Plinii ad Trajanum Epistola conjectu- „ ram facimus, ubi de antelucanis Christia- „ norum cœtibus; quod si Ecclesiæ palam „ extructæ fuissent, antelucanos conventus „ colendo Deo non celebrassent, sed com- „ modiores, diurnos scilicet agitassent. Hæc ille; at mira profecto dormitantis conjectura, qua fortasse subtiliorem neque Vigilantius ipse apud Hieronymum somniasset; an id nobis argumento erit nullas fuisse Christianis Ecclesias ex eo, quod antelucanos conventus celebrassent, cum vigiliæ nocturnæ, ut infra lib. 2. cap. 1. n. 4. usque ad sæculum XIII. in Ecclesia perduraverint, quæ ex obortis abusibus postea sublatæ fuere? Apage nugas viro erudito indignas. Aliud ex Justini Actis

Quoad Christianorum Ecclesias secundi seculi denuo confutatur Basnagius, & ex se ipso.

Actis profert documentum, sed jam supra a nobis explosum. Denique concludit: „ certissimis veterum in monumentis ab ineunte sæculo secundo ad annum usque 65. nullum Dominici, sive Ecclesiæ, ne pertenue quidem vestigium est „ Ita ne ista audacter enunciat Basnagius? Debuerat ipse meminisse, quæ non multo ante ad an. 126. n. 3. scripserat ex Eusebio lib. 3. Hist. Eccl. cap. 37. de Quadrato Apostolorum Discipulo, ait ibi: „ *Eadem tempestate floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus prophetica gratia illustris fuisse memoratur. Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt inter Apostolorum Successores principem obtinentes locum, qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane, & divini Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt, prædicationem Evangelii magis, ac magis promoventes &c.* Notanda sunt illa verba: *Ecclesiarum fundamenta &c. additis ædificiis extruxerunt &c.* Ex quibus duo colligimus, & Ecclesias ab Apostolis fundatas, & additis ædificiis ab eorum Discipulis auctas, quæ profecto non de Conventibus Fidelium, sed vere, & proprie de sacris Dei domibus, & Templis intelligi debere, quis non videt?

Alia proferuntur testimonia Ecclesiarum secundi seculi.

Si autem Basnagio ne pertenue quidem istud Ecclesiæ vestigium adhuc videtur, quo clarius ab Eusebio describi non poterat, aliud ad ejus duritiem emolliendam afferimus ejusdem tempestatis, sæculi secundi scilicet initio, circa an. 120., quo etiam Quadratus floruit. Sanctus Epiphanius lib. de Ponderibus, & Mensuris apud Petavium nu. XIV., ubi de Adriani Imp. in Palestinam adventu post Hierosolymorum excidium agit, hæc de eadem Urbe habet: *Hanc ille solo æquatam, Templum ipsum destructum, ac proculcatum reperit, paucis ædibus exceptis, ac parva quadam Christianorum Ecclesia, quæ in eo loco constituta fuerat, in quem Discipuli, posteaquam Salvator in Cælum ex Oliveti monte subvectus est, sese recipientes cœnaculum conscenderunt. Erat illa quadam in Sionis parte constructa, quæ civitati superfuerat &c.* Ita Epiphanius, cujus licet authoritati infirmandæ nonnulla objiciat Scaliger in suis Animadversionibus, ea tamen omnia solide, & invicte diluit Dion. Petavius in notis ad hunc Epiphanii locum. Præterquam quod ejusdem Ecclesiæ meminit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 16. Aliud Ecclesiæ monumentum legitur in Passione S. Mariæ Martyris an. 140. apud Baluzium Miscell. Tom. 2. pag. 125., ubi Gentiles ad Fidem conversi strati Ecclesiæ solo dicuntur. His omnibus addo Tertullianum antiquissimum, & secundi labentis sæculi Scriptorem, qui libro de Pudicitia, quem Montanista factus adversus Psychicos, ideſt Catholicos (quos per contemptum animales pristinæ fidei desertor vocitabat) scripsit, ac propterea hauriamus hoc loci *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos*: ille itaque ibi cap. 4. de gravissimorum scelerum reis agens, *hos*, ait, *non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus*: quid hoc testimonio clarius? Si enim Christiani tunc Ecclesiam, seu ædem sacram, locum scilicet peculiarem divino cultui destinatum, ipsisque omnibus notum, & accessum non habuissent, a quo *Ecclesiæ limine, aut tecto* dictos enormium criminum reos submovebant? Jamque satis superque probatum arbitror primos Evangelicæ veritatis satores, & alumnos prioribus duobus sæculis Ecclesias, & quidem ipsis publicas habuisse, nec illarum nomine Fidelium solam congregationem venire, sed etiam ædificia sacra divinis devota: sed de hac re iterum infra contra Basnagium.

§. II.

De Templorum, seu Ecclesiarum usu, & origine.

QUamvis autem ex communi usu nullum ponatur discrimen inter Templum, & Ecclesiam, primis tamen sæculis Templi nomine non utebantur Christiani, sed Ecclesiæ (1). Templa enim tunc vocabantur ingentia ædificia, in quibus animalia idolis immolabantur. Hinc Beatus Hieronymus Epist. ad Riparium adv. Vigilantium: *Mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula dormitantius somniaret, imo eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Hinc etiam Valerianus Imperator, teste Flavio Vopisco, ad Senatum scripsit: *Miror vos, Patres sancti, tandiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in templo omnium Deorum tractaretis.* (1)

Rationes cur templi nomen non usurparent primitivæ Ecclesiæ Patres.

Templi vero nomen primitivæ Ecclesiæ Patres idcirco non usurpabant, ut non solum a ritibus Ethnicorum, sed etiam a vocabulis se abhorrere indicarent. Atque ideo Gentiles illud identidem inculcabant, nulla esse Christianis Templa, sectam esse irreligiosam, & quæ nullum coleret Deum, ut testantur illorum temporum Scriptores, Arnobius *lib. 6. contra Gentes*, Minutius Felix *in Octavio*, Lactantius *lib. 6. divin. instit.* cap.

cap. 2. Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *ſtrom.* Origenes *lib.* 8. *contra Celſum*: qui omnes reſpondebant, nulla Chriſtianis eſſe Templa, qualia apud nationes erant, ſublimibus elata faſtigiis, quibus putarent divinitatem concludi: nullas habere aras ad oſtentationem extructas: nullas immolare victimas, neque thus adolere: Deum iſtis non indigere, nec habitare in templis manufactis, ut Paulus dixit *Actuum* 17. diſputans cum Athenienſibus, impium eſſe Numinis Majeſtatem unius ædiculæ anguſtiis circumſcribere, cum homines latius habitent: in noſtra mente Templum illi dedicandum eſſe, in noſtro pectore conſecrandum. Sic loquitur Minutius Felix, ſic Origenes, ſic Lactantius. Hujus autem elegantiſſima verba hæc ſunt in fine libri de Ira Dei. *Sit nobis Deus non in templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructibilia ſunt omnia, quæ manufiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non pulvere, ſed malis cogitationibus ſordidatur: quod non cereis ardentibus, ſed claritate, ac luce ſapientiæ illuminatur* (2). Hæc ille contra Paganos, qui ſolam externam ſpeciem atten- (2)
dentes, in quo verus Dei cultus conſiſteret, ignorabant. Quod ſi nomine templi non ſacrilega Gentium delubra, non dæmonum ſana, ſed loca Deo vero ſacrata intelligantur, in quibus Fideles congregari ſolebant, ut Deum precarentur, ſacra Myſteria celebrarent, & alia religionis officia obirent, nemo inficias ibit, ſua ſemper Chriſtianis fuiſſe templa, ſive conventicula, qua voce Arnobius *lib.* 4. Ammianus Marcellinus *lib.* 27., & alii uſi ſunt,
quocumque tandem nomine vocarentur (3). (3)

(1) *Templi nomine non utebantur Chriſtiani, ſed Eccleſiæ.*) Et quidem tribus primis Chriſtianæ Fidei ſæculis vix unus Ignatius reperitur, qui Epiſt. ad Magoeſianos hoc Templi nomine Eccleſiam vocet cum adjecto, nempe *Templum Dei*; quo nomine poſtea ſuperſtitione omni gentilitatis deſtructa, & Idolorum ſimulacris ubique dejectis, ac profanis ædibus purgatis, in Eccleſias converſis, & conſecratis ſequentium ſæculorum Scriptores, ſaltem a Conſtantini temporibus eaſdem Chriſtianorum Eccleſias nuncupare non dubitarunt. Sic Ambroſius Epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem, Lactantius Inſtit. lib. 5. cap. 2. Euſebius lib. 10. cap. 2., & 4., ubi de magno Tyri Templo a Conſtantino coo ſtructo, Prudentius in paſſione S. Laurentii v. 164. ac in paſſiooe S. Hippolyti v. 216. aliique Scriptores. Præ cæteris autem expreſſius S. Hilarius Pictavienſis antiquus ſane Scriptor, qui medio quarto ſæculo, Juliani Apoſtatæ ævo claruit, Commentar. in Pſalm. 126. promiſcue, & communiter Eccleſias templa appellatas fuiſſe teſtatur his verbis: *Conventus quidem*, ait, *Eccleſiarum, ſive Templi, quos ad ſecretam Sacramentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt, conſuetudo noſtra vel Domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel Templum.*

Ratio autem, cur Apoſtoli, cæterique veteres priorum ſæculorum Patres Chriſtianorum Eccleſias non vocaverint Templa, præter jam allatam a Liturgico Scriptore, duplex item eſt ex Bellarmini ſententia Controv. Tom. I. de Rom. Poor. lib. 3. cap. 13. Una, quia non habebant tunc ulla Templa publica, aut amplæ molis ædificia, in quibus convenirent, ſed ſolum in privatis domibus loca quædam illis erant orationi, concionibus, ac Miſſarum Sacrificiis celebrandis deſtinata. Altera, quia adhuc vigebat Templi Judaici memoria, præſertim apud eos, qui ex Circumciſione ad Baptiſmum, & Chriſti Fidem venerant, adeoque ne viderentur Apoſtoli ſimile aliquod introducere, utque Eccleſiam a Synagoga diſtinguerent, ab hujuſmodi voce *Templa* abſtinebant. Id porro tanti Doctoris, & Theologi Eminentiſſimi aſſertum verum eſſe neminem inficias iturum exiſtimaverim, ſiquidem & propter eamdem rationem Apoſtoli in Scripturis, eorumque Succeſſores, ac primi Eccleſiæ Patres in ſuis ſcriptis numquam Sacerdotis nomine vocant Chriſtianos Sacerdotes, ſed ſolum Epiſcopos, & Presbyteros; at poſteaquam everſa fuit Hieroſolyma, incenſum Templum, atque abolita memoria veteris Judaici Templi, & Sacerdotii, cœperunt Sancti Patres uti nomine Templi, & Sacerdotii ad ſignificandas Chriſtianorum Eccleſias, earumque Rectores. Sic etiam *ædis ſacræ*, ac *Sacelli* nomine Eccleſias appellabant antiqui Patres, quo vocabulo ſua etiam Templa vocabant Gentiles; a nominibus autem delubri, fani, luci, & aliorum religioſius abſtinebant, utpote nomina, quæ ſemper idolorum Templis attributa fuere, nec aliter niſi loca, ubi Deorum ſimulacra erecta colebantur, ſignificabant. Ita Ambroſius præfatus Epiſt. 29. ad Theodoſium de quodam Valentinianorum hæreticorum cooventiculo loquens, illud non Templi nomine, vel Eccleſiæ, ſed in contemptum idem ſanum dicit: *Vindicabitur etiam Valentinianorum fanum inverſum. Quid eſt enim niſi fanum, in quo eſt conventus Gentilium?* Vide apud Voſſium in Etymologico *Delubrum, Fanum, & Lucus*; Delubrum enim Templum erat pluribus Diis erectum, Fanum a Fauois dictum, & Lucus Sylva Diis Gentilium dicata, ut ipſe optime notat.

Aliæ rationes cur Templi nomine non vocarentur ab antiquis Eccleſiæ.

(2) *Sed claritate, & luce ſapientiæ illuminatur*

natur) Et lib. de mortibus Persecutorum cap. 2. *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi a Deo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque Templum fidele, ac stabile collocavit*; Ecclesiam nimirum, *quæ est verum Templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde, ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur Fideles*: ut idem Lactantius in lib. 4. Institutionum cap. XIV., & in cap. sequenti Ecclesiam vocat *æternum, & immortale Dei Templum*, quod etiam repetit in cap. 2. lib. de Ira Dei. Hinc infra de Nerone in hoc ipso libro: *Prosilivit ad excidendum cæleste Templum*, & cap. XV. *Nam Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, idest, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei Templum, quod est ab hominibus, incolume servavit*. Hinc lib. 4. Institut. cap. X. ait: *Necesse fuisse Dei Filium descendere in terram, ut constitueret Deo Templum, doceretque justitiam.*

Iterum comprobatur veteres Christifideles sacras Ædes, seu Ecclesias habuisse.

(3) *Quocumque tandem nomine vocarentur*) Ecclesias igitur, seu sacras ædes, aut loca, in quibus convenirent, primi Christiani habebant. Id præter supradicta evincunt & alia eorumdem veterum Scriptorum testimonia. Et si isti ipsorum ætate Christianos, nec Templa habuisse, nec Altaria dicere videantur, ea tantum illis esse negabant, quæ Gentiles intendebant, Templa scilicet, in quibus divinitas idolis attributa includeretur. Cæterum sacras tunc iisdem ædes fuisse testatur Lactantius præfatus lib. 5. div. Instit. cap. 2. cum *Dei Templum*, Ecclesia scilicet Nicomediensis Diocletiani edicto vastata fuit: *Cum ego*, ait, *in Bithynia litteras oratorias accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Dei Templum everteretur*. Origenes hom. 10. in Josue passim de adornandis Christi Ecclesiis, & Altaribus loquitur. Rursum Lactantius eodem lib. 5. cap. II. in Phrygia Christianos Ecclesiam habuisse asserit, in qua universus populus cum ipsa igne concrematus fuit. Et lib. de mortibus Persecutorum cap. 12. apud Baluzium, qui illum primo edidit, Miscell. Tom. 2. pag. 11. quem librum Eminentissimus Author non vidit, cum post ejus mortem editus fuerit, peculiarem narrationem de Ecclesiis tunc per Orbem Terrarum destructis habet, nam nedum celebris Ecclesiæ Nicomediensis, sed & aliarum destructionem memorat. Templa itaque absque dubio Christianis erant, sed non ut inter Paganos, qui putabant Templa esse non posse sine simulacris; hæc quippe nulla fuisse apud Christianos perspicuum est, uti pluribus observat Desiderius Heraldus ad lib. VI. Arnobii. Atque hoc sensu Cristianorum Ecclesias Templa vocant antiqui Patres. Ita etiam intelligendus supradictus Lactantius lib. 5. Div. Institut. cap. 25., ubi Ecclesiam Templum vocat: *Non tantum hoc in Templo sibi putet esse faciendum, sed & domi, & in ipso cubili suo, secum denique habeat Deum semper in corde suo consecratum, quoniam ipse est Dei Templum.*

Causa cur Ethnicis objurgantibus quod Christiani nulla haberent Templa, ipsi non responderent.

Causam porro cur Ethnicis, qui prima, præcipuaque Religionis fundamenta esse ducebant Templa, objurgantibus, ut supra, nostri nihil responderint, præter dicta ab Eminentissimo Authore, eam fuisse arbitror, ne arcani disciplina violaretur, neve graviores inde disputationes subirent; etenim si Ecclesias habere dixissent, de Aris illico, quæ in eis essent, disserere coacti fuissent, si vero & de Altaribus annuissent, pari curiositate de hostia, quæ super iisdem immolaretur, quæstio insurrexisset; cui, ut satisfieret, de ineffabili Eucharistiæ Sacramento docendi, & altercandi necessitas Patribus incubuisset: & ita arcana hæc, sacratissimaque fidei nostræ mysteria in vulgus effusa forent; quod unice Sancti Patres, & peculiariter primitivi, verebantur; ne videlicet incapacibus, & ethnica superstitione obrusis mentibus, hæc ingerendo, despicatui Fides Christi haberetur, rerumque tam grandium doctrina, resque ipsæ cachinnis, & jocis exponerentur, summumque fortasse vitæ discrimen innocui Doctores adirent: præsertim cum id maxime Christus ipse cavendum esse docuerit Matt. cap. 7. v. 6., ubi dilectissimæ Ecclesiæ suæ Custodes, atque Pastores erudiens: *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos*. Vide jam dicta Tom. 1. cap. 16. §. 2. p. 327. & seqq. Liquet igitur ex his omnibus, quam fallacibus, futilibusque argumentis nitantur, qui in prioribus tribus Ecclesiæ sæculis sacra ædificia, quæ a cœmeteriis, cryptisque distincta publice a Fidelibus adirentur, & sæpenumero Ecclesiæ vocitarentur, Christianis fuisse negant.

Alia nomina, quibus Ecclesias appellarunt antiqui Patres.

Porro quoad nomen, varia nuncupatione Ecclesias appellarunt antiqui Patres. *Domum Dei* Ecclesiam vocant Optatus lib. 3. *Quando nec sepultura in Domo Dei adhiberi concessa est*. Tertullianus de Idolol. cap. 7. ut supra, pariter in Concilio Laodiceno c. 6. 28., & Grangensi c. 5. Verum de Sacrarum Ædium nomine apud Christianos infra sequenti §. 4. Ut autem uberiora de Ecclesiis persecutionum tempore extructis suppetant testimonia, neve quid adversus isthæc Fidei Catholicæ hostes obgannire valeant, ea nunc recudimus, quæ Anglicanus ex Protestantibus Scriptor Joseph Binghamus fuse produxit Antiquit. Eccl. lib. 8. cap. 1. Primo Christi sæculo habemus Sanctum Ignatium Martyrem Episcopum Antiochenum; is in Epist. ad Magnesianos §. 7. eos hortatur, ut conveniant in locum, qui *Templum Dei appellatur*. Item Epist. ad Philadelphios, *unum Altare, & unus Episcopus cum Presbyterio*. Secundo sæculo Tertullianus lib. de Idolol. cap. 7. *Tota die ad hanc partem zelus Fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis ad Ecclesiam venire, de adversaria officina ad Domum Dei venire &c.* Idem adversus Valentinianos cap. 2. Ecclesiam appellat, *domum Columbæ*, & de Corona Militis cap. 3. locum Baptismi conferendi, alium ab Ecclesia facit: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur &c.* Quibus si jungas Cyprianum de Opere, & Eleemosynis pag. 203. novæ edit, & Ep. 55. alias 69. ad Cornelium; Eusebium lib. 7. Hist. Eccl. cap. 11. 13. 15., lib. 8. cap. 1. & 2., lib. 10. cap. 2. Lactantium, ac Optatum supracitatos, certo certius, & evidentissimum erit Christianos primis etiam sæ-

culis suas Ecclesias ad divinum cultum extructas habuisse.

Indicatur quomodo intelligendi nonnulli veteres, qui Christianos initio fidei templa non habuisse scripserunt.

Nec est autem, ut præter Baronium memoratus Binghamus observavit, cur negotium facessere videantur Minucius Felix, Origenes, & Arnobius supracitati, quod nempe apud eos scriptum reperiatur Christianos Templa non habuisse, hæc enim intelligenda sunt de Templis Fanorum instar Gentilium, aut Templi Judaici. Quibus omnibus Seldeni etiam, & Doduwelli hæreticorum testimonio, qui in superius indicato Luciani Dialogo Philopater inscripto Christianorum Ecclesias inveniunt; Basnagii iterum refellitur audacia, qui Annal. Polit. Eccl. ad an. 213. n. 2. & 3. Christianis primo, & secundo sæculo nullas fuisse Ecclesias præfracte contendit, contra quem nonnulla jam diximus. Sed & præstat anti-Baronianum Annalistam iterum ex Gregalium suorum authoritate confundere, ut vel sic tandem resipiscat. Magdeburgenses Centuriatores, quos ipse magni facit, Cent. 1. cap. 6., de vet. Christ. congress., eorumque ritibus hæc habent. „ Fit mentio locorum istorum, quibus conveniebant Christiani in Historia persecutionis sub Diocletiano, & Maximiano; & apparet ante Constantinum etiam locos eos fuisse mediocriter extructos, quos, seu Templa appellarunt, seu Dominica, ut apud Eusebium, & Rufinum, seu Oratoria, ut apud Eusebium, & Socratem: quod si vero Templa, aut propter persecutiones frequentare Christianis non liceret, aut alia quadam necessaria ratione deserere illi cogerentur, in Cæmeteriis, & locis extra Urbem conveniebant. Hæc illi, qui hanc historicam veritatem tot veterum testimoniis adacti confiteri non refragantur.

§. III.

Veterum Scriptorum de Christianorum Ecclesiis testimonia.

SÆviente persecutione, cum ab omni prorsus conventu Imperatorum edictis Christiani excluderentur, quocumque loco poterant ad peragendam Synaxim conveniebant (1). Testimonium de hoc perhibet Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 7. *hist.* ubi *cap. XI.* conventus sibi interdictos asserit, *&* *cap.* 22. sic loquitur: *Cumque ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.* In carceribus Sacrificium offerri consuevisse (2) ex Actis Sanctorum Processi, & Martiniani, Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum passim didicimus; & ex Cypriano, qui *epist.* 5. hortatur Clerum ne glomeratim ad Martyres in carcere visitandos concurrant, & ut Presbyteri, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent. Legimus etiam apud Metaphrastem in Vita S. Luciani Presbyteri, & Martyris, quod in die Theophaniæ rogatus a discipulis in carcere celebravit. Sed cum deesset Altare, nec metu persecutorum posset inferri, S. Martyr dixit: Mensa vobis erit hoc pectus meum, non futura Deo minus honesta ea, quæ fit ex inanimi materia: Templum vero sanctum vos mihi eritis me omni ex parte circumdantes, *Sacro* igitur *cœtu eum in orbem circumstante*, ut scribit Philostorgius lib. 2. hist. Eccles. cap. 14. *tanquam jam morientem, Ecclesiæ speciem ita simul & munimentum eo præbente, ne ea, quæ a piis peragebantur, viderentur*; Sacrum egit, seque primum, & alios Mysteriorum participes effecit. Verba Philostorgii, tacito ejus nomine, ut solet, exscripsit Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 31. Hunc autem Lucianum suæ sectæ Martyrem Ariani prædicabant, sed ab hac suspicione liberat eum Baronius *anno* 311. *&* 318. *& in Notis ad Martyrologium*. Apollonius Brixiensis Episcopus in sindone cœlitus demissa Missam in carcere celebravit, ut refert ex Mombritio Bollandus *die* 15. *Februarii*.

Describuntur Cryptæ arenariæ Romæ, seu Catacumbæ dictæ.

Romæ clam celebrandi locum præbebant ampli recessus subterranei in Cryptis arenariis; a quibus tamen excludebantur, cum vehementior persecutio urgebat, ut docent literæ Cornelii Papæ ad Lupicinum Episcopum Viennensem. Extant adhuc, & pars maxima mirabilium Urbis sunt hujusmodi Cryptæ variis cuniculis, ac multiplicibus anfractibus effossæ, quarum structuram,

ćturam, & longe lateque protensa spatia in vicos distincta cum diversis mansionibus, & cubiculis merito admirantur quotquot eas ingrediuntur. Scripsit de his duo ingentia volumina Jacobus Bosius italice, a Paulo Aringo in latinum translata præfixo titulo *Romæ subterraneæ*. Easdem Hieronymus sic describit initio libri 12. in Ezechielem. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum circuire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur:* Descendant in infernum viventes*: & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen dimissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Quod autem Hieronymus soluta oratione, id ligata Prudentius expressit *Hym.* 11. *de Coronis.*

Haud procul extremo culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum,
Occurrunt celsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus,
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.

In quibus prisci Christifideles Sacra faciebant.

In his Cryptis sepultum fuisse S. Hippolyti corpus ait Prudentius, inde enim effossa arena sepeliendis Martyribus ampli recessus relicti sunt. Nullibi vero frequentius quam in hujusmodi subterraneis cœmeteriis, sive areis, ut Latini vocabant, non solum Romæ, sed & alibi passim Fideles congregabantur (3). Testes sunt antiqui Patres. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. *Sub Hilariano Præside, cum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent, areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 7. *hist. cap.* 11. Æmilianum Præfectum dixisse ait: *Nullatenus licebit vobis conventus agere, aut ea, quæ vocantur cœmeteria adire.* In Gestis purgationis Cæciliani, *Cives in area Martyrum fuerunt inclusi.* Et in Gestis purgationis Felicis, *Tollat aliquis de vestris in aream, ubi orationes facitis.* Pontius in Passione S. Cypriani loquens de edicto Valeriani adversus Christianos, *Justum est, ut nulla conciliabula faciant, neque cœmeteria ingrediantur.* S. Stephanus in ejusdem Valeriani persecutione Missam in crypta celebrans supervenientibus militibus ante Altare decollatus est, ut Acta ejus testantur, & ex his Romanum Martyrologium *die* 2. *Augusti.* Eusebius iterum *lib.* 9. *cap.* 2. Maximinus, *dum ad subruendam pacem nihil non molitur, primum quidem nostros a conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est* (4). Hæ tunc erant

(3)

(4)

erant Christianorum Ecclesiæ. Ibi divina peragebant Mysteria, ibi Stationes celebrabant, ibi populum instruebant, ibi Baptismum, & reliqua Sacramenta administrabant. Nec solum occasione persecutionis, sed reddita etiam Ecclesiæ pace, si qua pietatis, sive necessitatis ratio urgeret, extra Templum Deo consecratum Missas agere Sancti, & prisci Patres non dubitarunt. Narrat de seipso Theodoretus *hist. religiosæ cap.* 20. quod cum virum Sanctum, & inclusum nomine Marim (illum videlicet, ad quem Ibas epistolam blasphemiis refertam scripsit) visitasset, & ille mystici Sacrificii videndi diuturno desiderio teneretur, rogavit ut illic divini doni fieret Oblatio. *Ego vero*, inquit, *libenter obtemperavi, & sacra vasa adferri jussi, nec enim procul aberat locus, Diaconorumque manibus utens pro Altari, mysticum, & divinum, ac salutare Sacrificium obtuli*. S. Paulinus Episcopus Nolanus, ut Uranius refert in ejus vita, hora sibi mortis imminente jussit sibi ante lectulum sacra Mysteria exhiberi, ut una cum Episcopis, qui præsentes aderant, oblato Sacrificio animam Deo commendaret (5). S. Vulfrannum Episcopum Senonensem, cum in Frisiam navigaret, navi manente immobili, Missam in mari celebrasse scribit Jonas Monachus Fontanellen. in ejus Vita apud Bollandum *die* 20. *Martii* (6). Plura suppeditant hujusmodi exempla veterum Patrum monumenta, ex quibus nonnulla supra attulimus Cap. XIV.

Ubi poterant ad Synaxim conveniebant antiqui Christiani.

(1) *Ad peragendam Synaxim conveniebant*) Id testatur S. Justinus Martyr in ejus Actis apud Ruinartium pag. 44., ubi interrogatus a Præfecto, quem in locum Christiani convenirent, respondit Justinus, *eo unumquemque convenire, quo vellet, ac posset. An*, inquit, *existimas omnes nos in eumdem locum convenire solitos? minime res ita se habet, quoniam Christianorum Deus loco non circumscribitur, sed cum invisibilis sit, Cœlum, & Terram implet, atque ubique a Fidelibus adoratur, & ejus gloria collaudatur*. Aurea plane verba, & tanto Martyre digna, quibus respondent ea, quæ Dionysius Alexandrinus scribit, ut infra Eminentissimus Author refert. Porro in privatis domibus ad Sacra peragenda Mysteria Christianos priscis illis temporibus convenisse probant Apostolicæ Constitutiones Clementis nomine lib. 8. cap. 34. apud Cotelerium Apost. PP. Tom. I. pag. 415., ibi enim dicitur: *Si propter infideles impossibile est ad Ecclesiam procedere, in domo aliqua congregationem facies, Episcope*; item in Actis S. Pontii Mart. apud Baluzium Miscell. Tom. 2. legitur, Christianos in *domo alta*, seu cœnaculo divinas laudes persolvisse. Optatus Milev. lib. 1. edit. Parif. 1679. pag. 16. *Apud Cirtam Civitatem, quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ, in domum Urbani Carisii consederunt*.

In domibus privatis.

In carceribus.

(2) *In carceribus Sacrificium offerri consuevisse*) Exemplis, quæ hac de re comprobanda Cardinalis noster adducit, duo sequentia subdi possunt, Simeonis scilicet Bar-Sabæi Sutensis, Episcopi Seleuciensis, & Martyris sub Sapore Persarum Rege medio Christi sæculo quarto, cujus extat memoria in Martyrologio Romano ad diem 21. Aprilis. In ejus Actis apud Clar. Joseph. Sim. Assemanum Biblioth. Orient. Tom. 3. parte 1. pag. 612. in fine, (de quo etiam Tom. 1. pag. 2.) legitur, quod *antequam Martyrium subiret, fertur in carcere, cum feria quinta majoris hebdomadæ Sacrum faceret, calicem in sinistra Presbyteri sui, & patenam in dextera collocasse, & canticum dixisse &c.* De alio pariter Simeone Episcopo Ambarensi, qui multo post præfatum claruit, scilicet an. circ. 565. ibidem legitur pag. 433. *Is vero, cum feria quinta majoris hebdomadæ esset, nec inde ad Communionem percipiendam exire posset, panem, & vinum in carcere præparavit, ut Sacrum faceret, & Eucharistiam sumeret &c.*

Aliisque in locis.

(3.) *Sed & alibi passim Fideles congregabantur*) illustris est locus in Constitutionibus Apostolicis lib. 6. cap. 30. apud Cotelerium pag. 358. *Absque ulla observatione congregamini in Cœmeteriis, lectionem sacrorum librorum facientes, atque psallentes pro defunctis Martyribus, & omnibus a sæculo Sanctis, & pro Fratribus vestris, qui in Domino dormierunt: item antitypon regalis Corporis Christi, & acceptam fero gratam Eucharistiam offerte in Ecclesiis vestris, & in Cœmeteriis*. Innocentius I. Papa Epist. 1. ad Decentium cap. 5. *Non longe*, ait, *portanda sunt Sacramenta, nec nos per diversa Cœmeteria constitutis Presbyteris destinamus*. Vides hic ab Innocentio Cœmeteria vocatas Parœcias extra Urbem sitas, quas utique Christianis Ecclesias fuisse nemo negabit, ubi pariter Fidelium defunctorum corpora sepeliebantur. Hujus rei vestigium exhibetur in lib. 3. Sacram. Eccl. Rom. cap. 103., ubi extat *Missa in Cœmeteriis*, & infra, *omnium Fidelium Catholicorum Orthodoxorum in hac Basilica quiescentium*. Sed & alibi extra Romam, & Italiam ad Synaxim congregatos Fideles in Cryptis, & Cœmeteriis habemus plerisque in locis apud Gregorium Turonensem, præcipue lib. 10. Hist. Franc. cap. 31., ubi de Gatiano primo Turonensium Episcopo, illiusque Regionis Apostolo, de quo sic idem habet. *Interdum*, inquit, *occule-*

Cœmeteria extra urbem sita Parœciæ vocata.

culebat se ob impugnationem potentium, eo quod sæpius eum injuriis, & contumeliis, cum repererant, adfecissent, ac per cryptas, & latibula cum paucis Christianis, ut diximus, per eumdem conversis mysterium solemnitatis diei Dominici clanculo celebrabat. Atque ista, quoad Occidentem sufficiant, cum nobis alias illius partes peragere non vacet.

In Oriente etiam inCryptis, & Cœmeteriis celebratum sacrificium.

In Oriente Sanctus Athanasius in Apologiis ad Constantium Imper. Alexandriæ Catholicum populum expletis jam jejuniis hebdomada post Sacram Pentecostem ad evitandam Pseudo-Episcopi communionem, *ad orandum in Cœmeterium* abiisse tradit, quod quidem S. Petri Episcopi, & Martyris Cœmeterium fuisse ex ejusdem Athanasii gestis ostenditur. Constat insuper ex Divo Chrysost. Orat. 32. de Parasc. Cœmet. Apol., & de Cruce Domini, Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ morem fuisse, ut ipso sancto Parasceves die in Cœmeterium extra urbem in concionem devote convenirent. In his porro Cœmeteriis nedum motæ a Gentilibus persecutionis tempore, quo cum cæteris Fidelibus latitabant prisci Pontifices, Romani, & Christi Martyres, Calixtus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Stephanus, Xistus, & Cajus, aliique, ut ex eorum Actis constat, atque ex Anastasio Bibl. in Vitis Rom. Pont., verum etiam cum ab Hæreticis Imperatoribus, aut ipsorum Ministris impeterentur, iidem Pontifices cum Clero, & populo conveniebant, uti de Liberio, Bonifacio I., & Joanne III. scribit Bibliothecarius in ipsorum Actis, ubi Ecclesiastica officia, Concilia, Ordinationes, Sacramentorum administrationes, aliaque id genus munia pontificalia exercere consueverant.

Non solum cum a Gentilibus impeterentur Christiani, sed & cum ab Hæreticis vexarentur.

In quibus locis subterraneis latentes Summi etiam Pontifices Ecclesiastica Officia, Concilia, Ordinationes, aliaque Sacra obibant.

Neve in re Ecclesiasticæ Historiæ studiosis omnibus notissima demonstranda ulterius progrediar, testetur id unus Onuphrius Panvinius, qui ad eamdem evincendam plurima veterum monumenta congessit peculiari edito de antiquis Christianorum Cœmeteriis libro, ubi cap. XI. hæc habet: „ Legimus veteres Romanos Pontifices inter Martyrum tumulos, Stationes, idest omnes actus publicos Pontificales celebrare convenisse. Itaque hæc Cœmeteria erant Christianis, quod & nunc sunt, veluti Templa, & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, Sacramenta administrabant, Verbum Dei concionabantur. (& post pauca) Ex his igitur liquet apud Christianos persecutionum tempore Cœmeteria præcipua quædam Templa, sive loca sacra fuisse, in quibus ad sua Sacra convenire possent &c. (Iterum post pauca) In Cœmeteriis Romæ existentibus Baptismum, & Missas celebrare, vigilias decantare, Ordinationes, & Stationes, idest omnes sacras Cæremonias habere, veteres solitos fuisse docent antiquissima monumenta „ Hæc vir ingentis lectionis, rei antiquariæ sacræ, & profanæ peritissimus Eruderator, uti eum hoc elogio denotat Card. noster in notitia Authorum Divinæ Psalmodiæ præfixa.

Quia vero loca illa subobscura quamdam majorem præ cæteris reverentiam, & devotionem inspirant, non solum persecutionis temporibus hic in Cœmeteriis offerendi ritus obtinuit, sed multo etiam postea cum Ecclesia jam longa pace sub Christianis Principibus frueretur; nam & Liber Pontificalis in Joanne PP. III. qui anno 559. Sedem Apostolicam tenuit, testatur ipsum constituisse: *ut oblationes, & amulæ, vel luminaria in eadem Cœmeteria per omnes Dominicas ministrarentur.* Item de Sergio, qui circa finem sæculi septimi an. 687. eamdem Sedem obtinuit: *Hic* (inquit idem, seu Anastasius Bibl.) *tempore Presbyteratus sui impigre per Cœmeteria diversa Missarum solemnia celebrabat.* Demum de Gregorio III. qui anno 735. sedit: *iisdem institutis disposuit, ut in Cœmeteriis circumquaque positis Romæ in die Natalitiorum eorum* (loquitur de SS. Martyrum festis ibi celebrandis) *luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas &c.*

Idque denuo asseritur contra Basnagium.

(4) *Nescio quo prætextu arcere aggressus est*) Hinc Arnobii querela lib. 4. contra Gentes circa fin. *Nostra quidem scripta, cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus Summus oratur Deus?* Et ante ipsum Cornelius Papa Epist. ad Lupicinum Viennensem: *Neque in Cryptis notioribus Missas agere Christianis licet.* Itaque adeo verum est priscos Fideles suas habuisse Ecclesias ubicumque fuerint, sive in privatis domibus, sive in cryptis, aliisque locis, quidquid dicat Basnagius cum gregalibus suis jam supra a nobis confutatus, ut Petrus Ven. Abbas Cluniacensis lib. 1. Epist. 1. contra Petrobusianos, qui Basilicas, seu Altaria fieri non debere sacrilege asserebant, apertissimis verbis demonstrat Christianos primis Ecclesiæ sæculis Ecclesias publice habuisse: *Numquid,* ait ille, *per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque Templo, vel Ecclesia, idest orationis domo, vel parvo saltem Oratorio fuit? Nonne ut gestorum veracium series narrat, si tamen patet divinum Canonem gestis aliquibus assensum datis, primus ipse Princeps Apostolorum Petrus, in Urbe Orbis capite Templum Christo inter innumera Gentilium Templa construxit, & juxta quod Beatus, & Magnus Leo Papa nobili sermone pronunciat, trophæum Crucis Christi Romanis Arcibus invexit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in Cryptis antiquissimis Oratoria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa, & sanctificata, sicut per successionem, fama consentiens, ac celeberrima protestatur, & in monumentum tantæ sanctitatis Fidelibus ostenduntur, & ab iisdem dulcissime, ac devotissime deosculantur?* deinde post pauca: *sed ut de primis Galliæ nostræ Apostolis...... aliquid plenius dicam, sicut ipsa testatur antiquitas, a sanctis viris nobis relictæ tradunt historiæ: non solum nos, verum etiam omnes Christi populi .... certissime tenent, quod Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Ursinus Bituricis, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Austremonius Arvenis, Martialis Lemovicis, Burdegalæ, & Pictavis Fronto Petragoris, Eutropius Santonis, Gatianus Turonis, Julianus Cenomanis, Parisiis Dionysius, Senonis Potentianus,*

tianus, & Savinianus, Belluaci Lucianus, Æduæ Andochius, Lingonis Benignus; & quis omnes gloriosissimos Fidei nostræ Patres numerare sufficiat? Isti certe, isti ubicumque nomen Domini annunciaverunt, statim Idolorum delubra, prout fas fuit, evertentes, aut novas Ecclesias fundaverunt, aut ipsa Templa in Ecclesias converterunt, adeout hodieque in plerisque locis, sicut ipsi nostris oculis inspeximus, Ecclesiæ, vel Basilicæ ab eis constructæ, Altaria manibus eorum fundata, & consecrata, in memoriam antiquitatis, & sanctitatis eorum a fidelibus Populis reservata monstrentur. Hæc de antiquis Christianorum Ecclesiis Petrus Cluniacensis, cui in re tam clara, & perspicua contradicere ridiculum est.

Atque eodem fermè modo, quo nunc fit a Catholicis in locis, ubi dominantur heterodoxi.

Idem profecto iis temporibus actum fuisse reor, quod nunc per Hollandiam, aliisque in locis, ubi Heterodoxi sæculari potestate dominantur, fieri conspicimus; ibi enim in privatis domibus sua habent Catholici Sacella, & Oratoria, in quibus sacrosancta nostræ Religionis mysteria celebrantur: eo pariter modo & priscos Christianæ Fidei pugiles etiam sub tyrannis Principibus suas sacras ædes, easque religiosa aliqua peculiari cæremonia, ac benedictione ab Episcopis pro cultu Dei, atque Fidelium usu destinatas habuisse credendum est. Si plura velis, adi Ciampinum Monum. vet. Part. I. cap. 17. ubi Ecclesiarum tribus primis Ecclesiæ sæculis per universum Orbem extructarum Elenchum exhibet. Vide etiam Tomassin. de Discipl. Eccl. Par. 3. lib. 1. cap. II. n. 11., & cap. 3. n. 4. Spondanum de sac. Cœmet., & Collegam nostrum Marcum Ant. Buldettum Observ. in sac. Cœmet. lib. 1. cap. 10. & seqq., quibus etiam adde Authores, qui de Roma subterranea scripserunt, videlicet Bosium, Aringhium, Severanum, aliosque.

(5) *Oblato Sacrificio animam Deo commendaret*) Idem asserit Metaphrastes de Paphnutio, cui prodito, nondum tamen tradito proximam Martyrii palmam Angelus annunciat, at ille in cellulam suam ingressus pallio, & linteo se induit, & post oblationem exiit ita hilaris, ut ad convivium alter pergens.

In Tuguriis denique oblatum a Christianis Sacrificium.

(6) *Apud Bollandum die 20. Martii*) In tuguriis etiam celebratum fuisse habetur ex Martyrologio in Sancto Apollinare primo Ravennæ Episcopo, & Martyre, ubi de eo inquit: *Habebant autem Christiani tugurium non longe a mœnibus, in quo ille Missas faciebat.* Quod & refert Surius in ejus vita ad diem 23. Julii num. 6.

§ IV.

Templi, & Ecclesiæ apud Antiquos discrimen.

Varia, & magnifica Ecclesiis nomina olim attributa. Domus Dei. Domus orationis. Dominicum.

SED his omissis revertor ad Templa, quæ ubi feliciora illuxerunt tempora, ad honorem veri Dei, tum a Constantino Imperatore, tum ab Helena ejus matre, tum ab aliis eorum exemplo ubique Gentium extructa sunt, ut Eusebius in Historia, & in Vita Constantini, Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 30., & alii passim Ecclesiastici Scriptores recensent (1). Tunc magnifica illis nomina a sanctis Patribus tributa sunt. Dicebantur enim Evangelica auctoritate *Domus Dei*, & *Domus orationis*, tamquam locus ad colendum, & orandum Deum specialiter deputatus. A Græcis *Kyriaca*, a Latinis *Dominica* dicta sunt: cujus nomenclaturæ rationem reddit Eusebius Orat. de laudibus Constantini cap. 17. *In Urbibus*, inquit, *ac pagis, in agris, ac desertis Barbarorum locis fana, ac delubra in honorem unius omnium Regis, ac Domini dedicavit, unde etiam Domini vocabulo honorata sunt, non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe* Dominica *appellantur*. Antiochiæ nobilissimum Templum fuisse, quod *Dominicum aureum* vocabatur, tradit Hieronymus in Chronico. Cyprianus *lib. de opere, & eleemos.* matronam divitem reprehendit, quæ in *Dominicum* sine Sacrificio ibat (2). Factas cædes in *Dominico*, & Altare de *Dominico* sublatum conqueruntur Marcellinus, & Faustinus Presbyteri Luciferiani partis schismaticæ adversus Damasum in Libello precum ad Imperatores. Regula S. Pachomii cap. 54. *Si necessitas impulerit, ut Monachus foris maneat, vel in* Dominico *manebit, vel in Monasterio ejusdem fidei*. Augustinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10. Memorias appellat dicens: *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed* Memorias *sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus* (3).

Memoriæ. Martyria.

A Græcis *Martyria* nuncupantur, quæ in honorem Martyrum erecta sunt. Eusebius *lib.* 3. *de Vita Constantini cap.* 48. scribit Constantinopolim maximis ab eo *Martyriis* ornatam fuisse. In Actis Concilii Chalcedonensis sæpe

sæpe memoratur Martyrium *sanctissimæ, & pulchre victricis Martyris Euphemiæ*, in quo illud celebratum est. Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii, *cum ei occurrissem in gradibus* Martyrii, & infra. *Ivimus in* Martyrium *gloriosi Martyris Timothei* (4). Agit de hac voce Baronius in (4)
notis ad Martyrologium *die* 6. *Julii*. In eodem Martyrologio locus, in quo
Concilia Martyrum. plura Martyrum corpora sepulta sunt, *Concilia Martyrum* nuncupatur (5) (5)
die 23. *Junii*. Synodus Laodicena *can.* 9. statuit, ne Fideles orationis causa
Apostolia. Prophetea. eant in cœmeteria, aut quæ dicuntur Martyria Hæreticorum. Sic *Apostolia* dicebantur, quæ Apostolorum; & *Prophetea*, quæ Prophetarum memoriæ dicata erant. Sozomenus lib. 8. cap. 17. *Rufinus Consularis in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem Petri, & Pauli extruxit, &* Apostolium *ab ipsis appellavit*. Theodorus Lector lib. 1. *Reliquiæ S. Samuelis in ejus* Propheteo *sunt positæ*. *Eucteria* quoque, & *Proseucteria* a
Oratoria. Græcis, a Latinis *Oratoria* omnes Ecclesiæ sæpius vocantur (6): quæ vero (6)
Basilicæ. ampliores, & augustiores sunt, usus obtinuit, ut *Basilicæ* nominentur: quamvis nonnulli quascumque Ecclesias Basilicas vocent. Occurrit passim hoc nomen apud Hieronymum, Augustinum, Paulinum, Optatum Milevitanum, & alios; quod a Gentilibus, ut alia multa, acceptum est. Erant enim Basilicæ Regum habitacula, vel publica ædificia, in quibus judicia exerceri, atque a mercatoribus, & nummulariis negotia tractari solebant,
quorum structuram describit Vitruvius (7) *lib.* 5. Demum ea vox Ecclesiis (7)
Christianorum tributa est, vel propter ædificii magnificentiam: vel quia ibi, ut ait Isidorus *lib.* 15. *Origin. cap.* 4. Regi omnium Deo cultus, & sacrificia offeruntur: vel quia profanæ Basilicæ in Ecclesias Christi conversæ sunt, ad quod alludere videtur Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum Augustum pro suo consulatu dicens, *Basilica olim negotiis plena, nunc vo-*
Tituli. *tis pro tua salute susceptis* (8). *Tituli* denique dicuntur, ut apud Anastasium (8)
in Marcello Papa: *Hic vigintiquinque titulos in Urbe Roma constituit propter Baptismum, & Pœnitentiam, & propter Martyrum sepulturas*. Prudentius hym. 12. de Coronis.

Parte alia titulum Pauli via servat Hostiensis (9). (9)

Quæ autem fuerit origo Titulorum; qua de causa, sive qua occasione erecti fuerint: an idem initio fuerint Titulus, & Ecclesia, ut plerique sentiunt, an aliquod discrimen intercesserit, ut mavult Florentinius Exercit. 11. in vetustius Martyrologium, nimis operosum foret hic diligentius examinare. Plura de his curiosus lector inveniet apud eumdem Florentinium ibidem, & apud illos, qui de Titulis, & de Ecclesiis Urbis scri-
pserunt (10). (10)

(1) *Ecclesiastici Scriptores recensent.*) Hinc S. Hieronymus in illa verba Jerem. cap. 7. *Nolite confidere dicentes Templum Domini &c.* ait: „ præcepit autem & tunc populo Judæorum, & hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, aureatisque laquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus: *Templum Domini, Templum Domini est* „ ex quibus verbis
Magnifica Christianis Templa, sicut & nunc, seculo quarto. clarissime constat Hieronymi ævo magnifica fuisse, sicut & nunc sunt Christianis Templa; & quidem ita tunc fuisse testatur Eusebius de vita Constantini lib. 4. cap. 58., ubi speciatim Constantinopoli inter alias Ecclesias ornatissimum Templum, quod Ecclesiæ Constantinianæ nomen obtinuit, in Apostolorum memoriam ædificatum ab eodem Imperatore scribit, qui, ut ipse loquitur, illud in immensam altitudinem extulit, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens; porro cameram lacunaribus minutissimi operis obducens totam auro imbracteavit, & supra quidem æs tegularum loco impositum universo ædificio munimentum adversus imbres præbebat, quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat, adeo ut procul spectantium oculos fulgore perstringeret solis radiis æris objectu repercussis. De hoc Templo, deque alio Sanctæ Sophiæ nuncupato, & ab ipso fundato plura Ducangius in sua Constantinopoli Christiana lib. 4. n. 5. & in Notis ad Paulum Silentiarium de S. Sophiæ Tem-

Templo cum Cinnamo, aliisque pag. 525. Item Gothofredus in suis Commentariis ad Cod. Theodos. lib. 6. de sepulcr. violat., ac nuper Ciampinus de ædif. a Constantino constructis. Neque Constantinopoli tantum, sed & alibi Christianorum Templa magnifice *exornata, omnis quidem generis marmoribus cohonestata* fuisse scribit suo seculo, scilicet V. ineunte S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Ep. 246.

(2) *Quæ in Dominico sine sacrificio ibat*. Idem Epist. 33. edit. Pamel. de Lectore: *in Dominico* legit, idest in Ecclesia. Rufinus lib. 1. Hist. Eccl. *Tunc senior: si hæc ita credis, surge, & sequere me ad Dominicum*. Et lib. 9. cap. 9. Orationum domos, idest *Dominica sua*. Idatius in Fastis: *his Coss. dedicatum est Constantinopoli Dominicum die 15. Kal. Martii*. Eodem pariter Dominici vocabulo utitur S. Athanasius in Apolog. sua ad Constantium Imp. Plura de hac voce Dufresnius in Glossario med. & infimæ latin. noviss. edit.

(3) *Quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*) Idem lib. de cura pro mortuis cap. 4. *Sed non ob aliud vel memoriæ, vel monimenta dicuntur ea, quæ insignita sunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitare: nam & memoriæ nomen id apertissime ostendit, & monimentum, eo quod moneat mentem, idest admoneat, nuncupatur*: quod & in Psalm. 48. confirmat. Item lib. 10. contra Faustum cap. 21. *Nulli Martyrum, sed Deo Martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria*. Lucifer Calaritanus lib. 2. pro S. Athanasio: *Cum sis memorias Beatorum Martyrum instaurans*. Utuntur hac voce passim antiqui Scriptores, Gregorius Turonensis lib. 1. Mirac. cap. 22. Anastasius in Libro Pontificali præcipue in Vita Anacleti, ubi de eodem ait: *hic memoriam Beati Petri construxit &c.*, ac in Felice I. *Hic constituit supra sepulchrum, & memorias Martyrum Missas celebrari*. Aimoinus lib. 1. de Mirac. S. Benedicti cap. 28. 29. Adamnanus de locis sanctis lib. 2. cap. 10. Lupus Ferrariensis in Vita S. Maximi Trevirensis cap. 6., aliique multi, de quibus videndus Ciampinus Vet. Monum. Tom. 1. pag. 176., ubi sacra Christianorum ædificia, *memorias*, sive *sedes*, item *Concilia Martyrum*, sive *martyria*, ut infra dicetur, fusius probat, addens etiam *Confessiones*, vel *Conditoria* appellata fuisse; quæ omnia pluribus veterum Scriptorum monumentis ostendit.

Ecclesiæ Confessiones item, vel conditoria appellatæ.

(4) *Gloriosi Martyris Timothei*) Neque a Græcis tantum ædes sacræ Deo sub Martyrum invocatione dicatæ Martyria nuncupatæ sunt, verum & Latinis ita dictæ. Walafridus Strabo lib. de reb. Eccl. cap. 6. *Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum fiebant*. S. Hieronymus in Chronico: *cujus industria in Hierosolymis martyrium extructum est*. Rursum. *Constantinopoli Apostolorum martyrium dedicatur*: Theodulphus Aurelianensis lib. 2. carm. 9. de S. Quintino: *cujus martyrium devota mente frequentat Plebs &c.* aliique Scriptores apud Cangium in Glossario. Observandum tamen est, non tantum Ecclesias in honorem Martyrum erectas Martyrium dici consuevisse, sed & alias sic dictas fuisse, nam S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Illumin. 14. Ecclesiam Hierosolymis Resurrectionis appellatam in Golgotha positam Martyrion nuncupatam asserit; unde explicans illa verba Sophoniæ cap. 3. *Expecta me, dicit Dominus, in diem Resurrectionis meæ in Martyrion*: statim hæc subdit: *vides quod & locum Resurrectionis prævidit Propheta Martyrion vocandum. Qua ratione enim non secundum reliquas Ecclesias Golgothæ etiam hic Resurrectionis locus Ecclesia vocatur, sed Martyrion? verum id forte propter Prophetam dicentem: in diem Resurrectionis meæ in Martyrion*. Hoc nomine vocant etiam dictam Ecclesiam Eusebius tum lib. 3. de Vita Constantini cap. 29., tum Hist. Eccl. lib. 4. cap. 40. 43. & 45. Athanasius in Apologia ad Constantium, Sozomenus, aliique apud Henr. Valesium in Epist. ad Amicum de Anastasi, & Martyrio, sive de dicta Ecclesia, an unica, vel duplici post notas ad Eusebium in fine pag. 304.

Non tantum Ecclesiæ in Martyrum honorem erectæ Martyria dictæ, sed & aliæ.

Animadvertendum insuper Latinos, etsi eorum aliqui, ut vidimus, Martyrii vocem a Græcis mutuatam, ad exprimendam sacram ædem, in qua Corpus, aut Reliquiæ Martyris conditæ fuissent, retinuerint, plerosque tamen, quod Græci pro Ecclesia Martyrum Martyrion dixere, latina voce Confessionem dixisse; strictius vero, magisque propria significatione Confessionis nomine intelligitur locus ille sub majori Altari positus, quo Reliquiæ Sanctorum Martyrum, seu integra ipsorum corpora reconduntur. Sic Cæremoniale Episc. lib. 1. cap. 12. Ordo Romanus de Dedicatione Altaris, & alii passim Scriptores; idque ex antiquo Ecclesiæ usu, & Apostolica traditione, juxta illud Apocal. cap. 6. v. 9. *Vidi sub Altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant &c.*, ac proinde in Missa ad Altare accedentes dicimus: *oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt*, uti infra §. seq., & alibi videbitur. Hoc sensu intelligendus Author Libri Pontificalis, ubi variis in locis de Confessionibus Apostolorum, & Martyrum ab iisdem Summis Pontificibus instauratis, & ornatis agit. Hujusmodi porro Confessiones, seu Conditoria Martyrum diversis nominibus appellantur; *Trophæa* vocat Cajus antiquissimus Theologus apud Eusebium lib. 2. cap. 25. Hist. Eccl. *Insignia, Lipsana, Pignora Sanctorum, Sanctuaria*, & alia his similia vocabula eis tribuunt Veteres, de quibus videndi Bollandus ad Acta SS. 9. Febr. pag. 330. Angelus de Nuce ad Chron. Cassin. lib. 2. cap. 3. n. 853. Ant. Bossius in notis ad Epist. Paschalis 1. de relevat., & inventione Corporis S. Cæciliæ n. 5. & 12. apud Laderchium Act. S. Cæciliæ Tom. 1. pag. 209. & 217. Aringhius in Addit. ad dicti Bossii Romam subterraneam, Boldettus in Cœmeteria Urbis Romæ lib. 3. cap. 1. ubi plura de Sacr. Reliq. nominibus habet, de quibus item nonnulla Mabillonius Liturg. Gallic. lib.

Martyria.

Loca item sacra, ubi Martyrum reliquiæ conditæ erant, Trophæa, Sanctuaria &c. vocata.

lib. 1. cap. 9., & Præf. in Seculum 2. Bened. n. 45. aliique.

(5) *Concilia Martyrum nuncupatur*) Liber Pontificalis in Damaso: *qui Martyrum concilia, atque sepulchra versibus declaravit*. S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: *Martyrum concilia diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis obumbravit*. Item Concilium Gangrense præfatum can. 20. atque in Actis S. Stephani Papæ, & Martyr. de S. Nemesio Diacono, & Mart. legitur, quod *circuibat Cryptas, & Concilia Martyrum, ut ubicumque invenisset &c.* S. Gaudentius Episc. Brixiensis inter cæteros sermones suos unum habet in Dedicatione Basilicæ *Concilii Sanctorum Martyrum* nuncupatæ, ubi rationem reddit, cur sic eam Ecclesiam appellaverit. Vide insuper Molanum in notis ad Martyrologium Usuardi, & Baronium ad Romanum sub die 23. Junii. Hæc porro vox *Concilium Sanctorum*, quæ pro loco, ubi congregantur Fideles, sæpe posita invenitur, & apud priscos Scriptores usurpata, vox quidem Ecclesiastica, & in divinis Scripturis usu recepta est, ut apparet in Psalm. 8. *Deus, qui glorificatur in Concilio Sanctorum*, & Psalm. 110. *Confitebor tibi Domine ..... in Concilio Sanctorum, & congregatione.*

(6) *Omnes Ecclesiæ sæpius vocantur*) Cujus rei innumera sunt exempla in Eusebio lib. 10. cap. 3. Hist. Eccl. Item de Laud. Constant. cap. 17., & de Vita ejusdem lib. 3. cap. 48. Socrate lib. 1. cap. 18. & 19. Sozomeno lib. 2. cap. 5. aliisque, sed in quibusdam Canonibus Oratoriorum nomen ad privata sacella, sive loca divino cultui pro privata aliquorum commoditate constituta restringi videtur, quæ quidem a Parochiali Ecclesia dependebant, erantque tantum loca precibus faciendis, non missis celebrandis destinata, uti ex Concilio Aurelianensi dist. 1. cap. 33. Justin. Novel. 57. aliisque.

(7) *Quorum structuram describit Vitruvius*) Testatur id Hesiodus, qui δωροφάγους appellat βασιλῆας, idest donivoros Judices. Postea hæc loca in Negotiatorum usum olim ædificata, modo Perystilia, modo Bursæ vulgo dicuntur. Hinc Basilica Argentariorum in octava Urbis Regione, de qua meminit Publius Victor, seu verius Sextus Rufus de Regionibus Urbis Romæ apud Panvinium Commentar. de Republica Romanorum lib. 1. De Basilicis, seu Ædibus Causarum cognitioni destinatis ita Seneca lib. 3. de Ira, cap. 33. *fremitum*, ait, *judiciorum Basilicæ resonant*. Item Plinius Junior lib. 6. Epist. 33. qui & lib. 5. Epist. ult. Basilicæ Juliæ meminit, ac Cicero ad Atticum lib. 4. Ep. 16., sed aptius, & genuino eductum existimatur Basilicæ nomen a vocibus græcis Βασιλεὺς, Βασιλικὸς, Βασιλικὸν, quæ latine Rex, & Regalis, & Regale Palatium sonant, uti Svidas, Henricus Stephanus, & alii explicant: qua propter præfatæ etiam Curiæ, ideo Basilicæ dictæ perhibentur, quod Princeps, vel Magistratus, aut deputati Judices eo ad jus dicendum convenirent; hinc qua ratione Sacra Deo, Sanctisque Martyribus loca Basilicæ nomen vindicaverint, satis indicat Isidorus hoc loco a nostro Cardinali citatus. Verum quia non tantum Templa magnificentiori structura excitata, sed ipsa quoque sacella Basilicæ nomen acceperunt, ut adnotavit Donatius in sua Roma vetere, & nova lib. 4. cap. 2. apud Rasponum de Basilica Lateranensi lib. 4. cap. 18. pag. 357., qui in Lateranensi Palatio Basilicam SS. Laurentii, ac Theodori Papæ in Anastasii Vitis Pontificum sæpenumero appellatam pro Sacello extitisse animadvertit, immo in eodem Patriarchio ædes omnes Basilicæ nomen habuisse observavit, & cum insuper ex Card. Baronio appareat omnia Templa etiam soli Deo dicata a Magno Constantino Basilicæ nomine prænotata fuisse, quin & multo ante Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum agens de Romanis Ecclesiis, cuicumque earum Basilicæ nomen tribuit, quia tametsi inter ipsas aliquæ mole ædificii angustæ, sunt tamen Domus Dei, inde educimus hoc vocabulum Basilicæ promiscue a Scriptoribus Ecclesiasticis cuilibet Ecclesiæ, vel Templo tributum, eo quod in ipsorum singulis Regi Regum Deo cultus, & sacrificia exhiberentur, quam rationem omnibus fortasse veriorem, aut saltem probabiliorem infra ostendemus; vel quia e regali profano usu ad divinum, & sacrum loca, & ædes essent traductæ, vel quia demum in ipsis aliquid solemne, & quodammodo regale religionis, & Ecclesiasticarum cæremoniarum exercebatur.

Basilicæ nominis derivatio.

(8) *Nunc votis pro tua salute susceptis*) Et hioc ex dictis Basilicæ vocabulum generale aliquod Ecclesiarum nomen posterioribus seculis factum est. Porro de veterum Basilicis tum Christianorum, tum Gentilium peculiarem Tractatum edidit Neapoli an. 1686. italice sub hoc titulo *Antica Basilicografia*, Pompæus Sarnellius Vigiliensis Episcopus, nonnulla etiam nuperrime in hanc rem erudite congessit præclaro, ac novo condito Opere de profanis Ethnicisque rebus in sacrum Christi Ecclesiarum usum, & ornamentum translatis, italice pariter conscripto cap. 42. cl. Joannes Marangonus, aliique ante ipsum plures, quos recensere non vacat.

(9) *Via servat Hostiensis*) Idem Prudentius communiori etiam hac tituli voce nuncupatas veteres Christianorum Ecclesias, seu Martyrum memorias docet Hymno 5. de Sancto Vincentio Mart. ubi Tyrannum Sancti Martyris ossa, & memoriam abolere comminantem sic refert:

Ne plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.

(10) *De Ecclesiis Urbis scripserunt*) Præcipue apud Petrum Frizonium in Appar. ad Galliam Purpur. cap. 3. Jacobum Laderchium Dissert. hist. de Basilicis SS. Petri, & Marcellini Part. 3. cap. 2. & seqq. usque ad 9. ubi toto nisu prædictum Florentinium duriori forte, quam par est, animadversione perstringit, nullumque esse discrimen, aut saltem nomine tenus, inter Ecclesiam, & Titulum diffusissime probat; cum Tituli dicerentur non omnes Basilicæ, sed insigniores tantum, ac Tituli haberent Ecclesias in se ipsis. Post hunc Philippus Randinius lib. 2. de Sancto

De Ecclesiis, Basilicis, ac Titulis urbis Romæ qui scripserunt.

Clemente, ejusque Basilica cap. 5. plura de priscis hujusmodi Titulis, seu Ecclesiis habet, nuperque de his, quos Sanctus Evaristus Papa Romanis Presbyteris distribuit, eruditam texuit Dissertationem clar. Nicolaus Antonellus.

APPENDIX

AD §. IV.

Templi, Basilicæ, ac Ædis differentia.

PLeniori supradictorum illustrationi ampliandæ, post allatum ab Emin. Scriptore Templi, & Ecclesiæ discrimen apud antiquos, superest Templi item, & Basilicæ, ac Ædis differentiam adjicere; siquidem juxta veterum doctrinam Templum, Ædes, & Basilica non idem sunt, aut synonyma, quæ licet de eadem domo, aut ædificio sæpe dicantur, sub diversis tamen rationibus dicta intelliguntur, nedum apud Christianos, sed & antea apud Gentiles; atque ut ab his exordiamur, Templum a templando, sive a tuendo (quæ duo verba idem significant quod videre, conspicere; unde etiam intueri pro iisdem dicimus) locus proprie est, aut spatium, quod videmus, quodque ex omni parte, vel ex eo omnis pars aspici possit, ut ait Donatus, strictius autem significat locum muro clausum Dei alicujus cultui destinatum, & consecratum. Differt autem Templum ab Æde sacra, quod hæc quidem divino cultui dicata fuerit, sed non consecrata; ab eodem item distinguebatur, quod in ista in medio Templi, seu in ipsius fronte posita collocaretur idolum, seu simulacrum Numinis, quod Ethnici adorabant; Templum vero diceretur totum illud spatium, quo dictæ Ædes circumquaque ambiebantur, sive muro, aut lignis, vel aliquo simili sepimento clausum, sive opertum, vel non suis certis limitibus contineretur. Hinc ex Varrone nos docet Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 14. cap. 7. Templum per se auguratum esse, non sanctum, Ædem per se sanctam, non auguratam, quia hæc continebat, ut diximus, alicujus Dei, aut plurium monumentum, quo sanctificari stulte credebatur; Templum vero, non Ædes, auguratum apud Ethnicos dicitur; Ædes enim non erant ab Auguribus consecratæ, sed Templa, quæ proinde augusta dicebantur Ovidio Fast. 1.

Sancta vocant Augusta Patres: augusta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

Denuo Gellius loco citato, Rostra item in foro sæpe Templa vocantur, quia augurato constituta, non tamen dicuntur Ædes sacræ, quia nulli erant Deo dicata; at si quid & augurato constitutum, & Deo dicatum esset, tum & Templum, & Ædes sacra dicebatur. Atque hinc quoque dignoscitur qua ratione differrent Templum, & Curia, nam Curiæ non ante dici potuere Templa, quam inaugurata. Itaque Curia Hostilia, Pompeja, ac Julia cum prius fuissent profanæ, Templi appellationem acceperunt, postquam per Augures constitutæ fuere, ut in iis Senatus Consulta more majorum justa fieri possent. Hæc Gellius, & ex ipso Vossius Etymol. verbo *Ædes*: quæ item confirmari possunt ex Cicerone Orat. pro Milone, & ex Virgilio Æneid. lib. 7. ubi ait:

Hoc illis curia Templum.

Gentilium Templa plerumque super hominum sepulchra condita, & erecta.

Templa porro Gentilibus plerumque super hominum sepulcra, quos ipsi magnifacerent, erecta erant, eorumque memoriam perennem consignantes redditis præpostera religione in loco sepulturæ divinis honoribus sic perditissimos etiam homines inter numina referentes miseri deplorabili superstitione impios, & inanes Deos, quos sibi constituerant, venerabantur, uti id astruunt Clemens Alexandrinus in Protreptico, sive Exhortatione ad Ethnicos paulo post initium, Eusebius de Præpar. Evang. lib. 2. cap. 5. Arnobius contra Gentes lib. 6. Cyrillus Alex. adv. Julianum, aliique apud Joannem Spencerum de Legibus Hebræorum Ritualibus cap. 1. Dissert. 6. sect. 3. ac de Templis Romanorum universis expresse Prudentius lib. 1. contra Symmachum:

Et tot Templa Deum, Romæ quot in Urbe sepulcra
Heroum memorare licet.

Sic proinde fere omnibus Paganorum Diis ex mortalibus consecratis, quos sane homines in censum numinum profana religio transtulerat, major eorumdem templorum pars sepulcris super cadavera erectis mausolea potius, veriusque referebat, quam Templa, quod profecto cultus recenter invecti apertissimum erat documentum, simulque ipsius sacrilegam, impiamque prodebat vanitatem, cum sæpe divinis honoribus, ut diximus, corruptissimi homines colerentur, quorum ne memoriam mansisse par erat.

Sed & Ædes hujusmodi apud Ethnicos sacras, etiam domesticas Templi nomine ab ipsis donatas fuisse constat ex Dione, & Svetonio apud Baronium Appar. ad Annales Eccl. num. 25. & Jacobum Phil. Tomasinum de Donariis pag. 17. Cæsar enim Octavianus Augustus Apollinis studiosissimus eidem profano numini in proprio Palatio Templum dedicasse dicitur, atque hecatombem sacrificasse; huic testimonio jungendum illud Virgilii Æneid. 2.

Præterea fuit in tectis de marmore Templum
Conjugis antiqui,

ædiculam scilicet; neque enim Templum amplæ molis in tectis positum fuisse credibile videtur; consonat his vetus formula Dedicandorum, quam ex Varrone recitat Joseph Scaliger in suis ad Festum Castigationibus, & ex ipso memoratus Thomasinus ibidem, ubi quidquid Ethnicis Templum dicebatur, illud ipsis erat. Hactenus de Gentilium Templis, Ædibus, & Basilicis, hisce tamen postremis, & supradictis nonnulla adjicere visum esto.

Gemi-

Gemina apud Profanos Basilicæ notio.

Gemina itaque Basilicæ notio olim apud Profanos ea erat, ut intelligeretur pro pluribus simul porticibus in longum junctis, quas æquis inter se distantes spatiis columnæ fulcirent, & epistylia desuper necterent, ut locus a Cæli injuriis tutus præberetur convenientibus ad mercatus, & negotiationes, uti ex Vitruvio lib. 5. cap. 1. colligit Card. Baronius in notis ad Martyr. Rom. ad diem 5. Augusti. Et sane hujusmodi structuræ veteres Romanorum Basilicas fuisse testantur Plinius loco supra indicato, ubi de Basilica ab Æmilio Paulo ædificata, *mirabilem*, inquit, *Phrygibus columnis Basilicam erexit*, & de eadem Cicero loco pariter superius expresso ad Atticum lib. 4. Epist. 16. *Paulus in medio foro Basilicam pene texuit iisdem antiquis columnis; illam autem, quam locavit, fecit magnificentissimam &c.* Inibi quoque habita judicia, & publicas conciones discimus tum ex Vitruvio præfato, qui dicto loco de Basilicis loquens: *erant illæ*, ait, *loca venalium rerum foris conjuncta, in quibus hyeme potissimum publicæ conciones, & negotiantum conventus habebantur*: tum ex Plinio jam laudato: *descenderam*, inquit, *in Basilicam Juliam auditurus quid proxima comperendinatione debeam; sedebant Judices, centumviri venerant &c.* erant & Romæ privatorum Basilicæ ad inambulandum constructæ, in quas magnificentissime ornatas, præsertim in tectis, invehitur S. Hieronymus Epist. 18. ad Marcellam.

Basilicarum structuram, & formam, vel ex Salomonis Templo, vel ex Judæorum libris Gentiles sumpsere.

Hujusmodi autem condendarum Basilicarum formam vel ex Hierosolymitano Templo a Salomone constructo, ejusque Regio Palatio, aut ex Judæorum libris Gentiles desumpsisse admodum credibile est, quin & pro certo nobis persuasum habetur, quidquid aliter nonnulli perperam contrarium sentiant, inter quos Protestantium duo Joannes Marshamus in Canone Chronico, & Joannes Spencerus loco significato lib. 3. de Legibus Hebræorum Ritualibus Dissert. 6. qui novam, & singularem cudentes opinionem, Templi Salomonici originem nec ad Dei consilium, afflatum, & authoritatem, neque ad Davidis, & Salomonis pietatem esse referendam, sed illam ex Ægyptiaca superstitione, seu ex ruditate, & moribus Gentium, quibus solemne erat Diis suis Templa consecrare, arcessendam esse falso contendunt, quos tamen Natalis Alexander vir summus Hist. Eccl. Vet. Testam. Tom. 2. in fol. Paris. seu 3. in 4. Edit. Venetæ in Hist. quintæ Mundi ætatis Dissert. 1. exquisitis rationibus, & argumentis erudite perstringit. Sane ut nonnulla illis ego etiam reponam, cum Hierosolymitani Templi fama non in vicinis solum, sed & remotioribus populis fuerit celebris, ac pervagata, uti ex lib. 3. Regum cap. 8. v. 41. 42. constat, ac proinde excellentissime diffamatum Templum illud vocat Augustinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 8., admodum verisimile est exteras Gentes Templa sua ad præstantissimi istius exemplaris normam extruxisse; Deus quippe pium Davidis, & Salomonis propositum de Templo majestati suæ ædificando approbans, non ex peregrinis operibus, aut architectis, vel proprio ingenio illos sibi typum formare passus est, sed sua ipse sapientia infinita omnium opifice quamlibet ejusdem Templi structuram delineavit, uti ex lib. 1. Paralip. habetur cap. 28. 11. 19. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, & Templi, & Cellariorum, & Cœnaculi, & Cubiculorum in adytis, & Domus propitiationis ..... Omnia* (inquit) *venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Hujus divinæ in Davidem benignitatis testimonium Moysis alterius amici Dei exemplo profert Theodoretus qu. 28. in lib. 3. Regum. *Est ergo*, inquit, *perspicuum, quod sicut magno Moysi ostendit Deus exemplum Tabernaculi, & dixit ei*: facies omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte: *ita etiam Beatum Davidem docuit gratia Spiritus formam ædificii, ipse autem hoc ostendit Filio.*

Marshamus, & Spencerus confutati.

Cum autem id ita sit, & clarissime expressum constet, quo pacto, nisi contra Scripturam loquendo, quod absit, asseri umquam potest Deum humano aliquo consilio, aut alicujus opere præcedente, a Gentilium scilicet Templorum forma, & structura dicti Judaici Templi exemplar Davidi ostensum, & Salomoni traditum desumpsisse, uti impudenter præfati Marshamus, & Spencerus effutiunt? qui dum temere posuerunt in Cælum os suum, lingua eorum transivit in terra, atque priscis Israelitis similes facti sunt, qui *irritaverunt opera Dei, & facta ejus non intellexerunt*; tantum enim abest, ut profanorum Templorum, quæ iidem Israelitæ in Ægypto viderant, respectu, & intuitu Deus Omnipotens, qui in omnibus operibus suis quæcumque voluit fecit, ac proinde bonorum nostrorum non eget, rudi Gentium genio indulgens, ut ita dicam, seculique moribus se accommodans Davidi suggesserit, ac Salomoni illius Filio condendi Templi fabricam concesserit, ut e contra nihil se de tali sacra Æde locutum significet, quo tempore Ægyptiacorum Templorum, si quæ essent, memoria apud majores eorum recens erat. Numquid apud istos cujuscumque sint eruditionis, aut scientiæ viros humano indiguit consilio hominum Creator Omnipotens Deus? *Quis Consiliarius ejus fuit, & ostendit illi ..... aut quis prior dedit illi, quam imaginem ponetis ei?* uti dicitur Isaiæ 40., & ad Rom. 11. Commendavit quidem Deus religiosissimam Davidis intentionem, eique illam ab ipsiusmet Dei afflatu profectam Nathan Propheta declaravit lib. 2. Regum cap. 7. neque id consilium umquam ut Ægyptiacæ superstitionis fermentum, vel inanis, aut profanæ cogitationis figmentum condonavit, sed ut eximiæ pietatis affectum, ut præclarum intensæ religionis in Factorem suum monumentum, utque sibi gratissimum excepit; unde etiam amplis promissionibus hanc Davidis pietatem munerat, atque in numero benedictionum, quibus Filium Salomonem cumulabit, illam veluti principem recenset, quod divinæ suæ majestati Templum sit ædificaturus; quin & bonam, Deoque acceptissimam fuisse Davidis voluntatem de Templo nomini Domini ædificando Spiritus Sanctus lib. 3. Regum, cap.

cap. 8. ubi Templi Dedicatio describitur, per ipsum Salomonem testatur his verbis: *voluitque David Pater meus ædificare Domum nomini Domini Dei Israel,& ait Dominus ad David Patrem meum : quod cogitasti in corde ædificare Domum nomini meo , bene fecisti hoc ipsum mente tractans &c.* deinde dicitur ibi Deo placuisse, ut operis executio non Davidi , sed Salomoni ejus Filio servaretur .

Judaicum Templum Dei afflatu , & authoritate a Salomone constructum.

Neque arbitratu dumtaxat suo David , & Salomon de Dei Templo construendo cogitarunt , verum & Dei afflatu , consilio , & authoritate , qui cum jam olim præceperit Deuter. 12. 13. non offerri sacrificia nisi in loco , quem ipse Deus designaverit , & elegerit (elegit autem postea montem Sion , quem dilexit , super quem ædificatum est Templum , uti ex Psal. 78.) ipsi de eodem ibi ædificando cogitarunt , sicut Dominus locutus est ad David ; nam dicto lib. 3. Regum cap. 5. scribens Salomon ad Hiram Regem Tyri hæc ait : *Ego cogito ædificare Templum nomini Dei mei, sicut locutus est Dominus David Patri meo &c.* quod & habetur expressum 2. Regum cap. 7. & 1. Paralip. 22. Itaque juxta Domini nutum, motumque, non tantum suo se ad ædificationem Templi Domino induxerunt David , & Salomon . Absoluta postmodum Templi fabrica, quantum istius meditatio , executio , & complementum Deo placuerint , quamque acceptum, gratumque esset majestati divinæ idem sacrum opus, ipse Dominus in illius solemni Dedicatione a Salomone peracta insignibus miraculis palam omni populo significare dignatus est ; legitur enim Paralip. lib. 2. cap. 7. quod *cum complesset Salomon fundens preces , ignis descendit de Cælo , & devoravit holocausta , & victimas , & majestas Domini implevit Domum, nec poterant Sacerdotes ingredi Templum Domini,eo quod implesset majestas Domini Templum Domini . Sed & omnes Filii Israel videbant descendentem ignem , & gloriam Domini super Domum &c.* An , quæso, ab Ægyptiaca superstitione , aut vana Gentium idololatrica similitudine profectum opus Deus sic approbasset , ac tam perspicuis , clarisque signis , & miraculis illustrasset? Quis ignorat vera nonnisi a Deo esse miracula, ipsumque illa edere nonnisi ad majorem sui gloriam , & veritatem contestandam, aut hominum utilitatem ? Apage igitur commenta , & nugas Marshamo , & Spencero , si inter Eruditos accenseri volunt, indignas, fugiendasque . Hæc quoad Basilicas , & Templa veterum ante Christum natum delibasse sufficiat .

Apud veteres Christianos Templum,& Basilica non idem sunt .

Quo vero ad Christianorum Ecclesias, eorumque nominum distinctionem observandum occurrit, quod juxta antiquorum Patrum doctrinam Templum , & Basilica non idem sunt , aut synonyma , licet autem de eadem domo , seu structura sic sæpe dicantur , dicuntur tamen sub diversis rationibus ; nam Sacra Ædes proprie Templum dicitur, quatenus erigitur ad Sacrificia , & eadem dicitur Basilica , quatenus construitur ad ornatum sepulchri alicujus Sancti, sive Martyris , aut Confessoris, vel Sanctæ Virginis, aut Viduæ, & ad commodum Christifidelium ejusmodi reliquias visitantium . Et quidem Basilica per se sumpta non dicit relationem ad Sacrificia , nam domus amplæ ad instar magnorum Templorum ædificatæ Basilicæ dictæ sunt etiam , quia ad eas Reges , aut Principes , & Magnates , aut Proceres ad judicandum aliquando accedebant . Hinc propter regalem magnificentiam Templa insigniora in Urbe postea Basilicæ fuerunt appellatæ, de quibus Isidorus Originum , sive Etymol. lib. 15. cap. 4. *Basilicæ* , ait, *prius vocabantur Regum habitacula , unde & nomen habent , nunc autem ideo Basilicæ divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus , & sacrificia offeruntur* ; ita etiam Amalarius lib. 3. cap. 2. Walafridus Strabo cap. 6. & 7. Jo. Steph. Durantus lib. 1. cap. 1. Vide item quæ de Basilicis notavit Gaspar Barthius Adversf. lib 60. Ab hac igitur generali significatione Domus amplæ, in quibus Magistratus jus dicebat, Basilicæ olim nominabantur, ut dictum est ex Seneca de Ira lib. 3. cap. 33.

Cumque ex post Basilicis Gentilium dirutis Ecclesiæ Christianorum earum spatia occuparent , & integræ etiam in Ecclesias converterentur , eapropter insigniora Templa Basilicæ vocatæ sunt . Fortasse & a similitudine amplarum hujusmodi domorum cum atriis dicitur lib. 2. Paralip. cap. 4. v. 9. quod Salomon *fecit etiam atrium Sacerdotum , & Basilicam grandem* , magnum scilicet atrium, atque regali plane magnificentia extructum , in quo Populus omnis conveniret . In hac Basilica posuit idem Rex Salomon basim æneam, nempe pro suggestu , ut innuit sacer Textus lib. 2. Paralip. cap. 6. 13. : *siquidem fecerat Salomon basim æneam , & posuerat eam in medio Basilicæ* . Regum itaque Palatia Basilicæ dicta fuere , ut item patet ex Libro Esther cap. 5. ubi Basilica Regis Assueri vocatur Aula interior , in qua thronus aureus erectus erat , ut in eo Rex , dum externos admittebat , resideret ; erat quippe in atrio interiori quoddam spatium distinctum , aulæisque regalibus circumdatum, quod Basilica vocabatur , & consistorium Palatii ; sicque Regina Esther *stetit in atrio Domus Regiæ , quod erat contra Basilicam Regis* . Hujusmodi itaque Palatia proprie Basilicæ dicuntur , & inde nomen translatum ad Martyrum Ædes sacras significandas,in quibus eorum corpora ,vel exuviæ residerent , quamvis ad dictarum veterum Basilicarum formam constructæ non essent.

Altaria etiam variis nominibus appellata.

Id etiam videmus in Altaribus (ut optime subdit doctissimus Card. Bellarminus Controv. Tom. II. lib. 3. de cultu Sanct. cap. 4. circa finem) unus quippe & idem lapis Altare consecratur , quatenus in ipso sacrificatur Deo , idemque tumulus dicitur , vel sepulchrum, quatenus Corpus integrum , aut ossa, vel reliquias tegit alicujus Martyris ; omnia enim Altaria sepulchra Sanctorum sunt , & sicut lapis ille vere dedicatur Sancto , non sub ratione Altaris , sed sub ratione Sepulchri,ita Domus aliqua nuncupatur Sancto, non sub ratione Templi , sed sub ratione Basilicæ; & quemadmodum idololatria esset erigere Sanctis Templa sub ratione Templi , non tamen idololatria est illis erigere Basilicas ; sicut

sicut etiam non est idololatria donare Sanctis thecas aureas, vel argenteas, quibus eorum Reliquiæ includantur; nihil enim aliud sunt Basilicæ, quam magnæ quædam Thecæ, quibus minores thecæ, & ipsa Sepulchra clauduntur: ex quibus sequitur aliter dici Missam S. Petri, aliter Basilicam S. Petri; nam Missa non offertur ullo modo S. Petro nec primario, nec secundario (etenim S. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei cap. ult. *nec nos*, inquit, *Martyribus Templa, Sacerdotia, sacra, & Sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus*: & postea ... . *Non autem ista esse Sacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur, Sacrificium Christianorum*); at Basilica vere ædificatur S. Petro, si non primario, (cum hoc respectu soli tantum Deo ædificetur) saltem secundario, scilicet in ejus honorem & memoriam.

Discrimen inter Templū & Basilicam ex Patribus comprobatur.

Esse autem hoc discrimen inter Templum & Basilicam, ex Patribus comprobatur; Augustinus namque mox laudatus clarissime testatur lib. 1. contra Maximinum, & lib. contra sermonem Arianorum, Templi erectionem esse cultum latriæ soli Deo debitum; idemque supra indicato lib. 8. de Civ. Dei cap. ult. conjungit Templum cum Altari, & Sacrificio, docens cui convenit unum eorum, & alia convenire, & e contra; nihilominus in iisdem locis Sanctus Doctor fatetur memorias recte Martyribus ædificari, uti jam supra nota 3. observatum est; & reliqui consonant veteres coævi Scriptores. Idem autem Augustinus nusquam dicit Templa Martyrum, & tamen dicit Basilicas, Memorias Martyrum. quod etiam in aliis Latinis Patribus observare licet. Porro Græci dicunt quidem Templa Martyribus fabricari, vel dedicari, quod non diffitemur, patet nempe ex Basilio in Psal. 114., ubi eadem vocat *Sacra Martyria*, ex Chrysostomo Hom. 28. ad Populum Antioch. ubi *Templa Martyrum* Ecclesias, & Sacras Ædes nuncupat, ac similiter loquuntur Gregorius Nyssenus, aliique; attamen certum est, eos intelligere non formaliter in proprio sensu, sed materialiter, ut Scholasticorum vocibus utar, videlicet domum illam, seu sacram ædem, quæ dicitur Templum, fabricari Martyribus, non autem sub ratione templi ad Sacrificia, sed Basilicæ ad eorum honorem, & ad ornandam ipsorum Sanctorum memoriam. Quod autem sic & non aliter dicti Orientis Patres intelligant, per se satis manifestum est; nam ipsi simpliciter asserunt Ædes exstrui Martyribus, nusquam tamen dicunt Sacrificium offerri Martyribus, immo hoc perspicue negant, ut patet ex Theodoreto ad Græcos, sive de curandis affectionibus Græcorum adversus Julianum Apostatam lib. 8., ubi in id plura profert; aliter itaque isti etiam prisci Orientalis Ecclesiæ Præsules existimabant ædes, aliter Sacrificium ad Martyres pertinere.

Neque obstat solemnis Ritus consecrationis Ecclesiæ.

Neque obstat solemnis Ritus consecrationis Ecclesiæ; nam cum dicitur Templum sacrari ad honorem Dei, & nomen Martyris, agitur de Consecratione Templi, ut Templum est, ædes scilicet specialis a cæteris distincta, in qua Sacrificia illibata Deo offerantur, non autem, ut Basilica tantum, seu ut simpliciter est conditorium, vel alicujus Martyris Sepulchrum; Templum quippe ex sui propria notione sine Altari, in quo sacrificetur, non est, Basilica vero, ut innuimus, sine ipso esse potest. *Neque enim*, (inquit Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. III. lib. 2. cap. 13., ubi plura de benedictione, ac dedicatione Ecclesiarum, ac varios ejusdem ordines profert) *qualiscumque domus, sed Templum, & Templum Altissimo consecratur, in quo non taurorum, aut vitulorum caro mactatur, sed Corpus, & Sanguis Agni immaculati in ara Crucis pro nobis semel immolati in Sacrificium offertur*. Hinc licet in omni loco Deus in spiritu, & veritate adorari possit, & debeat, uti sapienter initio hujus capitis advertit Card. noster, in solo nihilominus templo Sacrificium offerre, cumque vario cæremoniarum apparatu, ac cultu publico Deum adorare licitum est, non tantum in veteri, sed & in nova lege; sic sua quoque Templa, ac olim Judæi, nunc habent Christiani, quibus specialiter assistit supremi Numinis majestas. *Domus mea*, ait Christus Dominus Matth. 21. *Domus orationis vocabitur*. Et Joann. 2. *nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis*. Ea propter quatuor ob fines eriguntur Templa, unde etiam varie appellantur, ut paulo ante memoravimus, videlicet ad Sacrificandum Deo, & hinc dicuntur Templa Domus Dei, Dominica; ad orandum, & inde Domus orationis, seu Oratoria; ad Martyrum, vel aliorum Sanctorum Reliquias condendas, & decenter, atque honorifice conservandas, & hinc Basilicæ, Memoriæ, Ædes Martyrum, & Martyria appellantur; denique ad populum verbo Dei, & Sacramentis reficiendum, & hinc communi vocabulo nuncupantur Ecclesiæ. Atque solum quartum nomen, alia repudiantes agnoscunt, moderni nostri temporis Sectarii, cohærenter quidem ad præcipuum eorum errorem, quo circa Missæ Sacrificium Eucharisticum, & latreuticum laborant, item quoad Martyrum & Sanctorum Reliquias, quas contemnunt; ad quid enim Templorum apud ipsos necessitas, ut Deo Sacrificium offeratur, si nullum revera sit, ut illi nequiter effutiunt, Sacrificium? Ad quid Basilicæ, ut Sanctorum Sepulchra religiosius custodiantur, si istorum exuvias nulla veneratione dignas ii temere, & falso comminiscuntur? Anabaptistæ autem, & Valdenses (ut notat clariss. Theologus, & Sorbonicus Doctor Honoratus Tournely de Sacram. Eucharist. quæst. 8. art. 13., ubi de Templis, ex quo sparsim, ac nonnihil immutata quæ sequuntur, desumpsimus) nec quidem ad populum verbo Dei, ac Sacramentis nutriendum templa esse erigenda fatui somniantur.

Quatuor ob fines sacra Templa eriguntur.

Eriguntur itaque, & jure quidem apud Christianos Templa ad Sacrificium Deo unice offerendum, non potest scilicet Sacrificium offerri Altissimo nisi in Altari, Altare autem in templo erigitur; quid est enim templum nisi locus Altaris? sicut ergo in Ecclesia Christi extitere semper & Altaria & Sacrificium incruen-

incruentum Missæ, ut satis superque toto hoc Opere Liturgico demonstraturum imus, ita & templa; quod enim iis convenit, & idem his convenire mox didicimus ex Augustino, qui Templum cum Altari, & Sacrificio conjungit. Coovenienter etiam Christianorum Ecclesiæ ad orandum non solum publica, sed & privata oratione instituuntur; Et primo quidem ex veteri Testamento lib. 3. Regum cap. 8., & 2. Paralip. cap. 6. Salomon Templum factum esse, ut sit locus orationis, affirmat, & petit a Deo ut quicumque ibi oraverit, exaudiatur: 3. Regum cap. 9. Deus Salomoni apparens pollicetur ita futurum ut ille postulaverat; At si esset superstitio orare in Templo potius, quam alibi, ut volunt Anabaptistæ & Valdenses, neque Salomon ad hunc finem Templum construxisset, neque Deus tot signis, ut supra diximus, factum ejus approbasset. Præterea Deus per os Isaiæ Prophetæ locutus ait de iis, qui mandata sua custodirent. *Lætificabo eos in Domo orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super Altari meo, quia domus mea Domus orationis vocabitur cunctis populis*: Vides hic ex Augustini sensu Templum cum Altari, & Sacrificio conjunctum. Confirmant exempla in Sacra Scriptura expressa; lib. 1. Reg. cap. 1. Anna Domioum precatura accedit ad Tabernaculum, ubi erat Arca, ibique orans exaudita est. Pariter lib. 2. Reg. cap. 7., & 15. David item precaturus perrexit ad Tabernaculum, & coram Arca Domini orare cœpit; at certe nisi putasset ibi Domioum magis esse præsentem, & orationem suam facilius exaudiri, domi orans remansisset. Hæc ex veteri Fœdere; In novo autem habetur Lucæ cap. 2. quod Anna Prophetissa *non discedebat de Templo jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die*. Item Lucæ 18. Publicanus in Templo orans justificatur. Act. 3. *Petrus, & Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Item ibid. 8. Eunuchus Reginæ Candacis Æthiopiæ venerat adorare in Hierusalem.

Confutantur Hæretici Anabaptistæ, & Valdenses, qui orare in Templo superstitionem dicunt esse.

Neque obstat quod ait Christus Dominus Matth. 6. vers. 6. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum ibi in abscondito*. Et Joan. 4. 21. *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*. Nam in primo loco non prohibet Christus alibi privatim orare, quam in secreto cubiculo; Apostolus enim ait Epist. I. ad Tim. cap. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco &c.* sed dumtaxat excludit, ac damnat vanam gloriam, atque tumidum Pharisæorum fastum & hyprocrisim, qui in angulis platearum orabant, ut ab hominibus viderentur. Quando igitur sic oramus Deum, ut non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus, quicumque locus sit, in quo oramus, sive in Ecclesia, sive in montibus, sive etiam in foro; quando vero intramus cubiculum ad orandum, & videri cupimus, tunc sane extra cubiculum orare dicimur, sicut apposite ad hunc locum observat Chrysostomus; & sane qui sic orant, illis accensendi sunt, de quibus dicitur ex Isaia Propheta Matth. 15., & Marci 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. In secundo vero textu Christus non loquitur de adoratione respectu loci, sed ratione modi, idest tempore novæ legis Deum non amplius adorandum esse in monte Garizim, hoc est ritu Samaritano erroribus pleno, nec adorandum in Hierusalem, hoc est ritu Judaico mere carnali, externo, & materiali, sed adorandum *in spiritu, & veritate*: in spiritu, excluso ritu mere externo, Judaico, in veritate, excluso errore Samaritano. Quod autem in nova Lege non prohibuerit Christus orare in Hierusalem, constat exemplis supra allatis, præcipue Apostolorum Petri, & Joannis, qui etiam post acceptum Spiritum Sanctum ascendebant in Templum, ut orarent.

Recte item ac religiose Sacræ Domus eriguntur in memoriam Sanctorum, & ad eorum Reliquias honorifice conservandas: Fuit hic semper Ecclesiæ usus, uti hoc §. 4. & sequenti 5. ostenditur. Concilium quippe Carthaginense V. an. 254. Can. 14. vetat ne Ædes ulli Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquæ ejus Reliquiæ, aut ibi Martyr habitaverit; aut certe in eo loco passus sit; aliquid namque eorum requiritur ut memoria Martyris, locus, in quo Ecclesia ædificatur, dici possit. Concilium etiam Gangrense seculo quarto, circa annum scilicet 340. habitum in Synodali Epistola ad Episcopos Armeniæ damnat uti hæreticum Eusthatium Sebastenum ut pote contemptorem Basilicarum SS. Martyrum; Concilium Cabilonense an. circa 650. celebratum can. ultimo memorat Martyrum Basilicas; Patrum testimonia in hanc rem hic sileo, quorum bene multa infra capite sequenti, cum de Altaribus sermo erit, congerentur. Pro omnibus testibus sufficiat Ammianum Marcellinum, tametsi profanum seculi quarti Scriptorem, adferre; Is de sacris Martyrum ædibus per Christianos erectis hæc habet Histor. lib. 22. cap. 11. *Dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad littus* (Gentilium multitudo) *iisdemque subdito igne crematis, cineres projecit in mare*, (nempe Dracontii, & Diodori) *id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis ædes eis construerentur, ut reliquis, qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc Martyres appellantur*. Hinc apud eumdem Authorem Basilicæ Christianorum a Gentilibus *Sepulchra* dictæ sunt.

Recte igitur eriguntur sacræ ædes in memoriam Sanctorum, & ob eorum reliquias condendas.

Convenienter itidem, ac juste instituuntur loca, in quibus verbum Dei, & Sacramenta populo ministrantur. Patet id ex Sacra Scriptura novi Testamenti exemplo Christi Domini, & Apostolorum, qui licet interdum data occasione variis in locis verbum Dei disseminarent, ordinarie tamen in Templo, vel Synagogis, quæ tunc erant illius temporis Ecclesiæ, docebant. Matth. 26. ait Christus Dominus: *Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis*. Marci cap. 1. *Et erat* (Jesus) *prædicans in Synagogis eorum.* Et cap. 6. *facto Sabbato cœpit in Synagoga docere*. Lucæ cap. 4. *docebat in Synagogis eorum.* Et cap. 13. *Erat autem docens in Synagogis*

Item ad verbum Dei, & Sacramenta populis ministranda.

eorum

eorum Sabbatis. Item Joan. 18. *Ego palam loquutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto loquutus sum nihil*. Denique Act. 5. Angelus educens Apostolos de carcere, dicit illis: *ite, & stantes in Templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus; qui cum audissent, intraverunt diluculo in Templum, & docebant*. Patet item exemplo primorum Christifidelium; nam quod illi proprias habuerint Ecclesias a domibus privatis distinctas, jam supra ostensum est, & manifeste constat ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras &c.* Quod autem hæc Ecclesia non esset privata domus, demonstrant quæ sequuntur: *numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* & rursus: *si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis*. Ecclesia itaque diversa erat a domo privata, in qua manducarent. Porro de Ecclesiarum consecratione, seu dedicatione, quam nobis exprobrant Novatores, quod tanto cæremoniarum apparatu eam celebremus, nonnulla dicentur cap. sequenti §. 3. cum de Altaribus; utrorumque enim est par ratio. Sed ad reliqua Ecclesiis spectantia procedamus.

§. V.

Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quædam de Cryptis.

MOS olim Christianorum fuit, ut cum ab Ethnicis Fidei causa vexabantur, in areis, & cœmeteriis, in quibus Martyrum corpora quiescebant, ad Synaxim peragendam convenirent, ut supra ostendimus: postquam vero Dei nutu extinctis tyrannis, & profligato Ethnicismo, Romanum imperium Crucis gloriam agnovit; cum jam liceret palam, & ubique Christo Deo erigere Templa, in iis præcipue locis excitari cœperunt, in quibus paulo ante congregari, & clam Mysteria celebrare consueverant: atque inde originem traxisse mihi videtur celeberrimus, & inviolabilis Ecclesiæ Ritus, ut sine Martyrum Reliquiis nullum Templum, nullumve Altare ædificetur. Cœpit hic primum in Ecclesia Romana observari, & ab ea ad alias dimanavit. De Felice I. summo Pontifice sic scribit Anastasius: *Hic constituit supra sepulchra, aut memorias Martyrum Missas celebrari*; quia fortassis de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset (1). Prudentius postquam locum descripsit, in quo repositum fuit S. Martyris Hippolyti corpus, ita canit: (1)

Nullum Templum, nulla Ecclesia, nullumque Altare sine Martyrum reliquiis consecratum.

Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita,
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

Concinit Prudentio Paulinus Natali 9. S. Felicis.

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

Idem *initio epistolæ* 11. *ad Severum* Reliquias ad Basilicam dedicandam necessarias esse asserit, eique mittit ad hunc effectum particulam ligni sanctæ Crucis (2). Ambrosius *epist.* 54. ad Marcellinam sororem: *Cum Ba- (2)
silicam*, inquit, *dedicare vellem, mibi tamquam uno ore interpellare cœperunt dicentes, sicut in Romana, sic Basilicam dedices. Respondi. Faciam, si Martyrum Reliquias invenero*. Invenit autem Sanctorum Gervasii, & Protasii corpora, & Basilicam Romano more dedicavit (3). Idem *initio libri* (3)
de hortatione ad Virginitatem de Reliquiis Sanctorum Vitalis, & Agricolæ sermonem habens ait, *Munera salutis accipite, quæ nunc sub sacris Altaribus reconduntur*. Hieronymus adversus Vigilantium, qui ausus est Martyrum cultum impiis scriptis convellere: *Male ergo facit Romanus Episco-*

pus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur Altaria. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria*. Et serm. 113. de diversis, qui est de S. Cypriano, eleganter ostendit Templum ibi constructum, in quo Sanguis Christi bibitur, ubi ille suum fudit (4). Gregorius Magnus *lib. 5. epist.* 45. Leontio Ariminensi (4) facultatem tribuit Ecclesiam dedicandi, *in qua*, inquit, *Reliquiarum sanctuarium volumus collocari*, & infra *epist.* 50. Episcopo Santonensi Reliquias mittit pro consecrandis Altaribus. Agit de eadem re *lib. 7. Indict. 2. ep.* 11. 12. 73. 74. 85. *lib. 9. ep.* 26. *lib.* 10. *ep.* 12. & *lib.* 1. *Dialog. cap.* 10. Gregorius Turonen. in vita S. Senoch Abbatis, *erecto altari, & loculo in eo ad recipiendas Sanctorum Reliquias præparato, ad benedicendum invitat Episcopum* (5). Apud Sozomenum *lib. 5. cap.* 8. Zeno Episcopus Gazæ (5) Ecclesiam ædificavit, Altare in ea erexit, ibique reposuit Reliquias Martyrum. Theophanes in Justiniano facta refert apud Constantinopolim Encænia Apostolorum, & recondita lipsana Andreæ, & Lucæ Apostolorum, quæ solemni pompa a Menna Episcopo in Templum delata sunt. Cum vero hic mos ab Iconomachis convelli, & abrogari cœpisset, septima Synodus can. 7. statuit, ut quæcunque Templa sine Martyrum Reliquiis consecrata erant, in iis Reliquiæ cum precibus consuetis ponerentur: & si quis Templum sine Reliquiis consecraret, deponeretur, tamquam transgressor Ecclesiasticarum traditionum. Hujus Christianæ consuetudinis testis est vel invitus vir impius, & Christiano nomini infensissimus Eunapius Sardianus, qui *in Ædesio* Fani Serapidis ruinam deplorans, ibi Monachos introductos, & Martyrum Reliquias collocatas rabiosissime exaggerat (6). (6) Quod si aliqua Sacella, sive Oratoria in villis erigebantur, Concilium Epaunense *can.* 25. prohibuit, ne Reliquiæ Sanctorum in illis collocarentur, nisi Clericos vicinæ Parochiæ adesse contingeret, qui sacris cineribus psallendi frequentia famularentur. Lego etiam apud Theodoretum, & Sozomenum erecta quandoque Templa super tumulos Confessorum (7). Ille (7) enim *in Hist. religiosa cap.* 24. loculo Zebinæ Monachi maximum Templum inædificatum scribit. Hic *lib.* 8. *Eccl. hist. cap.* 19. de S. Nilamnone Monacho agens, qui mortem a Deo impetraverat, ne onus Episcopale subiret, ait: *Templum super ejus sepulchrum indigenæ construxerunt* (8). (8) Antiquissima tamen, & ubique recepta consuetudo fert, ut Martyrum Reliquiæ in Altarium consecratione adhibeantur, quorum animas sub Altari Dei Joannes in Cœlis vidit cap. 6. Apocalypsis. Hæc autem Martyrum veneratio ex eo dogmate fidei orta est, qua Sanctorum communionem credimus, & fatemur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad orationem, & ad divina mysteria participanda conveniebant, in quibus Sanctorum lipsana posita erant, ut ea ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem repræsentatur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum militanti communicat, & sacrificio nostro interest. Nam licet ipsa lipsana, & ossa Sanctorum absente anima sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam, quæ in Cœlis est, & ipsis inest semen quoddam resurrectionis, & æternitatis. Hac eadem de causa veteris Ecclesiæ Patres Episcopos Orthodoxos sub Altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis

sacri-

sacrificia, & ordinationes fierent; quia ad servandam fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam communionem viventis Episcopi cum Antecessore defuncto necessariam existimabant. Apparet hujus moris vestigium in Collatione Catholicorum cum Donatistis habita Carthagine tempore Innocentii I. *cognitione prima cap.* 204. nam ibi Donatus Episcopus Sitifensis Orthodoxus dixit: *supra corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic Episcopus* (9). (9)

Idque ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ac multo ante Felicis Papæ I. tempora.

(1) *De hoc legem edidit, ne aliter fieri posset*) Sepulchra enim, ut putat Schelestratius ad hunc Anastasii locum, vel ob inscriptiones, & signa Martyrii, vel ob ossa Martyrum ibidem posita vocabantur *Memoriæ Martyrum*, & ex hac Felicis Constitutione ortum habuisse videtur can. 34. Concil. Illiberitani, *ne cereus in Cœmeteriis incendatur: inquietandi enim Spiritus Sanctorum non sunt*. Quod nimirum Gentiles ex cerei lumine detegerent loca, in quibus Martyres sepulti erant, quorum sepulchra ex illo indicio dejiciebant. Porro cum hoc temporibus Diocletiani non licuerit, probabile est tunc Martyrum ossa in aliis locis sub Altaribus collocari cœpisse, & ex illo profluxisse Ecclesiæ ritum hujusmodi consecrandi Altaria cum Martyrum reliquiis, quæ sub illis conduntur ab Episcopo consecrante. Verum Cardinalis Baronius ad an. 275. num. 2. *Ejusmodi*, inquit, *institutionem longe ante Felicis tempora Ecclesia sibi vindicat . . . . Felicis ergo decretum stabilisse videtur, quod absque scripto Canone, traditione tantum servaretur*; cui sententiæ subscribunt Bolland. Act. SS. Aprilis Tom. 1. pag. 28., ac Tillemontius Hist. Eccles. Tom. 4. edit. Ven. pag. 364. Fere idem ac Felix sancivit S. Gregorius Magnus, ut dictus Anastasius ait, & Walafridus Strabo cap. 10. atque ex ipso Gregorio liquet lib. 7. Ind. 2. Epist. 12., & Dialog. lib. 1. cap. 10. aliisque locis, ut infra Cardinalis noster advertit.

(2) *Ad hunc effectum particulam ligni Sanctæ Crucis*) Et Epist. 12. ad eumdem, ubi de Sancto Claro Beati Martini discipulo ita canit: *Sancta sub æternis Altaribus ossa quiescunt*. Et infra ipsum Sanctum Clarum alloquens in alio ejusdem Epitaphio.

Clare fide, præclare actu, clarissime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas.
Casta tuum digne velant altaria corpus,
Ut Templum Christi contegat ara Dei.

(3) *Basilicam Romano more dedicavit*) De qua inventione, & Ecclesiæ dedicatione a S. Ambrosio peracta, legendus clariss. vir Joseph Ant. Saxius in sua Dissertatione Apologetica hac de re edita nuperrime an. 1719., qua eorumdem SS. Martyrum corpora Mediolano eruditissime vindicat.

(4) *Ubi ille suum fudit*) Ejusdem etiam meminit Enarrat. in Psal. 33., & 80., ac serm. 237. de tempore, qui etiam Augustinus serm. 11. de Sanctis, seu 4. de Innocentibus, & in illud Apoc. 6. *Sub ara*, inquit, *Dei vidi animas occisorum, quid reverentius, quid honorabilius dici potest, sub illa ara requiescere, in qua Deo Sacrificium celebratur, in qua offerantur Hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos?* In quem sensum etiam Ambrosius Epist. ad Marcellinam sororem loquens de reliquiis a se inventis SS. Gervasii, & Protasii: *victimæ*, inquit, *succedant triumphales in locum, ubi Christus hostia est; sed ille super Altare, qui pro omnibus passus est, isti sub Altare, qui illius redempti sunt passione*.

(5) *Ad benedicendum invitat Episcopum*) Item de Mirac. S. Juliani Martyris cap. 40., & alibi pluries.

Hujus religiosæ Christianorum consuetudinis testes vel ipsi Gentiles Sacrarum Reliquiarum hostes.

(6) *Martyrum reliquias collocatas rabiosissime exaggerat*) Idem & Deorum suorum excidium dolentes fatentur alii duo Ethnici Scriptores, & Christiani nominis hostes, Julianus Apostata Orat. 7., de quo etiam impio desertore S. Cyrillus Alex. lib. 6., & 10. in Julianum, quem prævivit, & docuit nefarius Magister Libanius Sophista Orat. Apolog. 26., ubi ait: *Constantius est, atque illius regnum, qui acceptas a Patre* (Constantino) *malorum scintillas ad incendium magnum provexit opus, ille enim opulentia Deos spoliavit, hic etiam Templa funditus evertit, & omni lege abrogata, dedit quibus scimus*. Non admodum diversa scribit Ethnicus alter Maximus Medaurensis Grammaticus, dictis ferme coævus Epistola inter Augustinianas, alias 43. nunc 16. qua falsorum Numinum cultum vindicare studens acriter in Christianos invehitur, atque inter cætera eos vexat, quod relictis Templis, & neglectis majorum suorum manibus, hominum mortuorum busta stulto frequentarent. Hinc Martyres quosdam Punicis vocabulis impetitos ludibrio exponit. Quibus respondens Augustinus Epistola sequenti 44., seu noviss. Edit. 17. omnia ipsius sophismata diluit, & Christianorum causam strenue vindicat, quam & fusius contra eosdem Gentiles tuetur lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. His addere possumus Hieracem illum Ethnicum sacrarum pariter Reliquiarum osorem, contra quem pro Catholica veritate argumentatur S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 55.

Quos in hujusmodi sacrilegis deliriis præcursores habuerunt veteres, novique habent nostri temporis Hagiomachi.

Vides Catholice lector, ex quo cœnoso, & putidissimo fonte suam hæresim hauserint Vigilantius, Eunomius, Eustathius, aliique veteres Hagiomachi, quos etiam protoparentes habeant eorum recentes nostri temporis sectatores, perversæque doctrinæ dogmatum æmuli, Zuinglius, Calvinus, Lutherus, aliique hujusmodi geniminum viperarum homines, & ne omnia illorum deliramenta hoc loci percenseam, aut relinquam, nonnulla eorum adferam. Calvinus ore sacrilego non erubuit dicere Admonit. de Reliquiis, & apud Coccium Tom. I. tit. de Sanctis. *Reliquiarum desiderium nunquam superstitione caret, immo*

mo, quod deterius est, mater Idololatriæ. Lutherus Postilla in die Exaltationis Sanctæ Crucis habet: *Quidquid de sacra Cruce dixi, intelligi debet de omnibus Sanctorum Reliquiis. Reliquiæ enim nihil aliud sunt, quam fraudes, & seductiones fidelium*. Similia effutiere Zuinglius, & ejus asseclæ, inter quos Jo. Jac. Hottingerus Tigutinus minister in sua Differt. nuper edita de necessaria ab Ecclesia Romana defectione; eo turpiter progressus, ut sacram Reliquiarum venerationem dæmonis inventum esse, affirmare non erubuerit apud Lud. Rusca Ord. Min. strict. observ. catholicum ipsius antagonistem Jud. Eccl. confirm. Tom. 3. cap. 3. art. 8. pag. 410. *Platone teste* (inquit heterodoxus ille) *de legibus lib. 4., quod & Sepulchra mortuorum, & Reliquiæ honorantur, est dæmonis inventum, cujus consuetudinis Plutarchus, & Pausanias meminere*. Christiani ne isti dicendi sunt, qui in sui erroris assertionem non Apostolicæ, aut primævæ Christi Ecclesiæ Doctores, & Patres, quos profecto contrarios habent, sed Philosophos, & Ethnicos scriptores advocant?

Eadem & reliqui a Catholica Ecclesia extorres, ac Romani Pontificis hostes ganniunt; cujusvis sectæ sint, atque in sacrum Reliquiarum cultum ab ipsa religiose observatum, uti ex Apostolica traditione a primis Christianæ fidei seculis per manus Patrum accepit, insani debacchantes, eumdem tamquam superstitiosum, & Idololatricum prædicant, *quasi sacrilegi simus*, ut inquit Hieronymus lib. adv. Vigilantium cap. 2. *quando Apostolorum ingredimur Basilicas: sacrilegus Constantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, Timothæi transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt . . . . Sacrilegus Augustus Arcadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit Thraciam, omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt &c.* Quis non potius sacrilegos, fatuos, & blasphemos dicet qui talia fantur, nostri temporis Hagiomachos? quibus item & singulis jure addas, quæ olim seculo IV. laudatus Hieronymus loco cit. Vigilantium alloquens Eunomii asseclam, inquit: *O portentum in Terras ultimas deportandum! rides de reliquiis martyrum, & cum authore hujus hæreseos Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis*.

Qui & sæpius prostrati adhuc tamen pertinaces insolescunt.

At nihilominus nolentes nec sero sapere Phryges isti, etsi toties a nostratibus Theologis devicti, profligati, & repressi, veluti Dallæus lib. de Religiosi cultus objecto a Natali Alexan. Hist. Eccl. sec. 5. Differt. 25. Piceninus per Vinc. Lud. Card. Gotti Demonstr. veræ Christi Ecclesiæ; Jo. Jac. Hottingerus a Lud. Rusca Ord. Min. confirm. Eccl. Jud. in secularem dicti Tigurini Ministri Dissertationem loco citato supra, aliique ab aliis, omnesque hac præsertim in parte quoad Sacrarum Reliquiarum cultum nuper a Clar. Joseph Maria Calisti Gonzalez Tom. I. de Contr. Christ. fidei adv. nostrorum temporum Hæreticos prostrati, & confixi fuerint, adhuc tamen in perversa sua opinione, & malitia obstinati eo usque blasphemiæ, temeritatis, ac proterviæ progressi sunt, ut insigniores veteris Ecclesiæ Patres, scilicet Leonem Magnum, Gelasium, Gregorium, aliosque Sanctissimos Romanos Pontifices, ac Summos Doctores, Hilarium, Ambrosium, Basilium, Chrysostomum, cæterosque Latinos, & Græcos Scriptores Orthodoxos (horret referre id calamus) ob sacrarum Reliquiarum cultum sacrilegos, & idololatras fuisse non verentur impie affirmare. Hos inter Joseph Mede Anglicanus scriptor ad Danielis Idolum Maozim cap. XI. v. 38. & 39., cui insano Prophetarum interpreti subscribit & fatuus alter, dignum hac patella operculum, Juriæus Calvinianus Minister, de quibus videndus doctissimus Meldensium Antistes Jacobus Benignus Bossuetus Hist. variat. Eccl. Protest. Tom. 3. lib. 13. num. 23. & seqq., ubi eos mirifice deridendo confutat.

His accensendus sub Larvato nomine Joannes Phæreponus.

His accensendus Johannes Clericus Batavus, qui sub ementito Joannis Phæreponi nomine quamplures animadversiones in S. Augustini opera Antuerpiæ, seu Amstelodami edidit an. 1703. viro nedum erudito, sed multo magis Christiano scriptore indignas, quibus non solum miraculis Sanctorum intercessione patratis, quæ plerisque locis narrat Augustinus, verum & eorumdem Christi Confessorum cultui religioso jam tum illis in Ecclesia præstito, quem idem Sanctus Doctor refert, bellum indicit, quodque intolerandum, mirandumque, id facit authore ipsomet Augustino, quasi illum eumdem cultum tamquam superstitiosum, & idololatricum Africanus Pater existimet, uti Hollandus Censor iste contendit, qui conversus in arcum pravum Magno Ecclesiæ Doctore contra ipsam Ecclesiam male traducto, pessime abutitur, crambemque hujusmodi recoctam, totiesque a nostris rejectam, Hæreticorum more iterum regerit. Non est hoc loci hominis e Remonstrantium secta eruditionis quidem, sed irreligiosæ, fama conspicui putidas, futilesque in Augustinum, quoad Sanctorum venerationem exceptiones adferre, cum id otii non suppetat, jamque idem ab aliis actum sit, præcipue a doctissimo viro Ludovico Antonio Muratorio in nupero Opere de Ingeniorum moderatione in religionis negotio, sub nomine Lamindi Pritanii edito, ubi totus ad Ecclesiæ, & Augustini defensionem summo, justoque criterio dictum Phæreponum condigne perstringit, ipsumque ex eodem Augustino retortis telis invicte confodit, & quoad dictum sacrarum Reliquiarum cultum lib. 3. cap. 12. ad quod lectorem mittimus.

Qui cum aliis gregalibus suis confutatur.

Verum, ut aliquid hoc loci cum eodem nos etiam illi reponamus, audiat Phæreponus, audiant Mede, Juriæus, Basnagius, aliique Acatholici Cacodoxi ab Ecclesia Romana Apostolica extorres, quid in hanc rem scripserit Theophylus quidam Alethæus, seu Alethinus dictus, videlicet Joannes Lyser ex eodem Protestantium grege, adeoque illis non ingratus homo. Is in notulis ad Tom. 3.

Theol.

Theol. Dogm. Dion. Petavii lib. 15. cap. 2. „ ut verba, inquit, valent usu, ita & gestus, „ qui modo sunt civiles, modo religiosi, pro „ temporibus, & locis, possuntque Deo colendo, & hominibus, æque pro consuetudine adhiberi; at interna illa adoratio, qua „ id, quod colimus, consideramus, ut unicum, „ ac summum numen, propterea que reveremur, ac precamur, ad unum illud Numen pertinet. Sed possunt esse, & sunt „ alii inferiores cultus dignitati rei, quæ colitur, attemperati absque idololatria ulla, „ quod semper probe observandum „ Ita catholice hac in parte, alias licet heterodoxus scriptor.

Non enim idololatricus est Sanctorum cultus, uti contra Novatores ex Augustino probatur.

Idque profectò ex veterum Theologorum sensu, præcipue Augustini, qui plerisque in locis, ut vidimus, itemque videbimus, cap. seq. §. 7. nota 8. nulla interna adoratione divina, quæ supremo Numini competat, honorari Martyres, aliosque Sanctos, aut eorum memorias a piis christifidelibus docet, ut autem Idololatriæ accusationem omnem, atque suspicionem evertat, monet neque Sacerdotibus, neque Templis, neque Sacrificiis, quæ uni Deo tantummodo debita sunt, Christi Martyres, & Confessores honorari; reliqua vero venerationis signa iisdem exhibita, ex obsequio religioso, non autem ex opinione Divinitatis descendere, immo in ipsius Dei gloriam concedere, quicumque honor Sanctis defertur. *Quæcumque*, (ait lib. 8. de Civit. Dei, cap. ult.) *adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel Sacrificia mortuorum, tamquam Deorum*: & ne quis diceret coli Martyres saltem, *quasi quoddam genus inferiorum Deorum*, uti quondam Faustus Manichæus objiciebat, Christianos scilicet idola in Martyres vertisse, cumque ipso, ut vidimus, nostri temporis Sectarii, qui Sacrosanctam Catholicam Ecclesiam Romanam, nosque ejus filios ob eumdem sacrum Reliquiarum cultum superstitiosos, sacrilegos, & idololatras arcessunt, addidit Sanctus Doctor: *non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus*: & infra: *nos itaque Martyres nostros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi* (Ethnici) *Deos suos*: paulo ante: *Honoramus memorias eorum tamquam Sanctorum hominum Dei . . . . ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium Coronarum adhortemur &c.* Quod Augustinus explicata Christianorum mente, olim pronunciabat, nunc etiam Catholica profitetur Ecclesia, quæ licet idololatricæ superstitionis a nostrorum temporum Novatoribus insimulata, ab ejusmodi calumnia, vel a sincerissimis inter ipsos jamdudum liberata est. Hæc pro sacrarum Reliquiarum vindiciis, de quibus iterum infra; revertamur unde digressi sumus.

Porro de Martyrum Reliquiis in Ecclesiarum dedicatione ibi collocatis præclarum affert testimonium Evagrius lib. 1. cap. 16. ubi Antiochiæ Templum ab Incolis Tychæum, hoc est Fortunæ Templum, nominatum, in Ecclesiam conversum S. Ignatio Martyri ejusdem urbis Episcopo nuncupatum, ac Deo in ejus honorem ab Imperatore Thodosio dedicatum scribit: *cum Deus Opt. Max. Theodosio id suggessisset, ut Deiferum Martyrem majori honore adficeret, utque Templum jam pridem dæmoniis consecratum, quod Incolæ Tychæum nominabant, fortissimo victori, ac Martyri dedicaret. Itaque quod olim fuerat delubrum genii publici, factum est Templum, & sacra ædes B. Ignatii*. Idem accidit magno Templo Taneos in Ægypto, uti ex Itinerario Hierosolymitano Antonini Mart. observat Valesius Not. in Sozomeni lib. 5. cap. 21. Innumera fere sunt hujusmodi exempla, sed de his abunde Joannes Ferrandus in sua Disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. 3. sect. 2., & nuper clar. Dominicus Georgius de Liturg. Rom. Pont. Lib. III. cap. 9. num. 9., & seqq. usque ad finem.

Quandoque erecta Templa super tumulos Confessorum.

(7) *Erecta quandoque templa super tumulos Confessorum*) Id ante Theodoretum, & Sozomenum fieri interdum consuevisse, jam didicimus ex supra laudata Epistolâ 12. S. Paulini, nunc novæ edit. 32., ubi de S. Claro B. Martini Discipulo ipsius Confessoris venerandum corpus sub Altari repositum refert, versibus jam supra descriptis. Quod & confirmat ibidem his aliis versibus.

Ecce sub accensis Altaribus ossa Piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.

(8) *Templum super ejus Sepulchrum indigenæ construxerunt*) Seculo IX. Angilbertus Mediolanensis Archiepiscopus super Corpus S. Ambrosii aureum Altare erexisse dicitur apud Ughellium Ital. sac. veteris editionis Tom. 4. col. 116., & Beggo Arvernensis, item Episcopus sub finem decimi super tumulum Majoli aliud consecravit, uti ex Act. SS. Ord. S. Bened. sec. V. observat Mabillonius, ibi pag. 783. num. 56. Præterea nedum SS. Martyrum, aut Confessorum exuviis consecrabantur Altaria, verum etiam eorum Reliquiis, velis scilicet, seu brandeis nuncupatis. S. Gregorius Turonensis in Vitis PP., ubi de S. Nicetio Lugdunensi Episcopo hæc scribit: *factum est autem, ut post dies plurimos ad benedicendam Ecclesiam in Parochia Paternacensi Urbis Turonicæ invitaremur, accessi fateor, sacravi Altare, decerpsi fila de linteo*, (quod super caput ejusdem Episcopi dormientis positum fuerat) *locavi in Templo, dictis Missis, facta oratione discessi*. Et postquam cujusdam cæci illuminationem ad id Altare a se paulo ante hoc modo consecratum, secutam narrasset, prosequitur. *Posui, fateor, de his pignoribus & in aliis Basilicarum Altaribus, in quibus & Energumeni Sanctum confitentur &c.* Et paulo infra: *apud Vicum Priscianensem Urbis Turonicæ Ecclesia dudum constructa absque Sanctorum pignoribus habebatur, cumque incolæ loci plerumque peterent, ut eam quorumpiam Sanctorum cineribus sacraremus, de supradictis Reliquiis Sancto Altari collocavimus &c.* Pluraque alia hujusmodi exempla refert Mirac. lib. 2. cap. 33., 34., & 40.

Cum sacris etiam SS. reliquiis in Altarium consecratione sacra Eucharistia olim condita.

Cum sacris etiam Sanctorum Reliquiis in Altarium consecratione Sacram Eucharistiam conditam olim, & repositam fuisse docent vetera nonnulla monumenta. Concilium Celychitense in Anglia celebratum an. 816. can. 2. ubi

2., ubi Ecclesia ædificatur, a propriæ Diœcesis Episcopo sanctificetur: aqua per semetipsum benedicatur, spargatur, & ita per ordinem compleat, sicut in libro Ministeriali habetur. Postea Eucharistia, quæ ab ipso per idem ministerium consecratur, cum aliis Reliquiis condatur in capsula, ac serventur in eadem Basilica. Et si alias Reliquias intimare non potest, tamen hoc maxime proficere potest, quia Corpus, & Sanguis est Domini nostri Jesu Christi. In magno Ordinis Cisterciensis Exordio dist. 3. cap. 23., ubi de Gaufrido Sorano Episcopo, narratur ibi, quod cum idem Præsul vetustissimam quamdam Basilicam reparare statuisset, atque Altare antiquum dirui jussisset: *reperit in eo capsulam scabrosam, & veterem Sanctorum Reliquias continentem: porro inter easdem reliquias Corpus Domini repositum erat*: sed & ante id temporis de Leone Papa in consecratione cujusdam Ecclesiæ, cum reliquiæ non adessent, dedisse partem Corporalis, & Eucharistiæ ex Panormitano in cap. 1. de Consecratione Eccl., vel Alt. scribit Durantus de Rit. Eccl. Cath. lib. 1. cap. 25. num. 6.

Id de Corpore Domini innuere videtur Optatus lib. 6. contra Parmen. sive de Schismate Donat., ubi definiens quid sit Altare, ait, *quid est Altare, nisi sedes Corporis, & Sanguinis Domini*? Chrysostomus item Homil. 20. in 2. ad Corinth. *Altare quidem*, inquit, *lapis natura est, Sanctus autem fit, quoniam Corpus Christi accipit*, & Hesychius lib. 2. in Levit. *Altare est locus Sanctus, ibi enim Sanctus Sanctorum requiescit*. Verum non decere Corpus Domini in Altare recondi, Hostiensis in sua summa lib. 3. de Consecr. Eccl. scribit, ubi referens se Innocentium III. Papam de hoc consuluisse, *dicunt etiam*, (subdit) *aliqui Doctores sufficere Corpus Christi loco Reliquiarum, Dominus autem per me consultus habito consilio Patriarchæ Constantinopolitani, & Domini Sabinen. quondam Mutinen. qui ei assistebant, Lugduni mihi respondit contrarium*, ea ratione, quam innuit Panormitanus in cap. 1. de consecrat. Eccl. vel Alt. aliique cum ipso, videlicet, quia Corpus Christi est cibus animæ, qui non debet servari, nisi ad opus infirmorum, & animarum refectionem. Quoad Corporalia, vel eorum partem, de iis mentio in Concilio Oxfordiensi celebrato anno 1222. tempore Honorii III. sed de his omnibus videndi Durantus loco cit., & Boldettus Observ. in Cœmet. pag. 688.

Quod postea non decere decretum.

(9) *Et Deo volenti ordinabitur illic Episcopus*) Hujus etiam consuetudinis observantiam testatur S. Ambrosius Epist. 85. novæ edit. ad Marcellinam sororem suam, de qua supra; ubi loquens de Reliquiis SS. Martyrum Gervasii, & Prothasii ait: *hunc ego locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi sit Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed dexteram portionem cedo Sanctis Martyribus*: quibus verbis satis hunc Ecclesiæ morem ostendit. Neque Episcoporum tantum, sed & Presbyterorum corpora sub Altari sepeliebantur, uti idem Ambrosius fidem facit, qui fratris sui Satyri Corpus ad lævam Sancti Victoris Martyris collocavit, uti pluribus testatur Baronius ad an. 383., & ante ipsum Dungalus noni seculi Scriptor in Bibl. PP. Parif. Tom. 4. parte 2. pag. 197. Boninus, Mombritius in vita S. Satyri, aliique, & ex Epitaphio constat ab ipso Ambrosio conscripto, quod in admonitione ad libros de excessu ejusdem fratris sui plane non indignum ipsius calamo Patres Benedictini judicarunt, sic autem se habet.

Cum Sanctorum Martyrum exuviis, & ad eorum lævam sepulti Sacerdotes.

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri Sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuvias.

Id vero ex Majorum instituto servatum idem affirmat Ambrosius ipse, (ut inquit Cardinalis Baronius loco citato) sive velimus, Maximus Taurinensis, cujusvis alterius sit Sermo ille, cum ista habet: *ideo a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate*. Hæc, & alia ibi: quibus ultimis verbis non quorumcumque, sed illustrium tantum Confessorum, qui omni virtutum laude claruerint, & cum sanctitatis opinione decesserint, exuviæ Corporum apud Sanctos Martyres condebantur. Plura de hac veterum Christianorum consuetudine congerit Joannes Ferrandus in sua Disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. 3. sect. 2. Nonnulla etiam objicit in contrarium Daniel Papebrochius in vita SS. Martyrum Gervasii, & Prothasii, sed ea omnia diluit, & evanida reddit clar. Vir Joseph. Ant. Saxius in sua Dissert. de Possessione SS. Corporum dictorum Martyrum Mediolano vindicata toto cap. 5. num. 65., & seqq. Hæc autem pia consuetudo condendi apud Martyres Christifidelium corpora, quorum fama sanctitatis id exegisset, deinde sublata est, & idem fieri prohibitum ab Alexandro III. aliisque Summis Pontificibus ob frequentes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, ut testatur Bellarminus Controv. 7. cap. 8. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine.

Non tamen omnium Sacerdotum sic condita cadavera; sed eorum tantum qui cum Sanctitatis opinione decessent.

CAP.

CAP. XX.

Altarium usus & origo. Ligneane fuerint, an lapidea. De Oratoriis privatis. Antimensia apud Græcos quid sint. De Ecclesiarum consecratione, ejusque Ritus antiquitate. Vetus Templorum structura. Ad quid fontes, vel putei in atrio. Sua singulis loca tributa. Discretæ mulieres a viris. De Sanctuario seu Presbyterio, & de Sede Episcopali.

§. I.

Altarium usus, & Origo; Lignea ne fuerint, an Lapidea.

Annexa Templis sunt Altaria, quæ semper ad usum Sacrificii extitisse in typum, & testimonium illorum, in quibus Sacrificium Missæ ex Christi institutione offerendum erat, demonstrat Demochares in prolixo opere de Missa adversus Missoliturgos *Tom.* 1. *cap.* 15. Ea primum ab Adamo erecta fuisse non dubitamus: nam primus omnium sacrificium obtulisse creditur, suosque filios docuisse frugum & animalium primitias offerre Deo; cujus vero structuræ Altaria illa fuerint, an sub dio, an in loco clauso & Deo specialiter consecrato, ut putat Jacobus Boulduc *lib.* 1. *de Ecclesia ante legem cap.* 1. cum de his Scriptura sileat, non est facile definire. His igitur omissis, quæ ad nostrum institutum non pertinent, de Altaribus novi Testamenti agendum est, in quibus Corporis, & Sanguinis Christi sacrificium incruentum immolatur. *Habemus Altare*, inquit Apostolus ad Hebr. c. 13. *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt:* Altare scilicet, in quo conficitur, & distribuitur Eucharistia, ut explicant Catholici
Doctores. (1) Tertullianus lib. de Orat. cap. 14. *Nonne solemnior erit* (1)
statio tua, si & ad aram Dei steteris? & lib. 1. ad Uxorem cap. 7. *Aram Dei mundam proponi oportet*. Cyprianus Epist. 66. *Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare*. Optatus Milevitanus, quem Sectarii reprehendunt, quod tanti faciat Altaria, *Quid est*, inquit, *Altare, nisi sedes Domini nostri?* & infra: *Altaria, in quibus obtulerunt olim Cyprianus, Lucianus, & cæteri Martyres, confregistis, unde a multis pignus salutis perpetuæ,*

Donatistarum & Græcorum aliquot Schismaticorum rabies in Catholicorum altaria.

tutela fidei, spes resurrectionis æternæ accepta sunt. (2) Tanta erat Dona- (2)
tistarum rabies adversus Catholicos, tam immane odium, ut Altaria frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum, qui cum ipso communicabant, impura esse, & Deo exosa prædicabant: quorum insaniam post multa secula Græci schismatici imitati sunt, Altaria veluti inquinata lavantes, in quibus Latini sacrum obtulerant. Pri-
mis Ecclesiæ seculis an lignea fuerint, vel lapidea, non liquet. (3) (3)
Utraque crediderim tempore persecutionis usitata, (4) prout rerum locorum- (4)
que opportunitas ferebat. Usus autem ligneorum magis expeditus erat, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Plerique Scriptores asserunt a S. Sylvestro constitutum, ut Altaria lapidea essent; sed hujus de-
creti nulla mentio apud Antiquos reperitur. (5) Concilium Epaunense anno (5)
509. celebratum statuit c. 26. ut Altaria, nisi sint lapidea, infusione Chrismatis non sacrentur. Altaris quoque lapidei tanquam communiter tunc usitati meminit Gregorius Nyssenus, qui eodem seculo quo Sylvester claruit,

Orat.

Orat. in Baptiſmum Chriſti his verbis*: Nam & Altare hoc ſanctum, cui adſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri extruuntur, & pavimenta exornantur : poſtquam vero Dei cultui conſecratum, atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, Menſa ſancta eſt, Altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiſcue tangitur, ſed a ſolis Sacerdotibus, iiſque venerantibus contrectatur*. Hæc de Altari lapideo Nyſſenus, ligneum vero eo ipſo ſeculo Athanaſius commemorat *Epiſt. ad Solitarios* dicens, *Cum rapuiſſent ſubſellia & cathedram, & menſam, erat enim lignea, & vela Eccleſiæ*. Ex quibus intelligimus promiſcuum tunc uſum in Oriente lignei & lapidei viguiſſe. Etiam in Africa erant eodem tempore lignea, ut ex Optato Milevitano manifeſtum eſt lib. 6. Refert enim fracta a Schiſmaticis altaria in iis locis, in quibus ligna abundabant : raſa autem, ubi lignorum inopia erat, ne forte novis
erigendis ligna deeſſent. (6) Erant & altaria argentea, nam in libro (6)
Pontificali legimus Conſtantinum Magnum feciſſe in Baſilica Conſtantiniana altaria ſeptem ex argento puriſſimo, penſans ſingulum libras 260.
Et Sixtus III. obtuliſſe dicitur Baſilicæ S. Mariæ altare argenteum puriſ-
ſimum penſans libras 300. (7) Poſtea ſancivit Eccleſia, ut nemini liceat (7)
celebrare, niſi in altari lapideo conſecrato; ſed quis hoc primum certa lege firmaverit, Sylveſterne, an alius, adhuc incertum eſt. Erant autem olim diverſæ altarium ſtructuræ : nam aliquando uni tantum columnæ menſa lapidea ſuperjacebat, quale deſcribitur *lib. 20. hiſtoriæ Miſcellæ* altare Deiparæ Virginis in Blachernis, qualia ſunt etiam hodie altaria quædam ſubterranea Romæ in Eccleſia S. Cæciliæ. Aliquando quatuor columnis eadem
menſa ſuffulta erat, (8) & de his Altaribus loquitur Syneſius in (8)
fine Cataſtaſis: *Sacratas columnas amplectar*, (9) *quæ puram & inconta-* (9)
minatam a terra menſam ſuſtinent. Interdum duæ ſolæ columnæ ex utroque latere ipſum altare ſuſtinebant : ſuntque adhuc Romæ in cryptis & cœmeteriis quædam hujuſmodi Altaria duabus, vel pluribus innixa columnis, quibus Chriſtiani tempore perſecutionis ibidem latentes utebantur. Denique nonnulla quadro ſuperpoſita ædificio tumuli formam referebant, tanquam Martyrum ſepulchra; quæ proprie Altaria quaſi altæ aræ dice-
bantur. (10) (10)

Altare proprie dictum illud, in quo conficitur, & diſtribuitur Euchariſtia.

(1) *Ut explicant Catholici Doctores*) Atque ita intelligi voluit, & expreſſe declarat S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Epheſios : *Si quis non ſit intra Altare, privatur pane Dei* : & ad Philadelphios: *una enim Caro Domini Jeſu Chriſti, & unus Calix in unione Sanguinis ipſius, unum Altare* : unde profecto refutantur Calviniani, qui verum Chriſti Corpus in Euchariſtia eſſe negantes vocem *Thyſiaſterion*, ſeu *Altare* vero, ac proprio ſignificatu per tria prima Eccleſiæ ſecula ab antiquis Patribus acceptam inficiantur. Legendus hac de re doctiſſimus Cardinalis Perronius in ſuo Tractatu de Sacroſancto Eccleſiæ Sacramento adverſus Phil. Mornæum du Pleſſis lib. 2. pag. 174., & ſeqq. ubi egregie ex primis Eccleſiæ Patribus id probat. Hinc ipſi ex aliena communione Scriptores Guillelmus Beveregius in ſuo Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ illuſtrato cap. 10. num. 3. ejuſque annotator Joannes Clericus apud Cotelerium de SS. PP. Apoſtolicis Tom. 2. pag. 122., ultro fatentur, hanc vocem *Altare*, non aliter accipi a primis Eccleſiæ Patribus, niſi pro Menſa Domini Euchariſtica, uti jam ſupra dictum eſt ad cap. 4. §. 4. nota 4. Ita „ Canones Apoſtolici, (ait ille can. 3. 4. „ & 31) S. Cyprianus nullo alio, quantum „ memini, præterquam Altaris nomine Sa„ cram Domini Menſam indigitare ſolet, „ iſto autem ſæpiſſime Epiſt. 40. ad Plebem, „ 42. ad Cornelium, 55. ad Eumdem, 63. „ ad Cecil., 64. ad Epictetum &c. ante eum „ Tertullianus, & Euchariſtiæ celebrationem „ *Sacrificium*, & Menſam Domini, *Aram* „ *Dei* nuncupavit : de Orat. cap. 14. eodem „ ſenſu, voce *Altare* alibi utitur dicens Ex„ hort. ad caſtit. cap. 10. *Si ſpiritus reus apud* „ *ſe ſit, conſcientia erubeſcit, quomodo audebit* „ *orationem dicere ad Altare*? apud Altare „ ſcilicet, ſive ſacram menſam publicæ ora„ tiones antiquitus celebratæ ſunt.

Hinc menſa Domini antiquis omnibus dicta.

„ Ante Tertullianum ipſe etiam Ignatius „ in genuinis, & inviolatis ejus Epiſtolis „ *Thyſiaſterion*, ſeu *Altare* in eodem ſenſu ad„ hibuit, &c. Conſtat itaque Myſticam men„ ſam ab ipſis Apoſtolorum temporibus vo„ catam fuiſſe Θυσιαστήριον, non autem Βωμόν; „ Hæc enim vox Gentilibus ſolis, & Idololatris, „ illa Eccleſiaſticis Scriptoribus peculiaris eſt:

Et Thyſiaſterion, ſeu Altare nuncupata.

neque

„ neque umquam usurpatur, præterquam de „ Altari, quod vero Deo erigitur. Hinc est, „ quod Origines, Minutius Felix, Arnobius, „ aliique, Christianos nullos habere Βωμὸν; „ nullas idolorum aras, quemadmodum & „ nulla Templa, nulla scilicet claustra Nu- „ minum, qualia omnia fuerunt, vel existi- „ mata sunt Ethnicorum Templa, sæpe as- „ seruerunt: Nusquam autem asserunt eos, „ nec Θυσιαστήρια habere, hujusmodi scilicet „ *Altaria*, quæ Corpori, Sanguinique Chri- „ sti mystice offerendo inservierunt. Hujus- „ modi etiam *Altaria* Christianis semper in „ usu fuisse a supradictis patet. Hæc Beveregius, qui & alia plura in hanc rem testimonia congerit veterum Sanctorum Patrum, videlicet Irenæi advers. hæres. lib. 4. cap. 32., & 34. Justini Martyr. Dial. cum Triph. & Clementis I. Papæ Epist. 1. ad Corinth. deinde concludit: unde constat sacræ Eucharistiæ celebrationem Θυσίαν, ac Προσφορὰν & mysticam propterea Mensam, superquam celebrata est, Θυσιαστήριον ab ipsis Ecclesiæ incunabulis appellatam fuisse.

Hinc ex Beveregio, & Clerico supradictis confutati reliqui Novatores.

Quibus omnibus ex ipsorum Hæreticorum testimonio eadem veritas Catholica, quam pridem contra eosdem propugnaverat supra dictus Cardinalis Perronius lib. cit. confirmatur; indeque refellitur Gerardus Joannes Vossius in Etymologico, verbo *Altare*, & alibi, cumque ipso alii Sectarii confutantur, qui pariter pertinaces contra hanc Patrum traditionem sentiunt, præcipue Lutherus lib. de Formulis Missæ pro Ecclesia Wittembergensi, ubi Sacrilegus Altarium profanator hæc ait: *accedente ambitionis Sacerdotalis tyrranide cæperunt Altaria illa, & insignia Baal, & omnium Deorum poni in Templum Domini*. Oecolampadius in Responsione ad confess. Luth. par. 3. *Cum Missas*, inquit, *abominemur, in quem usum, quæso, sacrilegas istas, & impias lapidum congeries, & strues retinebimus*? Quibus adstipulatur ejusdem surfuris gerro Theodorus Beza Epist. 8. dicens: *quis non existimaverit adiaphoron esse, sive Altaris, sive Mensæ alicujus usus*? aliique plures Sycophantarum horum apud Bellarm. lib. 1. de Missa, & 3. de cultu Sanctorum, Coccium Tom. 2. lib. 6. art. 5., & Becanum Tom. 2. Opusc. 11. lib. 3. qui Novatores eadem temeritate, qua olim Antiochus apud Machab. lib. 1. cap. 1. *Sustulit e Templo Hierosolymitano Altare aureum, Candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & Mensam Propositionis &c.* eadem item, qua latrones omnes aliena rapiunt, præscriptionis, scilicet possessionis, & legum contemptu, uti Lutherus lib. de Captivit. Babyl. *Si nihil habetur* (rabide inquit) *quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam Sacrificium esse concedere*; illique in impietate socius Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 12. *Non est cur ulla hominum authoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moveri ad credendum Missam esse sacrificium*.

Quibus frequens est veterum omnium testimonia contemnere.

Frequens his impostoribus est omnium veterum testimonia contemnere, ut plerique ostendunt apud Redanum Apparat. ad Comment. in libros Machab. sect. 8. num. 35. non eo igitur producam de Altarium antiquitate veterum Patrum testimonia, quod Hæreticis fidem me facturum sperare possim, cum nec *rationibus convincantur, quia non intelligunt; nec suasionibus flectantur, quia subversi sunt, & mori magis eligunt, quam converti*, uti dissertissime mellifluus noster Claravallensis Abbas Serm. 66. in Cantica. Cæterum de Altaribus ligneis, terreis, lapideis, argenteis, aureis, eorumque forma, peculiares texuere Dissertationes Joannes Baptista Thiersius, & Gothofredus Voigtus Hamburgensis, quam iste suam Thyasterio logiam nuncupavit, editam nuper a Joanne Alb. Fabricio an. 1709. ubi pag. 52., & seqq. contra nonnullos, qui Mensas sacras Christianorum numquam ante Cyprianum Altaria dictas esse opinati sunt, Origenis, Tertulliani, aliorumque antiquorum testimoniis comprobat, illosque ex adverso sentientes confutat. cap. XII. Altarium ornatus ex Tapetibus, Cruce, floribus, & vasis Sacris, speciatim quoque Candelabris constans, in quibus jam olim cereos etiam interdiu fuisse accensos probatur.

Referuntur qui de Altaribus, cujuscumque materiæ, ac formæ, aut figuræ fuerint, scripsere.

(2) *Spes resurrectionis æternæ accepta sunt*) Sanctus Gregorius Nazianzenus, Orat. 3., & 4. in Julianum, Arianis exprobrat: *sancta profanis pedibus a vobis inculcata Altaria conspurcata sunt*: & Juliano Apostatæ: *Destruxit Altaria &c.*; Quod & confirmat S. Ambrosius Serm. 19. de Invent. SS. Martyrum Gervasii, & Prothasii, aliique indicant Patres. Hisce Desertoribus, perditisque hominibus per omnia similes, quin & dicerem iis in impietate superiores, juxta illud Apostoli 2. ad Timoth. 3. *Mali autem homines, & Seductores proficient in pejus errantes, & in errorem mittentes*, moderni Sectarii, recentesque veterum extinctarum hæresum effossores Zuingliani, Calvinistæ, Sacramentarii, & quotquot sunt Orthodoxæ Romanæ fidei hostes rabiosissimi, de quibus alibi, & paulo ante dictum est, quanta sacrilegia, profanationes, & scelera perpetrarint furentes, cane, & angue pejores in sacra omnia, Ecclesias, Altaria, Oratoria Catholicorum, in Gallia præsertim, ubi an. 1562. pleræque Urbes ab iis interceptæ, sacratæ Ædes eversæ, Sanctiora Christi Martyrum, ac Confessorum monumenta, ac Sepulchra violata, eorumque exustæ Reliquiæ, & venerandi cineres in flumen projecti fuere, aliaque multa horrenda, & execranda patrarunt dicti Sathanæ ministri, quæ non sine lacrymis narrant Franc. Belcarius Metensis Episcopus, tum oratione ad Tridentinæ Synodi Patres, tum Commentar. Rer. Gallic. sui temporis, atque Baronii continuatores Bzovius, Spondanus, & Rainaldus ad dictum annum. Hac in parte non solum Apostatam Julianum, Arianos, Vigilantium, Eunomium, Donatistas, aliosque hujusce hominum fæcis tenebriones imitari voluerunt novi Seductores isti; verum & Leonem Isaurum, ac Constantinum Copronymum ejus filium patre pejorem Iconoclastas Græcorum Imperatorum pessimos secuti sunt, de quibus, (uti legitur in Actis S. Stephani junioris, & sociorum MM. in Martyrologio Romano, & Græcorum Menæis ad diem 28. Novembris nuper editis Interprete Jacobo

Moderni Sectarii priscis Hæreticis, & Iconoclastis Sacrarum rerum conculcatoribus per omnia similes.

Loppin Mon. S. Mauri Tom. 1. Analect. Græc. pag. 396.) *At tum sane quispiam non incommode illud David dixisset*: Venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: *Quod est venerandas, ac sacras Martyrum reliquias, quas partim igni, partim mari, partim denique (ob facinus orbi universo damnum ferens) præcipitiis dederunt*. Hæc de impiis Iconoclastis Acta prædicta. Illis similes, ut diximus, Calvinistæ anno mox indicato Lugduni S. Irenæi, Pictavis S. Hilarii, Turonis S. Martini Episcoporum sacra pignora, & reliquias impie flammis consignarunt. Quod nefandum scelus & ante hos perpetrare non erubuerunt Hieronymus de Praga, qui Sanctorum reliquias extractas de Altari luto instravit, pedibus calcavit, & populo irridendas exposuit, uti refert Joannes Cochlæus Historiæ Hussitarum lib. 6. Henricus VIII. Angliæ Rex Sepulchrum S. Thomæ Cantuariensis Episcopi, & Martyris auro, gemmisque ornatum nudavit, ac venerandas reliquias combussit. Sic Laur. Surius in Comment. ad an. 1538.

Altaria antiqua lignea ne an lapidea fuerint, incertum,

(3) *An lignea fuerint, vel lapidea non liquet*) Et sane non satis constat ex qua materia antiquitus in primitiva Ecclesia altaria compacta fuerint. Si verus est B. Mariæ Magdalenæ, Lazari fratris, Marthæ sororis, & aliorum in Provinciam appulsus, uti hunc optime probat eruditissimus vir Natal. Alexand. Hist. Eccl. sec. 1. Dissert. 16. contra Launojum, & nonnullos rigidiores Criticos, credendum videtur, quod scribit Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis lib. 1. Rational. Div. Offic. cap. 7. num. 28., nempe ab iis Sanctissimis Fœminis ibi terreum Altare fuisse erectum; ejus verba sunt: *In comitatu Provinciæ, in Castro S. Mariæ de Mari est Altare terreum, quod ibi fecerunt Maria Magdalena, & Martha, & Maria Jacobi, & Maria Salome*. Quidquid sit de hac Provinciali traditione, inter eruditos non convenit, Altaria primitus erecta terrea fuisse, sed potius lignea, cum hæc commodius transferri, & persecutionis tempore facilius inter communia familiaris supellectilis computari possent.

Ita communis venerandæ antiquitatis studiosorum fert opinio primis Ecclesiæ seculis altaria lignea fuisse. Et sane Christum Dominum in vulgari, ac lignea mensa primum omnium se ipsum Deo Patri in sacrificium legali cœna peracta obtulisse, quasi pro certo haberi debet, aut saltem admodum vero simile. Christi porro exemplum secutos fuisse Apostolos persuader & nascentis Ecclesiæ simplicitas, ac necessitas altaria transferendi propter sæpius ingruentes persecutiones; idque satis indicant Altare ligneum unum, quod etiamnum asservatur Romæ in Basilica Lateranensi, in quo Divus Petrus, ac reliqui Pontifices usque ad Silvestrum sacrificasse dicuntur; & aliud in Ecclesia, non Sanctæ Praxedis, ut scripsit Florentinius in vetustius Martyrolog. Exercit. ad diem primam Augusti, & ex ipso Martenius infra citatus, sed in Ecclesia S. Pudentianæ, ut tradit clarif. Præsul Franciscus Blanchinus in Notis suis Anastasianis ad Pium I. Papam, nec non Aringhus in Roma subterranea lib. 4. cap. 43. num. 9., & Mabillonius Mus. Ital. Tom. 1. pag. 60. Fusius vero de hoc ligneo Altari S. Petri in Ecclesia, seu Titulo S. Pudentianæ asservato scripsit ex nostris clariss. Abbas D. Carolus Maria de Era in suis Vindiciis nondum editis veterum monumentorum dictæ Ecclesiæ lib. 2. cap. 3. Videndus insuper Joannes Ciampinius de sacris ædificiis Constantini cap. 2. pag. 15.

Utraque tamen tempore persecutionis usitata.

(4) *Utraque crediderim tempore persecutionis usitata*) Ita ob ingruentes Barbarorum persecutiones promiscuus fuit apud Chaldæos ad decimum usque seculum altarium tam ex ligno, quam ex lapide usus, donec Joannes Bar-Abgari illorum eo tempore Patriarcha omnino vetuit Liturgiam super altari ligneo celebrari, quemadmodum in Synodo exeunte anno 900. celebrata Can. 1. statutum legitur apud Assemanum Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 238. in hæc verba: *Placuit Spiritui Sancto, præcepitque, ut in urbibus, castellis, & locis, in quibus perfecta pax obtinet, nec Barbarorum persecutio obstet, & diligenter custodiri queunt, Altaria fixa habeantur. Super ligneis autem non permittit fieri, aut nominari. Et hæc in verbo Domini Patres nostri definiere*. Addit Assemanus etiam nunc, & in Ecclesiis tum Maronitarum, tum Jacobitarum altaria lignea, ac lapidea conspici. Græcis eamdem consuetudinem placuisse refert Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 5. art. 6., ubi & de antiqua, & recenti Ecclesiæ Romanæ circa Altarium materiam disciplina differit.

Usque ad seculum X in Oriente ex quo tempore lapidea tantum in usu fuere.

(5) *Nulla mentio apud antiquos reperitur*) Id etiam confirmat Franciscus Pagius Brev. Gest. Pontif. in Silvestro n. 9. quidquid autem sit de hoc Silvestri decreto, etiam post eumdem Pontificem in multis Ecclesiis Altaria ex ligno compacta fuisse pluribus ostendit præfatus Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. cap. 3. art. 6. n. 4. Porro de Altaribus lapideis vide dicenda infra nota 7. in fine.

Altaria lignea in Africa & Ægypto.

(6) *Ne forte novis erigendis ligna deessent*) Et ex Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 43., ubi eosdem Schismaticos Donatistas redarguit, quod Maximianum Bagajensem Episcopum ex lignis Altaris, sub quo confugerat, quodque super ipsum fregerant, occidissent, & lib. 5. de Baptismo cap. 20. Altaris lignei meminit. Item Epist. 50. ad Bonifacium: quare dubium non est, quin circa hoc tempus altaria ligneæ tantum mensæ in Africa, & Ægypto fuerint.

Altaria argentea, & aurea, ac metallica.

(7) *Argentum purissimum pensans libras 300.*) Sozomenus lib. 9. Hist. Eccl. cap. 1. & Nicephorus lib. 14. cap. 2. narrant Pulcheriam Augustam Arcadii filiam, & Theodosii junioris Imperatoris sororem donasse Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacram Altaris mensam auro, gemmisque, ac lapidibus pretiosis confectam, quam describit Paulus Silentiarius in descriptione Ædis Sophianæ his verbis: *columnis porro aureis sacræ mensæ ex auro omnino conflatæ terga sustentantur, aureisque proinde fundamentis incumbit illa, & pretiosorum*

lapi-

lapidum fulgore variegatur. Et Ducangius in notis ad dictum Paulum, ac lib. 3. Constantinop. Christ. hæc subdit: *Sacra mensa mirabili, & insitato opere, & inaudita hactenus materia confecta erat; constabat enim, si Sriptoribus Græcis fides, auro, argento, chrystallo, cæterisque metallis pretiosioribus; præterea margaritis, & omnis generis lapillis communitis, simulque permixtis, conflatis, & liquefactis*. Ejusdem materiæ fuisse mensam Altaris Ecclesiæ, quam Basilius Imp. Macedo in Palatio suo construi fecit, testatur Constantinus Porphyrogenitus in ejus vita cap. 55. Aurei item altaris meminit Ughellius Tom. 4. Ital. Sac. ubi de Archiepiscopis Mediolanensibus in Angelberto num. 57. Gregorii Papæ IV. qui Seculo nono vixit synchrono, quem in Ecclesia S. Ambrosii Altaris mensam ex auro conflatam posuisse ex Puricellio Moonum. Ecclesiæ Ambrosianæ scribit. S. Hilarus Papa, uti ex Anastasio refert Ciacconius, Altare argenteum pensans libras 40. donavit Ecclesiæ S. Laurentii M.

Iterum de ligneis Altaribus, & metallicis.

Rediens autem ad altaria lapidea, de quibus supra, certum est antiquissimum esse morem in iis celebrandi; etenim præter jam dicta, Concilium Epaonense sec. 6. anno 9. celebratum statuit, ut altaria nisi lapidea Chrismatis unctione non consecrentur, Tom. X. Concil. edit. Paris. fol. 645. qui Canon item legitur in Gratiani Decreto parte 3. dist. 1. & in Capitularibus Caroli Magni append. 1. cap. 1. apud Labbeum Concil. Tom. 2. col. 301. Rationem vero cur ex lapide altaria facta sint, assignat Symeon Thessalonicensis Græcorum rituum acerrimus propugnator, & Latinis non parum infensus lib. de Templo apud Beveregium not. in Pandectas can. *nimirum*, & Tom. 22. Bibl. PP. Lugdun. atque in Jacobi Goar Euchologio Græc. pag. 212. *E lapide autem*, inquit, *est Altare, quia Christum refert, qui etiam Petra nominatur, tamquam fundamentum nostrum, & caput anguli, & lapis angularis; & quia Petra, quæ olim Israelem pavit, hujus mensæ imago fuit*. Jure igitur, ac non sine mysterio, hæc institutio & consuetudo nonnisi in ara lapidea consecrata celebrandi in præceptum transiit. Lubet item hoc loco nonnulla jam dictis addere de altaribus metallicis: & quidem plerique Summi Pontifices, atque alii insignes Prælati pretiosum metallum ad altaria adhibuere. Sic ex argento altaria constructa leguntur apud Anastasium in libro Pontificali præcipue in vita Sixti III., & Hilari PP. seculo quinto, & Joannem Diaconum Jun. in Libello de Ecclesia Lateranensi §. 12. ac seqq. Hinc derivatum illud portatile altare in Ecclesia Ratisponensi ad Sanctum Emmeramum pondo marcarum auri septem, & sexaginta Henrici IV. tempore, idest seculo XI. extructum. Hujusmodi autem Altaria metallica pretiosa crediderim fuisse laminas sive aureas, sive argenteas in modum altarium ita fabrefactas, ut ipsa altaria lapidea, vel lignea iis ceu veste, aut ornamento circumdarentur. Id non obscure significat laudatus Anastasius in vita Hadriani Papæ I. his verbis: *in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe in altari ipsius Præsepis fecit laminas ex auro purissimo historiis depictis, pensantes libras centum quinque &c.* simile quid legitur in Leone III. aliisque in dicto libro Pontificali. Vide & infra nota 10.

Altaria olim columnis fulcita.

(8) *Aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat*) Id nos docet Honorius Augustodunensis lib. 3. cap. 106. *Mensa in Tabernaculo Dei erat quatuor pedibus fulta*. Interdum tamen mensa quinque columnis fulciebatur, ut discimus ex vita S. Theodardi Archiepiscopi Narbonensis, qui exeunte seculo nono floruit, apud Gulielmum Catellum in suis monumentis Provinciæ Occitanæ, vulgo *Linguadocca* nuncupatæ pag. 761. *Fecit autem idem Beatus Pontifex Theodardus eidem Ecclesiæ ex magno, & candidissimo marmore aram miro opere sculpturæ cælatam, quinque marmoreis stipitibus, quibus erant bases, & Epistylia marmorea locis opportunis, ac congruis fultam*: sex autem columnas ex lapide Jaspide habere pro fundamento Ecclesiæ Carnotensis altare scribit Laz. Andr. Bocquillot pag. 86.

(9) *Sacratas columnas amplectar*) Has altarium columnas ut plurimum amplexari solebant, qui confugiebant in Ædes sacras, veluti ad asylum. Vigilius Papa in Epistola Encyclica apud Labbeum Concil. Tom. 6. pag. 409. *cum a Sancto ejus Altare tracti pedibus traheremur, columnas tenuimus, & super nos etiam ipsa mensa ceciderat, nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata*. Ita de eodem Vigilio Epistola Clericorum Italiæ ibidem, ubi hæc leguntur: *quo viso Sanctus Papa columnas altaris complexus est*. Eadem refert Theophanes ad an. 20. Justiniani pag. 191. apud Aimoinum lib. 2. Histor. Franc. cap. 32. *in Basilicam Sanctæ Euphemiæ confugit, tenuitque columnam altaris*.

Altaris antiqui ornamentum Ciborii, seu Propitiatorium, aut umbraculum dictum.

(10) *Quæ proprie altaria quasi altæ aræ dicebantur*) Altare porro ornabat Ciborium quatuor columnis innixum, quod *propitiatorium* Anastasius Bibl. quandoque appellat, *umbraculum altaris* Ordo Romanus vulgatus pag. 122., & apud Martene de sacr. Eccl. Rit. Tom. 3. lib. 2. cap. 19. pag. 360. ubi ejusdem habetur consecratio, & benedictio; de hujusmodi columnis Ciborii idem Anastasius in S. Gregorio I. Papa: *Hic fecit B. Petro Apostolo Ciborium cum columnis suis, quatuor ex argento puro*. Idem in Leone III. *fecit in Basilica B. Pauli Apostoli Ciborium cum columnis suis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratum ex argento purissimo &c.* Ibidem. *Fecit in Basilica Beati Petri Apostoli super Altare majus Ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato, cum diversis historiis miræ magnitudinis mirifice decoratum, quod pensat libras 2704*. Atque inde Ciboria super altaria posita cognoscimus, uti denuo tradit Anastasius in S. Symmacho Papa, ubi: *& super Altare Ciborium argenteum fecit, pensans lib. 120*. Item in dicto Leone III. ubi obtulit *Ciborium super altare cum columnis suis*: infra. *Ciborium vero, quod exinde abstulit, posuit super altare*. Chronicon S. Trudonis lib. 1. *Altare auro, argentoque imaginatum cum Ciborio desuper*. Leo Ostensis lib. 1. cap. 20. *Super altare autem S. Benedicti argenteum Ciborium posuit, illudque auro, & smaltis simul exornans*. Denique Flodoardus lib. 4. Hist.

Rhemen. cap. 19. *Ciborium quoque super Altare S. Mariæ argento aggressus est operire.*

Cum igitur Ciborium sacræ Mensæ ita immineret, ut totam illam, veluti Cælum contegeret, eapropter Tabernaculum istud Altari superpositum, quod promiscue tam a Græcis, quam Latinis Ciborii nomine donatur, non incongrue *tegimen, & umbraculum* in Ordine Romano, ut supra, *& propitiatorium* ab Anastasio appellatur; immo sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, seu Expositione Liturgiæ, sive alter Junior, cui nonnulli eruditi apud Labbeum de Script. Eccl. id opus adjudicant, hac forte ratione Ciborium cum Arca Testamenti conferens, quam cingebant Cherubim, huic vocabulo græcam tribuit *Etymologiam*, latine *Arca*, quod est *videre*, velut sit *Arca visionis*, seu *manifestationis* Christi Domini: *Est item* (inquit) *& secundum Arcam illam Testamenti Domini, in qua præcepit Deus fieri duo Cherubim, utrinque tornatilia, nam Cib est Arca, orium illuminatio, aut lumen Dei*: ad id etiam videtur allusisse Paulinus lib. 2. Epigram. 2. ubi ait:

Altaris Ciborium in modum arcæ compactum.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositisque sacra cum Cruce Martyribus.

Et sane ad instar Arcæ Ciborium adinvenere Christiani, ut quemadmodum divinas tabulas, & veteris Legis fœdera includebat, & operiebat Arca, ita novæ Legis sacramenta, ac mysteria illud contegeret, & includeret. Cereis quoque adornatum, & illuminatum Ciborium Paulus Silentiarius in Descript. Templi S. Sophiæ docet part. 2. vers. 330. Vide ad hunc notas Caroli du Fresne, qui addit in his Templis, ubi non adsunt ejusmodi Ciboria, ut hodie fere apud Gallos, & alibi, umbraculum super Altare dependere. Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. *Quod baldachinum etiam superstatuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum, nec supra habeat aliquod Ciborium ex lapide, aut marmore confectum, si autem adsit tale Ciborium, non opus est umbraculo &c.*

Hujusmodi ciboria plerumque Sanctorum Corporibus imposita.

Porro Ciboria plerumque etiam Sanctorum corporibus leguntur imposita, quod ea sub Altaribus recondi solerent, atque ita eodem cum Altaribus umbraculo obtegerentur, uti ex oratione ad consecrationem Ciborii, ut supra in Ordine Romano constar, ex qua non modo Altare, sed & Sanctorum Corpora sub ipso Altari recondita, Ciborium operuisse dignoscitur. Atque inde fortasse accidit, ut Ædiculas, seu Tabernacula, in quibus ea recondebantur extra Altare, Ciboria plerumque appellent Scriptores. Gregorius Turonen. de Mirac. lib. 1. cap. 28. Anastasius in Honorio Papa: *Ornavit autem sepulchrum ejus* (S. Agnetis) *ex argento, posuit & desuper Ciborium æreum deauratum miræ magnitudinis.* Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi pag. 166. *Propitiatorium sane Sanctorum exornant corpora, quorum meritis floret Ecclesia: & in medio quidem alto satis, & prominenti Ciborio sanctus requiescit Vitonus &c. Ipsum quoque Ciborium Dominicæ Resurrectionis, Apparitionis, & admirabilis Ascensionis opere cælatorio protensis adornatur insignis, habens ante se Altare sacratum in honore S. Pulcronii, corpus auro, & argento decoratum.* Anselmus in Episcopis Leodien. cap. 30. *In uno collocati sunt feretro, quod feretrum in Ciborio, juxta corpus B. Lamberti usque in hodiernum diem collocatum est, cum aliis Sanctorum pignoribus.* Et Theofridus Abbas Epternacensis in versibus operi Florum Epitaph. Sanct. præfixis.

Extruo pyramides, Ciboria, colligo flores,
Spargo super tumulos Sanctorum carne sacratos.

Ubi Ciboria pariter, & Pyramides jungit, non quod hic Pyramides aliæ sint a Ciboriis, sed quod hæc illarum formam referant. Vide Descriptionem Ciborii Ædis S. Marci Venetiis apud Sansovinum, & Stringam in Venetia lib. 1. cap. 41. & 42. necnon Ambrosianæ Basilicæ Mediolanensis apud Puricellum in Monument. ejusdem Basilicæ pag. 127., & seqq. Atque hæc de antiqua Ciborii significatione.

Ciborii vocabulum olim multiplici interpretatione sumptum, nunc Tabernaculum dictum, in quo Eucharistia reconditur.

Cæterum huic Ciborii vocabulo multiplicem interpretationem tribuunt nonnulli apud Cangium in Glossario; hodie tamen inter Ecclesiasticos Ciborium vulgo significat Tabernaculum, in quo sacrosancta Eucharistia asservatur, de quo infra, cum de Turri, ubi antiquitus illa custodiebatur, agemus. Porro supra Ciborium, ut mox descriptum, Crux stabat, aut Christi in cruce pendentis Imago, uti constat ex iis, quæ a Nicolao Papa I. traduntur epist. 2. *Quid fidei nostræ contradicit, quod in centro Cameræ super Altare, ejus figuram, quod Verbum caro factum est, animæ nostræ affectando desiderant*: ubi vox *affectando* idem est, quod *adorando*. Per vocem autem *desiderant* videtur innuere sanctus Pontifex Christianos, & fideles, dum Jesum intuentur in Cruce pendentem super Altare in Ciborio, sacratissimum illius Corpus, quod in eo, & sub Cruce asservatur, expetere, & affectuosis desideriis illius perceptionem exoptare: Verbum enim *desiderare* hac ut plurimum notione usurpant sancti Patres, ubi de sacrosanctis Sacramentis, ac præsertim de Eucharistia agunt: uti Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 4. 6. S. Ambrosius de Fratre suo, & de Sacramentis lib. 4. (si vere ipse horum est author, de quibus disputatum est parte 1. lib. 1. cap. 7. §. 4.) S. Eligius homil. 8. ad Fontem.

Crux antiquitus Ciborio imposita.

Firmatur præterea, quod de Cruce Ciborio imposita diximus ex Anastasio in Leone IV. *sacrum desuper construxit Altare, & Ciborium cum Cruce &c.* Item ex Paulino, ut supra lib. 2. Epigr. 2. Atque hæc de Altari majori, ejusque ornatu, nunc de ejusdem situ. Suo quodam intervallo Altare erat separatum a muro superioris partis Ecclesiæ, ita ut Episcopi Thronus a tergo ejus consistere posset, & satis spatii ad commode circumeundum Altare relinqueretur, quod ex citato Synesio ab Em. Auctore dignoscitur, qui de imposita sibi Sanctuarium comprehendendi necessitate loquens primum ad Dei Templum accedere, tum *Altare circumire* velle dicit.

De antiquo Altaris situ in Ecclesia.

Quod & indicat Eusebius lib. 10. cap. 4., ubi de Episcopi, ac de Presbyterorum Sedibus in Ecclesia Paulini locutus addit, quod Sanctum Sanctorum, Altare scilicet, in medio consti-

constituerit, & quidem bematis, seu Sanctuarii, & in Concilio Constantinopolitano sub Menna Act. v. tom. v. Concil. pag. 185. tali in situ locatum Altare repræsentatur, ut circumiri posset, siquidem ibi legitur, quod cum S. Leonis Papæ, aliorumque Catholicorum Episcoporum nomina, quæ a diptychis expuncta fuerant, denuo illis inserta essent, multitudo populi sancta lectione juxta consuetudinem lecta, lætitia gestiens, tempore diptychorum cum magno silentio Altare circum circa cucurrerit, atque audierit.

§. 11.

De Oratoriis privatis, & Antimensiis: apud Græcos quid sint.

ET hæc quidem Altaria fixa, & immobilia loco adhærent, in quo construuntur: sunt autem & alia portatilia & motoria, quæ Episcopi iter agentes secum olim ferebant, ut in his possent extra Ecclesiam in locis ab ea remotis celebrare. Horum meminit Ven. Beda *lib. 5. Hist. cap. 11.* (1) (1)
& Hincmarus Rhemensis in Capitulis editis anno XII. sui Episcopatus, hoc de illis sancivit: *Nemo Presbyterorum in Altario ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia, vel Altaria consecrentur, & in Capellis etiam, quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundum possibilitatem, honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit, deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.* Ex hoc decreto palam fit, quinam veteri ritu Altaris portatilis usus sit, nimirum cum in Altaribus fixis nondum consecratis, vel in Oratoriis privatis, quæ consecrari nec solent, nec debent, celebrandum est. Ipsa vero privata Oratoria in domibus Principum, & nobilium virorum permittuntur, ut notissimum est: & de iis canonicæ sanctiones insertæ sunt Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. cap.* 101. & 205. & *lib. 7. cap.* 329. prohibetur, ne Missæ celebrentur in locis non consecratis & incongruentibus, nisi causa hostilitatis & longinqui itineris; & id in Altaribus ab Episcopo consecratis (2). Legitur idem statutum in Concilio Parisiensi (2)
sub Ludovico Imperatore *lib. 1. cap.* 47. & in Capitulari Theodulfi Aurelianensis (3) *cap.* 11. Græci altaria portatilia non habent, sed eorum vice (3)
utuntur Antimensiis, cujus nominis ratio hæc est, quod ea adhibeant loco Mensæ sive Altaris. Extat horum consecratio in Euchologio Græcorum *pag.* 648. & ibi in notis Jacobus Goar longam, & insulsam affert Joannis Citri Episcopi disputationem cœcutientis in hujus nominis assignanda etymologia. Quid sint, explicat idem Goar ex Scriptoribus Græcis. Sunt videlicet quidam panni Altarium ritu & vice consecrati, quibus a multis seculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrare contingit in Altari non consecrato. Theodorus Balsamon in Expositione can. 31. Concilii Trullani, *Ideo*, inquit, *repetta sunt Antimensia, & fiunt a Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris Mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ fit in Oratorio.* Et Manuel Charitopulus *lib. 3. Juris Orientalis* Antimensia non in omnibus Altaribus poni docet, sed in his tantum, de quibus nescitur, an sint consecrata. (4). Plura congerit de Antimensiis Christianus Lupus 3. P. Synodo- (4)
rum in dissertatione de Actis Leonis IX. cap. 13.

Quæ olim Latinis Altaria portatilia fuerint.

Quæ verum loco Græcis Antimensia.

(1) *Ven. Beda lib. 5. hist. cap. 11.*) Et Sanctus Anselmus Cantuarien. Archiepiscopus lib. 3. epist. 159. Erant hæc Altaria portatilia non secus, ac quasi ad similitudinem antiquissimi Mosaici Altaris utriusque, utpote quod peregrinationi Israelitarum inserviret, ac proinde portatile erat, & mobile, uti Exodi cap. 27. legitur: *Facies & vectes Altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex utroque latere Altaris ad portandum.* Hinc eadem & olim apud primos Christifideles in usu frequentata, neque enim aliud permittebat persecutionum furor, quo declinando huc, il-

lucque

sucque in diversis terrarum Orbis partibus dispergebantur. Quare Author Quæst. vet. & novi Testamenti apud Augustinum ait : *Officium Diaconi est portare Altare*. Atque id aræ genus Altare viaticum , tabellam itinerariam , Altare gestatile , lapidem portatorium vocabant.

(2) *In Altaribus ab Episcopo consecratis*) Sic ea decreta concepta sunt : *Qui in domo sua Oratorium habuerit , orare ibidem potest ; Missas tamen in eo celebrare non audeat , nec agere cuiquam permittat sine permissu , vel dedicatione Episcopi loci illius*. Extat item ea de re Canon 9. Concilii Moguntini ann. 888. celebrati , quem integrum hic referemus. *Missarum solemnia non ubique , sed in locis ab Episcopo consecratis , vel ubi permiserit , celebranda esse censemus. Concedimus etiam , ut sicubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum a Northmannis , seu alio qualicumque modo) Ecclesiæ fuerint incensæ , in Capellis missas interim liceat celebrare , donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis , si Ecclesia defuerit , sub divo, seu in territoriis , si tabula Altaris consecrata , cæteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt , Missarum solemnia celebrari permittimus.*

Altaria portatilia ab Episcopo consecrata esse debent.

(3) *In Capitulari Theodulphi Aurelianensis*) In aliquibus tamen locis interdum hæc Oratoria privata prohibita fuerunt , siquidem inter Statuta Synodalia Guillelmi Episcopi Andegavensis, qui seculo XIV. floruit , apud Acherium Spicileg. tom. 11. pag. 270. habetur cap. 4. *quod nullus de cætero authoritate talium litterarum* (hæ erant litteræ ab Episcopis concessæ viris nobilibus , aliisque , quarum authoritate quibuscumque diebus Missas , & alia officia divina poterant in suis domibus celebrari facere) *talem gratiam , tam generalem , & tam latam continentium diebus Dominicis , & festis novem lectionum Missas , & alia officia divina in suis domibus , vel Oratoriis faciat celebrari , & hoc sub pœna excommunicationis &c.*

Oratoria privata in aliquibus locis prohibita.

(4) *Antimensia &c. de quibus nescitur an sint consecrata*) Ita etiam Antimensia exponit Dufresnius in Glossario med. , & infim. Græc. qui tamen ait appellari segmenta panni , vel mappæ , quæ sacræ Mensæ insternitur in die Encæniorum Ædis sacræ , quæ precibus , rituque Ecclesiastico consecrata in varias partes discinditur , quæ Altarium portatilium , uti apud nos vocantur , vicem præstant , adeo ut absque iis in Oratoriorum , aut aliarum sacrarum Ædium Mensis non consecratis , absque hujusmodi Antimensiis sacras Liturgias peragere non liceat. Ea vero licet secundum Balsamonem a locorum Antistitibus consecrentur , possunt tamen in alias Provincias mitti , quemadmodum sacrum Chrisma. Ponitur autem Antimensium in ipsa Mensa sacra , & sub linteo , quod *Catasarca* vocant Græci , eo quod mensam ipsam primum tangat , uti in Typico S. Sabæ cap. 41. vel potius supra *Catasarca* , ut in Euchologio. Igitur apud Græcos in Oratoriis non dedicatis , immo in ædiculis navium pietati destinatis , sed & in campis , aut desertis , si necessitas id postulet , cum Antimensiis sacra peragere licuit. Balsamon in resp. 13. Sguropulus in Hist. Concilii Florentini Sect. 11. cap. 4. *neque sine Antimensiis sacra facere licet*. Eapropter in Nomocanone , quem edidit Joannes Baptista Cotelerius Monum. Eccl. Græc. Tom. 1. pag. 81. 72. habetur : *Sacerdos absque Antimensio Missam celebrans centies incurvet se pœnitentis in modum* : & pag. 140. num. 443. *Si per ignorantiam lotum fuerit Antimensium , non inquinatur , non enim manet in eo sanctificatio*. Antimensia itaque sunt opercula Altarium , sacra instrata , aut linteamina eadem operientia , quæ quando Episcopus Ecclesiam aliquam solemniter dedicabat , fiebant ex panno substrato , & circumvolvente Mensam , in partes disciso , ac Sacerdotibus distributo , qui sine iis sacra facere non poterant , non erat tamen necessarium quod hæc omnibus insternerentur mensis , sed iis tantum , quæ vel non essent consecratæ , vel de quibus non constabat consecratio , uti Joannes Citri Episcopus in Respons. ad Constantinum Cabasilam apud Leunclavium in Jure Græco-Rom. lib. 5. pag. 323. *Quod si igitur* , inquit, *Templum non est consecratum , hunc defectum resarcit Antimensii vis sanctificandi , unde neque licet in non consecrato Templo absque Antimensio umquam Liturgiam celebrare*. Ex quibus prædicta confirmantur, nempe Antimensia esse quosdam pannos Altarium vice consecratos.

Antimensia Græcis segmenta panni , seu mappæ , quæ Altari insternitur.

Præterea Antimensia appellantur mensæ aliæ præter eam , in qua sacra mysteria peraguntur , Antimensio ob religionem tectæ ad reponenda sacra Ecclesiæ mysteria , tametsi in iis Sacrificium non peragatur , quomodo apud latinos *Corporale* , cum sacrum Sacramentum deponitur. Unde apud Dufresnium ibi ex Hieron. & Germano Corporale Antimensium interpretatur , uti & apud Macros Fratres In Hierolexico. Vide etiam Euchologium , ubi de Imperatoris inauguratione pag. 926. Eadem etiam est de Antimensiis Syrorum Jacobitarum disciplina , quam in Nomocanone suo explicat Abulfaragius Nestorianus Scriptor , & in qua singulare quiddam observatur , nam tabulæ , aut Antimensii defectu dicunt : *Sumendum esse folium ex Evangelio in eorum vicem , & supra collocandum discum , & Calicem , tum in loco deserto necessitate urgente manibus Diaconorum uti posse Sacerdotem Altaris vice* : quod in Philotheo factum a se Theodoretus observat. Nonnulla de Antimensiis erudite scribit Eusebius Renaudotius Liturg. Orient. Tom. 1. pag. 182. Porro apud Græcos erat Antimensiis Præfectus , cujus totum officium erat Communicantes ad Eucharistiam disponere. Ejus meminit Codinus de Officiis Aulæ Constantinopolitanæ , item Concilium Florentinum Sect. 4. cap. XI. Sect. 11. cap. 4. & 12. cap. 1. Vide notas Roberti Creyghton in Sect. 4. cap. 11. & Sect. XI. cap. 4. Item Adversaria sacra Jo. de la Cerda cap. 51. Sect. 5. ac præter Meursii Glossarium , Gasparem Suicerum in suo Lexico Ecclesiastico verbo *Antimensia*.

Antimensium Græcorum ferme idem ac Corporale apud Latinos.

§. III.

§. III.

De Ecclesiarum consecratione, ejusque Ritus Antiquitate.

Sacer Ecclesiarum Dedicationis usus e veteri Testamento ab Apostolis ad novum deductus.

TEmplorum autem consecratio e veteri testamento ad novum, ab Apostolis ad successores emanavit; atque hunc ritum servavit Ecclesia totius Orientis, & Occidentis consensu. Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt (1), sed multo certius est Apostolicum institutum esse, (1)
nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat. Aut forte addidit ad veteres cæremonias, ut sine Missæ sacrificio Basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt Canonum collectores (2). Alii ex adverso scribunt ante Imperium Constantini (2)
Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis (3); in quorum sententiam facile ibo, si de publicis, & solemnibus agant: (3)
si vero de privatis, & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum, nam veterum Patrum testimonio jam supra evici semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosaicæ legis exemplo, & Apostolica institutione edoctis divino cultui certis cæremoniis consecratas, nemo certe negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina. S. Cæciliam inducias a Deo petiisse legimus, ut domus sua in Ecclesiam consecraretur, integro seculo ante Silvestrum (4). De aliis Ecclesiis Apostolicis temporibus Romæ de- (4)
dicatis, diximus supra. Accedit huic assertioni robur ex eo quod scribit lib. 10. Historiarum Eusebius Cæsariensis: describens enim lætum, & tranquillum statum Ecclesiæ, postquam Constantinus Christianæ Religioni adscriptus fuit, emicasse ait in omnium vultu divinam quamdam hilaritatem, cum templa viderent paulo ante destructa rursus a solo in immensam altitudinem erigi, & longe majori cultu ac splendore, quam illa, quæ prius demolita fuerant, nitescere. Et initio cap. 3. ait, *Votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens structorum consecrationes.* Et post pauca. *Jam vero Antistitum absolutissimæ cæremoniæ, & accurata sacrificia Sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesiæ ritus, hinc Psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium, illinc divina, & arcana obeuntium ministeria.* Quibus verbis Eusebius lætitiam Christianorum describit, consecrationes & sacrificia, quæ prius occulte fiebant, jam publice peragi spectantium, cum maxima majestate & solemnitate. Tantæ vero religionis hæc consecratio fuit, ut impius ac pene sacrilegus haberetur, si quis in Ecclesia nondum consecrata synaxim fecisset. Nihil clarius ad hoc probandum, quam S. Athanasii Apologia ad Constantium, cujus potissima pars in eo versatur, ut se purget apud Imperatorem, quod in Ecclesia nondum absoluta & consecrata Sacrificium celebrasset (5). Cur autem Oleum in Altaris consecratione adhibeatur, (5)
edisserit grandiloquo, ut solet, sermone Dionysius *in fine cap.* 4. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, ex quo hujus moris antiquitas demonstratur. Finis non erit, si in his immorari, & calamo indulgere voluero. Sisto igitur, & ad veterem Templorum structuram transeo, cujus notitia necessaria est, ut veteris Ecclesiæ ritus facilius percipi possint.

Antimensia Græcorum, ferme idem, ac Corporale apud Latinos.

(1) *Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt*) Polycarpus, seu Collectio Can. Gregorii Presb. lib. 3. tit. 3. Anselmus Lucensis lib. 5. cap. 83. Burchardus lib. 3. cap. 21. & 27. Jvo Carnotensis Parte 3. cap. 26., & 32. Pannormia lib. 3. cap. 13., & ex iisdem Ciacconius in Evaristo, novissime Ciampinius vet. Monum. Part. 1. cap. 17. pag. 141.

141. aliique huic Pontifici tribuunt decretum, quod omnes Basilicæ cum Missa debent consecrari : Vide Baron. ann. 121. num. 1. Pagium ann. 119. num. 2. & Jun. in Brev. Gest. Pont. in Evaristo num. 3.

Quod autem Templorum consecratio e veteri Testamento ad oovum, ab Apostolis ad successores emanaverit, atque hunc ritum servaverit Ecclesia totius Orientis, & Occidentis consensu, uti optime observat Card. noster, (quod & de Altaribus dicendum, cum ista Templis annexa sint) facile contra Novatores, qui nos arguunt quod tanto cæremoniarum apparatu apud nos Templa dedicantur, & consectantur Altaria, evincimus ac demonstramus; quis enim sacras litteras sciens ignorat quam magnifica pompa Tabernaculum, & Altare in veteri lege Num. cap. 7. dedicatum fuerit? Nonne legimus ter, Deo non improbante factam Judaici Templi dedicationem cum ingenti lætitia, & celebritate, primo a Salomone lib. 2. Paralip. cap. 7. de qua supra capite antecedenti in Append. ad §. 4. Secundo ab Esdra Sacerdote lib. 1. Esdræ cap. 6. Tertio a Machabæis, cum post profanationem iterum esset renovatum, & sanctificatum lib. 1. Machab. cap. 4. ad quam solemnitatem, quæ annis singulis recurrebat, Christum ipsum accessisse scribit S. Joannes Evang. cap. 10.? An ignorant prædicti Novatores veteres Patriarchas altaria, quæ erexerant, olei offusione consecrasse? Jacob Gen. 28. erexit lapidem, in quo Sacrificium obtulit, eumque consecravit fundens oleum desuper, & inde eumdem locum appellavit Bethel, idest domum Dei: & cap. 35. monitus a Deo ut Altare faceret, rursus ibidem erexit lapidem, ipsumque inungendo consecravit, & libavit super eum libamina, seu sacrificia; subsequentibus vero temporibus nonne Moyses oleo sacro, aliisque cæremoniis Tabernaculum, Altare, & omnia ejus vasa ministerii consecravit?

Ostenditur Ecclesiarum consecrationem ab Apostolis traditam fuisse.

Porro hujusmodi Ecclesiarum dedicationes, & Altarium consecrationes antiquissimæ institutionis esse, atque ita ab universali Ecclesia plenario totius Orbis Christiani consensu receptam hanc sacram divinæ religionis disciplinam, & consuetudinem, probatam semper ac retentam expresse testantur S. Dionysius Areopagita, vel alius Author libri de Ecclésiastica Hierarchia c. 4. Eusebius lib. 10. Hist. Eccl. cap. 3. & lib. de Vita Constantini cap. 43. ac seqq. ubi dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum imperiali munificentia extructæ describit: SS. Athanasius in Apologia ad Constantium, Basilius in Psal. 114. jam a Cardinali nostro citati, item Gregorius Nyssenus Orat. de Baptismo, cujus hæc sunt verba: *Altare hoc Sanctum*, inquit, *cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur: postquam vero Dei cultui consecratum, atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, Mensa sancta est, Altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscue tangitur, sed a solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur*. Ambrosius lib. 1. Epist. 5. ad Felicem, Gaudentius Brixiensis in Tract. de Dedicatione Eccl. Augustinus serm. 251. de Tempore, Gelasius Papa I. Epist. 1. Felix IV. item Papa Epist. decretali de Ecclesiarum, & Altarium consecratione, qui Pontifex non modo Ecclesias, & Altaria consecrari debere confirmat, sed etiam, quod est hujus loci proprium, testatur antiquis Canonibus prohibitum, ne sacra Missarum solemnia alibi quam in locis Deo sacratis magna necessitate excepta, ullus celebrare præsumat.

Huic nobili tot veterum Patrum, ac Scriptorum illustrium choro succinunt & antiquæ Synodi. Concilium Carthaginense V. ann. 254. celebratum can. 6. sic habet: *Similiter & de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, ut sine ulla trepidatione consecrentur*: item Agathense ann. 506. Can. 14. *Placuit Altaria non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari*. Idem statuit Braccarense II. ann. 563. Can. 6. Denique id constat ex cap. *Nullus*, quod Hormisdæ Papæ tribuitur, 2. Dist. 1. de Consecratione: *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud Altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum, ut sit discretio inter sacrum, & non sacrum, nec dedicationem fingat, nisi sit: quod si fecerit, si Clericus est, degradetur, si vero Laicus, anathematizetur*. His perspicuis testimoniis negent, si possunt, malignantis naturæ homioes antiquissimam esse, & ab Apostolis traditam Ecclesiarum dedicationem, atque Altarium consecrationem, quod enim omnis frequentat ubique terrarum Ecclesia, respuere, aut contemnere insolentissimæ insaniæ est, uti Augustinus ait lib. de Baptismo contra Donatistas.

(2). *Ut ex illo referunt Canonum Collectores*) Huic sententiæ plerique recentiorum subscribunt, inter quos Pagius Jun. in Brev. Gest. Pontif. in Evaristo num. 3. Vide Martene lib. 2. de antiq. Eccl. Rit. cap. 13.

(3) *Propter metum persecutionis*) Ita Card. Cæsar Rasponus de Basilica Lateran. lib. 1. cap. 1. pag. 6., ubi ait. Dedicationis Ecclesiarum Ritum a S. Silvestro emanasse.

(4) *Integro seculo ante Silvestrum*) Ita etiam S. Lucina rogavit Marcellum Papam, qui Silvestrum quinque annis præcessit, ut domum ejus Ecclesiam consecraret, prout in actis S. Marcelli tum apud Surium, tum apud Bollandum die 16. Januarii legitur: *Eodem tempore B. Lucina fecit donationem de facultate sua, & ex omnibus, quæ habuit, Ecclesiæ Catholicæ: hoc audiens Maximianus Augustus, indignatus proscriptione eam damnavit: illa autem rogavit S. Marcellum Episcopum, ut domum ejus Ecclesiam consecraret, quod cum omni devotione fecit Marcellus Episcopus*.

(5) *Et consecrata Sacrificium celebrasset*) Ecclesia hæc illa est, quam Constantinus Imperator Alexandriæ construi jusserat: factum, non negat Athanasius, sed vim excusat, aut potius præservidam pietatem infinitæ cujusdam hominum multitudinis. Cum enim aliæ urbis Ecclesiæ minores essent, quam ut omnes in earum singulis Fideles caperent, atque adeo in solemnitate Paschali sacro simul omnes adesse non possent, Archiepiscopum in

ista,

iſta, quæ jam erat cæteris capacior, offerre coegerunt; ita ille ibi: *Cum Eccleſiæ paucæ, parvæque eſſent , magnoque tumultu poſceretur , ut in magna Eccleſia conventus celebrarentur .* Petitioni eorum antequam aſſentiretur Athanaſius, conteſtabatur, enixiuſque orabat, *ut etiam cum compreſſione , & afflictione in aliis Eccleſiis cœtus agerent .* At plebs Epiſcopum non audiit comminata feſtum ſe diem mediis in agris potius celebraturam, quoniam ſuperiore feſto Pentecoſtes, & mulieres , & infantes non pauci præ turba eſſent extincti. Ex quo colligitur , nonniſi magna ex neceſſitate impulſum Athanaſium id feciſſe.

§. IV.

Vetus Templorum Structura .

Veterum Chriſtianorum Templa ad ſimilitudinem Templi Hieroſolymitani, quamtum fieri potuit, extructa.

CHriſtianorum Templa ſic olim erant diſpoſita , ut veteris Templi Hie-
roſolymitani , quantum fieri poterat , ſimilitudinem quamdam præ
ſe ferrent , & ad illius formam proxime accederent (1). Ea conſtabant (1)
variis membris & ædificiis, quæ ſi vellem ſingillatim deſcribere , nimis
in longum hic liber protraheretur . Multæ enim occurrunt in eorum ex-
plicatione difficultates , quæ Eruditorum torquent ingenia, nec facile ex-
pediri poſſunt . Prolixis igitur ac fere inutilibus diſputationibus omiſſis ,
ea breviter attingam , quæ ad propoſitum mihi argumentum ſpectant .
Quæ fuerit Eccleſiarum forma ante Conſtantinum , incertum eſt ; nam
Euſebius , qui eas juſſu Diocletiani ſolo æquatas ſcripſit , earum formam
non deſcripſit . Credibile tamen eſt piiſſimum Principem amplioribus qui-
dem ſpatiis eas inſtauraſſe , ſed ex iis quæ deſtructæ fuerant , ædificii ty-
pum ſumpſiſſe , qui in veterum Scriptorum lucubrationibus uſque in ho-
diernum diem perſtat (2). Euſebius *lib.* 3. *de Vita Conſtantini cap.* 34. (2)
& ſequentibus Templum Hieroſolymis ab eo conſtructum graphice pingit.
Fuſius autem & accuratius *lib.* 10. *Hiſtoriarum cap.* 4. aliud templum cum
omnibus ſuis ædificiis deſcribit, quod in urbe Tyro magnifice erexit illius Ci-
vitatis Epiſcopus Paulinus, cui idem Euſebius hoc mirabile Eccleſiaſticæ Hi-
ſtoriæ opus dedicavit, ut ex initio hujus libri decimi apparet. Gregorius quo-
que Nazianzenus Eccleſiam , quam Pater Nazianzi extruxerat , eleganter ex-
preſſit oratione, quam in funere ipſius Patris recitavit . Paulinus item Nola-
nus exactam Baſilicæ delineationem nobis reliquit *Epiſt.* 12. *ad Severum , &*
Natali 9. *ac* 10. *S. Felicis .* Ex his & aliis Antiquorum monumentis aperte

Græcorum, & Latinorum Eccleſiæ veteres ejuſdem olim Schematis exiſtimatæ.

colligitur Græcorum & Latinorum Templa ejuſdem olim ſchematis (3) (3)
fuiſſe, & primo quidem, quod attinet ad ſitum , ita erant diſpoſita , ut ad
ortum ſolis æquinoctialem verterentur (& verſus eam partem Chriſtiani
orarent). Tertullianus teſtis eſt in Apologetico cap. 16. *Inde ſuſpicio quod*
innotuerit nos ad Orientis regionem precari . Et adv. Valentinianos cap. 3.
alludens ad Chriſtianorum Eccleſias , ut ipſimet Sectarii agnoſcunt , ait:
Noſtræ columbæ domus ſimplex , aditis ſemper & apertis & ad lucem .
Amat figura Spiritus Sancti Orientem . Auctor Libri Apoſtol. Conſtit.
lib. 2. cap. 61. *Eccleſia ſit longa ad inſtar navis ad Orientem converſa .*
Euſebius Templum Paulini teſtatur ſeſe ad radios Solis orientis aperuiſſe.
Iſidorus lib. 15. Origin. cap. 4. *Antiqui , quando templum conſtruebant ,*
Orientem ſpectabant æquinoctialem , ut qui deprecaretur , rectum aſpiceret
Orientem . Sed de hac re ejuſque cauſis fuſius egi in Tract. de divina Pſal-

Apud Monachos noſtros olim non ſolum Altare majus , ſed & reliqua omnia ad Orientem verſa.

modia *cap.* 6. §. 2. (4) Hic autem mos adeo exacte a Monachis noſtris (4)
olim ſervabatur , ut non ſolum majus Altare , ſed & reliqua omnia ad
Orientem verſa ſint . Paulinus tamen Nolanus *Epiſt.* 12. aſſerit ſe in Ba-
ſilica, quam ædificavit, hunc morem neglexiſſe . *Proſpectus* , inquit , *Baſi-*
licæ , non ut uſitatior mos eſt , Orientem ſpectat , ſed ad Domini mei
B. Felicis Baſilicam pertinet , memoriam ejus aſpiciens . Quod vero non omnia

Altaria, quæ in eadem Ecclesia sunt, ad ortum respiciant, sic excusat Vualafridus Strabo cap. 4. *Cognoscimus non errasse illos vel errare, qui templis vel noviter Deo constructis, vel ab idolorum squalore mundatis propter aliquam locorum opportunitatem in diversas plagas Altaria statuerunt, quia non est locus ubi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus in Ecclesia, quam apud Æliam Constantinus Imperator cum Matre Helena super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate constituit: itemque Romæ in Templo, quod ab antiquis* Pantheon *dictum a B. Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est: in Ecclesia quoque B. Petri Principis Apostolorum, Altaria non tantum ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Hæc cum secundum voluntatem vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Sed tamen usus frequentior, & rationi vicinior habet in Orientem orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constituit.*

(5) Narrat Procopius *lib. 1. de bello Persico cap. 17.* Dianæ & Iphige- (5)
niæ templa in urbe Comana Deo a Christianis consecrata fuisse, nihil immutata structura: in quibus, aliisque similibus necessarium fuit ad veterem situm Altaris constructionem accommodare.

(1) *Et ad illius formam proxime accederent*) Ita Card. Baronius ad an. 57. n. 103. Quippe quæ Templa porticum, Atrium, Sancta, ac demum Sancta Sanctorum, membra Ecclesiæ præcipua continerent ad diversorum Ordinum officia accommodata: nimirum, ut alicubi essent pœnitentes, & alii, quibus ad Ecclesiam non pateret accessus, alibi populus, seorsum ab eo Sacerdotes, atque ab his omnibus distinctus locus, ubi ad sancta Sanctorum ingrediens Sacerdos, incruentum, ac per omnia venerandum Deo offerret Sacrificium. Hanc quidem formam in iisdem hactenus intuemur Ecclesiis, quæ temporibus Constantini fuerunt a fundamentis extructæ; nam in antiquioribus hæc monstrare non licet, cum, (ut alias dictum est) omnes, quotquot in Orbe Romano erant Christianæ Religionis Ecclesiæ, Diocletiani, & Maximiani Imperatorum Edicto fuerint ad solum prostratæ. Porro, etsi reddita sub Christiano Principe Ecclesiæ pace, aliæ denuo fuerint amplioribus spatiis excitatæ: tamen nonnisi secundum pristinam formam (cum eadem, quæ olim, essent in eis officia obeunda, exercendæ functiones, ac mysteria consummanda) fuisse constructas, persacile, ut credamus, inducimur; cum præsertim eadem prorsus forma erigendarum Ecclesiarum tam in Oriente, quam in Occidente, ubique locorum observata noscatur.

(2) *Usque in hodiernum diem perstat*) Et quidem, ut scite ait Illustrissimus Joannes Ciampinius Vet. Monum. Par. I. cap. 1. pag. 1. prisci Christifideles in ædificandis Ecclesiis Gentilium imitatores ad eorum similitudinem sacra Templa erigebant, vel ab Ethnicis jam erecta ab omni profanæ superstitionis labe expiata, divinos in usus aptabant, ut innuit Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu: *Basilicæ olim negotiis plenæ, nunc votis pro tua salute susceptis*: Gratianum Imperatorem alloquitur. Atque eadem Architectonica præcepta observata animadvertuntur in Basilica Siciniana ab Ethnicis constructa, ac etiam in aliis Christianorum Basilicis, nempe Sessoriana, S. Pauli, S. Laurentii in Agro Verano, & aliis, de quibus idem Ciampinius ibi.

Quamquam autem plurium Historicorum testimonio (quemadmodum eruditissime observat summæ intelligentiæ, ac doctrinæ vir D. Augustinus Calmet Differt. in Sac. Script. edit. Lucensis Tom. I. pag. 212.) veterum Gentilium templa, & præcipue Ægyptiorum plerumque januas ad Orientem habuisse constet, adeoque templum, & sanctuarium ad Occidentem, uti ex Herodoto lib. 2. cap. 136. Diodoro Siculo lib. 1. Porphyrio de antro Nympharum; item ex Dionysio Thrace lib. 5. apud Spencerum de leg. Rit. Hebr. lib. 3. cap. 2. Differt. 6. sect. 4. sensim tamen morem illum obsolevisse constat ex Hygino Augusti Liberto de Agr. limit. constituendis lib. 1. ille enim ad ingressum statuit, ut Numinis simulacrum in caput Templi erectum ad orientalem plagam spectet, sicut & ad eamdem plagam numen in Templo adoraturi respiciant. Ex quo Vitruvius de Architect. lib. 5. cap. 5. *Signum*, inquit, *quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cæli regionem....... ipsaque simulacra videantur ex Oriente contueri supplicantes*. Hanc structuræ habitudinem in priscis Christianorum templis spectari constat, semper enim fores habent ad Occidentem patentes, ut aram, & sanctuarium in adversam partem respiciant. Hujus vero moris vetustas in altero paris antiquitatis more elucet, cum apud veteres Christianos obtinuisset Deum adoraturos orientem spectare, ex quo vetus Paganorum calumnia de cultu Solis a Christianis præstito, de quo infra. Nihil ea traditione vetustius in Ecclesia Occidentali, unde conjicitur morem illum ex gentibus ad Christianos transiisse, cum prisci illi Fideles ejuratis Paganorum sacris ad fidem accedentes ritum hunc ex Paganismo receptum ad meliorem usum retinere maluissent. Favet huic opinioni, quod contraria plane

disci-

disciplina apud Judæos servetur, quorum mores facilius adoptassent Apostoli, nisi huic alteri assuevisse fideles animadvertentes noluissent in re minime mala consuetudini adversari. In Ecclesiis Occidentalibus, apud quas Judæorum mores invaluerunt, sicut & veteres servatæ sunt regulæ Templorum Ægypti, & Syriæ, aditum illæ statuebant Templorum ad Orientem, aras ad Occidentem, uti ex celebri Templo Tyri consecrato, quod describit Eusebius lib. 10. cap. 4. aliisque, & recentioris ævi in eadem regione Templis constat. Quare non omnia ejusdem figuræ, aut schematis, vel consimilis formæ erant veterum Christianorum Templa, prout etiam mox videbitur.

Non adeo certum Latinorum Templa ejusdem olim schematis fuisse.

(5)

(3) *Et Latinorum Templa ejusdem olim schematis*) Id non adeo certum esse videtur, nam forma veterum Ecclesiarum non ita universalis fuit, ut non inter se in figura discreparent. Aliæ siquidem ad instar navis constructæ erant, uti ex authore libri Apost. Constit. infra ab Eminen. citato. Atque hanc S. Sophiæ Constantinopoli Ecclesiæ formam fuisse Paulus Silentiarius, aliique perhibent, quæ etiam Ecclesiæ dromicæ dicebantur quadrata forma, & oblonga, lateribus paribus, vel imparibus substructæ, item sine fornice, & tabulato, aut solario existentes, sub ipso tecto viam perlongam habentes ex tabulis confectam, per quam tuto excurri posset, & tectum, si qua reparatione indigeret, observari. Quæ forma nunc quoque Romæ in Ecclesiis S. Pauli extra muros, & S. Clementis, item Florentiæ in aliquibus Ecclesiis, & alibi visitur. Aliæ rotundæ erant, qualis Ecclesia super Sanctum Domini nostri Salvatoris Sepulchrum Hierosolymis in Monte Golgotha a Constantino ædificata, uti tradunt Eusebius de Laud. Constant. lib. 3. cap. 38., & Valafr. Strabo de Offic. Eccl. cap. 4. in Bibl. PP. Tom. 15. pag. 183. Vide Adamnanum de locis Sanctis apud Dacherium sec. Bened. tertii Par. 2. pag. 505. Aliæ octangulares, cujusmodi erant Basilica Antiochiæ a Constantino ædificata, de qua Eusebius de Vita Constant. lib. 3. cap. 50. ait: *figura quidem octaedri confectam*, de qua item Abulpharagius in sua Historia Dynastiarum pag. 85. *struxit* (Constantinus) *etiam Antiochiæ Templum octogonum nomine B. Virginis*. Item Ecclesia Nazianzi a Gregorio S. Gregorii Nazianzeni Patre constructa, ut in Oratione funebri idem ejus filius n. 19. de Laud. Patris testatur eamdem Ecclesiam describens: *octo æquilateris*, ait, *rectis in se occurrit, & columnarum, &c.*

Variæ Ecclesiarum veterum figuræ descriptæ.

Aliæ porro in formam Crucis ædificatæ erant, qualis Basilica Apostolorum Constantinopoli, de qua supra diximus, a Constantino erecta, uti ex eodem Gregorio Nazianzeno in Somnio Anastasiæ Carm. 9.

Inter quos, quod quadruplici crucibusque notato
Est latere, eximie fulget Apostolicum.

Hujusmodi etiam in Crucis formam erant Ecclesiæ, quarum primam a Sancto Namatio apud Arvenos ædificatam describit S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 2. cap. 16., de qua *totum ædificium*, ait, *in modum Crucis dispositum est*. Alia seculo septimo *Crucis instar erecta* a Sancto Filiberto Abbate Monasterii Gemeticensis. Porro de Veterum Christianorum Ecclesiis videndi Andreas Palladius lib. 3. cap. 19. Vincentius Scamozzi lib. 3. cap. 5. Leo Baptista de Albertis lib. 7. cap. 14. Item Allatius de Templis Græcorum, & Svicerus in suo Thes. Eccles. Tom. 2. voce *vaos*.

Ethnicorum Templa ad Orientem versa.

(4) *De Divina Psalmodia cap. VI. §. II.*) Ethnicorum etiam Templa ad Orientem ut plurimum sita erant, ut scribit Vitruvius Architect. lib. 4. cap. 5. & ult., atque ex eodem Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. Idola in Templis ideo vultibus ad Occidentem conversis posita refert, ut qui in iis orarent Pagani, in facies Idolorum, adeoque in Oriente prospicerent, deinde concludit Vituuvius, *quod aras Deorum necesse esse videatur ad Orientem spectare; ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli Orientis*. Consonant Apulejus lib. 2. Metamorph. Dionysius Trax lib. 3. Diæres. apud Lud. de la Cerda in 8. Æneidum Virg. Hyginus de limitibus, aliique. Hinc Ethnici videntes eodem aspectu esse Christianorum Templa, idest ad Orientem versa, inde illa suspicio, de qua supra Tertullianus in Apolog. quasi solem Orientem adorarent, quam calumniam diluunt Tertullianus ipse loco citato, & Sanctus Athanasius, vel quisquis sit Author Quæstionum ad Antiochum Principem quæst. 14. *Christiani enim*, ait, *ad increatum lumen conversi non illud, quod creatum est, lumen adorant, sed luminis ejus Creatorem, & ex elemento omnium splendidissimo omnium elementorum splendidissimum authorem venerantur*: tres autem hujus ritus causas idem affert. *Primo, quia scriptum est*: Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus: *per Zachariam autem dicitur*: in die illa stabunt pedes ejus supra montem Olivarum ad Orientem. *Secundo, quia Deus lux est. Respicimus ergo orantes ad hanc partem, unde lux venit. Tertio, quod cum Paradisus, unde pulsus est homo, sit ad Orientem, eo revertendi mens cupida oculos illuc dirigit.*

Idem mos apud Christianos olim observatus.

Et certe morem hunc fuisse semper apud Christianos orare ad Orientem conversos, testatur Justinus Martyr, sive alius quisque est Author Quæstionum, & Respons. ad Ortodoxos apud ipsum, quæst. 118. his verbis: *Orationis tempore ad Orientem vultus omnes convertimus*. Et Origenes in lib. Num. homil. 5. *Ex omnibus Cœli plagis ad solam Orientis partem conversi orationem fundimus*. Subscribunt sequentes antiqui Scriptores, S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Gregentius Arabs Tephræ Homeritarum Archiepisc. in Disput. cum Herbano Judæo apud Front. Ducæum Auctar. Bibl. PP. Tom. 1. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Rer. Eccl. Moses Barcepha Episcopus Syrus lib. de Paradiso cap. 13. in Bibl. PP. Lugd. Tom. XVII. pag. 456. qui omnes cum Justino Martyre mox laudato affirmant hanc laudabilem consuetudinem orandi ad Ofientem ab Apostolis traditam, & acceptam fuisse, *propterea quod*, (inquit Germanus Patriarcha, sive senior, sive junior sit) *Spiritalis Sol justitiæ Christus Deus noster in terra apparuit in Orientis*

partibus; Idque memoratus Barcepha authoritate multorum Patrum confirmat, atque ita ait constructa olim Templa, ut ad solem Orientem mense Nisan, in æquinoctio scilicet verno, obversa sit fabrica, quia nimirum illo mense supra Paradisi locum sol oriatur. Et sic ferme antiquiores Basilicæ etiam nunc constructæ apparent, ut ortum respiciant æquinoctialem. Quare Sidonius Apolinaris lib. 2. Epist. 10. ad Hesperium describens Ecclesiam a S. Patiente Lugdunensi Episcopo constructam seculo quinto inter cætera hæc scribit:

Ædes celsa, nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur: sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.

Hinc Stephanus Tornacensis Episcopus Epist. 86. describens Ecclesiam Sancti Benedicti Parisiensis, inquit, *Ecclesiæ illius forma dissimilis, & dissidens ab aliis Ecclesiis a parte Sanctuarii respicit Occidentem, ab introitu Orientem*: ad quæ verba subdit in notis Claudius Molinet „: Cum apud Christianos superior pars Ecclesiarum, in qua ponitur „ Altare, respiciat Orientem, Ædes D. Benedicto sacra olim in suburbio Lutetiæ Parisiorum, nunc vero via Jacobæa præter „ morem aliarum conversa erat versus Occidentem, his, ut reor, de causis, ut porta „ ejusdem Ecclesiæ secus viam publicam statueretur, qua facilior ad eam prætereuntibus pateret ingressus, & ne strepitu „ officia divina turbarentur. At tempore „ Francisci I. cum hæc ædes situ, & vetustate collaberetur, Parochiani eam in melius restaurarunt, præcipuo Ecclesiæ aditu „ in partem oppositam constituto, ut in modum cæterarum Ecclesiarum ista deinceps versus Orientem collocaretur. Alias denique hujus ritus rationes vide in Cardinalis tractatu de Div. Psalm. loco citato.

(5) *Eo tenore constituit*) Præter adducta hæc exempla de Templis ad Orientem non conversis, alia suppetunt, & quidem de Ecclesia Antiochena, inquit Socrates lib. 5. cap. 22. *Antiochiæ, quæ est in Syria, inversus est Ecclesiæ situs, neque enim Altare ad solis ortum spectat, sed ad occasum*; quod & de celebri in Urbe Tyri Templo in eumdem modum ædificato scribit Eusebius Hist. Eccl. lib. 10. c. 4. Item S. Patricius in Hibernia Episcopus, uti ex Jocelino Monacho vitæ ipsius Scriptore apud Bolland. Act. SS. Martii Tom. 2. pag. 540. dignoscitur, Ecclesiam in Oppido Sabul prope Dunum in Ultonia ædificavit, quæ nec ad ortum, nec ad occasum solis, sed ab aquilonari parte versus meridionalem plagam respiciebat. Quare Ecclesiarum omnis generis situm habentium exempla passim in Historia Ecclesiastica leguntur. Porro de veterum Templis videri possunt Ant. Demochares lib. 3. de Missa cap. 41. Hugo Menardus in Sacram. Gregorii pag. 69. & Leo Allatius lib. 1. de Eccl. Occid. & Orient. consensu cap. 6. aliique.

Non tamē ubique, nam nonnullæ referuntur Ecclesiæ veteres ad Orientem non conversæ.

§. V.

De Ecclesiæ partibus, seu membris. Ad quid Fontes, vel Putei in Atrio. Sua singulis loca tributa.

PArtes vero seu membra præcipua cujusque templi quænam fuerint, præcitati auctores docuerunt. Prima pars Atrium seu vestibulum dicebatur, spatium scilicet clausum, amplum, & quadratum, porticus habens columnis suffultas, vel in omnibus lateribus, vel in tribus aut duobus, sive in uno dumtaxat ante aditum Basilicæ, & desuper extructas cellas. (1) Medium erat sub dio positum patenti planitie, & ante fores aquæ (1)
salientes, seu putei & canthari, ac conchæ, (2) ne Christiani illotis ma- (2)
nibus templum adirent. Eusebius in descriptione Templi a Paulino extructi, *Hic*, ait, *sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent*. Eidem lotioni positum fontem in atrio Basilicæ Vaticanæ Paulinus Nolanus commemorat Epist. 33. ad Alethium, *ubi cantharum ministra manibus, & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens*. Idem ep. 12. ad Severum,

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro. (3) (3)

Ita Leo Magnus fontem cum cantharo ante Basilicam S. Pauli condidit addito hoc epigrammate.

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli

Ingre-

Ingrederis, ſupplex ablue ſonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria curſus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.
Provida Paſtoris per totum cura Leonis
Hæc ovibus Chriſti larga fluenta dedit. (4) (4)

Meminit etiam aquæ luſtralis in veſtibulo templi Syneſius Epiſcopus *epiſt.* 121. & ubi fontes, aut putei haberi non poterant, fodiebantur ciſternæ, ut Paulinus teſtis eſt *Natali* 9. *S. Felicis* in deſcriptione Templi a ſe conſtructi.

Forſitan hæc inter cupidus ſpectacula quæras,
Unde replenda ſit hæc tot fontibus area dives,
Cum procul urbs, & ductus aquæ prope nullus ab urbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam.
Reſpondebo: nihil propria nos fidere dextra,
Nil ope terrena confidere: cuncta potenti
Depoſuiſſe Deo, & fontes præſumere cœlo.
Denique ciſternas adſtruximus undique tectis,
Capturi fundente Deo de nubibus amnes,
Unde fluant pariter plenis cava marmora labris. (5) (5)

Hodie in atriis Baſilicarum conchæ & labra ponuntur, & aqua ſale conſperſa, ac ſacerdotali benedictione ſanctificata replentur, qua fideles frontem aſpergunt, cum templum ingrediuntur. Hujus autem aquæ uſum ab Apoſtolica traditione emanatum, & Alexandri I. decreto ſtabilitum docet Baronius anno 132. num. 3. (6) Porro in porticu ante fores Eccle- (6) ſiæ ſtabant Pœnitentes primi ordinis, de quibus ſupra actum eſt Cap. XVII. Erat & ibidem locus egenis ſtipem mendicantibus attributus: licet enim illis, ſicut & cæteris fidelibus, precum cauſa templi fores paterent, non tamen intus ab orantibus eleemoſynam petere permittebantur, ne ſacra agentibus, Deumque precantibus moleſti eſſent. *Propterea*, ait Chryſoſtomus hom. 28. ad Populum Antioch. *Ante Eccleſias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes ſedent, ut nos ex hujuſmodi ſpectaculo multum capiamus utilitatis.* Et Gregorius Nazianz. orat. de amore Pauperum, *Petitionum gemitus internis templi cantibus ex adverſo reſpondet, atque adverſus myſticas voces miſerabilis luctus excitatur.*

Pauperibus mendicantibus olim vetitum intus Eccleſiam ab orantibus eleemoſynam petere.

(1) *Et deſuper extructas Cellas*) Sane Baſilicarum atria quatuor fere porticibus conſtaſſe in quadranguli formam diſpoſitis, & in medio locum apertum, & patentem fuiſſe, cujuſmodi hodie in clauſtris Monachorum viſitur, id docet Euſebius cit. lib. 10. Hiſt. Eccl. ubi Tyri Baſilicam deſcribit. Verum in Baſilica Hieroſolymitana ab eodem deſcripta lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 34., & ſeqq. tres dumtaxat porticus illic erant ad tria ſcilicet latera; in quarto autem latere, quod erat e regione ſepulchri ad ſolem orientem obverſum, & vice porticus erat ipſa Baſilica, quod quidem idcirco factum videtur, ut eadem Baſilica ampliori lumine colluſtraretur nulla extrinſecus porticu luminibus officiente. Porro binæ porticus erant ad utrumque latus, ut notat Valeſius ibid. ad cap. 36. eodem modo in Templo Apoſtolorum, quod erat in Urbe Roma, quatuor erant porticus, uti teſtatur Prudentius in paſſione Apoſt. his verſibus:

Baſilicarum atria quatuor fere porticibus in quadranguli formam diſpoſita.

Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas.
Diſtinguit illic quaternus ordo.

Idem Prudentius in Paſſione S. Hippolyti de Templo ejuſdem S. Martyris ita ſcribit.

Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Suſtinet auratis, ſuppoſitis trabibus;
Adduntur graciles tecto breviore receſſus,
Qui laterum ſeries jugiter exſinuent.

Præterea ante majores Baſilicas ut plurimum erant Plateæ, in quibus forum rerum venalium agebatur die feſto Martyris, cui dicata erat Baſilica, uti indicat laudatus Euſebius de Vita Conſtant. cap. 39. Quod quidem idcirco veteres obſervabant, ut pulchrior eſſet veſtibulorum conſpectus, nihilque eſſet, quod luminibus ipſorum officeret. Sic Romæ ante Baſilicam Apoſtolorum erat Platea, ut teſtatur Prudentius. Alexandriæ quoque Eccleſia erat ad magnam plateam, ut docet Athanaſius Epiſt. ad Solitarios. Euſebio poſtmodum, & Prudentio adſtipulantur ſequioris

Ante majores Baſilicas plateæ conſtitutæ.

ævi

ævi Scriptores. Sic triporticus ejusmodi atria Ecclesiarum dicuntur Anastasio in S. Hilaro Papa: *Nimphæum, & Triporticum ante Oratorium Sanctæ Crucis*. Paulinus Ep. 12.

Alma domus triplici patet ingredientibus arcu.

Et infra.

Tergeminis geminæ patuerunt arcubus aulæ.

Sidonius Apollinaris lib. 2. Ep. 10. Ecclesiam Lugduni nuper extructam describens.

Huic est porticus applicata triplex
Fulmentis Aquitanicis superba,
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ.

Quadriporticus etiam atria eadem vocat Anastasius in Symmacho Papa: *Cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit*. Idem in Dono: *hic atrium Beati Petri Apostoli superius, quod est ante Ecclesiam, in quadriporticum magnis marmoribus stravit*. Item in Leone III. & alibi passim. Harum vero porticuum intercolumnia ut plurimum cancellis, ac plateis munita erant, quibus incumbere licebat & in atrium prospicere. Paulinus dicta Ep. 12.

Sed circumjectis in porticibus spatiari
Copia larga subest, interpositisque columnas
Cancellis fessos incumbere, & inde fluentes
Aspectare jocos, pedibusque madentia siccis
Cernere, nec calcare sola, & certamine blando
Mirari placido salientes murmure fontes.

Atria Ecclesiarum Paradisi nuncupata.

Romani vero ejusmodi atria *Paradisos* vocabant teste Leone Ostiensi lib. 3. cap. 27. *Fecit & atrium ante Ecclesiam, quod nos Romana consuetudine Paradisum vocamus*. Anastasius in Paulo PP. I. *Fecit autem in atrio ante Turrem S. Mariæ ad Gradus, quod vocatur Paradisus, Oraculum &c.* Paulus Warnefridus lib. 5. de Gest. Longobard. cap. 31. *Donus Papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus dicitur, ante Basilicam B. Petri Apostoli candidis, & magnis marmoribus stravit*. Ita passim vocem hanc usurpant Scriptores a Græcis desumptam, quæ Hesychio dicitur *Peripatus*, idest locus porticibus, in quibus deambulationes fiunt, septus, vel certe quivis alius deambulationi aptus.

Ante fores Ecclesiarum fontes aquarum, atque earum receptacula extabant.

(2) *Seu Putei, & Canthari, ac Conchæ*) Canthari apud Vulpianum leg. 41. §. 11. D. de legat. 1. sunt aquarum receptacula, unde aquæ erumpunt. Idque Christiani ex antiquo Hebræorum ritu observabant, qui labrum æneum in Templo renebant. Frequentem hujusmodi fontium, seu cantharorum usum apud veteres Christianos ante Ecclesiam manibus, oribusque lavandis positorum testatur Eusebius lib. 10. cap. 4. *fontes ex adversa fronte Templi proficientes aqua redundantes positi, quibus omnes, qui in sacros Templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant, qui fontes sacrosancta baptismatis lavacra repræsentant*. Solebant hi canthari in mediis Ecclesiarum atriis, seu propylæis extrui. Anastasius in Sancto Hilaro Papa; *Canthara cerostata 12. aurea pens. singula libras tricenas*. Infra: *Canthara cerostata in gremio Basilicæ argentea 50. pens. singula libras 20.* Ibidem in Leone III. *Fecit super Ciborium de Altari majori Beato Petro Apostolo Canthara majora 4. ex argento purissimo habentia in medio cereos ex argento deauratos &c.* Porro de iis Cantharis, Labris, Conchis, ac vasibus videndi Carolus Dufresnius in sua Descriptione Templi S. Sophiæ num. 22., & Ciampiuus de Sac. Ædific. cap. 40. sect. 10.

(3) *Lavat amne ministro*) Idem de lotione Epist. 31., ut & Natal 9. & 10. Vide etiam dictum Anastasium Bibl. in Anastasio II., & Symmacho PP.

(4) *Larga fluenta dedit*) Octasticum hoc primus vulgavit Sirmondus ad Ennodium suum Ticinensem.

De his fontibus plura loquuntur Patres.

(5) *Cava marmora labris*) De his fontibus ante Ecclesias positis, ut qui communis earumdem aquarum usus fuerit, passim loquitur Chrysostomus, & in concionibus suis ad Populum, ad hunc morem abluendi manus Ecclesiam ingressuris alludit hom. 57. Tom. 5. edit. Savil. pag. 390., & 52. in Matth. ubi ait: *In nonnullis jam Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant, quomodo manibus loti candidis induti vestimentis in Ecclesiam ingrediuntur*. Idem hom. 72. in Joannem: *Deinde ingressuri Templum manus lavamus &c.* Quod & repetit hom. 3. in Epist. ad Ephes., & in Psalm. 140. Cur autem in ingressu Templorum hujusmodi Canthari, & luteres aqua pleni, vel etiam fontes apud Christianos ponerentur, idem Chrysostomus docet serm. 25. de verbis Apostoli inter homil. de diversis novi Testamenti locis pag. 369. *Quemadmodum enim solemne est, ut fontes præsto sint in atriis Templorum, ut qui preces fusuri sunt, ad Deum manus prius lotas inter precandum attollant, ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt majores nostri, ut non aliter, ac manus abluimus aqua, prius per beneficentiam abstersa anima, tum demum preces nostras offeramus*: lavabant igitur Christiani olim manus ante fores Templi, ur internæ puritatis admonerentur. Id insinuat Tertullianus lib. de Orat. cap. 11. *Quæ ratio est*, inquit, *manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare?* Successit item apud Christianos vas aquæ lustralis in levium peccatorum expiationem ad vestibulum Templi poni solitum, qua Fideles faciem aspergebant se signo Crucis signantes. Tale labrum videtur, quod Constantinopoli nuper erutum exhibetur in Inscriptionibus Gruteri col. 1046. De qua aqua lustrali iterum in nota sequenti.

Lavabant his fontibus manus Christiani, ut internæ puritatis admonerentur.

(6) *Docet Baronius an. 132. num. 3.*) Ad hunc locum præstat exscribere nonnulla ex clar. Viro Christophoro Battello in libello, quem inscripsit: Ritus annuæ ablutionis Altaris majoris Basilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini cap. 15. ubi hæc haber, quibus & plura superaddenda censuimus: „ Frequens „ admodum, inquit, apud veteres, ut etiam „ num, fuit aquæ usus in sacris, quod il„ lius aspersione non modo corpoream la„ bem tolli, sed etiam corporis castimoniam „ præstari opinarentur, ut tradit Tullius lib. „ 1. de Legibus. Hinc naturali quodam in„ stinctu edocti, non nisi puros ad Deum „ accedere debere, mundosque Numini sup-

Ita & Gentiles arbitrabantur.

„ plicari

„ plicari, sæpius se aqua mundabant, ante-„ quam Templa adirent, & numina preca-„ rentur. „ De Ægyptiis, & Græcis id testatur Herodotus in Euterpe. De Romanis Tibullus Eleg. 1. lib. 2. his versibus.

Casta placent Superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Persius Satyr. 2.

Hæc Sancta ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Quod si quis cæde aliqua pollutus fuisset, bis septenis immersionibus se, suasque vestes abluebat aqua, eaque expiatione ab omni macula abstergi credebatur, ut notant Alexand. ab Alexandro Genial. Dier. lib. 4. cap. 17. Gyraldus lib. de Sacrific. Syntagm. 17. quin etiam, antequam aqua se purgasset, sacra tangere nefas ducebat, unde Æneas apud Virgilium lib. 2. Æneid. ita Patrem alloquitur.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates
Me bello ex tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero &c.

Et lib. 6. de eodem Ænea loquens, ait:

*Idem ter socios pura * circumtulit unda*
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

**Alii legunt: circumluit.*

In Virgilio indicatum aspergillum.

Ubi vides, & indicatum aspergillum. Sed quid conquirimus minus obvia loca de aqua lustrali Ethnicorum? Vulgatissimum est, quod Valentiniano I. nondum Imperatori accidit, cum Julianum Apostatam civilis obsequii ergo ad fores usque Templi Idolorum esset comitatus, uti narrant Sozomenus Hist. Eccles. lib. 6. cap. 6., & Theodoretus lib. 3. cap. 5. atque ex iis Baronius ad an. 362. num. 37. ac Spondanns num. 7. Cum enim ab Æditvo aqua ritu Ethnico perlustrata permodice respersus fuisset, statim, utpote qui Christianus erat, in fidei confessionem, Æditvum ipso inspectante Juliano valide pugno contudit, & partem chlamydis, quam profana aqua contigerat, illico abscissam abjecit. Plura de hujusmodi lustrali Ethnicorum aqua nuperus Scriptor Batavus Matth. Brovverius de Niedek congerit peculiari Differt. de vet. ac recent. adorationibus cap. 12. pag. 123. & seqq. solemni item præfatione eos, quibus manus puræ non essent, sacris arceri consuevisse, Livius lib. 41. tradit his verbis: *cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat.*

In Sacrificiis apud Gentiles peculiaris aqua adhibita a communi distincta.

Porro in Sacrificiis alii alia peculiaris fontis, seu fluminis aqua uti solebant, quam ad diversos usus adhibuisse magni criminis instar erat, ut pluribus exemplis ostendit citatus Alex. ab Alex. ubi proxime, apud Romanos autem, ait, summæ Religionis erat aqua fontis Juturnæ juxta Numicum amnem, quæ in omnibus sacris adhibebatur, eamque supra humum posuisse piaculum, ac triste omen erat; quo circa vas excogitaverant lato ore, & in ima parte angustum, quod cum stare non posset, quin effunderetur, illud manibus suspensum tenebant, ut ex Lactantio ad Statium lib. 8. Thebaid., & Servio ad Virgil. lib. 11. Æneid. fuse, docteque tradit Tiraquell. in adnotat. ad Alex. loco proxime allegato.

Quæ lustralis dicta, quod ea a Sacerdote aspergerentur.

Utebantur præterea sæpissime aqua lustrali ideo dicta, quod ea a Sacerdote lustrationis, hoc est purgationis causa aspergerentur, de de qua Ovid. lib. 3. de Ponto.

Spargit aqua captos lustrali Graja Sacerdos.

Hac autem lustrali aqua in certis Sacrificiis nedum se ipsos, sed ipsa Idola, eorumque Templa, adeoque etiam Altaria aspergere, & expiare consueverant; cujus moris habemus luculentissimum testimonium apud Tertull. lib. de Baptismo c. 5. ubi hæc ait: *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatem eadem efficacia Idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & Sacris quibusdam per lavacrum initiantur. Isidis alicujus, aut Mithræ: ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt: Ceterum Villas, Domos, Templa, totasque Urbes aspergine circum latæ aquæ expiant passim.*

Isti, ac consimiles Ritus a Judæis ad Ethnicos traducti crediti.

Hos, & plures alios consimiles Ritus constantior opinio est a Judæorum lege ad Ethnicos Diaboli quadam invidia fuisse traductos, quam sententiam egregie firmat, ac illustrat idem Tertullianus de Præscript. cap. 40. juxta Cod. Rigalt. ubi multis allatis exemplis hæc deinde subdit: *Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si Sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum Sacrificiorum, ac piaculorum, ac votorum curiositates consideremus, nonne manifeste Diabolus morositatem illam Judaicæ Legis imitatus?*

Quod & pluribus comprobatur.

Moris enim fuit etiam apud Judæos nonnisi lotis manibus Divinum adorare Numen, ut notat Aristæas de septuaginta duobus Interpretibus hæc scribens: *Rege consultato ad consueta loca divertunt, atque* (ut mos est Judæis omnibus) *manibus prius in mari lotis Deo preces effundunt*: & paulo post: *Interrogavi equidem & illud quoque, cujus gratia, cum vota facerent, manus prius lavarent? quærenti talia demonstrarunt, illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed pie, sancteque perficiant, quandoquidem universa opera manibus exerceantur, recte singula ad justitiam, & veritatem referentes*: Qua ratione positum olim erat in Templo Hierosolymitano labrum æneum cum aqua ad emundationem, de quo hæc leguntur in Exodo cap. 30. vers. 18. *Facies & labrum æneum cum base sua ad lavandum, ponesque illud inter Tabernaculum testimonii, & Altare, & missa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt in Tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad Altare, ut offerant in eo thymiama Domino.* Sic etiam Moysem Deus jussit Levitas de medio filiorum Israel assumptos lustrationis aqua detergere, uti habetur Num. cap. 8. 6. *Tolle Levitas . . . . & purificabis eos juxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis &c.*

Solebant iidem Judæi, cum contingeret aliquem ex contactu cadaveris, vel morticini vel alterius rei immundæ contaminari, statis diebus aspergi aqua lustrali ex cineribus

Vaccæ

Vaccæ, seu Vitulæ rufæ extra Castra, vel Urbem exustæ, præscripta in dicto lib. Numer. cap. 19. & per singulas Palæstinæ Urbes quotannis distribui solita, ut per eam ab immunditia contracta expiarentur. Quæ quidem lustralis aqua typus fuit aquæ Baptismalis, vel lavacri pœnitentiæ in lege Gratiæ, ut Sanctus Augustinus, Theodoretus, & alii Sancti Patres interpretantur. Huc usque ex Battello supra laudato, aliisque hoc loco insertis.

Plura ex Gentilium, Judæorumque institutis in Christianam religionem usu sanctiori invecta.

Multa sane ex Gentilium, Judæorumque institutis in Christianam Religionem invecta, & sacris addita precibus in sanctiorem usum fuisse conversa notant passim Ecclesiastici Scriptores (ut alibi pluries dictum est) & præ cæteris Hallier de Sacr. Elect. tit. de Ritibus Sacræ Ordinat. art. 3. per tot. pag. 953. & seq. Ex his aquæ benedictæ origo, qua in Ecclesiis, privatisque Ædibus pio sane ritu ad leviorum peccatorum expiationem aspergimur, fluxisse creditur, vel ab aqua lustrali Ethnicorum, ut nonnulli non admodum convenienter opinantur, præsertim Sectarii, qui eam aquæ benedictionem, quasi superstitionis Ethnicæ deliramentum nobis exprobrant, quos optime refellit Pamelius in notis ad Tertulliani Librum de Præscript. cap. 40. ex Audeberto Macereo,, quidam, „ inquit, libro quodam non ita nuper excuso, cujus titulus: brevis Commeotarius „ de signis sacris, Sacrificiis, & Sacramentis a Deo institutis a creatione Mundi; nobis objicit nostras cæremonias majori ex „ parte desumptas a Numa Pompilio, ac „ proinde rejiciendas, & subsannandas; fefellit eum, inquit idem, quod non considerarit astutiam sui Patris, & Magistri; „ Diabolus enim eas mutuavit ex veteri Testamento, & Numæ tradidit, ut per eas „ ab illo, & suis honoraretur, & adoraretur: quod ad nos attinet, quibus ad „ manum est vetus illud Testamentum (etiam „ si omittamus traditionem Patrum) magis „ credibile est nos inde desumpsisse, quam „ e libris Numæ Pompilii. Interim etiam „ illud considerandum, quod talium cæremoniarum observatio Deo grata sit, quando„ quidem eas tam studiose affectet, & æmuletur Diabolus „ Hæc ex Pamelio ad locum Tertulliani supra allatum.

Hinc etiam Baronio ad an. 57. n. 110. magis placet, & quidem verius ab aqua emundationis, qua Sacerdotes Judæi ante ingressum in Sancta manus, pedesque abluebant, uti ex lib. 2. Paralip. cap. 4. Quia etiam, ut idem Baronius ibidem narrat, & plurium veterum Scriptorum, qui Constantini seculo floruere, testimoniis præclare confirmat, antiquitus præ foribus Templi extruebatur fons, vel saltem ponebatur vas cum aqua, qua singuli Fideles corporis sordes abluere, seque purificare solebant, antequam Ecclesiam ingrederentur, sicuti etiam Judæos ex præscripto Exodi hujusmodi vas, seu labrum in Templo positum ad emundationem habuisse supra dictum est; decet enim (ut optime subdit S. Paulinus Nolanus jam laudata apud Card. nostrum Epist. ad Alethium) ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili præ foribus opere signetur. Decet, inquam, sordium emundatio, ac externus nitor Ecclesiam subeuntes, & accedentes ad Deum, cum & intus ex ea fontis, aut vasis collocatione ad Templi aditum, memoria baptismi, qui vestibulum professionis Christianæ, primusque ingressus ad Sacramenta est, nobis refricetur, & per eamdem lustralem aquam admoneantur Fideles, ut cogitent se per aquam ab originali macula purgatos fuisse, & pactum cum Deo contra Diabolum iniisse.

Commune omnibus gentibus, quæ sub Cælo sunt nonnisi lotis, manibus divinum, quod habent, adorare Numen.

Communem itaque tum Judæis, tum Gentilibus morem nonnisi lotis manibus divinum adorandi Numen obtinuerunt etiam Christiani veteres, qui ante precationem manus lavare consueverant, uti de Judæis satis supra dictum est; quoad Gentiles, præter jam indicatos Authores, vel unus sufficeret M. Val. Martialis festivus, argutus, simulque disertus Poeta, Ethnicorum rituum peritissimus, qui Domitiani, Nervæ, & Trajani temporibus vixit. Is in Præfatione ad lib. 8. Epigrammatum, quem Domitiano Cæsari Augusto nuncupavit: *meminerit,* inquit, *nonnisi religiosa purificatione lustratos accedere ad Templa debere*: quibus verbis, ait ipsius Commeotator M. Raderus, *ritum solemnem priscorum tangit, qui se undis prius purgabant, quam preces funderent, aut Diis facerent, cujus rei testimonia sexcenta leges apud Brissonium lib. 1. de Formulis, & solemnibus Populi Romani verbis &c.* Lustralem porro hanc aquam, sicuti Gentiles ab Hebræis usurpaverant, depravantes quod Num. 19. habetur, quemadmodum supra ex Tertulliano didicimus, aliique Patres confirmant, Justinus sub finem primæ Apologiæ, Gregorius Nyssenus hom. 14. in Cant. Julius Firmicus lib. de error. Prof. quos omnes plene refert in id argumenti Josephus Acosta lib. 5. Hist. natur. & mor. Ind. Occid. a cap. XI. hispanice scriptæ, quod etiam late, ac luculenter ostendit Card. Baronius ad an. 44. a n. 85. usque ad 88. sicut, inquam, Ethnici Diabolo Dei Simio eos instigante divina pleraque instituta æmulati sunt, ita nos usum lustralis aquæ ab iis perverse occupatum eluimus adhibita aquæ sanctificatione per verbum Dei, & orationem, & quæ erant Gentilibus arma iniquitatis peccato militantia, convertimus in arma justitiæ deinceps servitura Deo.

Sic etiam Templa Gentilium Idolis dicata sacro ritu a Christianis vero Deo consecrata.

Sic Templa, quæ olim Idolis dicata fuerant, ritu Christiano consecrata ad veri Dei cultum transtulerunt veteres piissimi Ecclesiarum Antistites, & quidem Apostolorum exemplo; Paulus enim Athenis cum esset, superstitionis aram *Ignoto Deo* erectam, super quam impietatis victimæ offerebantur, in veri Dei cultum, quantum eo tempore licuit, mira quadam sagacitate, & prudentia convertisse visus est. Sic quæ apud Gentes superstitioso cultu impie agebantur, eadem expiata sacro Christianorum ritu ad pietatem a Sanctis Patribus nostris translata sunt, ut majori Diaboli contumelia iisdem, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus hono-

honoraretur. Inde etiam plura ad Ethnicam religionem instituta, laudabiliter in Ecclesia ad magnificentiam, & gloriam sacrorum Altaris Ministrorum, aliaque id genus multa in sanctiorem usum redacta pie, & absque ulla superstitione a Christifidelibus observantur, uti dictus Cardin. Baronius loco citato, & fuse prosequitur Josephus Stevanus Lib. de Osculatione pedum Rom. Pontif. cap. 4. inter Tractatus magnos universi Juris Tom. 13. p. 2. pag. 50.

Non obstat quod Christiani ab exteris plura in sacros usus conversa desumpserint.

Sive autem a Judæis, uti probabilius est, & paulo ante memorati Patres affirmant, sive (etiam demus) a Gentilibus, uti cum Juliano Apostata olim expostulante, quod Christiani usus Ethnicos sublegissent, nobis crocitant Novatores, quid inde? Nos quidem, ut ait Sanctus Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 20. *habemus quædam cum gentibus communia, sed finem diversum*: illi scilicet ad emundationem carnis, & sordium externarum sua lustrali aqua utebantur, non secus ac Judæi, qui eam etiam adhibebant, verum non ad corporis tantum, sed ad legales immunditias expiandas, de quibus Angelice differit D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 4. & 103. art. 2. in Corp. aliter dicendum foret Christianos imitari Gentiles, dum Templa ædificant, dum genuflectunt in Ecclesiis, & similia præstant, quæ etiam Ethnici faciebant; diversa autem est Christianorum intentio ab intentione Gentilium, dum hos actus religionis exercent, eos enim dirigunt ad veri Dei cultum, quorum speciem Ecclesia non reprobat, sed superstitionem contra veram fidem agentium execratur. Nos itaque ad emundationem animæ primum, non corporis, aqua benedicta aspergimur. Audiatur S. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. *Non tamquam aquæ simplici studeas huic lavacro, sed ut spiritali gratiæ, quæ cum aqua datur. Nam ut illa, quæ in aris, seu Idolorum delubris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur; sic contra aqua simplex per Sancti Spiritus, Christi, & Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur, cum enim duplex sit homo ex anima, & corpore compositus, duplex quoque purificatio, incorporea quidem incorporeo, corporea vero corpori: & aqua sane mundat corpus, spiritus autem signat animam, ut abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde accedamus ad Deum.*

Eorum quippe intentio ab illorum intentione diversa.

Huc pertinet illud, quod in Libro de Rom. Pont. legitur apud Anastasium in Alexandro I. *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum*: cujus statuti rationem reddit ipse Pontifex in Epistola, quæ ejus nomine circumfertur, ad omnes Orthodoxos data, ubi sic ait: *si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, quanto magis aqua, quæ sale aspersa, divinisque precibus sacrata est, populum sanctificat, atque emundat*? Ad hæc tamen, ut optime cum Card. Baronio notat & noster, non instituit Alexander aquam benedici, sed jam ab Apostolis id traditum restituit, & observandum deinceps in Ecclesia mandavit, quod ex Authore Constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis Romani, qui secundo seculo exeunte ab Eruditis floruisse dicitur, plenissime constat; etenim ibi lib. 8. cap. 35. hujus benedictionis institutor S. Matthæus Apostolus perhibetur, ejusque ritus formula ab ipso præscripta ibidem expressa legitur. Et sane ex ipsius Alexandri verbis in dicta Epistola, quæ & refertur apud Gratianum dist. 2. de Consecr. atque ita se habent: *Aquam sale conspersam benedicimus populis, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus; nam si cinis vitulæ aspersus &c.* non recte infertur Pontificem hunc aquæ benedictionem instituisse, sed potius ante ipsum institutam, & in Ecclesia Romana ex Apostolica traditione observatam, eum reliquis Ecclesiis, ac Scerdotibus omnibus similiter exequendam mandasse, uti dicta ultima verba & piam consuetudinem jam introductam, & hanc ubique propagandam, decretoque firmatam, palam indicant.

Aquæ benedictio ab Apostolis tradita, & ab Alexandro Papa I. restituta.

Confirmant id veteris Ecclesiæ Patres, qui juxta Apostoli Pauli documentum 1. ad Tim. 4. aquam sanctificari *per verbum Dei, & orationem* diserte tradunt. Tertullianus Alexandri I. Papæ temporibus vicinus lib. de Baptismo cap. 4. *Igitur*, inquit, *omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo; supervenit enim statim Spiritus de Cælis, & aquis superest sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt, quamquam ad simplicem actum competat similitudo, ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur.* Ad hunc locum subdit in notis Rigaltius „ Etenim qualescumque sint aquæ, „ non sanctificant, sed omnes aquæ invocato „ tribus in personis Deo Sacramentum sanctificationis consequuntur, ac per ipsas „ Deus hominem sanctificat „ Magistro subscribit discipulus Cyprianus, qui Epist. 12. *Oportet*, inquit, *mundari, & sanctificari prius aquas a Sacerdote &c.* Item in Concilio Carth. sub eodem Cypriano apud eumdem Epist. ad Quintum: *Sedatus a Tuburbo dixit: in quantum aqua Sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta, in tantum hæreticus sermone, velut Cancer, infecta cumulat peccata.* Ambrosius Lib. 4. de Sacram. cap. 5. docet aquam debere consecrari, & Lib. de Initiandis cap. 3. dicit aquam, nisi prius Crucis signo faceretur, nullum habere usum in Ecclesia, deinde exemplo aquæ fontis Marath per lignum a Moyse dulcoratæ, ut habetur Exodi cap. 15. aquæ benedictionem, seu consecrationem ita explicat „ sicut enim aqua „ fontis Marath suapte natura amara, atque „ ad humanum usum inutilis per Moysis lignum in eam immissum dulcis, ac salubris reddita humano usui utilis facta est, „ ita aqua elementaris sua natura ad spirituales usus inutilis per salutare Crucis signum sanctificata ad usum spiritualis lavacri utilis redditur „ Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Apostolicam traditionem esse affirmat aquæ consecrationem. Meminerunt insuper aquæ benedictæ Epiphanius hær. 30. Theodoretus Hist. Eccl. lib. 5.

Quod ex Tertulliano, aliisque Patribus probatur.

cap. 21. Augustinus denique hom. 27. ex lib. 50. Hom. & Serm. 19. de Sanctis, & lib. 6. in Julianum cap. 8. dicit aquam Crucis signo in Ecclesia consecrari.

Confutantur Hospinianus, Isaacus Casaubonus, Brouverius, aliique Sectarii aquæ benedictionem deridentes.

Videat inde, ac consideret prudens, & æquus Lector, quam effrontissime mentitus fuerit Rodulphus Hospinianus Calvinista in sua Historia de Origine Templorum, progressu, usu, & abusu, effutire ausus nullibi ante Sanctum Gregorium Magnum aquæ benedictæ memoriam extare, cui subscribere non veretur supra indicatus Browerius de Niedek ejusdem Sectæ Professor pag. 140. qui & falso subdit Theodoretum id lib. 3. cap. 16. probare, cum tamen, ut infra videbimus, contrarium afferat; si enim hujusmodi aquæ Christiano ritu sanctificatæ meminere tot clarissimi Patres, quos attulimus, quomodo nullibi ejus mentio ante Gregorium tot seculis illis omnibus posteriorem? Ulterius item in hac religiosa observatione Catholicis impetenda progressus fuit Isaacus Casaubonus alter Calvinianæ Sectæ Theologaster notissimus, qui ad Ælii Spartiani Julianum temere non erubuit S. Hilarionem Abbatem hydromantiæ damnare ob traditam Italico cuidam Civi Gazensi Christiano aquam benedictam, cujus aspersione vis magica Ethnicorum, cum quibus in Circo ex officio decursus erat, soluta est, ut narrat Hieronymus in ejus Vita, & ex ipso Card. Baronius ad an. 362. n. 143.

Vindicatur ab eorum, & Savaronis calumniis S. Hilarion Abbas.

Nec aliter, aut levius Sanctum Anachoretam hoc in facto calumniatus est Joannes Savaro, quem nescio an Catholicum dicam; is ad Sidonii Apollinaris Carmen 23. vers. 328. haud veritus est dicere eumdem magnum solitarium equos sive Neptuno, aut Conso Gentilium Diis Sacros, aqua item Neptuno sacra (Neptunus enim in Circo colebatur) perfundi voluisse, ut velocius currerent. Etenim S. Hilarion, sicuti magus non fuit, ita neque Neptuni, aut Consi venerator, ac cultor, quod absque idolomania præstare nequivisset, atque de tanto, sanctissimoque Viro id sentire iniquissimum esse pius quisque affirmabit. Videsis quæ contra hos calumniæ ictus in Sanctum Hilarionem inflictos doctissime proferunt Herib. Rosweydus de Vitis Patrum lib. 1. in ejusdem Vita a S. Hieronymo scripta ad cap. 15. nota 30. pag. 87. Teoph. Raynaudus Hoplothecæ contra ictum calumniæ Sect. 2. Serie 1. cap. 14. edit. Lugd. in 4. pag. 145. & post ipsum Tillemontius Monum. ad Hist. Eccl. Tom. 7. edit. Ven. in notis ad Vitam S. Hilarionis nota 3. pag. 780. qui quantum aberat Hilarion ab his sibi imputatis magiæ sordibus, non secus ac ejus criminatores a sana mente, luculenter ostendunt.

Non miror inde Casaubonum utpote Sectarium, sed Savaronem, qui Catholicus habitus, imprudenter admodum, & injuriose in virum, nedum Ægypto, sed & toto Orbi venerabilem, admirabilis pœnitentiæ, ac sanctitatis fama percelebrem, atque ab Ecclesia Sanctorum fastis adscriptum tam irreligiose insurgere ausus fuerit, perinde quasi in Neptuni, aut Consi Deorum gentium, qui vere Dæmonia sunt, non in veri Dei Salvatoris nostri Jesu Christi nomine, cujus justitia eosdem Dæmones æternis inferni pœnis addixit, Sanctus Hilarion præfatum miraculum patraverit. Quare poterat, quin & debuerat Savaro Christiane dicere Dei Servum usum Ethnicum sanctificare voluisse, ut quando Gentiles ad impetrandum effectum prædictum adhibebant aspersionem aquæ lustralis profanæ, ac magicæ, Neptunoque sacræ, voluerit ipse adhiberi aquæ quidem aspersionem, sed Christiano ritu benedictæ, & uni vero Deo consecratæ per ipsius verbum, & orationem, neque sic turpi calumnia Anachoretam sanctissimum, magnumque Ægypti Thaumaturgum demordere. Et sane, vel aqua ab Hilarione benedicta vi magica equos incitavit, aut naturali; non magica, ut late, & clare contra Casaubonum ostendunt laudati Authores: neque naturali, non enim irrisisset adversarius, & qui diabolum in Circensi stadio consulebat, non opinor, idem naturale beneficium repudiasset; immo quid necesse erat stabulum, rhedam, carcerum repagula, & aurigas eadem aqua aspergere, quæ nihil ad equorum cursum conferebant? Fuit itaque, fuit divina vis aquæ ab Hilarione per verbum Dei, ut diximus, sanctificatæ, quæ omne maleficium a stabulo, rheda, carceribus, aurigis, & equis arcuit; in hunc etenim finem subsidium ab Hilarione petebat Italicus, neque communi aquæ, & naturali ea vis tribuenda, quam in se non habet.

Non unicus fuit S. Hilarion, qui per aquæ benedictæ aspersionem Diaboli maleficiis occurrerit, sed & alii veteres multi.

Non unicus autem in dissipandis per aquæ benedictæ aspersionem diaboli machinationibus, & præstigiis fuit S. Hilarion Abbas. Idem etiam præstitit Marcellus Apameensis Episcopus, qui, ut refert Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 21. aqua benedicta dispulit obices, quos Satan apponebat, ne Idolorum fanum concremaretur, de quo item vide Card. Baronium ad an. 389. n. 108. Aliud habetur exemplum Josephi Comitis ex Judæo Christiani apud Epiphanium Her. 30. qui ejusdem aquæ aspersione Judæos dæmoniacis incantationibus ignem in calcaria fornace veluti ligantes confudit. Illud quoque notissimum legitur apud Palladium in Hist. Lausiaca cap. 19. de Muliere per Sanctum Macarium in fœminæ speciem restituta per eamdem aquam benedictam, cum prius equa appareret. S. Germanus Antissiodorensis Episcopus concitatos diaboli opera tumentes maris fluctus, aqua in nomine Sanctissimæ Trinitatis sanctificatæ aspersione compescuit, ut scribit Beda de Gestis Anglorum lib. 1. cap. 17. qui & lib. 5. Hist. cap. 4. scribit nobilissimam fœminam gravissime laborantem aqua benedicta mox ita convaluisse, ut ministraret mensæ, quemadmodum aliquando fecerat jussu Christi Domini Socrus Petri. S. Pater Bernardus in Vita S. Malachiæ scribit ipsum Hiberniæ Episcopum per aquam benedictam Scotiæ Regis filium phræneticum, & mulierem cancro laborantem sanasse.

Sed in his non est amplius immorandum; sexcenta enim, ut ita dicam, exempla de diabolicis fraudibus, maleficiis, sortilegiis, aliisque communis inimici molitionibus per sacrum aquæ sanctæ usum disjectis, fugatisque

que adduci possent ex diversis Sanctorum Actis fideliter scriptis, quibus item innumeras sanitatum operationes, morbos non solum ab hominibus, sed & a jumentis, & brutis animalibus depulsos, quin & frugiperdas bestiolas ejusdem aquæ sanctæ aspergine dispersas, aliaque diversi generis mirabilia ipsius virtute sibi per consecrationem divinitus insita cunctis seculis in præsens usque peracta fuisse uberrime constat; innumera propemodum, atque insignia sunt miracula, quibus sanctitatem hujus aquæ lustralis Christiano ritu consecratæ Deus ipse attestatus est. Signarunt omnino multa Marcus Antonius Marsilius Columna Archiepisc. Salernitanus in suo peculiari Tractatu de Aqua benedicta, quem Hydragiologiam inscripsit, præcipue Sect. 3. cap. 5. & 6. Jacobus Gretserus lib. 4. de Cruce cap. 36., & lib. 2. de Benedict. a cap. 11. quorum iste per certa capita digessit, quæ supra naturam ex variis probatis Authoribus per aquam benedictam patrata sunt. Nonnulla item refert Theoph. Raynaudus Heterocl. Spirit. Part. 2. Sect. 2. punc. 1. n. 3., & Cornelius a Lapide Comm. in Num. cap. 19. v. 9. aliique plures.

Indicantur Authores, qui de sacra aquæ benedictæ aspersione peculiariter scripserunt.

His tamen non obstantibus, etsi præter Ecclesiæ universalis antiquissimam observatam consuetudinem, tot Sanctorum Patrum testimoniis, tot illustrium Scriptorum authoritatibus, tot signis ubique gentium historiarum authenticitate firmatis aquæ benedictæ sanctitas satis abunde comprobata sit, nihilominus adeo in eamdem, ejusque usum excanduerunt post Waldenses, Flagellantes, Wicleffistas, & Bohemos nominatim Lollhardi Wicleffistarum propago, ut aspergillum vocarent *clavem inferni*; quos omnes secuti Lutherus lib. contra Catherinum, Calvinus Instit. lib. 4. cap. 10. Tilmannus Heshusius Exam. Theol. in præcipua Doctrinæ Christ. Loca loco 27. Lambertus Danæus in Responsione ad Tom. 2. Controv. Cardinalis Bellarmini, Hospinianus, de quo supra, Christ. Joannes Langius Oper. Medic. in Symposio Medico, seu lib. 3. Epist. Medic. cap. 6., & ultime Thomas Neogeorgus lib. 3. de Papist. Regno apud Browerium mox citatum, aliique Lutheri, & Calvini Sectatores, ac S. R. E. Catholicæ hostes, qui non mirum, si aquæ benedictæ usum aversentur, cum eam aversetur Satan, qui a Deo maledictus omnem benedictionem refugit, ex cujus parte se esse satis hoc ipso demonstrant, quod hujusmodi sacram benedictionem, aliasque consimiles execrantes contra Apostoli Pauli documentum 1. ad Timoth. 4. omnem creaturam sanctificari *per verbum Dei, & orationem* negent; atque ita sicuti Lutherus, & Calvinus eorum magistri diaboli discipuli facti sunt, necnon Eunomio, & Vigilantio veteribus Hæresiarchis per omnia similes, qui miraculorum gratiam a Christo Domino Ecclesiæ Sponsæ suæ collatam negarunt, eademque miracula præstigias dæmonum esse dixerunt; hinc istiusmodi ipsorum loquela manifestos eos facit de illis profecto esse, quos clare indigitat Paulus loco citato 1. ad Timoth. ubi ait: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam suam.*

Indicantur item & alii Sectarii, qui aquam benedictam, ejusque aspersionem, & usum aversantur.

Sed hos hydrophobicos Gerrones audiamus, ut refellantur. Lustralis aquæ aspersionem, ait Langius, & cum ipso reliqui, deliramenta esse ex superstitione Ethnica a sacrificulis ob quæstum inter cæremonias sacras invecta, & tamquam impium ritum ex veterum magia, falsaque Idololatrica religione desumptum, ac in plerisque Germaniæ Provinciis, sed in Gallia præcipue, ac Hispania frequentatum. Hæc ille, ad quæ jam satis responsum est. Hoc unum addo; certe ex sententia Domini eamdem calumniam passi, quod in principe dæmoniorum ejiceret dæmonia dicentis (Lucæ 11.) *Si Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus*? Si aqua benedicta vires dæmonis infringuntur, divinam plane, non diabolicam, in ea operari virtutem quis poterit dubitare? Etenim tot supra allata Sanctorum exempla satis ostendunt magicam non esse superstitionem lustralis aquæ usum ad effectus supranaturales obtinendos tamquam signa divinæ virtutis.

Insana istorum argumenta contra aquæ benedictæ usum referuntur, iisque respondetur.

Neque ista incredibilia esse maligni Novatores contendant; nam si potuit Eliseus Legis Mosaicæ tempore impetrare sali, qualitati ad id contrariæ virtutem sanandi sterilitatem, & insalubritatem aquæ Hiericunthinæ, ex qua ultra populo bibenti non esset mors, neque terræ sterilitas (4. Regum cap. 2. 22.) in virtute Dei, qui nondum factus fuerat victima, & reconciliatio nostra, atque sal novi Testamenti; si idem Propheta ad curandam lepram Naaman Syri aquam Jordanis adhibuit (ibid. cap. 5. 14.) si potuit Samuel (lib. 1. Reg. cap. 7. 6.) facere indicto jejunio, & effusa aqua super terram in honorem Dei, qui nondum factus erat homo, & pro nobis veluti aqua juxta Prophetam David effusus, ut Deo de Cælo tonante perterriti hostes sese in fugam converterent; cur idem non possit creatura aquæ per verbum Dei, & orationem sanctificata valere contra adversarias potestates, & omnia mala, ac propterea sicut non possumus dicere hæc in veteri Fœdere operata per aquam prodigia, incantationes fuisse, ita neque illa, quæ in novo per eamdem benedictam patrantur; alias quomodo consonabit novum Testamentum veteri, si prophetica, & typica sanctificatio creaturæ possit efficere, quod non possit Evangelica, & Apostolica sanctificatio facta in virtute Christi pro nobis crucifixi?

Neque enim incredibilia sunt miracula per sacram hujusmodi aquam a Deo operata in novo Testamento, cum & similia legantur in veteri.

Profecto miracula a Servis Dei, & in ejus nomine patrata incredibilia videri minime debent Evangelium scientibus, in quo Christus Redemptor noster pollicitus est, ac prædixit fideles suos, quæ ipse fecisset opera, facturos, immo illis majora, ex Joan. 14. 12. ex qua Dei promissione nil, licet magnum, licet inusitatum merito incredibile censeri potest; neque de iis tantum miraculis, quæ in sacris Libris patranda prædicebantur, & postea etiam facta in iis ipsis recitantur,

Atque Deus, & homo Christus Dominus prædixerit fideles suos, & majora, quæ ipse fecisset, opera facturos.

tur, eadem promissio intelligenda, uti Sectariorum nonnulli temere arbitrantur: nam cum omnia miracula, quæ Christus a fidelibus facienda prædixit, in sacris Litteris duntaxat adnotanda minime pronunciaverit, uti in istis omnia contenta esse, nemo tam insipiens erit, ut credat, sic ex ejusdem Salvatoris nostri promissione, ac prædicatione alia etiam, quæ in aliis authenticis scriptis, probatisque Authoribus a Fidelibus in nomine illius patrata miracula leguntur, pie pariter credenda perhibentur; non enim promissionis veritas impleta tantum in Petro est, cujus corporis umbra infirmis sanitatem donabat, (quod majus iis, quæ Christus fecit, miraculum censent Patres) ejusdem quippe Redemptoris nostri promissio ad alios quoque Fideles, non ad solum Petrum pertinuit, uti clarissime indefinita Christi verba demonstrant: *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Quapropter fatendum est, quod ubi prodigia, etsi grandia, & inusitata, juxta verbum Domini facta traduntur, pie credenda sint, & juxta Augustinum lib. 21. de Civit. Dei cap. 7. credenda ex eo, quod Omnipotens ea facere potuit, & facturum dixit, quæ in sacris paginis prænunciasse legitur, ubi alia multa prænunciavit, quæ fecisse demonstravit. Hinc sicuti plura quamvis incredibilia, ac inverisimilia miracula naturalia apud profanos Scriptores reperiuntur, ac creduntur, pari etiam ratione æquum est, ut quæ in Actis Sanctorum prodigia habentur, quamvis sensum, experientiamque transgredientia, non incredibilia putari, sed vera esse credantur.

Neque enim hæc divinæ promissionis veritas impleta tantum in Petro, sed ad alios quoque fideles ista pertinuit.

Heshusii, aliorumque Novatorum futilibus argumentis occurritur.

Horum argumentorum vim ut eludat Tilmannus Heshusius ad negativa Hæreticorum more recurrit „ mendacia, inquit, quæ „ finguntur de miraculis factis per aquam „ lustralem, retundenda sunt præcepto; *non „ dices falsum testimonium*, quod si contendant vera esse, nota est Christi admonitio: *Pseudoprophetæ edent miracula, & prodigia, ut inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi* „ Hæc ille, sed facile est judicare, an mendacia, necne dici possint, quæ testimonium habent a tot exquisitis, & clarissimis testibus Epiphanio, Theodoreto, Palladio, Hieronymo, Gregorio, Beda, aliisque, quos prætermisimus, & num sint Pseudoprophetæ novissimi illi viri Josephus, Marcellus, Paschasius, Hilarion, Germanus, & cæteri, qui Christi nomine, aut Diaboli artes dissolverunt, aut morbos gravissimos lustralis aquæ Christiano ritu sanctificatæ aspersione curaverunt. Videat potius Heshusius, ac reliqui ipsius gregales, ne temerarii sint, & blasphemi, ac in Spiritum Domini peccatum admittant. Quid enim temerarium magis, quam tot Sanctos Patres mendacii reprehendere sine teste, sine fundamento, sine ratione ulla? Quæ est autem blasphemia in Spiritum Sanctum, si hæc non est, opera divina Christi invocatione a sanctissimis Viris perfecta inter signa, & mendacia Pseudoprophetarum referre? Quid magis insanum, & a vera religione alienum, velle Chistianum dici, ut Novatores intendunt, & negare quam Christus Dominus in se credentibus promisit miraculorum gratiam? Utique sic sentiens sacram Scripturam negat, quæ omnem creaturam, & ex his aquam sanctificari per verbum Dei, & orationem docet pro vero tenendum, ut supra dictum est, Christianam negat fidem, & est infideli deterior.

Sane Heshusius reliquis Protestantibus, ac gregalibus suis magis hac in parte incredulus est; miraculum quippe, quod de aqua benedicta recitat S. Joannes Chrysostomus hom. 23. de Baptismo Christi Tom. 1. pag. 278. admittit Guillelmus Cave Hist. litter. Script. Eccl. in fine Differt. 2. de Libris, & Off. Eccl. Græc. verbo *Agiasmos*, his verbis: *Hoc etiam ritu* (solemnis scilicet aquæ benedictionis apud Græcos usitatæ in festo Theophaniorum, seu Epiphaniæ Domini) *memoriam baptismatis Christi hac die olim peracti renovabant, cujus baptismo aquarum omnium naturam adeo usque sanctificatam fuisse crediderunt veteres, ut aquæ profunda hac nocte haustæ, domumque portatæ non in unum modo annum, sed quandoque in plures annos incorruptæ servabantur, diserte hic testante Chrysostomo &c.* Sed præstat integrum magni hujus Ecclesiæ, præsertim Græcæ, Doctoris textum adferre: *Fideles* (ait) *cum aquati fuerint sub mediam noctem, solent hanc haustam deportare domum, & per integrum anni spatium conservare, utpote quod per illum diem sanctificatæ fuerant; fit autem miraculum manifestum: neque enim longo temporis tractu aquarum illarum natura immutatur*. Quod autem quandoque ad plures annos aquæ istæ sic benedictæ incorruptæ serventur, uti exprimit Cavius, jam ante ipsum firmarunt duo ex Protestantibus Scriptores, & apud ipsos celeberrimi Casaubonus Exerc. 13. in Baronium §. 10. ac Montacutius Orig. Eccl. Tom. 1. par. 2 pag. 43. Mitto reliqua hujusmodi nebulonum in sacrum aquæ benedictæ usum dicteria, & scommata, quæ satis superque a nostris difflata sunt, inter quos præter supra indicatos Authores, vide Bellarm. Controv. Tom. 2. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. Franciscum Turrianum lib. 3. pro Epist. Pontif. cap. 9. Bosquetum Monspeliensem Episcopum ad Epist. Innocentii III. Papæ, aliosque, quos recensere non vacat. Atque hæc pro vindicanda aquæ benedictione, ejusque sacro in Ecclesia usu contra Sectarios dicta sint, dum dimissis his, qui foris sunt, ad Ecclesiarum veterum reliquas partes, & membra præcipua describenda revertimur.

§. VI.

§. VI.

De Aula, Narthece, aliisque Ecclesiæ locis. Discretæ Mulieres a Viris.

SEcunda pars ipsa aula Basilicæ erat, ad quam patebat aditus per tres portas, quarum media magnitudine, & ornamentis alias superabat (1). (1)
Proximus januæ intra Ecclesiam occurrit Narthex, locus in quo primum viciniores portæ, infideles, tum Cathecumeni, & Pœnitentes secundi ordinis commorabantur. (2) Post Narthecem sequitur Naon, sive ipsum (2)
Templum cancellis, vel tabulatis a Narthece separatum, (3) in quo sta- (3)
bant inferiorem partem occupantes Pœnitentes tertii generis: post quos manebant Fideles servata sexus, & ordinis distinctione; nam viri a mulieribus, virgines a nuptis, Monachi a Secularibus separati erant. Pœnitentes quarti gradus orabant cum Fidelibus, a sacramentorum participatione abstinentes, donec plenariam absolutionem consequerentur. His Eligius Noviomensis in sinistra parte Templi stationem assignat hom. 8. ad Pœnitentes: *Cur ergo in sinistra parte Ecclesiæ positi estis? Non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit, sed quia Dominus in judicio oves, hoc est justos, a dextris; hœdos vero, idest peccatores, a sinistris ponet.* Mulieres autem a viris vetustissima consuetudine segregatas clarissime ostendunt Philo *de Vita Supplicum*, Constitutiones Apostolicæ *lib.* 2. *cap.* 61. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. Cyrillus Hierosolymit. *in Præfatione Catechesеon*, Ordo Romanus, & alii, quos in re nemini ignota inutile est recensere. Virgines quoque seorsum a nuptis stetisse Origenes docet tract. 26. in Matthæum, *venit*, inquit, *ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in Templo, ubi virginibus quidem consistere licet & orare Deum; expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere.* Consentit Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 6. *Quomodo tibi actu illo ignominioso non veniebat in mentem habitus viginitatis, processus in Ecclesiam inter virgineos choros?* Et paulo post. *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ, & nobiles certatim currebant tua oscula petentes quasi sanctioris, & dignioris* (4). Alicubi invenio datum locum mulieribus in sublimi (4)
specula prope testudinem clathris interpositis, ut a virorum consortio, & colloquio subducerentur. Narrat Amphilochius præcepisse Basilium, ut vela e speculis suspenderentur, & si quæ mulier deprehensa esset caput emittere ad respiciendum, dum sacra agebantur, extra communionem fieret. Dicitur quoque idem Basilius apud Amphilochium, sive Chrysostomus, ut alii scribunt, Diaconum sibi ministrantem ab altari submovisse, eo quod mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset. Favet Gregorio Nazianzenus *in Somnio de templo Anastasiæ* his versibus de seipso concionante.

Denique virginei cœtus, matronæ, & honestæ
E tectis aures ad mea verba dabant.

Nec solum dum starent in Ecclesia, sed etiam dum irent, hæc virorum, & mulierum distinctio servabatur. *Confluunt populi ad Ecclesias*, ait Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. *casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione*. Erat enim in illis, ut sapienter scribit Tertullianus de Præscript. cap. 43. *gravitas honesta, apparitio devota, & processio modesta* (5). (5)

(1) Or-

In splendidioribus Templis plures Nartheces erant.

(1) *Ornamentis alias superabat*) Hæc autem Aula porticibus elata πόρτα plerisque Græcis, Latinis vero ante--Templum dicitur, sive Narthex exterior; in splendidioribus Templis, ut in illo Sanctæ Sophiæ Constantinopoli, plures hujusmodi Nartheces erant, idest porticus, per quas ad interiorem Ecclesiæ Narthecem aditus patebat. Item in celebri Templo Hierosolymis extructo, de quo Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 37. *ad utrumque latus geminæ porticus tam subterraneæ, quam supra terram eminentes totius Basilicæ longitudinem æquabant*. Post has porticus aditus ad interiorem Narthecem, seu Ecclesiam patebat per tria, vel plura vestibula, seu portas, quæ nonnumquam arcus a modo structuræ, quæ arcuatum opus efformabat, dicebantur, itemque apsides ex eadem ratione; apsis enim rem quamlibet ad figuram arcus significat: hoc in loco stabant primi ordinis Pœnitentes, Flentes dicti, de quibus Eminentissimus hoc loco, & cap. 17. Atque de hac statione intelligendus Concilii Carthaginensis Can. 32. ubi ait apud Schelestratium de Ecclesia Affricana Dissert. 3. cap. 6. pag. 182. *Cujuscumque autem Pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem* (idest ante vestibulum) *vel fores Ecclesiæ manus ei imponatur*. Hoc etiam in loco, ut optime observat Dufresnius in Glossar. Med. & infimæ Græcit. verbo *Pilæ* ex Euchalog. Græc. Venetiis edito an. 1670. Pontifex Subdiaconum ordinaturus, sedere dicitur, *in throno scilicet posito in exteriori Narthece*, atque ita extra portas Ecclesiæ sedet, in quam post acceptam benedictionem ordinandus Ecclesiam intrat.

Post has porticus, seu Nartheces exteriores ad interiorem in Ecclesia patebat aditus.

Ad hanc portam extra Ecclesiam Pontifex apud Græcos ordinat Subdiaconum, qui accepta benedictione Ecclesiam intrat.

(2) *Pœnitentes secundi ordinis commorabantur*) Veteres Græci, atque Latini in duas tantum partes Ecclesias consuevisse distinguere, in aulam scilicet, sive atrium Laicorum, & in Sanctuarium, in quo solum consistere Episcopis, Presbyteris, & Diaconis licebat: Orientales autem Monachos sexto circiter seculo cœpisse illas in tres partes dividere, Narthecem scilicet addendo, est conjectura Francisci Bernardini Ferrarii de Sacris Concionibus lib. 3. cap. 5. idque ex Epistola Gentiani Herveti, quam iste libro Nicolai Cabalilæ de divino Altaris Sacrificio a se latine reddito præposuit, confirmat. Huic opinioni subscribit Morinus de Pœnit. lib. 6. cap. 1. ubi forte nimium asseveranter dicit, nusquam apud antiquos Authores Narthecis mentionem fieri. Antiqui enim Græci, ut & Latini Ecclesias in duas tantum partes distinxerunt, in aulam, sive atrium Laicorum, & Sanctuarium, in quo consistere Episcopis, Presbyteris, & Diaconis tantum licebat. Usurpari cœpit Narthex in Typicis, & Euchologiis post annos a Christo nato quingentos; tum enim Orientales Monachi cœperunt Ecclesias in tres partes dividere, Hierafion, Naon, & Narthecem. Cæterum etsi hæc sententia suos habeat fautores, nihilominus quando Templis cœperit perstrui Narthex, incertum est. Rem tamen antiquam esse admittit Christianus Lupus ita scribens Scholiis ad Synodum Ephesinam: „ Græci enim, inquit, Ecclesias suas quomodo nos Belgæ, „ & plerique Galli, ac Germani, diviserunt „ in tres partes enumeratas a Theodosio Au„ gusto in edicto de Asylo Ecclesiastico, quod „ habet ad finem Synodi Ephesinæ: *Sacro„ sanctum Altare Cancellis clausum, quadra„ tum Templi Oratorium, murorum ambitu cir„ cumseptum, & locum residuum usque ad Ec„ clesiæ fores exteriores* „ hoc est Sanctuarium, seu Sanctum Sanctorum, aulam, seu Chorum, & populi atrium, quod est Narthex. Sane hunc locum, qui vicinior foribus, intra tamen portam Ecclesiæ erat, respicere videtur D. Basilius Can. 56. cum homicidam post fletum inter Auditores recipiendum statuit; is enim locus Auditorum a cæteris erat distinctus, de quo Gregorius Thaumaturgus Can. XI. *Auditio est*, ait, *intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Cathecumenos, & illinc egredi*. Scio quidem vocabulum Narthex recentioris ævi, ut diximus, existimari, quam ut Gregorio tribuatur: quidquid autem sit, pluribus hac de re agit Leo Allatius, qui totus est in refellendis iis, qui Narthecen extra Templi fores collocarunt, cum Gregorii testimonio Narthex intra portam Templi constitutus dicatur.

Olim Ecclesiæ in duas tantum partes divisæ, postea in tres a sæculo circiter sexto.

Narthex porro, ut Leo Allatius in Epistola de Narthece erudite observat, a porta Ecclesiæ ad murum usque intermedium, sive tabulatum pertingebat, & mediæ navis pars erat, hujus altera pars a muro, sive tabulato Sanctuarium versus accedebat, postrema demum marmoreum chorum, post quam erat solea, inde Cancelli Sanctuarii, tabernaculum, pastophoria, atque alia insigniora ejusdem navis membra complectebatur. Idem Leo Allatius in Epistola prima de Templis Græcorum Narthecem animadvertit locum esse intra Ecclesiam; ibique arrepta occasione Theorianum explicat, qui illam extra Ecclesiam locat, non quod scilicet extra sit locus divisus ita appellatus, sed quod ab Ecclesia strictiori sensu sumpta, in qua Sacerdotes, cæterique Clerici stationem habent, separetur, & idcirco pro--Templi nomine, hoc est ante--Templum, ab aliquibus nuncupatur, cum revera Templum non sit, sed extra circuitum, & ambitum Templi stricto vocabulo accepti; sive ut Allatius itidem in Epistola de Narthece luculenter scribit: dicitur in Ecclesia Narthex, quando iisdem, quibus & Ecclesia, muris circumscribitur: dicitur extra, quando piis duntaxat fidelibus Ecclesia patet, nec in ea infideles, & improbi, nisi pœnitentia scelera expiaverint, locum habent, & tamen extra Ecclesiæ reliquæ muros non collocatur. Quibus itaque conciliari possunt, Allatio duce, antiqui Scriptores, qui Narthecem extra Ecclesiam sitam fuisse tradiderunt.

Quis in Ecclesia Narthecis locus apud Allatium.

Ut autem uberiora de Narthece dicamus: hujus mentio frequens est in libris Ecclesiasticis Græcorum. Triodion in Sabbato Sancto: *prima hora canitur in Narthece similiter, ac reliquæ supplicationes similiter canuntur in Narthece*. Pentecostarium in Dominica Resurr. *Et egredimur omnes ad Narthecem per partem Borealem &c.* Typicum cap. 25. *Et vigilamus tota*

Narthecis frequens mentio in Libris Ecclesiasticis Græcorum.

tota nocte in Narthece mortuorum causa: pleræque autem Ecclesiæ non uno tantum Narthece contentæ erant, sed secundum etiam addebant. Locus iste in Urbibus Mulieribus destinatur, in Monasteriis Monachis, qui nondum ad Sacros Ordines promoti sunt, quibus non licet, dum res divina peragitur, in interiorem Ecclesiæ partem ingredi, ibique diutius immorari; patet hoc ex sequentibus Typici verbis: *Oportet Ecclesiarcham de hoc quoque curam gerere continuo, & iis, qui in Narthece commorantur, fratribus inculcare, ne Monachi, sive etiam Laici, qui orandi gratia adveniunt, dum in Choro canitur, in Ecclesiam ingrediantur, quod est signum indecentiæ, sed debent in Narthece persistere, quousque officium absolvatur*. Defunctorum quoque Cadavera, antequam sepulturæ mandentur, dum illis justa persolvuntur, in eodem loco retinentur, uti ex Euchologio pag. 199. In Narthece omnes supplicationes, & rogationes fiebant, uti ex Typico passim, cujus rei causam tradit Simeon Thessalonicensis ibid. Ibi etiam stabant Pœnitentes ex Theoriano in Legatione Armeniorum pag. 154. Idem Theorianus ibi, Narthex extra Ecclesiam sit locus separatus, sic dictus, sed quod ab Ecclesia proprie dicta, in qua Sacerdotes locum habent, separetur. An vero Narthex antiquis temporibus extra Ecclesiam fuerit, nonnulli disputant. Potuit etiam extra Ecclesiam dici, quia a loco, qui vere Ecclesia est, & Ecclesia nuncupatur, diversus, contiguus tamen Ecclesiæ, nec ab ea sejunctus, alias quomodo, qui extra Ecclesiam erant, Scripturas, quæ intra Ecclesiam prope Bema legebantur, audire potuissent? Vide Laudatum Morinum de Pœnit. dicto lib. 6. cap. 1. ubi de Narthece plura, & Salmasii Exercitationes in Solinum.

Defunctorum cadavera in Narthecis loco apud Græcos detinentur, & ibi omnes supplicationes fiunt.

(3) *A Narthece separatum*) In hanc Ecclesiæ partem, seu, ut Latinis dicitur, navim, introitus per portas patebat, vel totidem, quot Templi naves, vel unam tantum, uti in Ecclesia Sancti Clementis Romæ visitur, quas portas Speciosas, & Regias Græci appellant, ita dictas, sive ut Regium Dei Palatium, domum, ac templum ejus denotent, sive quod Reges Templum interius ingressuri, antequam ultra progrederentur, ad has valvas coronam suam deponere solebant, uti Leo Grammaticus in Vita Michaelis Imperatoris observat.

Narthecis Portæ Speciosæ & Regiæ Græcis dictæ.

(4) *Quasi sanctioris, & dignioris*) Idem confirmat Procopius de ædificiis Justiniani Imperat. Orat. I. *Sunt duæ*, ait, *utrinque porticus, quasi fastigiata testudo, & aurum venustant, harum una viros orantes, altera mulieres admittit, alias nulla re differentes*: Hujus separationis virorum a mulieribus, & quare viri ab Australi latere, & fœminæ a Boreali in Ecclesiis consisterent, mysticam rationem profert Amalarius de Ecclesiast. Offic. lib. 3. cap. 2. *ut ostendatur*, inquit, *per fortiorem sexum firmiores Sanctos semper consitui in majoribus tentationis æstus hujus mundi, & per fragiliorem sexum infirmiores Sanctos*. His adstipulatur Morinus de Pœnitentia lib. 6. cap. 1. §. 10. Verum hallucinantur eruditissimi viri, etsi enim Narthecis nomen fortasse non ita antiquum sit, res tamen ita est; fuit nempe semper distincta quædam, & separata Ecclesiæ pars, ut item scribit Joseph Binghamus Orig. Eccl. lib. 8. cap. 1. §. 2. Beveregius, aliique in Narthece Baptisterium collocatum olim fuisse arbitrantur, uti hodie in nostris Ecclesiis, sed & ipsi labi quoque videntur, cum nihil tam certum sit, quam quod per plura secula Baptisterii locus ab Ecclesiæ corpore distinctus, & exedris, sive locis distinctis contiguis adnumeratus fuerit, ut late ostendit Stephanus Durantus lib. 1. de Rit. Eccl. Cathol. cap. 19. num. 4. aliique.

Cur in Ecclesiis viri ab Australi latere, & fœminæ a boreali consisterent.

Inter Templi partes unam nominat Agnellus in sua Hist. Pontif. Raven. apud Bacchinium Tom. I. Observat. ad vitas Joannis Angelopti, & Joannis II. pag. 298. ubi de quodam Opilione dicto inquit: *Et ipse sepultus est Opilius parte mulierum circa mediam Subditam*: Quæ sit hæc *Subdita* veteribus Agnello antiquioribus ignota, quam vero Basilicæ partem Agnellus hoc nomine indicatam velit, pluribus conjecturis disquirit Bacchinius, ex quibus concludit *Subditam* Ædem aliquam esse extra Basilicam sitam, ac fortasse ex ea quadriporticus parte, quæ ad interiorem mulierum partem pertinebat. Aliam quoque partem Ecclesiæ ibi memorat Agnellus, quam *Ardicam* nominat, vocabulo apud alios Scriptores ignoto. Sic ille de loco, ubi nonnulli Episcopi sepulti erant. *Marinianus*, inquit, *in Ardica B. Apollinaris, Joannes in Ardica B. Apollinaris*: Hanc eam partem esse quadriportici Ecclesiæ adhærentem existimat laudatus Abbas Bacchinius loco citato.

Quæ Subdita & Ardica sint inter Templi partes ab Agnello Ravennatensi nominatæ.

Lubet hic mentionem facere de ligneo illo sepimento, quod in veterum Ecclesiis prisci Patres infra indicandi, inter viros, & mulieres erigendum maxime, dum sacræ Conciones haberentur, instituerunt, seu potius restaurarunt. Id vero, (ut optime observat, Antonius Caracciolus in notis ad cap. 7. part. 1. suarum Constit. Cleric. Reg. Theatin.) accepere ex antiquissimo Essenorum ritu, seu (quod mavult Hieronymus) de Christianis sub Marco Evangelista Alexandriæ habitantibus, de quibus Philo *de vita contemplativa*, ait; *Septimo die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum, & mulierum cœtibus*: Et paulo inferius: *medius autem paries a solo surgit tribus, quatuorve cubitis in modum loriculæ: superiora usque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei sexus consulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile absque obstaculis, quæ vocem intercipiant*: Clemens Romanus, sive alius Author Apostolicarum Constit. lib. 2. cap. 57. ubi loquitur de Diaconorum officio in Ecclesia, Apostolis tribuit hanc disciplinam his verbis: *Horum cura, ut Laici sedeant cum omni quiete, & ordine, mulieres quoque separatim sedeant a sermone abstinentes*: Quo circa miratur laudatus Caracciolus, qua ratione Chrysostomus dixerit hom. infra citanda: *Se a Senioribus audivisse hos parietes non fuisse ab initio*, nisi intelligat in Syria, aut Antiochia non fuisse.

Quid & unde ligneum illud Sepimentum, quod in Ecclesiis erigendum veteres instituerunt.

Cl. Antonius Caracciolus quoad dicti sepimenti originem notatus.

Verum sola Constitutionum Apostolicarum authoritate, originem hujus ritus ab Apostolis

lis repetere non possumus, cum illæ Constitutiones ab Authore tertii, aut IV. seculi scriptæ fuerint, ut fert communior Eruditorum opinio: Unde non tantam admirationem Caracciolo parere debuit sententia Chrysostomi, utpote qui Apostolorum potius tempora, quam suis vicina connotare videtur; postquam enim, dixit, quod a senioribus audivit, statim subdit, *In Christo enim Jesu non est mas, neque fœmina. Apostolorum etiam tempore una viri, & mulieres orabant,* &c. (Gal. 3. 28.) *num audistis viros, ac mulieres in Cœnaculo congregatos fuisse?* (Act. 1. 13. 14.) Neque de Antiochenæ Ecclesiæ usu intelligendus idem Chrysostomus, ut arbitratur Caracciolus; sanctus namque Ignatius Martyr, qui ipsum multo ante præcessit, in Epistola, quæ ejus nomine fertur, scripta ad Antiochenos suos: *saluto*, inquit, *custodes sanctarum portarum, Diaconissas, quæ sunt in Christo*: ex versione Cotelerii PP. Apost. Tom. 2. pag. 157. Nimirum, sicuti Ecclesiæ foribus, qua viri ingrederentur, olim præfecti erant Ostiarii, ita Diaconissæ præerant portis mulieribus tantum patentibus: vana autem, ac prorsus inanis fuisset hæc portarum distinctio, si intra ipsam deinde Ecclesiam viri, ac mulieres confuse, & promiscue consistere potuissent.

Ligneum, non lateritium fuisse hoc sepimentum, colligitur ex S. Jo. Chrysostomo.

Ligneos vero, non lateritios extitisse hos parietes sua ætate idem Chrysostomus tradit memorata homil. 74. in Matth. his verbis: *Oportebat interiore pariete viros a mulieribus separari: Verum, quoniam non vultis, necessarium esse Patres nostri putaverunt saltem his ligneis parietibus vos separari.* Meminerunt ejusdem sepimenti complures alii, nimirum D. Gregorius Nazianzenus in Oratione, seu Somnio de Anastasia. D. Ambrosius ad Virg. Lapsam cap. 6. D. Augustinus de Civit. Dei lib. 3. cap. 28. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in Præfat. ad Catech. Ordo Rom. Hittorpianæ Collect. de Officio Missæ. Amalarius de Eccl. offic. lib. 3. cap. 2. Micrologus de Eccles. observat. cap. 9. Radulphus Tungrensis lib. de Canonum observantia prop. 23. & ante hos Anastasius Bibl. seu Author libri Pontificalis in Symmacho, *qui fecit Oratorium S. Crucis a parte virorum*, & in vita Sergii I. *Hic fecit imaginem auream B. Petri Apostoli, quæ est in parte mulierum.* Item in Gregorio III. *Hic fecit Oratorium intra Basilicam Sancti Petri juxta Arcum triumphalem in parte virorum.* Quando autem hujusmodi sepimentum pro separatione virorum a fœminis in Ecclesiis adhiberi desierit, incertum est.

Id vero in aliqua parte non observari cœpisse crediderim seculo XIII. cum Guelphi, & Gibellini dicti dira factione divina omnia, & Ecclesiastica bellis civilibus, in Italia maxime, pessundarent; probabile namque admodum est Ecclesiarum Prælatos tunc temporis, ut omnium, & præcipue sibi subditorum concordiæ, ac paci eo meliori modo possibili consulerent, noluisse una simul in eadem Ecclesiæ parte, seu statione promiscue utriusque invicem inimicæ factionis viros consistere, ne ex hujus occasione fortasse, & in ipsa Ecclesia jurgia, lites, & rixæ suborirentur; ac proinde sic inter se disjunctis viris, & illos secutas mulieres alias ab aliis divisas fuisse, ut & ipsæ etiam suæ partis sodalibus unitæ absque ullo discordiarum periculo quietæ considerent. Quo factum existimo, ut exinde sic omnes simul viri, ac fœminæ indiscriminatim, quemadmodum ad præsens videre est, in eodem templo convenirent. Cæterum an id juxta meam opinionem ita reapse eo tempore evenerit, aliis disquirendum relinquo.

Dictum porro priscum morem jam obsoletum nonnulli pii Præsules ad Ecclesiæ decorem, honestatemque, ut dixi, revocarunt, inter quos Sanctus Carolus Boromæus laudabilem hunc lignei septi usum, sive neglectum, aut intermissum apud Mediolanenses in pluribus, iisque amplioribus præsertim Ecclesiis dicto, & facto renovavit, uti scribit Ferrarius de Ritu Concionum cap. 20., ac nostris item temporibus Ven. Card. Thomasius in sua Titulari Ecclesia SS. Silvestri, & Martini in Montibus, id ipsum imitatus est. Adhuc etiam ista pia disciplina observatur in nonnullis Ecclesiis, præsertim almæ Urbis, dum sacri Oratores verba e suggestu faciunt tempore Adventus, & Quadragesimæ; atque etiamnum in plerisque locis, hujus priscæ consuetudinis quoad virorum a fœminis divisionem, vestigium visitur; viri etenim in aliquibus Ecclesiis in una parte, ac fœminæ in alia consistere solent.

(5) *Processio modesta*) Post Narthecem in medio Ecclesiæ surgit Ambo, seu Pulpitum, locus Lectoribus, & Cantoribus, Clericisque in prima Sacræ Liturgiæ parte, Missa Catechumenorum dicta, ministrantibus assignatus, de quo infra lib. 2. cap. 6. num. 3. Post Ambonem inter Chorum, & Sanctuarium olim spatium erat, præsertim apud Græcos, ipsius Chori pavimento aliquot gradibus elevato *Solea* dictum, uti ex Codino, Cantacuzeno, aliisque colligit Morinus Part. 2. de Sac. Ordin. nu. 52. quod & probat Leo Allatius Differt. 2. de Recent. Græcorum Templis, ubi ait *Soleam Bemati, Amboniquε proximam fuisse.* Et altera peculiari Differt. de Solea Vet. Eccl. num. 9. & 10. idem confirmat; spatium, inquam, quousque ad Eucharistiam sumendam accedebant Laici, & cum eis Clerici, qui ob aliquam culpam ad Laicorum communionem fuerant redacti, finiebatur Solea ad Cancellos usque, qui Sanctuarium occludebant, & ab uno ad alium Ecclesiæ parietem extendebatur. Laici extra Cancellos stabant, Sacerdotes vero, & Levitæ intra, ubi Sacramentum Clericis in Solea, & ex Solea Laicis ministrabant.

Quid Solea præsertim apud Græcos.

Verum apud Latinos in plerisque antiquis, veluti in Sancti Clementis Basilica Romæ Solea desideratur, quandoquidem proxime post Chorum ad Sanctuarium ascenditur utraque ex parte marmoreis Cancellis circumseptum, qui lapidibus, pariter cratibus retis ad instar perforatis, ornati sunt, quæ *transennæ* dicebantur, de quibus vide Anastasium Biblioth. in Sixto III. & Stephano IV. PP. licet hac in voce explicanda plurimum certent eruditi, alii aliter interpretantes. Marci fratres in Hierolexico transen-

Quidve apud Latinos Transennæ?

transennam, transitum, sive ambulacrum extra Ecclesiam significare perperam arbitrantur. Cangius in Glossario med. & infimæ Latin., eamdem esse fenestram dicit: fortasse ex Nonio, at nimis laxe, inquit Vossius in Etymol. neque enim qualibet fenestra sic dicitur, sed ubi spatium fenestræ implent Cancelli, hoc est cum fenestra, vel janua est reticulata. Igitur transenna (uti optime ex Vossio laudato Ciampinius Vet. monument. Musiv. par. 1. pag. 19.) opus cancellatum, sive reticulatum est, in veterum Ecclesiis passim usurpatum; cum enim prisci fideles in iis construendis plura etiam ab Ethnicorum ædificiis sumpserint, uti idem Ciampinius ibidem pag. 9. ostendit, quippe quæ illis obvia, & permixta erant, & apud Romanos veteres non solum in privatis domibus triclinia ligneis septis clauderentur, verum etiam publice in Campo Martio, & Circo Flaminio loca forent tabulis inclusa, & vallata, in quibus Populus Romanus suffragia laturus includebatur, quemadmodum describunt Panvinius lib. 2. de Ludis Circensibus cap. 1. pag. 65., & non minus accurate Alexander ab Alex. Genial. Dier. lib. item. 2. cap. 18., aliique, ita ad illorum formam, ubi sacra ministrabantur, locum ipsum fideles transenna claudere voluisse existimandum est. Harum plures hinc inde medio allato monogrammate excisas præferunt Cruces eodem ferme opere, ac circa Chori muros spectantur Cancelli, quorum portæ, *Rugas*, vel *Regulas*, aut *Regias* appellabant, teste Mabillonio in Commentario ad Ordinem Romanum pag. XXI. & CXXXV., & locum orationis designant, ad quem usque extrinsecus populus pertingebat, intrinsecus quippe per sanctuarium erat solis Sacerdotibus, & Diaconis pervium.

Iterum de Solea Græcorum.

Solea porro in Ecclesiis Græcorum locus est intermedius inter Sanctuarium, & Chorum: a Choro ingressus est in Sanctuarium, vel a Sanctuario in Chorum per mediam Soleam; ex una igitur parte Cancellis Sanctuarii contiguus est, ex altera, Choro. Qui Ordini Ecclesiastico nomen dabant, extra Sanctuarium circa Soleam sedebant: ex Laicis, Imperatori tantum fas erat per Soleam transire, & Patriarchæ in sacris Cancellis stanti, occurrere, ex Codino, c. 17. num. 22., & 37. In Originibus Constantinopolitanis refertur Soleam a Justiniano conditum, fornice, & Camera Ecclesiæ decidentibus confractum fuisse, atque a Justino Successore reparatum, sed non cum eodem splendore *ἐπεὶ τὸν σωλέαν μὴ δυνάμενος ποιῆσαι καθὼς ὅσαν πρότερον ἐποίησε ὡς ὁρᾶται νῦν ἀργυρίῳ δύων*. Idest, cum Soleam non posset in pristinam formam restituere, argento, ut nunc visitur, operuit: qualia vero prius erant, describit Cedrenus „ Trulla Sanctæ „ Dei magnæ Ecclesiæ, quæ fornicata erat, „ cecidit, & Ambonem, Soleasque, qui erant „ ex lapide alabastrice contrivit, & velut in „ terram, & rudera illuc aggesta convertit. Plura de hujusmodi Græcorum Solea præter laudatos Morinum, & Allatium, suppeditabit Clar. Cangius in notis ad Pauli Silentiarii Descriptionem S. Sophiæ cum Cinnamo, aliisque pag. 584. num. 73.

Describitur breviter Basilica vetus S. Clementis Romæ.

Quia vero Ecclesiæ S. Clementis Romæ paulo ante meminimus, non incongruum erit, aut Lectori minus jucundum, si eamdem Basilicam breviter descripserimus, utpote quæ ex antiquissimis adhuc existentibus, inter cæteras spectabili forma exædificata veterem Christianorum morem in Templis struendis præfert; nam Presbyterium, & Chorus marmoreo septo ad humanam ferme staturam elevato clauditur, & circumquaque obiri potest, quale describit Alexandrinum fuisse ævo suo Athanasius in Apologia de Fuga. Ex utraque Chori parte Ambo marmoreus erigitur, ut pari facilitate circumfusus Choro populus, & Clerici intus legentem audirent. Qui ex parte Evangelii, sublimis Ambo visitur, duplici scala aditur, uti etiam in Ravennatensi. Ex parte Epistolæ unus est ad Ambonem aditus, eodemque latere Pulpitum Lectori destinatum visitur, si quis Ambonem etiam dicere malit, qui cæteroquin duo Ambones hujusmodi tam disparata forma sunt, ut non eodem appellandos vocabulo videatur. Simili item forma sunt Ambones in Ecclesiis S. Mariæ in Cosmedin Romæ, & S. Laurentii extra muros. Intra septum sedilia Clericis marmorea, stratum musivo opere. Altare est item formæ singularis, insulæ more, ut a Presbyteris circumsisti possit. Hanc autem Basilicam late describit Philippus Rondininus edito de eadem peculiari Opere, & lib. 2. cap. 9. ejus singulas partes exponit, ipsiusque ichnographiam refert, uti etiam Mabillonius Comment. ad Ord. Roman. pag. XXIV., atque Montfauconius Diar. Ital. pag. 134., qui & pag. 378. refert in Cathedrali Spoletina id singulare observari, quod Ambones duo a lateribus ostii ad Plateam spectantes erigantur, ut ibidem populo congregato Evangelium, & Epistola legeretur, quod & aliis in locis extare dicitur. Horum unum antiqui Operis & ego vidi erectum ad januam Cathedralis Ecclesiæ Perusinæ, e quo publicarum Missionum tempore plebi extra portam Templi consistenti quandoque concionantur sacri Catechetici præcones.



§. VII.

De Sanctuario, seu Presbyterio, & de Sede Episcopali.

TErtia pars Sanctuarium, sive Sacrarium, vel Presbyterium complecte-
batur, quod erat sub Apside (1), cancellis, vel parietibus conclusum (1)
(2). In eo Altare majus eminebat, & aliud minus (3), quod Græci *Prothe-* (2)
sim vocant, in quo dona præparantur. Erant & Clericorum ac Presbyterorum (3)
subsellia (4), pro cujusque gradu & dignitate, & in loco editiori Sedes Episco- (4)
palis, (ad quam per gradus ascendebatur) quam Prudentius *Hymno de S. Hip-
polyto* sublime Tribunal vocat, & Nazianzenus *in sæpe citato Somnio* subli-
mem Thronum (5). Ideo autem altior erat, ut ex ea posset Antistes populum (5)
monere, circumspicere, & custodire (6): *Numquid aliud*, ait Ambro- (6)
sius lib. de Dignit. Sacerdotali cap. 6. *interpretatur Episcopus, nisi super
inspector? Maxime cum in solio in Ecclesia editiore sedeat*. Hunc ipsum
Thronum in altissimo loco positum a Paulino Tyrio asserit Eusebius, cum
magnificum ejus Templum describit. Id vero ex Apostolica institutione
habet Ecclesia (7), nam idem Eusebius *lib.* 7. *Hist. cap.* 19. Thronum (7)
seu Cathedram Jacobi Apostoli primi Hierosolymorum Episcopi adhuc suis
temporibus extantem a Fidelibus coli summa veneratione testatur (8). (8)
Quod si Patres Concilii Antiocheni apud Eusebium *lib.* 7. *cap.* 30. Paulum
Samosatenum reprehenderunt, quod altum sibi Thronum in Ecclesia sta-
tuisset: Si Severus Sulpitius *Dialogo* 2., & 3. de Vita S. Martini Episc.
celsa Sede residentes Episcopos arguit: illos tantum hæc objurgatio casti-
gat, qui modum excedentes, ac veluti in solio regali sedentes tyrannicam
sibi in Clerum dominationem usurpabant (9). In ipsum autem Presbyte- (9)
In Presbyterium nefas olim Secularibus ingredi.
rium nefas olim fuit secularibus ingredi, ut Germanus Constantinopolitanus
docet, hanc sacratiorem Templi Partem latissime explicans, in Theoria rerum
Ecclesiasticarum. Vetuit hoc Concilium Turonense II. an. 570. *Can.* 4. statuens,
ut pars illa, quæ a Cancellis versus Altare dividitur, Choris tantum psal-
lentium Clericorum pateat. Ad orandum vero & communicandum Laicis
& Fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum. Quem Canonem
Capitulari suo inseruit Carolus Magnus *lib.* 7. *cap.* 203. Hoc idem sancivit
Synodus Romana sub Eugenio II. c. 33. *Ut nulli Laicorum liceat in eo
loco, ubi Sacerdotes, reliquive Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncu-
patur* (10), *quando Missa celebratur, consistere, ut libere ac honorifice pos-* (10)
sint sacra officia exercere. Repetit hoc Decretum in sua Synodo Leo IV.
& addit, ne seculares intra sacros Cancellos tentent accedere, nisi Episcopo
permittente. At Ambrosius Mediolanensis ne Theodosio quidem Imperatori
hoc permittere voluit, ut narrat Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 17. Sozomenus
lib. 7. *cap.* 24. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 41. Synodus Trullana *Can.* 69. ne-
mini licere edixit intra septa Altaris ingredi, excepto Imperatore, cum
dona sua offerre vellet, (11). Solius igitur oblationis causa id permissum (11)
Idque tantum oblationis causa permissum Imperatori.
Imperatori, sed crescente licentia & disciplina corruente etiam Thronum
in sacrario Imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem (12). In Gallia (12)
negatum Laicis oblationes ferre ad Altare, sed Sacerdos, vel Ministri extra
septa egrediebantur, ut eas ab illis acciperent: aliquando tamen id solis fœ-
minis vetitum, non autem viris, ut docet Lupus in notis ad citatum
Canonem Trullanum. Plura de Templis, eorumque structura, & ædificiis
scire cupienti abunde satisfacient Leo Allatius in Tractatu *de Narthece ve-
teris Ecclesiæ, & de Templis recentiorum Græcorum*, itemque in Disser-

tatione

tatione *de Solea veteris Ecclesiæ edita inter ejus Symmicta*, de qua etiam diffuse agit vir eruditissimus Petrus Possinus *in Glossario tom.* 1. *Georgii Pachymeris:* Julius Cæsar Bulengerus *Opusc. de Templo*: Jacobus Goar *in notis ad Euchologium pag.* 13. *& sequentibus:* Joannes. Dartis *in Comment. Decreti de Consecr. dist.* 1. *tract. de Ecclesiis, earumque origine & forma.* (Riccardus in notis ad Orat. 18. S. Procii Constantinopolitani) Legendus quoque Procopius de ædificiis Justiniani, qui *lib.* 1. Templum S. Sophiæ & S. Michaelis in Anaplo describit, & *lib.* 5. Templum Deiparæ Hierosolymis magnificentissime constructum. Structuram vero S. Sophiæ fusius exprimit Georgius Codinus *lib. de Originibus Constantinopolitanis;* cujus etiam extat elegans descriptio versibus hexametris in Codice Græco MS. Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, quam nuper edidit, ac eruditissimis Commentariis illustravit Carolus (13) du Fresne (13). Nobis ad alia properantibus ista sufficiunt.

Locus in Templis olim ad Orientem situs circa Altare in quo consistebant Presbyteri, & Clerici, nunc Chorus communiter dictus.

(1) *Quod erat sub Apside*). Apsis, seu Absida, locus in Templis ad Orientem situs, alias Concha, Camera, & intimum Sacrarium dicebatur. Chorum hodie communiter vocant. Ita ex Can. 31. Concil. Carthag. III. Gregorius Turonensis in vita Gregorii Lingonensis Episcopi, & Evodius de Miraculis S. Stephani lib. 1. cap. 3. Crebra etiam est mentio Sanctorum in Abside collocatorum, tum apud præfatos, tum apud Paulinum Epist. 12. ad Severum. Apud Isidorum Orig. lib. xv. cap. 8. *Absida Græco sermone Latine interpretatur Lucida, eo quod lumine accepto per Arcum resplendeat:* quo loco Apsidem Isidorus intelligit pro Sanctuario Templi, sive Choro, ut diximus, quod lumen ait recipere per Arcum, sive ut alibi vocat, Cameræ lacunar. Porro de variis Apsidis significationibus legendi Cælius Rodiginus lib. 28. cap. 10. Vossius in Etymolog. De la Cerda Advers. cap. 24., & Cangius in Glossario voce *Absida*.

Chorus porro, (ut pridem observavit Gavantus in Missale Rom. Parte I. Tit. xiv. edit. Ven. in fol. cum Merato pag. 101. col. 2.) *Presbyterium* dicitur in Epistolis SS. Cornelii, & Cypriani. *Sanctuarium Altaris* in Concil. Bracarensi I. num. 31. *Sancta Sanctorum* in Turonensi II. cap. 4. *Chorus* in Toletano IV. num. 17. hoc est consensio cantantium ex Augustino in Psal. 49. unde & corona dicitur ab Isidoro lib. 1. de Off. cap. 3. a chorea Chori nomen deducit Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 139. Græca quippe vox significat lætitiam, uti ex Platone lib. 2. de Legibus; eapropter Regius Psalmista sæpe sæpius Domino canendum in lætitia, & laudandum nomen ejus in Choro nos monet, ac proinde primis Ecclesiæ seculis Philo lib. de Vita Contemplativa Therapeutarum, seu Christianorum choros describit, nunc junctis vocibus resonantes in lætitia, nunc sibi invicem congrue respondentes. Dionysius Areopagita lib. Eccl. Hier. cap. 3. canentes ad alterutrum laudat, quasi una concordi, & consona Sacrarum rerum chorea.

Ad quem tria ostia, seu portæ ingressum dabant.

(2) *Cancellis, & parietibus conclusum*) Cancellis ingressum tria ostia pandebant, ut Paulinus in Natali X.

Trinaque Cancellis currentibus ostia pandunt.

Totidemque enumerat Paulus Silentiarius in Templo S. Sophiæ: *tribus autem portis totum septum Sacerdotibus patet:* Tria pariter *Ostia in Altario* habuisse Basilicam Turonensem a Perpetuo Episcopo ædificatam scribit Gregorius Turonensis Hist. lib. 2. cap. 14. Atque hæ portæ fortasse eæ sunt, de quibus ex suggestu declamabat Chrysostomus Hom. 30. in Epist. 2. ad Corinth. nisi alias supra memoratas intelligi voluerit, per quas aditus erat ad interiorem Narthecem, quibus, sive his, sive illis, Christianis usitatum fuit oscula figere: *an non cernitis*, inquit, *quotnam homines etiam hujusce Templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manutenentes, atque ori manum admoventes*. Prudentius in Hymno S. Laurentii.

Ad Sacra hujusmodi limina Christianis usitatum oscula figere.

Ipsa & Senatus lumina,
Quondam Luperci, & Flamines
Apostolorum, & Martyrum
Exosculantur limina.

Et Sanctus Paulinus Natali VI.

Sternitur ante fores, & postibus oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum pro limine Sancto
Fusus humi . . . .

Item Natali XII.

. . . . . . dum postibus hæret in ipsis,
Felicis Sancti, lambensque per oscula tergit.

Item Venantius Fortunatus in Vita Sancti Martini lib. 4.

Rursus Apollinaris pretiosa limina lambe,
Fusus humi supplex . . . .

Ritum hunc pium exosculandi Templorum limina sanctiori usu adhibitum Christifideles e Gentilibus mutuasse probabile est; legimus enim apud Arnobium lib. 1. adv. Gentiles, ubi de iisdem loquens ait, *cum per omnia supplices irent Templa, cum Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis*. Et ante ipsum Tibullus lib. 1. Eleg. 2. item 5. v. 41.

Christianorum pius iste Ritus Sacra Ecclesiarum exosculandi limina forte e Gentilibus in sanctiorem usum mutuatus.

Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum Sancto tundere posse caput.
Non ego, si merui, dubitem procumbere Templis,
Et dare Sacratis oscula liminibus.

Item hujusce adorativi Ritus usum apud Ethnicos servatum testantur Juvenalis Satyr. 6. v. 47.

. . . . . . Tarpejum limen adora
Pronus . . . .

Ovidius Metam. lib. 1.

Ut Templi tetigere gradus, procumbit uterque

Pronus humi, gelidoque parens dedit oscula Saxo.
Virgilius Æneïd. lib. 2.
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Rursus lib. 3.
. . . . *Scææque amplector limina portæ.*
Quin & quandoque discedentes honoris gratia portas Templi osculatos, præter allatum Virgilii locum testatur Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii.
Crebra relinquendis infigimus oscula portis.
Hinc fideles cum norint optime Diaboli *partes esse intervertendi veritatem*, ut inquit Tertullianus de Præscript. cap. 40. *& ipsas quoque res Sacramentorum divinorum idolorum mysteriis æmulari*: ut idem per ipsam falsam Religionem, quam obtruderat, vinceretur, eumdem fere omnem cultum, & venerationem, quam obcæcati Pagani, & Idololatræ inanibus Diis nequiter obtulerunt, unico, & vero Deo potiori jure præstandam optime existimarunt.

Altare ab altitudine dictum, & quasi alta ara.

(3) *In eo Altare majus eminebat, & aliud minus*) Etsi de Altari plura superius dicta sint, non pigeat tamen hic nonnulla subdere pro complemento. Altare ab *altitudine* dictum juxta Isidorum lib. 15. Orig. cap. 4. constat esse nominatum, quasi *alta ara*, quæ interpretatio, licet non placeat Vossio in Etymol. ei nihilominus subscribunt alii non ignobiles grammatici, Servius ad Virgilii Ecl. 5. *Altaria vero esse Superorum tantum Deorum, quæ ab altitudine constat esse nominata*. Et paulo post: *alii Altaria eminentia Ararum dicunt*, & ante ipsum Sextus Pompejus Festus de Verb. signif. *Altaria*, inquit, *ab altitudine dicta sunt, quod antiqui Diis superis in Ædificiis a terra exaltatis Sacra faciebant, Diis terrestribus in Terra, Diis infernalibus in effossa Terra*: hinc cum nos nonnisi uni Deo Altissimo, & excelso Domino, qui in altis habitat, Cælestium, Terrestrium, & Infernorum Conditori Supremo, rerumque omnium visibilium, & invisibilium Creatori Optimo Maximo sacrificemus, & quidem non carnes taurorum, aut vitulorum, vel aliud corruptibile quid eidem offeramus, sed ipsummet Deum, unicum scilicet Dei Patris Filium Jesum Christum Dominum ipsi incruenta sacrificatione immolemus, hujusmodi Altare nostrum non aliter quam alta Ara dici poterit, & debebit, quidquid contra hanc rectam Isidori de Altaris voce interpretationem Vossio displiceat, qui pene totus in Philologicis, ac profana Ethnicorum eruditione versatus sibi potius Gentilium Aras, quam Christianorum Altaria sapere satis indicat, uti in consimili voce apud Græcos passim pro Altari usurpata, idest Thysiasterion, cum aliis suis gregalibus Calvini asseclis, supra §. 1. nota 1. confutatum vidimus.

Altare quia significat Christum, ideo erigi debet in altiori Ecclesiæ loco.

Porro Altare, quia significat Christum, ideo debet erigi in eminentiori Ecclesiæ parte, ita ex Gemma Animæ lib. 1. de Rit. Missæ cap. 122. Walafrido Strabone de Rebus Ecclef. cap. 6. Beda lib. de Tabernaculo, Ruperto Tuitiensi de Div. Offic. cap. 30. Et quidem in medio Templi gremio, ut Sacerdos Christi vices gerens, & offerens omni ex parte facilius videri possit (quamvis per Templi medium pars Chori anterior in septo cruciformi medium fere Templi linea decussata intersecante posita intelligi posse videatur). Hujusmodi structura, & forma collocatum olim fuisse Altare apud Græcos maxime, & cancellis a reliquis Ecclesiæ partibus discriminatum, nos docet Eusebius lib. 10. cap. 4. Hist. Eccl. in descriptione celeberrimi Templi Tyrii a Paulino extructi, ubi hæc ait: *Sanctum Sanctorum, Altare videlicet in medio constituit, utque hæc Sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus cancellis munivit*. Et ne alios veteres in re notissima percurram, recentis ex aliena communione Scriptoris, & apud gregales suos summe celebris, testimonium solum afferam. Is est Guillelmus Beveregius Anglicanus supra memoratus §. 1., qui Tom. 2. Pandect. Can. Apost. & Concil. Eccl. Græcæ, ubi antiquam Orientalium Templorum formam describit, hæc in Sectariorum perniciem (ut Schelestratii verbis utar de Conc. Antioch. cap. 4. pag. 192.) plura de Sacri Altaris eminentia profert, inter cætera „ quanto, inquit, Bema in tota Ecclesia, tanto Sacra Mensa in ipso Bemate „ locos supereminet omnes, quippe quæ sacratissimis omnium Mysteriorum peragendis „ peculiari modo consecratur, & inservit: & „ paulo infra „ hanc porro sacram, sanctam, „ divinamque Mensam, sive Altare, veteres „ ex lapide conflare soliti sunt, cujus rei rationem reddit Simeon Thessalonicensis dicens: e lapide autem est Altare, quia Christum refert, qui etiam petra nominatur, „ tamquam fundamentum nostrum.

Idque observatum non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos.

Neque apud Græcos tantum, sed & apud Latinos idem antiquitus observatum legimus præsertim teste Augustino, veluti Serm. 41. de Verbis Domini, & serm. 46. cap. 1. ubi expresse ait: *Mensa Christi est illa in medio posita*. Item Caroli Magni ævo, seculo scilicet octavo, Altare in medio Ecclesiæ positum fuisse colligitur ex illo Witichindi Saxonum Principis ad eumdem Carolum apud Albertum Crantzium in sua Metropoli, seu Historia Ecclesiastica de Ecclesiis Caroli Magni ætate constitutis, vel instauratis lib. 1. cap. 9. ubi hunc *Mensam Templo mediam repentina mutatione, hilarique vultu* adiisse scribit. In Monasterio Selgenstadiensi Ludovici pii Imperatoris expensis condito Altare S. Salvatoris *in media Ecclesia* positum testatur Eginardus in lib. 4. de Translatione SS. Petri, & Marcellini. Sed ad quid alibi id exquirimus? Tam Romæ, quam in aliis Italiæ Urbibus Altaria mediis fere Templis erecta conspiciuntur, scilicet in Basilicis Lateranensi, Vaticana, Liberiana, aliisque multis. Atque hæc de Altaris loco in Ecclesia satis: qui plura velit, adeat clariss. Joannem Baptistam Thiersium in singulari opere, quod de Altaribus inscripsit, & Gothofredum Voigthum in libro posthumo, ac primum in lucem edito a Joanne Alberto Fabricio anno 1709. de Altaribus veterum Christianorum, ubi bene multa de hac re copiose, & erudite differuntur: nunc ad sacram Altaris coronam, seu Presbyterium transeamus.

(4)

Presbyterorum subsellia hine inde per interiorem sanctuarii circuitum olim posita.

(4) *Presbyterorum subsellia*) De Exedris, sive sedilibus hinc inde per interiorem Sanctuarii circuitum, & ad editiorem Episcopi Cathedram circumpositis hæc habet Constitutionum Apostolicarum Author lib. 2. cap. 57. *In ejus medio sit Episcopi Sedes, ad cujus utrumque latus consideant Presbyteri, & Diaconi assistant succincti, & expediti*, cui favet Canon 35. Concilii Carthaginensis IV. *Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat* : cur autem sublimior emineat Episcopus, præter Ambrosium ab Eminentissimo Authore allegatum, Sancti Augustini etiam testimonio firmatur, ut infra dicemus nota 6., uti & de Presbyterorum consessu, seu Presbyterio nota 10.

Thronus Episcopalis descriptus.

(5) *Sublimem thronum*) Ita ille:

Sede alta haud alta consistere mente videbar,
Presbyterique graves sellis utrinque sedebant
Demissis ætas lecta, ducesque gregis,
Vestibus in niveis, ac stabat turba ministra
Splendorem referens agminis Angelici.

Plura de Episcopali throno Simeon Thessalonicensis de Sac. Ordinat. Parte II. cap. 8. Porro hæc sedes, sive medio in Templo, ut Author Constit. Apostol. loco supracit. indicat, sive in abside Ecclesiæ sita, ut ex lib. Miracul. S. Stephani in Appendice Oper. S. Augustini novæ edit. Tom. 7. cap. 3. linteo erat obvoluta, uti videre est in eodem loco, in Epist. ejusdem S. Augustini ad Maxim. nov. edit. 23., ubi *velatas* Episcoporum sedes ait, S. Paciani Epist. 2. ad Sempronianum, qui easdem *linteatas* fuisse dicit, ut infra nota 9., & in Synodica Episcoporum Ægypti apud Athanasium in Apologia, ac laudatum Simeonem Thessalonicensem, aliosque.

Idque observatum non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos.

Ejusdem throni Pontificalis ornatus ex velis linteisque pretiosis.

Antiquitatem hujusmodi ornatus Episcopalis Sedis a primis seculis ita deducit Cardinalis Baronius ad an. 45. num. XI. *Nec illud*, inquit, *dicere prætermittimus . . . . . . majores scilicet nostros egregios pietatis cultores, ut qui probe scirent loco Christi (quod sæpe monet Ignatius) esse habendos Episcopos, sedes illas, quibus ii in Ecclesia, cum sacras Synaxes agerent, insiderent, ut divinum thronum, velis egregie ornare consuevisse, easdemque tegere velamento. Id plane innuit Pontius Diaconus in Cypriani Martyrio, eum ait: Sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur* . Subdit inde Baronius indicata Augustini, & Paciani hac de re testimonia, qui & similia refert ad an. 261. num. 28., atque in notis ad Martyrol. Rom. 18. Januarii. Baronio consentit Tillemontius Tom. 4. Hist. Eccl. in Cypriano art. 59. in fine, ubi notat sedile illud, super quod sedit Cyprianus in Domo Proconsulis, ornatum fuisse non secus, ac Cathedra Episcopalis in Ecclesia, quod utique Pontii verba non obscure portendunt, *ut Episcopatus honore frueretur*: idest, sedens quasi in Pontificali solio velis ornato cæteris, uti in Ecclesia, præsideret . Morem hunc præterea vetustissimum sane, & a prioribus seculis apud fideles usitatum, sedes scilicet suorum Præsulum tapetis, ac pretiosis aulæis ornandi, & cooperiendi ultra memoratos Authores attingunt S. Ambrosius lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 6. Ennodius Ticinensis in Libello pro Defensione Synodi Rom. pro Symmacho, ubi ait: *Ecce nunc ad gestatoriam sellam Apostolicæ Confessionis vela mittunt &c.* Amalarius lib. 3. cap. 10. de Div. Offic. Honorius Augustodun. de Offic. Missæ lib. 1. cap. 13. , & 15. aliique . Vide Cangium Constantinopolis Christ. lib. 3. cap. 66. Ex antiquissimo igitur ritu profluit, ut Episcopales sedes *præaltæ* sint, & *sublimes*, ad quas per gradus ascendatur in modum solii, throni immobilis, ac panno serico concolori cum aliis paramentis obtegantur, & ornentur, uti ex Cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 13. §. 3. cui nuper eruditas adjecit notas clarif. Presbyt. Joseph Catalanus : idque ex vetustissima , ut vidimus, Ecclesiæ disciplina , quidquid ex adverso nostrorum temporum Novatores inter cætera hujusmodi etiam Ecclesiastica ornamenta derideant.

Sublimior cæteris sedilibus positus Episcopus, ut possit circumspicere.

(6) *Circumspicere, & custodire*) Egregie Augustinus in Psal. 126. pag. 1069. num. 3. *ideo*, ait, *altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tamquam custodiant Populum, nam & Græce quod dicitur Episcopus, hoc latine superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est, & de isto loco periculosa redditur ratio*: deinde Episcopos monet, *ut in mentem revocarent altiore se loco, tamquam in specula constitutos, quo oculorum acie pervigili, atque indefessa in tutelam gregis incumbant tanto cæteris virtute, & probitate clariores, quanto magis essent sedis honore, ac sublimitate conspicui*.

Explicatur Tertulliani locus de Cathedris Apostolorum.

(7) *Ex Apostolica Institutione habet Ecclesia*) Recte & sapienter . Huc referenda Tertulliani verba in lib. de Præscript. cap. 36. *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident* , quæ de Cathedris materialibus intelligunt ipsi sectarii, nec aliter capi posse videntur; si enim cum Rigaltio Cathedras Apostolorum intelligamus Ecclesias ab Apostolis constitutas, Tertulliani sensus hic erit : Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Ecclesiæ Apostolorum suis locis præsident, quo nihil ineptius . Vide Henr. Valesium in Addendis ad notas in Eusebii Hist. pag. 319. in fine . Et sane de ipsis Apostolorum sedilibus necessario intelligendus est hic Tertulliani locus, duo enim signa , & indicia, ac quasi gnorismata Apostolicarum Ecclesiarum hic notat idem Septimius , uti & non refragatur Basnagius loco infra citando nota 8. primum est Cathedra, in qua sedit Apostolus, secundum Epistolæ, quarum authenticum exemplar servabat Ecclesia, ad quam scriptæ fuerant , immediate siquidem in textu consequitur : *apud quas ipsæ Authenticæ litteræ eorum recitantur* . Cathedræ autem, & litteræ Apostolorum duæ profecto res sunt inter se invicem distinctæ, & separatæ. Subdit tamen Rigaltius in notis ad dictum locum

cum; *Et sane venerationis argumentum ipsas adhuc Cathedras Apostolorum suis locis in memoriam, & honorem Apostolorum præsedisse*.

Cathedra S. Petri a priscis fidelibus huc usque semper in veneratione habita.

Huc item faciunt ea, quæ de Cathedra S. Petri leguntur lib. 10. Recognitionum S. Clementis apud Cotelerium Tom. 1. pag. 596. num. 71. *Theophilus, qui erat cunctis Potentibus in civitate sublimior, Domus suæ ingentem Basilicam Ecclesiæ nomine consecrarat, in qua Petro Apostolo constituta est ab omni Populo Cathedra*. De hac Antiochena S. Petri Cathedra, ejusque Festo agunt Martyrologia ad diem 22. Februarii, Legenda Sanctorum cap. 44. Honorius in Gemma Animæ lib. 3. cap. 26. Ivo Carnotensis, aliique, subdit laudatus Cotelerius in notis ad hunc locum: In itinerario Willebrandi ab Oldenburg *in hac Ecclesia* (Antiochiæ) *monstratur Cathedra B. Petri*. Inveni quoque hunc titulum in Catalogo MSS. Ecclesiæ S. Petri Bellovacensis: *Sermo S. Clementis Papæ in Petri Apostolorum Principis sessione, qua Cathedram instauravit Antiochiæ*: Consonat id cum eo, quod legitur in Missali Gothico apud Thomasium, & Mabillonium num. XX. ubi habetur *Missa in Cathedra S. Petri Apostoli*, (quæ viderur esse Antiochena, sequitur enim post Missam in Conversione S. Pauli, cujus festum illam præcedit, & hunc diem Romana, illique succedit Ordo Missæ in initium Quadragesimæ) utut sit, sive de Cathedra Romæ, vel Antiochiæ, in ipsius Contestatione, seu Immolatione Missæ hæc verba leguntur: *Testis est dies hodierna Beati Petri Cathedra Episcopatus exposita*: quibus satis exprimitur quam fuerit antiquis, a seculo scilicet septimo, Beati Petri Cathedra in veneratione habita.

Ita etiam Cathedra Alexandrina S. Marci, quæ Aquilejæ asservatur.

Huc etiam afferri possunt, quæ de Aquilejensi Cathedra D. Marci habent Acta passionis ejus apud Henschenium, & Papebrochium ad diem 25. Aprilis pag. 347. col. 1. „Adest „ etiam, inquiunt, hujus rei testis, quæ usque ad hodiernam diem ad confirmandam „ hujus veritatis assertionem in eadem Ecclesia perseverat ex ebore antiquo Cathedra politis compacta tabulis, in qua quidem sedisse illum, dum Evangelicas paginas exararet, priscorum non reticuit memoria relatorum. In cujus nimirum Cathedræ sedili nullus est ausus umquam Pontificum deinceps residere, sed in magna veneratione hactenus a cunctis extat Pontificibus humiliter honorata. Hanc venerandam antiquitatis traditionem Samuel Basnagius, de quo nota sequenti, cum aliis veterum Religiosis cultibus suo, & suorum consodalium more deridens parvi, aut nihili facit; at ibi ex se ipso vapulantem ostendemus. Interim de hac Marci Cathedra a cunctis Alexandrinis Pontificibus humiliter honorata, nos docet Henr. Valesius loco paulo ante citato, quod plerique ex Alexandrinis Episcopis in eadem sedere recusaverint.

In eadem D. Marci Cathedra Alexandrini Præsules venerationis ergo sedere recusarunt.

„ Certe, inquit, B. Petrus Alexandrinus, „ nunquam in ea sedere voluit, sed quoties „ gradus Altaris conscendebat, ut pacem populo daret, in scabello, quod erat ad pedes illius Cathedræ residere consueverat. „ Quod cum mirarentur Clerici simul, ac „ Laici, causam eis Petrus aliquando hanc „ dixisse fertur: quoties ad Cathedram illam „ propius accederet, totum se contremiscere; cælestem enim quandam ac splendidissimam virtutem in ea Cathedra sedentem a se conspici, quæ animum ipsius „ gaudio simul ac formidine compleret, ut „ legitur in Actis MSS. Passionis ejusdem „ Petri. Huc usque Valesius.

Quibus similia, etsi lato calamo expressa, refert Baronius ad an. 310. num. XI., & XII. *Omnia*, ait, *fusius scripta a nobis summatim collecta habent germana ejus Martyrii Acta, quæ a Græcis accepta Anastasius Bibliothecarius Latinis tradidit*; quæ quidem Petri Acta idem Card. in Notis ad Martyrol. Roman. ad diem 26. Novembris pleniora, & acuratius conscripta, atque Anastasio tribuenda judicat. Non ignoro S. Petri Acta prout apud Metaphrastem, & Surium Tom. 6. ad dictam diem item a Combefisio edita, a plerisque, veluti Pagio in Crit. Baronii, Natali Alex. Hist. Eccl. Sec. 4. Dissert. 9. Tillemontio Tom. 5. nota 1. ad S. Petri Vitam, aliisque tamquam supposita, & spuria haberi, sed non ista ab Anastasio translata, quæ vidit Baronius, & tum ipsi, quam Spondano ejus Epitomatori ad an. 301. num. 1. fideliora, ac sinceriora visa sunt: prætereà dato, quod in pluribus dubia, & suspecta sint, non tamen in hac narratione particulari, de qua dicti Critici Censores silent, quam si veram non credidissent, eamdem non nobis exposuisset Valesius laudatus ipsi Basnagio ad miraculum doctus. Palladius de Olivis lib. 6. refert sedem hanc ad nostra usque tempora perseverasse, quam ebore confectam se Gradi vidisse refert Joannes Candidus in suis Comment. Aquilejensibus.

Item S. Jacobi Cathedra ac reliquæ Apostolorum a piis fidelibus in summa reverentia habita.

(8) *A fidelibus coli summa veneratione testatur*) Samuel Basnagius paulo ante memoratus in Annal. Politic. Ecclesiast. ad an. Christi 43. num. 11. non parvam Baronio, ac Valesio litem intendit, quod Eusebii testimonio affirment Hierosolymitanos fideles Jacobi Cathedram magna prosecutos fuisse reverentia, quasi, inquit, jam floruisset cultus reliquiarum, ibique Calvinianus minister pluribus contra ipsos inepte invehitur; at iisdem Baronio, & Valesio suffragatur Petrus Lambecius Biblioth. Cæsar. Vindobon. Tom. & lib. 4. pag. 318. ubi Joanne Christophorsono Anglo Cicestrensi interprete idem cum ipsis asserit, quin & Guillelmus Beveregius Anglicanæ pariter communionis Scriptor Annot. Can. Apost. 58. apud Cotelerium PP. Apostolicorum Tom. 1. pag. 369. subscribit his verbis: *Hujusmodi quoque thronum Jacobum Apostolum Hierosolymis habuisse, eumdemque usque ad Gallieni tempora conservatum, & summo honore habitum fuisse testatur Eusebius lib. 7. cap. 19. In hujusmodi throno Episcopus quivis post consecrationem collocatur, ut ex Euchologio patet pag. 304.* His adstipulatur Rigaltius supra allatus in notis ad Tertulliani locum de Præscript. cap. 36., aliique pene innumeri etiam ex Protestantium communione, qui Critici licet, huic tamen Eusebii testimonio assensum præbere non dubitant.

Sed

Cujus, & aliarum similium religiosus cultus a piis fidelibus observatus, contra Basnagium vindicatur.

Sed videamus, quibus argumentis magnos Baronium, & Valesium Basnagius impetat „ „ At Baronio, ait, quidem hic illusit Christophorsoni versio; hinc scriptum Purpurato: *majores etiam ipsas sedes ligneas, quibus Apostoli insedissent, veneratione prosequi*: „ Quod Baronio linguæ Græcæ hospiti, & „ versionibus fidenti utcumque condonari potest, Valesio autem ad miraculum docto, „ non potest. Eusebium sic vertit vir clarissimus: *Jacobi illius Cathedram ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia*: atqui in Græcis nil „ verborum est, quibus ea significentur: *magna prosequuntur reverentia*; *sed Jacobi thronum ad nostra usque tempora conservatum*; „ hæc Eusebius, non vero illa quæ de suo „ fœnerant Baronius, atque Valesius, *magna prosequuntur reverentia*, quasi jam floruisset cultus Reliquiarum, cum ex asservata „ Jacobi Cathedra illud tantum colligi debeat Christianos multis Sanctos affecisse „ honoribus, quorum argumentum ea cura „ fuit, quam in custodienda sollicite lignea „ sede Jacobi Hierosolymitani adhibuerunt. „ Sic &c. Hæc Batavus præstantium virorum censor, ac Eunomii, Vigilantii, Wicleffi, aliorumque veterum Hæreticorum sacras Sanctorum reliquias contemnentium novus fautor, & palpo; ejus nunc censuram perpendamus.

Item vindicatur Card. Baronius a Basnagii nota.

Et primo demus Baronium linguæ Græcæ hospitem, uti Basnagio placet, ac versionibus fidentem fuisse; cuinam versioni Eusebius tunc temporis meliori ipse adhærere poterat, nisi a Christophorsonio vulgatæ, quæ Dupinio teste præcedentium omnium elegantior judicata est, ac multos Musculi ejusdem Eusebii recentioris interpretis errores emendavit? Hanc autem Christophorsoni versionem & suos habuisse nævos admittere non gravamur, quam propterea a mendis expurgandam suscepit Clariss. Henr. Valesius, aliamque profecto perfectiorem confecit, ac textui Græco e quatuor antiquis Codicibus MSS. recognito notis eruditissimis additis adornatam ita illustravit, ut ejus versio publicum applausum, atque Eruditorum omnium commendationem merito consecuta fuerit, etsi fortasse delicato Basnagii gustui minus sapiat; duo, inquit Dupinius, quæ raro simul inveniuntur, elegantia scilicet, & singularum sententiarum ad verbum expositio hanc versionem commendant.

Basnagius fere unicus, qui in hac parte Valesium notet.

In hac etiam aliquot fortasse nævos Critici rigidiores observarunt, cum nemo umquam plene omnibus placeat; at vero quoad istum Eusebii locum de Jacobi throno fere unicus, quod sciam, Basnagius est, qui sic temere Valesium notet, quasi quod in Græcis non existentem, ipse hunc nobis fœneret; atque ita vir summus ab indiscreto, & imprudenti Calvinista, tacitum impostoris, & falsarii nomen indigne audiat. Quasi, inquam, Hollandus iste Sectarius præ supradictis præstantibus viris Græcarum litterarum scientissimis, qui omnes Christophorsoni, & Valesii consimilem lectionem secuti sunt, ipse excellentior, & doctior Bibliothecarum omnium forulos excutere, græcosque singulos Eusebii Codices manuscriptos invisere, & examinare potuerit, adeout ex tripode pronuncians nobis oggerat, & asseveranter obfirmet: *in Græcis nil verborum est, quibus ea significentur: magna prosequuntur reverentia*: Numquid novus iste Pythagoras, uti olim illius Sophistæ discipulis ratio erat: *quia ipse dixit*: & a nobis assensum extorquere præsumet? Ast non tanti valet præjudicata Basnagii authoritas; etenim ex Ambrosio, qui fidem exigit, fidem astruat, cum maxime inverisimile, ac pene incredibile sit clarissimos Eusebii Interpretes Christophorsonum, & Valesium, atque ante ipsos Rufinum, & Musculum, qui idem, etsi non iisdem verbis, eodem tamen sensu habent, universo Eruditorum orbi voluisse illudere, adjiciendo quod non extaret in Græco Eusebii textu.

Qui ob elegantem Eusebii versionem a viris doctis impense laudatur.

Norunt plane docti omnes quam sincera, & ingenua fuerit in vertendo Eusebio Valesii fides, qui variantes ubique Codicum lectiones, & si quid a præfatis Interpretibus male intellectum, demptum, aut additum fuit, candide, & exactissime in annotationibus expressit, atque in hac parte quoad prædicta verba nihil a genuino textu absonum, vel observandum animadvertit. Facessat igitur Basnagius, & gregalibus suis hujusmodi Tellenis cantilenas canat.

Basnagius ex Eusebii contextu convictus.

Demum, ut amplius in hac re veritas elucescat, & dictum Calvinianum Annalistam turpiter in Valesium præcipue, ac priores Eusebii Interpretes excessisse quisque cognoscat, eumdem ex integro ipsius Eusebii contextu, quem ille dolose tacuit, convictum ostendemus. Cæsariensis itaque Ecclesiasticus Scriptor, ut præstitum a fidelibus hujusmodi religiosum cultum venerandæ Christi Domini Imagini æneæ, quam Paneadæ juxta januam domus suæ Hæmorrhoissa Mulier illa Evangelica a sanguinis profluvio per Salvatorem nostrum liberata erigi fecerat, confirmaret, uti dicto lib. 7. cap. 18. ipse narrat, ac eamdem effigiem columnæ lapideæ superpositam se vidisse testatur, statim subdit: *nec vero mirandum est Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse, cum & Apostolorum Petri, & Pauli, Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus; quippe prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se benemeritos gentili quadam consuetudine, tamquam servatores colere hujusmodi honoribus consueverant*. Ita Eusebius, qui ad uberiorem prædictorum confirmationem sic de Jacobi Apostoli throno prosequitur: *sane & Jacobi Cathedram . . . . ad nostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia, satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur*. Hæc ex Valesii versione, cui iisdem pene verbis succinunt alii Interpretes Rufinus, Musculus, & Christophorsonus.

An non ex hac ultima periodo, quam

omisit

Quo clarissime exprimitur veteres Christianos jam inde ab Apostolorum temporibus sacras Martyrum reliquias coluisse.

omisit Basnagius, clarissime exprimitur veteres Christianos *jam inde a majoribus*, idest ab Apostolorum temporibus pie, devote, ac religioso cultu, summaque reverentia Sanctorum Reliquias prosecutos fuisse? Qua fronte ergo id negare audet Flottemanvillæus Scriptor, inquiens: *quasi jam floruisset cultus Reliquiarum*? Nunquid non is jam seculo ineunte secundo viguit, cum S. Ignatii Episc. & Mart. reliquias, *sicut thesaurum inappretiabilem in capsa* repositas ejus discipuli Roma Antiochiam reportarunt? ut ex ejus Actis sinceris apud Ruinartium ex editione Usserii num. 7., & Christiani Corpus B. Polycarpi item Episc. & Mart., ejus scilicet ossa *gemmis pretiosissimis chariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat*, condiderunt, uti legitur in Smyrnæorum Epistola encyclica ad Ecclesias Ponti de S. Polycarpi martyrio, quam recitat dictus Eusebius Hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. ex Valesii versione, & edit. Parisiensi pag. 135. nec de ea dubitat, aut refragatur Guillelmus Cave, qui eadem ex Eusebio recitat Hist. Litt. Script. Eccl. pag. 28. qui tamen & ipsa in pravum sensum detorquens, in indice rerum ad calcem posito, cum Basnagio aliisque gregalibus suis temere ait: *Reliquiæ Sanctorum ab antiquis Christianis non cultæ*. Verum & is cum illis vapulabit. Et sane quod non alio, quam ex religiosi cultus fine id egerint Smyrnenses, ibidem statim indicant his verbis: *quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus Natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos*: paulo ante referunt iidem Smyrnenses, quod *multi essent, qui Sanctis ejus optarent communicare cineribus*.

Idque ubertim comprobatur ex cultu Reliquiarum S. Ignatii Episc. & Mart.

S. Polycarpi item Episc. & Mart.

Hos profecto Sanctos cineres non dixissent Christiani illi in Sanctum Martyrem devoti, ac ipsius reliquiis communicare velle, si nullo religioso, ac sacro cultu easdem dignas esse existimassent. Quod & antea observatum legimus in dictis S. Ignatii Actis num. 8. ubi hæc habentur: *Manifestavimus vobis diem, & tempus, ut secundum tempus martyrii congregati communicemus Athletæ &c. glorificantes in ipsius venerabili, & sancta memoria Dominum nostrum Jesum Christum*. Audiant, & intelligant hujusmodi veterum traditionem Basnagius, aliique Sectarii: quomodo *ipsius venerabilis, & sancta memoria*, si, (ut ajunt) ipse venerabilis, & sanctus non esset? si venerabilis, & sanctus, utique veneratione, & cultu dignus habendus erit; nos ergo cum Propheta laudamus Dominum in Sanctis ejus, quia mirabilis Deus in Sanctis suis. *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum*, ait Hieronymus Epist. ad Riparium, & Ambrosius Serm. in Festo SS. Nazarii, & Celsi MM. *Honoro*, inquit, *in carne Martyris susceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro memoriam virtutis, quæ nunquam desinet. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi ingerit Deum amare, & mortem pro Christo non timere. Cuncti quidem Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum Reliquias possidemus; illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione*. Hæc ex veterum constanti traditione maximi Ecclesiæ Doctores, quibus & reliqui prisci consonant Patres, quos qui non audit, Christum non audit, & qui eos spernit, eumdem spernit, quemadmodum os Domini locutum est de discipulis suis Lucæ cap. 10. Illos itaque audiant errantes populi, ne amplius Christum spernant in Sanctis suis. In Smyrnensium porro Epistolam, & ad hunc locum lege laudati Valesii notas pag. 72. in fine, ubi pluribus eadem confirmat: quare constat inde jam ab initio fidei non modo floruisse sacrarum Reliquiarum cultum, verum & exemplo *ad posteros erudiendos* expresse firmatum.

In prædictorum confirmationem præstat exscribere, quæ ad hanc Smyrnæorum Epistolam docte observat clar. Abbas Dom. Franc. Bencinus Differt. 2. de Litteris Encyclicis pag. 81. „ Alterum dogma, inquit, de veneratione, cultuque Sanctorum in eadem Encylica insigniter exprimunt Smyrnenses. „ Scribunt enim, Christianos omnes sollicitos fuisse de Polycarpi reliquiis, atque ea „ id quidem mente, *ut Fideles communicarent sancto cadaveri*. Quibus duo itidem docemur. I. Cadaver sanctum vocari, proindeque dignum veneratione, non secus, „ ac vasa sancta dicebantur, seu, cum honore habenda. II. Expetitas ejusdem Reliquias a Fidelibus, ut illi communicarent, seu cultu religioso prosequerentur. „ Phraseologia hæc erat seculi illius. Namque in Actis martyrii S. Ignatii legimus sub „ finem Ecclesiam multis visionibus certiorem factam de recepta a S. Martyre beatæ vitæ retributione, additurque: *Sanctum* „ *Beatum diximus, vobisque diem, & tempus* „ *indicavimus, ut tempore ejus martyrii convenientes, Athletæ, & generoso Christi Martyri communicemus*. Sed ut dogmatis hujusce documenta luculentiora ex hac Encyclica depromamus, juvat ad Paganorum, „ Judæorumque calumnias, & consilia animum „ intendisse. Si scilicet non ignari, quanta veneratione Christiani ad religiosam hanc „ communionem participandam eos prosequerentur, qui consummato martyrio gloriosam mortem oppetierant, sollicite curarunt, ne Beati senis Polycarpi cineres re- „ colligerent, invidiam ex eo creantes, quod „ illum, ceu Deum, essent adoraturi. Qua „ de re scribunt Smyrnenses Clerici: *Quidam igitur suggesserunt Nicetæ Herodis Patri, Fratri autem Dalies, ut Proconsulem adiret, moneretque, ne cadaver illius donaret; ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo,* „ *hunc deinceps Christiani colere inciperent*. Et „ *isti quidem hæc dicebant, suggerentibus, atque instantibus Judæis, qui etiam nostros sollicite observaverunt, cum e rogo corpus auferre tentarent*. Quorsum autem ea Fidelium „ sollicitudo in reliquiis exquirendis, quorsum & Judæorum calumniæ, nisi commune dogma inter Fideles fuisset, Martyrum corpora sancta esse, atque adeo veneranda? Sed calumniam quidem refellunt

„ Clerici,

„ Clerici, & quo cultus genere a Fidelibus
„ reliquiæ honorarentur, aperiunt. *Stulti, qui*
„ *ignorant, nos nec Christum unquam posse relin-*
„ *quere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere*
„ *humano salvi futuri sunt, mortem pertulit, nec*
„ *alium quemquam colere; illum enim utpote*
„ *Filium Dei adoramus; Martyres vero tan-*
„ *quam Discipulos, & imitatores Domini, me-*
„ *rito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum*
„ *benevolentiam, quam erga Regem, ac Ma-*
„ *gistrum suum declararunt. Quorum nos quo-*
„ *que consortes, & condiscipulos fieri, omnibus*
„ *modis optamus*. Adorationem itaque Christo
„ debitam adstruunt, quia est Deus homo;
„ unde Divini verbi consubstantialitas sequi-
„ tur: amorem vero, seu honorem religio-
„ sum Martyribus docent attribui, ob ratio-
„ nem quandam naturæ limites supergredien-
„ tem, seu ob eximiam erga Christum cha-
„ ritatem, quam in subeundo martyrio ex-
„ hibuerant. Sed dilucidius etiam mentem
„ suam aperiunt Smyrnenses, dum subjiciunt:
„ *Atque ita demum ossa illius gemmis pretio-*
„ *sissimis cariora, & quovis auro puriora col-*
„ *ligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam*
„ *in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus*
„ *concedat Deus Natalem ejus Martyrii diem*
„ *cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in*
„ *memoriam eorum, qui glorioso certamine per-*
„ *functi sunt, tum ad posteros ejusmodi exem-*
„ *plo erudiendos, & confirmandos*. Gemina
„ sunt iis, quæ in Actis S. Ignatii prope
„ finem leguntur. *Solæ enim duriores Sancta-*
„ *rum ejus Reliquiarum partes relictæ sunt,*
„ *quæ Antiochiam delatæ sunt, & in sudario*
„ *depositæ, thesaurus sane inæstimabilis, ob*
„ *Martyris gratiam Ecclesiæ relictus*. Poly-
„ carpi cineres gemmis a Smyrnensi Eccle-
„ sia comparantur: Ignatii vero ossa in En-
„ cyclica de illius martyrio thesaurus inæsti-
„ mabilis nuncupantur. Doctrina interim hæc
„ de cultu Sanctorum sedulo est animadver-
„ tenda, cum & hinc Carolinorum libro-
„ rum sententiam assequi valeamus, dum ne-
„ gant, vel Imagines, vel Sanctos esse adoran-
„ dos, sed ex motivo supernaturali, religio-
„ so dumtaxat cultu prosequendos. Unde
„ Gallicanorum Antistitum de eo dogmate
„ fides vendicatur, quam vel malæ caussæ
„ astu, vel inscitia proscindunt passim He-
„ terodoxi.

Ex Actis S. Symphorosæ, & filiorum.

Sed & eodem secundo seculo anno circ. 120. Sanctorum Martyrum reliquias magna in reverentia habitas testantur acta S. Symphorosæ, & filiorum MM. num. 4. apud memoratum Ruinartium pag. 19. his verbis: *Post hæc quievit persecutio anno uno, & mensibus sex, in quo spatio omnium Martyrum honorata sunt sancta corpora, & constructis tumulis condita cum omni diligentia*, notentur hæc verba: *Sancta corpora*: si sancta, ergo veneranda. Idem etiam, atque expressius legitur in Actis SS. Mart. Epipodii, & Alexandri, qui circa finem dicti seculi passi sunt, anno videlicet 178. apud eumdem pag. 67., ubi descripto loco, in quo SS. Martyrum corpora honorifice condita fuere, hæc leguntur: *Quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt, quia Gentilium furor extremam denegans sepulturam, etiam in corpora exanimata sæviebat; postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit, & prodidit reverentia deducta per posteros, & virtutes plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt*; & deinde nonnulla ibidem subduntur, quoad miracula Sanctorum Martyrum intercessione patrata his verbis: *sed & postea in locis illis mirabilia ista monstrantur, ejectio Dæmonum, debilitatum curatio, restauratio sanitatum, quæ ita pene quotidiana, & iis majora proveniunt, ut credulitas, etiamsi spontanea non fuerit, existentibus miraculis exigatur*. Quid porro hæc omnia portendunt, nisi sacrum reliquiarum cultum Deo in honorem Christi Martyrum a piis fidelibus præstitum?

Itidem ex Actis SS. Mart. Epipodii, & Alexandri.

Ne autem in re satis per se notissima latius circa sequiora secula divagemur, Martyrum priorum, adolescentis scilicet Ecclesiæ, & Apostolicorum Patrum ævo coronatorum corpora a Gentilibus igni tradita, combusta, atque in cineres redacta in fluvium cum reliquo terræ pulvere admixta projecta fuisse, *ne ullæ deinceps eorum Reliquiæ in terris superessent*, quæ fidelium venerationi haberentur, expresse indicant Ecclesiæ Viennensis, & Lugdunensis in Epistola Encyclica ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ de martyrio SS. Pothini Episcopi, & plurium sociorum Mart. quam ex Eusebii Hist. Eccl. lib. 5. cap. 1., & seqq. recitat idem Ruinartius loco citato pag. 56. num. 15., & 16. ubi etiam piissimi illi, atque erga Martyres religiosissimi Christifideles sic propterea de iisdem Ethnicis, & persecutoribus conquerebantur dicentes: *nos vero gravissimo interim dolore premebamur, quod humare cadavera nobis non liceret, nam neque noctis tenebræ nos juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum commovere potuerunt; sed omni studio, atque industria cadavera custodiebant, quasi ingens lucrum facturi, si sepultura caruissent*. Quod & passim in aliis SS. Martyrum Actis legitur. Ut quid autem ista, quidve indicant? Eccur tanta veterum Christianorum anxietas, & sollicitudo in sepeliendis Martyrum cadaveribus, nisi crederent, uti pie, & ex fidei dogmate credebant, sacras eorum exuvias condigno religioso cultu honorandas esse? alias siquidem parum, aut nihil interesse poterat, quod ipsis sepeliri vetita Christi Confessorum cadavera ab Ethnicis, & profanis humarentur, necne, si nulla veneratione, & obsequio prosequendas dictorum fidei Christianæ pugilum reliquias adjudicarent.

Ex Epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis de Martyrio SS. Pothini Epis. & plurium Martyrum.

Eam profecto fuisse, & avitam ab ipso Ecclesiæ exordio priscorum Fidelium erga Christi Martyres religionem, pietatem, ac reverentiam, ut ipsos quantum liceret, venerarentur, & colerent, ne dicta omnia Sanctorum Acta percurram, satis superque ad Basnagii, aliorumque Hagiomachorum nostri temporis duritiem emolliendam, vel iidem Gentiles evidenter ostendant. Ad id probandum, præ multis, quæ possem, invictum seligo argumentum ex Actis S. Symphoriani Mart. Augustodunensis, qui secundo exeunte seculo circa an. 180. passus est. In his num. 8. ibidem apud præfatum Ruinartium pag. 72., ita legitur: *Sic Martyr delatus ad fontem . . . . & ibi in parva cellula sepultus,*

Vel ipsi Gentiles testantur pium Sacris Martyrum exuviis præstitum cultum a priscis Fidelibus fuisse.

ſemper tamen virtutibus ſe publicavit, ita ut ipſis Gentilibus ob miracula, & ſanitatum beneficia ſtupentibus, in maximo honore ea tempeſtate haberetur: notentur hæc ultima verba, & neget, ſi jure poteſt, Hollandus Calvini aſſecla jam a primis ſeculis floruiſſe Reliquiarum cultum; Acta porro S. Symphoriani Mart. antiquiſſima ſunt, & in pluribus Codicibus MSS. reperiuntur, ut Ruinartius obſervavit, quare de eorum veritate dubitandi locus non eſt. Huic item & alterum ex abundantia ſubdam exemplum. Deſcribens Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 2., & ſeqq. præ omnibus acerbiſſimam Chriſtianorum perſecutionem ab impiis Principibus Diocletiano, & Maximiano excitatam, inter cætera cap. 6. de Martyribus quamplurimis Nicomediæ paſſis loquens, hæc de eorum cultu, Sacriſque ipſorum Reliquiis a Fidelibus præſtito habet: *Sed & corpora Regiorum Cubiculariorum, quæ poſt mortem convenienti tradita fuerant ſepulturæ* (utique a Chriſtianis; Ethnici enim non curabant ipſa convenienter ſepeliri, qui ea potius canibus, feriſque diſcerpenda relinquebant) *ipſi eorum legitimi Domini erui ex ſepulchro, & in mare projici oportere cenſuerunt, ne quis illos ſepulchris conditos pro Diis, ut ipſi quidem opinabantur, reputans in poſterum adoraret*.

In ea quippe opinione erant, quod Sanctos Chriſti Confeſſores tamquam Deos Chriſtiani colerent, & adorarent.

Non abſimilia leguntur de hujuſmodi Paganorum opinione quoad Chriſtianorum in Martyres eximiam devotionem in ſupra laudata Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſtola de martyrio S. Polycarpi ejus Epiſc., & Sociorum Mart. apud dictum Ruinartium pag. 33. num. 14. ex Uſſerii Armachani lectione, ubi narratur, quod *diabolus juſtorum ſemper inimicus ſummiſit quemdam interpellare Rectorem, ut Reliquiæ ejus negarentur omnibus Chriſtianis, adſerens, quod relictis omnibus, huic fundenda eſſet oratio ſingulorum*. Euſebius ex Valeſii interpretatione ſic exprimit: *ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent*. Putabant itaque Gentiles, ut ex adductis perſpicue patet, eiſque hæc firma inſederat perſuaſio, quod Chriſtiani Sanctos Martyres ſepulchris conditos pro Diis adorarent, idque profecto non alia ratione, niſi quia eum viderent tantam eſſe ipſorum religionem, ac pietatem erga Chriſti Confeſſores, tantamque circa eos, eorumque reliquias magna, qua poterant, convenienti veneratione, & reverentia proſequendas ſollicitudinem, atque diligentiam impendi, adeo ut vel ipſo fatente Eunapio Sardiano Sophiſta Ethnico ejuſdem quarti ſeculi, ac Euſebius, Scriptore, Chriſtianorum hoſte infenſiſſimo in vita Edeſii Philoſophi, iidem pii Fideles Chriſti Martyres, ut Sanctos venerantes, ipſis genua flecterent, ſe illorum ſepulchris proſternerent, legatoſque precum apud Deum habere dicerent.

Quod & confirmat Eunapius Sardianus Ethnicus Scriptor Chriſtianis infenſiſſimus.

Hinc externa hujuſmodi honoris ſpecie permoti Gentiles erronee credebant, falſoque exiſtimabant, quod a piis illis noſtris majoribus, & Catholicæ fidei magiſtris Divinus deferretur Sanctis Chriſti Martyribus cultus, *ſtulti* tamen, *& ignorantes* (ut in Actis S. Polycarpi recte Smyrnenſis Eccleſiæ Presbyteri, & Clerici ſcribunt) *quia nunquam Chriſtum relinquere poſſumus Chriſtiani, qui pro peccatis pati tanta dignatus eſt, neque alteri cuiquam precem orationis impendere*, vel ut apud Euſebium legitur: *nec alium quemquam colere*, (pari ſcilicet, ac eodem latriæ cultu, quod ſubſequentia verba declarant) *Illum enim, utpote Dei Filium adoramus, & colimus, ejus vero Martyres tamquam diſcipulos, & imitatores Domini merito amore proſequimur, honorifice, ac libenter amplexamur ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem, & Magiſtrum ſuum declararunt; quorum nos quoque conſortes, ac condiſcipulos fieri modis omnibus optamus*.

Et quidem latriæ adoratione Deum ſolum, Sanctos vero duliæ veneratione colebant priſci Fideles.

In eundem ſenſum, iiſdemque pene verbis collimant Sancti Patres. Ex his Hieronymus adv. Vigilantium cap. 4. *Quis enim*, inquit, *o inſanum caput, Martyres adoravit?* (Adoratione ſcilicet Dei, ut ſtatim explicat) *Quis hominem putavit Deum?* Et Epiſt. 53. ad Riparium Presbyt. idem ferme repetens rationem ſubdit: *ne ſerviamus creaturæ potius, quam Creatori. Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit*. Hinc S. Auguſtinus Serm. 318. de S. Stephano Protomart. ſcribens more ſuo diſertiſſime ait: *Non aram facimus Stephano, ſed de Reliquiis Stephani aram Deo*. Similia pariter habent S. Ambroſius Epiſt. 22. ad Marcellinam Sororem de Reliquiis SS. Mart. Gervaſii, & Protaſii, a ſe inventis, quorum translationi, & miraculis in eadem patratis ſe interveniſſe, & vidiſſe teſtatur idem S. Auguſtinus Conf. lib. 9. cap. 7. Item Ambroſius ſerm. 93. de SS. Nazario, & Celſo, ac Libro de Exhort. Virg. cap. 2., ubi de Reliquiis S. Agricolæ Mart., & alibi. Iterum Auguſtinus eadem pleriſque in locis confirmat lib. 22. de Civit. Dei cap. 8., & Serm. 92. de diverſis, ubi de reliquiis S. Stephani Protomart. de quibus, ac de cultu Sanctorum Reliquiis deferendo ita Epiſt. 103. ſcribit: *Portant ſane Reliquias Beatiſſimi, & glorioſiſſimi Mart. Stephani, quas non ignorat Sanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis*. Demum lib. 20. de Civit. Dei cap. 21. objicienti Fauſto Manichæo, quod Chriſtiani idola vertiſſent in Martyres, reſpondit a Chriſtianis coli Martyres, ſed non latriæ cultu, qui ſoli Deo debetur: *Illo cultu*, inquit, *qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriæ Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, &c.* quam ſervitutis honorariæ ſpeciem Duliam Catholici appellamus; ac de eadem præter D. Thomam 2. 2. quæſt. 103. Art. 4. videndus Dionyſ. Petavius Theolog. Dogm. Tom. 3. lib. 15. cap. 2.

Et in hunc eundem ſenſum Sancti Patres conveniunt.

Cumque S. Thoma Aqu. omnes Theologi.

Hiſce propterea conſpicuis, ac primævæ antiquitatis teſtibus, quibus refragari piaculum, & nolle acquieſcere ut peccatum hariolandi eſt, cum illis nemo ex Eruditis quidquam opponat, utpote quod primorum Martyrum

tyrum

tyrum Acta sincera, & selecta sint, judicet quisque cordatus homo, & qui abderitica mente non ita captus sit, ut in luce meridiana cæcutiat, an ante Eusebium, ipsiusque ævo floruisset, necne, uti Basnagius, aliique Sectarii falso pretendunt: non floruisse scilicet Sanctorum, sacrarumque eorum reliquiarum cultum, id quod pervicaciter ajunt, atque irrito nisu comminiscuntur. Profecto velint nolint, negare umquam poterunt, nisi omnem prorsus priscis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis fidem adimant, a primis Ecclesiæ seculis Ethnicos homines in eo vim omnem suam posuisse ut Christianam religionem perderent, ac memoriam eorum, qui pro ejus defensione sanguinem suum fuderant, exterminarent; Quot namque inhumanis artibus usi sunt ut nullum, vel minimum sacrorum illorum corporum relinquerent? Ea projecerunt voranda bestiis, avibus, & piscibus, atque igne absumenda ossa, quæ belluarum edacitatem evaserant, cineres demum in mare & flumina projecerunt, & vento dispersorunt; eoque immanitatis suæ rabiem adduxerunt, ut sacra Martyrum ossa cum bestiarum, atque iniquorum hominum ossibus miscerent, ne possent utcumque dignosci, quæ feralis Paganorum sævities adeo eorum corda obduraverat, ut inexorabiles, neque precibus, neque promissis, neque pecunia, aut muneribus flecti ullo modo a Christifidelibus possent ad sibi Martyrum cadavera concedenda, ut eadem ab ipsis condigno honore sepelirentur, quemadmodum supra indicatum est, & præ cæteris gnaviter exprimit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. in Julianum Apostatam Imp. Undenam vero hæc ultra omnem captum insita hominibus tam dira crudelitas, Stygia, quin & omnibus pejor, ac cunctis retro seculis inaudita barbaries? qua de causa, quo fine isthæc Gentilium in SS. Christi Confessorum corpora insatiabilis feritas? *ut eo honore, qui hujusmodi hominibus debetur, ipsos privarent*, inquit mox laudatus Nazianzenus: *Ne quid ad memoriam qualemcumque relinqueretur, ne ullæ deinceps eorum Reliquiæ in terris superessent*, quæ fidelium venerationi haberentur, ut ait Eusebius Hist. Eccl. lib. 5. cap. 1., & lib. 8. cap. 6. Plena sunt apud dictum Eusebium, & alibi Martyrum Acta, cæteræque Historiæ Ecclesiasticæ ejusmodi Contestationibus persecutorum, quibus isti se ideo Christianorum corpora flammis, aut fluctibus, ac bestiis devoranda tradere significabant, ne reliqui fideles illa consueto more venerarentur. Hæccine indicia sunt, quod nondum floruerit sacer reliquiarum cultus, uti Basnagius effutit?

Hinc refelluntur Sectarii ex ipsa Gentilium valore, quo toto nisu perdere omnium Sanctorum Martyrum memoriam tentabant.

Notissimum insuper est, & negare haud item poterunt Protestantes, multoque minus, si eruditi sunt, quanta aviditate primævi Christifideles Sanctorum Confessorum reliquias concupiscerent, ut neque studiis, neque impensis ullis parcerent, aut laboribus in illis undequaque perquirendis; & si eas adipisci non poterant, plures vias, & media ipsis ardens pietas sternebat, ut desiderio suo facerent satis, & saltem ea consequi toto nisu curabant, quæ sacra ipsorum ossa tetigerant, si illorum partem obtinere non valuissent. Ea de causa quot ex devotis Christianis in mortis usque discrimine constituti fuere? Vix Sancti Juvencus, & Maximus, seu, ut alii legunt, Juventinus, & Maximinus, pro Christi fide illustre martyrium subiere, cum, inquit, S. Joannes Chrysostomus hom. de dictis Sanctis, nonnulli strenui fideles eos inde cum vitæ periculo sustulerunt, ut ipsos condigno honore sepeliendos curarent; quapropter illos magnus Doctor *Martyres vivos* vocat; qui licet martyrio non semper afficerentur, id tamen sæpius in religiosæ charitatis suæ præmium assequebantur; quod plerisque contigisse testantur S. Gaudentius Brixiensis Episc. Orat. de 40. MM. Martyrologium Rom. die 3. Januarii, & 15. Martii: item Surius 8. & 12. Septembris, ac 2. Novembris. Inter cætera insigne hac de re exemplum habemus in S. Bonifacio M. qui cum se ad conquirenda, & sepelienda Martyrum corpora Tarsum contulisset, ibi propterea martyrii corona donatum socii *quingentis solidis ejus corpus redemerunt, & unguentis conditum, linteisque involutum Romam portandum curarunt* Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus; quod cum Aglae Matrona Romana cognovisset, prodiens obviam Sancto Corpori Ecclesiam ejus nomine ædificavit, in qua idem Sacrum Corpus sepultum est. Hæc ex ejus Actis sinceris, & selectis apud laudatum Ruinartium, aliosque.

Ex summa contra aviditate, qua prisci Fideles SS. Martyr. exuvias, aut memorias possidere utcumque volebant.

Vides hic summum priscorum Christifidelium studium erga Sanctos Martyres, eorumque sacra pignora, ac reliquias, quo in ipsis gloriosis Divinæ fidei Testibus, & invictis orthodoxæ veritatis Athletis, & in perpetuam illorum memoriam Deo Opt. Max. magnifica Templa, Ædes, & Basilicas, in quibus il religiose custodirentur, ædificarent, in eorum honorem altaria erigerent, superba extollerent mausolæa, quæ loca pretiosis ditarent ornamentis, sive pro divinis celebrandis mysteriis, sive pro ipsorum sepulcris, arcis, vel thecis illustrandis. Quod utique tam insignis, ac solidæ pietatis meditamentum animis cœlesti spiritu imbutis insitum, nisi trunci, aut stipites sint, qui contra sentiunt, non aliter quam ex antiquissima Apostolica traditione proficisci, qua dicti prisci Fideles juste, & pie credebant Sanctos hujusmodi Christi Confessores condigno honore, ac religioso cultu devote afficiendos esse, profecto fatendum est. Nihil hic dico de diuturnis, & laboriosis peregrinationibus, de supplicationibus etiam publicis, de cœtibus, ac collectis, quas Christiani faciebant, ut Sanctorum reliquias, & loca, in quibus asservabantur, venerarentur, & colerent. Quæ omnia satis superque constant ex dictis authenticis veterum Scriptorum, & Ecclesiasticæ Historiæ monumentis; atque hujus sacri cultus reliquiis Sanctorum præstiti antiquitatem luculenter ostendunt.

Hinc in honorem SS Christi Conf. erecta Templa, Ædes, Altaria &c.

Neque tantum integro alicujus Sancti Martyris corpori, sed & cuique etiam ipsius particulæ idem olim delatus venerationis honor fuit; atque ut cætera taceam, de quibus videri potest clar. Honoratus a S. Maria Animadv. in Reg. & usum Critices lib. 5.

Neque tantum integro Corpori, sed & cuique ejus particulæ idem cultus delatus.

Differt. 6. præcipue art. 5. Tom. 3. edit. Ven. pag. 292. ubi plura in hanc rem eruditissime profert, unum, aut alterum pro nobis exemplum seligo, quod vel ipse recitat Guillelmus Cave Hist. Litter. Script. Eccles. noviss. edit. pag. 257. „ Evodius, inquit, Uzalensis in Africa Episc. S. Augustini necessarius ab Orosio reliquias aliquot S. Stephani e Palæstina in Africam deportante portiunculam nactus Basilicam in S. Martyris memoriam erexit, & postquam plurima ibi miracula patrata deprehendisset, eorum Historiam litteris, uti credi potest, mandari curavit. Extant sane in editione Operum S. Augustini Antuerpiensi 1577. atque aliis nonnullis libri duo de Miraculis S. Stephani &c. „ Hæc vel invitus Calvinista Scriptor, qui ex Historiæ veritate *Basilicam in S. Martyris memoriam* erectam fuisse fateri cogitur. Ut quid hæc Basilica in memoriam Martyris constructa, nisi ut in Sancto suo, qui ibi honoratur, adoretur, & glorificetur Deus, qui dedit ei gratiam, ut vinceret, ac corona gloriæ donavit illum? Non ergo dicant Sectarii Sanctorum reliquias antiquitus cultas non fuisse, si Basilicas in eorum honorem erectas negare non possunt. Sed & antea idem Caveus ibidem in S. Polycarpo Episc. & Martyre ex Smyrnensis Ecclesiæ litteris Encyclicis, de quibus supra, hæc item habet: „ Ossa Martyris semiambusta *gemmis pretiosissimis* (ut ipsorum verbis utar) *cariora*, *& quovis auro puriora* collegerunt Christiani, & sepulchro honorifice intulerunt, Passionis illius memoriam celebrato quotannis die festo recolentes „. Hactenus ille, qui nihilominus asserere audet Sanctorum reliquias ab antiquis Christianis cultas non fuisse; sed infra ejus fallax, temeraria, mendax confringetur audacia.

Ipsa quoque instrumenta martyrii, & quæ Sanctos tetigerant, similis in veneratione habita.

Porro de miraculis reliquiarum S. Stephani item S. Augustinus nonnulla refert lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. circa med. Ipsa etiam instrumenta martyrii, aut quæ viventes Sanctos, vel eorum cineres contigerunt, non absimili in veneratione habita olim fuisse, ac corporis particulas, & integrum corpus, laudatus Gregorius Nazianzenus loco citato, & Jamb. 18. affirmat, videlicet, *quampiam particulam, aut paululum comæ, vestisve, aut sparsi sanguinis notas cultum habere parem, atque integrum corpus*, & communem esse Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum opinionem pluribus ipsorum testimoniis diserte ostendit dictus illustris Criticus Honoratus a S. Maria loco citato pag. 300. Illud pro omnibus sit, quod non facile omnibus occurret, atque Spondanus refert ad an. 34. n. 90. ubi loquens de eodem S. Stephano Protomart. *Unum*, ait, *ex lapidibus, quo percussus est, a Christiano quodam collectum, & postmodum Anconam Italiæ Civitatem translatum fuisse, ibique ea de causa in honorem Protomartyris constructam Ecclesiam, in qua plurima peragi miracula consuescerent, præter antiqua Martyrologia, testis est irrefragabilis Sanctus Augustinus Serm. 31. & 32. de diversis.* Innumera propemodum sunt quæ apud Patres, veteres Ecclesiasticos Scriptores, priscosque Historicos fide dignos, atque in probatis Sanctorum Martyrum Actis, sacrisque antiquis Ecclesiarum Orbis tabulariis de hujusmodi religioso Sanctorum reliquiis delato cultu scripta leguntur, adeo ut negare, quod ab initio, quod semper, & ubique, quod ab omnibus uniformiter, ac simili devotionis, & pietatis sensu observatum conspicitur, ex ejusdem Augustini Sententia Lib. de Bapt. contra Donatistas nonnisi *insolentissimæ insaniæ est*, quod & idem confirmat Epist. 54. seu 118. vet. edit. ad Januarium.

Quæ omnia, & singula semper ab antiquo observata non aliunde, quam ex tradita ab Apostolis hujus religiosi cultus fide derivant.

Hæc autem singula in omnibus, & per omnia a piis Christifidelibus ab initio, & nunc erga Sanctos, sacras eorum exuvias, aliaque ad ipsos, & ipsorum memoriam spectantia constanter in Ecclesiis observata fuisse, ac proinde juxta notissimam Tertulliani regulam lib. 4. adv. Marcionem cap. 5. id sacri obsequii in Sanctorum reliquias esse *ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*, quis, nisi insanus, negabit? cum idem sacrosancte observatum apud Antiochenam Ecclesiam a B. Petro, Apostolorum Principe fundatam viderimus, quoad reliquias S. Ignatii Episc. & Mart. *sicut thesaurum inappretiabilem in capsa repositas*, & Roma Antiochiam translatas, apud Apostolicas item Ecclesias Hierosolymitanam, & Alexandrinam, quoad Cathedras respective SS. Jacobi Apostoli, & Marci Evangelistæ in summa veneratione habitas, ac circa alias Sanctorum exuvias sacro semper honore a Christifidelibus affectas ex primæva Ecclesiæ traditione fuisse plene, & evidenter ex hucusque dictis probatum sit; utque abundantius hæc Catholica veritas roboretur, confirmeturque, ac Basnagii utriusque, Jacobi scilicet, & Samuelis, qui passim in Historiis suis sacrum hunc Reliquiarum cultum cum cæteris Lutheri, & Calvini asseclis, Riveto præcipue, ac Dallæo &c. nobis impie sugillant, & exprobrant, malesuada eruditio tandem verum sapiat, lubeat hic iterum Eusebium adferre, cujus integrum contextum Basnagius, ut supra, siluit. Cæsariensis itaque, & insignis Historicus hæc de Episcopali Jacobi Apostoli throno habet, *Jacobi Cathedram ad nostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia, satis perspicue declarantes qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur.*

Iterum Basnagius quoad sacrum reliquiarum cultum confutatur.

Vides hic, & dubitari non poterit, *jam inde a majoribus* floruisse Eusebii tempore sacrarum Reliquiarum cultum, id satis *perspicue declarantibus tum antiquioribus, tum illius temporis*, quarti scilicet seculi ineuntis, *Christianis* nedum in Ecclesia Hierosolymitana, verum & in aliis *viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore veneratos fuisse, & hactenus venerari*. Hæc ex Valesii versione Eusebius, cui interpreti succinunt alii duo anteriores Musculus, & Christophorsonus. Sed forte adhuc dicet Basnagius: in Græcis nil verborum est, quibus ea significentur: *magna prosequuntur reverentia*. At his, quæ succedunt, verba id clarissime indicant;

dicant; nec aliud profecto significare ullatenus videntur, eodemque pariter sensu concinunt memorati Interpretes. An iterum asseret Valesio ad miraculum docto sinistram hac in parte, ut ait, Eusebii versionem condonari non posse? at illum, ut vidimus, manifeste arguit malitia sua, & aversio sua increpat eum; neque enim hujusmodi virum sic ab ipso laudatum sapiens quispiam sibi facile persuadebit ex hac in ipsum Basnagii calumniosa contestatione nobis mendacia pro veris venditasse, quandoquidem nota admodum est præ Basnagio sanior, & sincerior Valesii fides; atque huc sistimus quoad ipsius vindicias.

Atque item cum ipso Guillelmo Cave. Ad malignam vero Guillelmi Cave dicacitatem refrænandam, qua Smyrnensis Ecclesiæ verbis, ut supra, abutens, quibus illius Seniores ajunt: *nos nec posse umquam Christum relinquere, nec alium quemquam colere*, non attendens cum Basnagio, & uti hæreticos assolet, ad mox subsequentia verba, quæ præcedentium sensum exprimunt, & ipse etiam mutila refert, idem in Indice rerum ad calcem posito statim quasi ex tripode sic pronunciat: *Reliquiæ Sanctorum ab antiquis Christianis non cultæ*. Quomodo autem non cultæ, *Si eas sepulchro honorifice intulerunt Christiani Passionis memoriam quotannis die festo recolentes*? Quomodo non cultæ, cum statim quo cultu easdem venerati fuerint, dicti Smyrnenses exprimant? *Illum enim* (Christum) ajunt, *utpote Dei Filium adoramus, & colimus, ejus vero Martyres tamquam discipulos, & imitatores Domini merito amore prosequimur, honorifice, ac libenter amplexamur* (hæc tria ultima verba, quibus ex merito amore interno honorariæ venerationis externæ cultus, quem Sanctis illi, & nos cum ipsis exhibemus, exprimitur, malitiose o[illegible] Caveus) *ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem, & Magistrum suum declararunt*: hucusque Caveus, qui etiam sequentia siluit Calvinianus Scriptor, videlicet: *quorum nos quoque consortes, ac condiscipulos fieri modis omnibus optamus*: annon hæc omnia significant religiosum Duliæ cultum ab antiquis Christianis Martyribus præstitum, & quidem ab excellentiori Latriæ cultu soli Deo tributo valde diversum? Annon aliquam, & debitam devotæ venerationis exhibitionem, quemadmodum & nos ex antiqua traditione, prisci illi Fideles Christi Martyribus, & Sanctis Dei Confessoribus, ut ab Apostolis, eorumque discipulis didicerunt, publica contestatione præstabant? Ut quid ergo nos conturbant obloquentes Sectarii, si imitatores Sanctorum, eorumque *nos quoque consortes fieri modis omnibus optamus*?

Nos itaque Ecclesiæ Smyrnensis a Polycarpo Apostolorum discipulo edoctæ exemplo, qui magnus vir, ut de eo inquit Sanctus Irenæus (eidem coævus, ipsiusque discipulus, qui illius acta diligentissime adnotavit) lib. 3. adv. hær. cap. 3. *docuit semper quæ ab Apostolis didicerat ..... qui multo magis auctoritatis, & fidelior veritatis est testis, quam Valentinus, & Marcion, ac reliqui, qui sunt perversæ sententiæ*; idem dico de Luthero, Calvino, aliisque ipsorum asseclis: nos inquam; cum Ecclesia Catholica ex ejus Doctore Augustino supra laudato, *illo cultu, qui græce latria dicitur, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus; nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum; colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei*. Hinc & ibidem ait: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem; & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur*. Quod & affirmant memorati Patres Ambrosius, Hieronymus, aliique omnes veteres Orthodoxi, recentesque. Hæc illa est communio Sanctorum, quæ ejusdem fidei, religionis, ac pietatis constantem professionem significat, in qua defuncti sunt Sancti, qui nos præcesserunt, ad quam nos adhortatur Apostolus ad Hebræos scribens cap. 13. *Mementote*, inquit, *Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*. Hæc eadem illa est, cujus intuitu, qui Acta S. Ignatii Episc. & Mart. scripserunt, de quibus supra, ita loquuntur: *ut secundum tempus martyrii congregati communicemus Athletæ*: cujus item obtentu ex laudata Smyrnensium Epistola habetur, quod *multi essent, qui sanctis* (B. Polycarpi) *optarent communicare cineribus*; ac propterea nos Christi Martyres *tamquam discipulos, & imitatores Domini merito amore prosequimur, honorifice, ac libenter amplexamur* (eorum scilicet ossa, cineres, reliquias, vestes, ac quæcumque illis spectantia passionis signa, & instrumenta; neque enim ipsos, qui corpore vivi non amplius in terris degunt, sed in æternum victuri nunc spiritu translati in Cœlis regnant cum Deo, amplexari possumus, nisi ex intentione, corde, & affectu) *quorum nos quoque consortes, ac condiscipulos fieri modis omnibus optamus*. *Qui nunquam poterunt Sectarii isti nobis Catholicis exprobrare, quod Sanctorum imitatores fieri modis omnibus optemus.*

His primitivæ Ecclesiæ sensibus, & exemplis, his veterum Christi pugilum votis, & gressibus incedentes nos an forte quis inimicus homo cum Gentilibus, & Ethnicis, tamquam æqualem Deo, ac Martyribus adorationem deferamus, & sic uti Lipsanolatras, seu non aliter ac profanos idolorum adoratores traducat, aut cum Fausto Manichæo quasi idola in Martyres verterimus, nos temere subsannare tentabit? Et quidem non desunt ex Protestantibus, qui hæc, aut similia dicteria nobis, & commenta procudunt, stulti sane, ac tardi corde ad id credendum, etenim sub diversa prorsus ratione Deum, & Sanctos ejus colimus. *Etenim cum priscis illis nascentis Ecclesiæ Christifidelibus Deum solum latriæ cultu, Sanctos vero duliæ veneratione colimus.* At hos malignantes graculos, & iniqua loquentes Scribis illis, & Pharisæis, aliisque similibus Judæorum, qui semper Christi Domini facta, & miracula vel negabant, vel quæ negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborabant, (ut ait Ven. Beda in cap. 11. Lucæ) merito comparantes, vel ut genimina viperarum Eunomii, Vigilantii, aliorumque Hagiomachorum veterum, quos damnavit, & damnat Ecclesia, considerantes, eosdem conticere cogemus ipsis Guillelmi Cave verbis, quibus in Præf. ad Hist. Litter. seu Prolegom. sect. 5. circa fin. §. 6. in Indices

dices Librorum expurgatorios, prudentissime ab Ecclesia Catholica ad errorum omnium proscriptionem indictos hæreticorum more debacchatus, atraque bile furens item in nostrates aliquot eximios viros illorum primarios authores hæc insanus scribit: „ Quid facies huic hominum generi? *quo teneas nodo*? Miseret me plane illorum, qui ea effutire coguntur, non quæ vera sunt, neque „ quæ ipsimet sentiunt, sed quæ pravæ causæ vindicandæ necessitas extorquere solet: „ hæc nimium audax criticus, & rigidus Catholicorum censor, cui hæc eadem sua retorquebimus; at primo pravane causa erit, ut Orthodoxa statuatur fides ex Apostolici Piscatoris solerti industria de Ecclesiæ sagena malos pisces a bonis excludere, Evangelici Patrisfamilias exemplo triticum a zizania discernere, ex boni Pastoris cura, & vigilantia lupos in vestimentis ovium procedentes ab ipsis ovibus segregare? id, quod exeunte seculo quinto fecerat Gelasius Papa I. quidquid in illius Synodi Romanæ hujusmodi Decretum de Libris in Ecclesia recipiendis, & apocryphis oblatret Caveus, qui cum sodalibus suis non alia de causa idem rejicit, nisi quod illud se, & dictos suos valde urgeat, qui traditiones respuunt, & librorum Canonicorum numerum pro libito, ac sectarum suarum commodo mutilent; dictum autem Decretum non esse quid affictum, aut supposititium, uti malesuadus, & præjudicatæ opinionis Calvinista non veretur asserere, ad evidentiam usque luculenter ostendit doctiss. Ant. Pagi in Critica Baronii ad an. 594. aliique ex nostris plures, qui contraria in ipsum omnia argumenta dispellunt.

Quemadmodum ob initio Christianæ fidei usque nunc observatum demonstramus.

Hinc ad rem nostram quoad sacrarum Reliquiarum cultum jam ab Ecclesiæ initio usque nunc observatum, videlicet a Protomart. Stephano, quem *curaverunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum*, idest cum honore sepelierunt, uti Plinius junior loquens de homine, qui a pluribus in honore habeatur, ait, *curatur a multis*, quod & satis ipsa indicant verba sacri textus, non enim viri timorati fecissent planctum magnum super eum, nisi illum existimassent summo post mortem honore digne afficiendum, utpote qui *plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo*; honorantes interim *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices*, ut inquit Ambrosius Serm. 14. de SS. Nazario, & Celso; quem propterea Protomartyrem Paulus Apostolus Christi Domini testem appellat Act. Apost. cap. 22. Quid facies (dicam, & quidem æquiori jure) Quid facies huic hominum generi, Basnagio, Civeo, aliisque hujus infecti furfuris sociis? Ad primitivæ Ecclesiæ Acta, ad audiendam antiquitatem, ad ipsam Ecclesiæ nascentis disciplinam, & fidei Christianæ purioris originem, ad tempora denique Apostolica nos provocant; hæc omnia damus, & quidem ex probatis, selectisque priorum trium seculorum monumentis, ex continuata universali, constantique apud priscos fideles traditione, ut plene, & abunde demonstravimus: credes ne quod tandem credant? utinam (at vereor) Patribus eorum Luthero, & Calvino dissimiles, non semper dura cervice, & incircumcisis cordibus Spiritui Sancto resistant. Cæterum nobis Catholicam veritatem illis ostendisse, & propugnasse sufficiet, ut tandem aliquando cognoscant, quam revera deploranda sit ipsorum cæcitas, dum temere scribunt quidquid in mentem venerit, nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, & cum suos errores in veterum Scriptis damnatos animadvertunt, continuo assuta clamant testimonia, sibique absque ulla probatione credi volunt. Sed satis hucusque pro Sanctorum reliquiis contra ipsos vindicatis volupe detenti, unde digressi sumus, ad Episcopalem scilicet Cathedram describendam redamus.

Nonnulla quo ad Cathedræ Episcopalis situm, ornatum, & figuram referuntur.

(9) *In Clerum dominationem usurpabant*) Licet Præsulum Sedes omnes in superiori, ac medio Basilicarum situ Paschalis I. tempore teste Anastasio in ejus Vita collocarentur, tamen ab aliquo etiam earum latere (ut nostræ habet ætatis usus) nonnullas ante Paschalem collocari plura comprobant antiquitatis exempla, & de illa præcipue Liberianæ Basilicæ ex parte mulierum erectam fuisse notavit Mabillonius in Commentariis ad Ordinem Romanum cap. 3. Illas quoque ornandi, sericisque linteis cooperiendi apud antiquos consuetudo invaluit, ut jam dictum est; quapropter Pacianus in citata Epistola 2. ad Sempronianum: *An Nevatianus*, inquit, *quem absentem Epistola Episcopum finxit, quem consecrante nullo linteata Sedes excepit*. Et Augustinus Epist. 203. manifeste id exprimit Maximino Donatistarum Episcopo ita scribens: *in futuro Christi judicio*, inquit, *nec absides gradatæ, nec Cathedræ velatæ, nec &c.* atque in idem respexit Athanasius apologia 2. ad Constantium, ubi interrogat, *quare, qui Throni Episcopali more ornati vicem lamentantur, Episcopum in illo sedentem interficere conantur?* Cæterum Sedes Episcopales quandoque olim ligneas, & simplices fuisse colligitur ex quodam veteri Homiliario Manuscripto Ecclesiæ Lugdunensis apud Baluzium Capit. Reg. Franc. Tom. 2. col. 1127. Olim item in Ecclesia moris erat (ut innumera ex veterum monumentis cernuntur exempla) Episcopales Cathedras, sive ligneas, aut lapideas sculptorum leonum tergis imponi consuevisse, quo mysticum illud declararetur, superbiam seculi adversariam Christi, dæmonisque potentiam Crucis virtute subactas.

Faldistorium quid?

Ex ista Cathedra sermocinari non consuevisse ad Populum Episcopos, aliqui scripserunt, nisi, ut tradit Pompejus Sarnellius Vigiliensis Episcopus in sua Basilicographia cap. 48., vel Sanctuarium adeo capax esset, ut Populus e cancellis facile audiret, vel ita parvum, & angustum, ut vox per totum Basilicæ ambitum auribus perciperetur, quemadmodum contigisse ferunt in Basilica SS. Nerei, & Achillei, quæ modici ambitus Sanctuarium habet, ubi ex ejus Cathedra Sanctus Pontifex Gregorius Magnus vigesimam octavam homiliam recitavit. At quum frequens esset populi cœtus, tunc apparabatur concionaturo Antistiti mobilis alia Sedes *Faldisto-*

distorium vulgo nuncupata, aut *Fandistorium*, velut fandi locum designet, quæ super Altaris celsiorem gradum e regione majoris navis collocabatur: eaque vigebat consuetudo tum in Orientalibus, tum in Occidentalibus Ecclesiis, ut observat apud Latinos Sanctus Petrus Chrysologus serm. 173. & apud Græcos S. Gregorius Nazianzenus in Orat. 150. qui ait: se concionante cancellos vim passos esse, ac pene emotos a confluentis populi frequentia.

Ejus figura qualis fuerit seculo nono describitur. Figura Faldistorii qualis erat seculo IX. visitur in insigni Codice olim Christinæ Suecorum Reginæ, nunc Bibliothecæ Vaticanæ ab Alexandro Papa VIII. una cum aliis ab eadem Regina miræ antiquitatis, ac raritatis Codicibus comparatis attributo. Continet Codex iste Rhabani Mauri Opus de laudibus Sanctæ Crucis, qui Codex seculo certe IX. ac Rhabano ipso fortasse adhuc vivente conscriptus est. Visitur ibi sedens S. Martinus Episcopus in sella quadrata, nimirum quatuor ligneis fulcris aurei coloris fabrefactis compacta sine fulcimento ad reclinandum dorsum, habetque suppedaneum, & super sellam pulvinar, in quo assidet S. Martinus Pontificalibus ornamentis indutus. Quis non videat Faldistorium hac pictura designari? Pariter in eodem Codice visitur imago Gregorii Papæ IV. sedentis super Faldistorium, seu Sellam ei similem, in qua Sanctum Martinum insidentem descripsimus. Porro de Faldistorio plura clar. vir Dominicus Georgius de Liturg. Rom. Pontif. lib. 1. cap. 8. n. 6. & seqq., & ante ipsum Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 8. art. XI., quibus adde Bernardinum Ferrarium de Rit. Sacrarum Eccl. Vet. Conc. lib. 3. toto cap. 6., & Car. Ducangium in Glossario, ex quibus, aliisque nonnulla subdi possunt.

Presbyterium quid? variæ ejus significationes, & primo Character Sacerdotalis Presbyterium dictus; item Sacerdotum cœtus. (10) *Quod Presbyterium nuncupatur*) Nominis hujus *Presbyterium* multiplicem authores adferunt significationem. Alii namque per illud intelligunt characterem, sive sacerdotalem dignitatem, ut ita jam explicarunt vetus Interpres Concilii Nicæni Canone 2. Pontius Diaconus in Vita Sancti Cypriani, necnon Siricius Papa Epist. 1. cap. 13. atque ad id forte respexit S. Paulus Apostolus ad Timotheum scribens 1. cap. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*: nisi verius pro Sacerdotum cœtu hanc Presbyterii vocem voluerit intelligi; Episcopi enim a pluribus Episcopis, qui & Presbyteri erant, ordinabantur: qui manus imponendo Spiritus Sancti plenitudinem in candidatum illabentem, adeoque ipsius protectionem designabant, & directionem. Etiam in ordine sacerdotali Presbyterium, seu Sacerdotum cœtus ipsi ordinato manus imponit, non quod aliquid ipsi censeatur conferre, sed collatam ab Episcopo Spiritus Sancti gratiam significare. *Conventus, & consessus Sacerdotum unius Diœcesis, quem Synodum vocant, Presbyterium vocatus.* Ita pro Collegio Presbyterorum, sive consessu, & conventu Sacerdotum unius Diœcesis, quem Synodum vocant, Presbyterium sumunt SS. Basilius Magnus in Ep. 319. ad Innocentium, & ante ipsum Cyprianus in Epist. 35. 46. & 49. item Bonifacius II. Papa Epist. ad Rufum, aliosque Episcopos apud Holstenium in Collect. Rom. parte 1. p. 72.

Communi vocabulo Presbyterium dicitur ea pars Ecclesiæ, seu locus, in quo Presbyteri consistunt. Plures vero, & frequentiores apud medii, & infimi ævi Scriptores, nuncque etiam usurpata nuncupatione Presbyterium appellant illam Ecclesiæ partem, seu locum, in quo Presbyteri consistunt, & sacræ Liturgiæ vacant, & de qua proprie hic nobis sermo est, quæ item Græcis *Bema*, *Aditus* dicitur. Sic eam vocat Synodus Romana an. 826. sub Eugenio II. cap. 33. apud laudatum Holstenium loco citato parte 2, p. 43. uti refert Cardinalis noster, & altera sub Leone IV. an. 853. c. 33. ibidem pag. 88., necnon Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita, & alibi Gelasius I. Papa Epist. 9., Ordo Romanus, Cæsarius Heisterbacensis lib. 1. cap. 35., aliique bene multi, quos recenset Cangius tum in Glossario, tum in descriptione Ædis Sophianæ n. 49. & seqq.. *Hinc Chorus Ecclesiæ Presbyterium perperam a nonnullis vocatus.* Alii pro Choro Ecclesiæ usi sunt, uti Anonymus in Vita Sancti Joannis Archiepiscopi Eboracensis, & Ordericus Vitalis lib. 7. pag. 662., qui itidem lib. 5. pag. 587., & lib. 8. pag. 669. Presbyterium vocat idem, quod Presbyteratum, sive *Item obventiones Presbyteri Parochialis, hoc nomine donatæ.* obventiones Presbyteri Parochialis, idque confirmat Tabularium Prioratus de Paredo pag. 70. & 71. apud Cangium in Glossario præfato. Demum Presbyterii vocabulo *donativum* exprimitur, sive quædam eleemosyna, *Pariter donativum, seu munus, aut eleemosyna in solemnibus festis a Romanis Pontificibus Clero, & populo erogata Presbyterium dicta.* aut pecuniæ summa solemnibus diebus Clero, & Populo ex veteri instituto in quoddam gratulationis signum a Romanis Pontificibus erogari solita, maxime cum inaugurarentur, quod ita dictum videtur, quia ob summum Presbyterium, seu Pontificiam dignitatem effundebatur. In hoc sensu illud habet Gregorius Magnus in Epist. 26. Registri lib. 4. & lib. 12. Epist. 30., Anastasius in pluribus locis, Sugerius in Ludovico VI., Ordo Romanus apud Mabillonium Musæi Italici Tom. 2. pag. 129. 142. 146. 169. & seqq., Author Libri Rituum Ecclesiæ Romanæ lib. 1. cap. 3. Sect. 2., Panvinius de Basilica Lateranensi lib. 4. cap. 2., & Card. Rasponus de eadem Basilica lib. 4. cap. 3.

Presbyterium male ob aliquibus cum Choro Ecclesiæ confusum. Sed ad verum Presbyterii locum indicandum redeuntes sistimus. Et quidem advertendum a plerisque confundi Presbyterium, & Chorum Ecclesiæ, ac pro eodem loco sumi: quod utique non ita est; loca enim diversa sunt, etsi intra idem septum. Presbyterium proprie loquendo est circa altare Presbyteris ad illud Episcopo celebrante circumambiendum destinatum, & ex eo per aliquot gradus descendebatur ad Chorum, ubi Cantores hinc inde sedebant in utroque latere, ex quo sæpe etiam duplici nomine appellabatur, puta Chorus dexter, Chorus sinister, & apud Monachos Chorus Abbatis, Chorus Prioris, quod ex una parte præsideret Abbas, ex altera vero Prior. Sic legitur in Vitis Abbatum Monasterii S. Albani in Anglia: *Si Abbas fuerit electus ex parte Prioris, quam nos Chorum Prioris appellamus, transfertur ad Chorum Abbatis, ubi Supremus statuetur.* Sic duplici nuncupatione Chorus Psallentium appellari cœpit, ex quo alternatim

natim cantandi mos in Ecclesia introductus fuit. Huc spectat illud Augustini in Psal. 126. ubi de hujusmodi Prælato loquens, *altiore se in loco*, inquit, *tamquam in specula constitutum, quo oculorum acie pervigili, atque indefessa in tutelam gregis incumbat, tanto cæteris virtute, & probitate clarior, quanto magis esset sedis honore, ac sublimitate conspicuus.*

De hujusmodi Presbyterio hæc item scribit Eusebius Hist. Eccl. lib. 10. cap. 4. *Porro cum Templum in hunc modum absolvisset* (loquitur de Templo, quod in Urbe Tyro magnifice erexit illius Civitatis Episcopus Paulinus, cui idem Eusebius hoc suum mirabile opus dedicavit, uti ex initio hujus libri decimi apparet) *thronisque altissimis in honorem præsidentium, ac præterea subselliis per universum Templum ordine dispositis exornasset &c.* Ex quo conficitur duplicem fuisse in Presbyterio, seu Synthrono, ut vocant Græci, sedium ordinem, altiorum nempe, quæ majoribus Ecclesiæ dignitatibus, inferiorum, quæ minoris tituli Presbyteris, seu Officialibus addictæ erant; qui quidem Officiales etiam apud Græcos in choros erant distributi, dextrum, ac sinistrum, ut legere est apud Codinum de Offic. magnæ Eccl. Constantinop. & in Euchologio Græcorum Goari pag. 268. edit. Reg. Paris. & revera si quot ii recensentur, vel certe major numerus in Presbyterio sedit, divisum fuisse in plures sellulas oportet, eo modo, quo altiora, & inferiora subsellia, quæ communi vocabulo formas, seu stalla chori nuncupamus, in sacris nostratium Occidentis Ecclesiarum Odeis observare est. A loco itaque, in quo consistebat Synthronus, concha Græcis dicta, quam etiam absidam Scriptores aliquot Latini vocant, seu hemicyclus aræ maximæ, in quo chorus, ipse Ministrorum Ecclesiæ ibidem consessus absida pariter dictus legitur, vel certe Sedes ipsa Pontificalis; quippe in veteri Glossario absida Sedes Episcoporum esse dicitur, uti & apud Papiam, ubi & hæc item habentur: *exedra, absida, idest locus subselliorum*: neque aliam significationem adhibuisse videtur S. Augustinus Epist. 203. de qua in Nota anteced. & Ep. 225. ubi ait: *ad nostra subsellia relicta turba redieram, dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidam honoratiores ascenderant*: ex quibus dignoscitur quid sit illud Concilii Sardicensis can. 10. *ad Episcopalem absidam*, scilicet dignitatem, vel thronum pervenire, cum in absidis, seu conchis cæteris sublimiores in gradatis sedibus, velisque, & aulæis pretiosis contectis sederent Episcopi, uti legitur in Synodi Carthaginensis IV. can. 35. de quo supra: *ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat*: itemque innuit loco citato Eusebius. Hunc morem in Christianorum Ecclesiis observatum attigere præterea S. Ambrosius lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 6. S. Augustinus præfans in Psalm. 126. Amalarius lib. 3. de Rebus Eccl. cap. 10. & Honorius Augustodun. in Gemma Animæ, seu de Officio Missæ lib. 1. cap. 13. & 15. Præsertim vero Cathedra Episcopalis throni nomine donatur passim apud Scriptores Orientales, indeque factum est, ut a throno, summo dignitatis Ecclesiasticæ fastigio quæcumque insignes Ecclesiæ compellarentur, quibus Episcopi, Metropolitæ, ac Patriarchæ præsidebant, ac throni dicerentur, quemadmodum Latinis Sedes appellari consueverunt.

Presbyterium duplici sedium majorum, & minorum ordine adornatum.

In consessu Presbyterorum sublimior Episcopi sedes.

Hæc porro Episcopalis Sedes varie variis in locis juxta varium Ecclesiarum morem olim collocata videbatur. Ex Libro 2. Constitutionum Apostol. cap. 61. medio in Templo erat constituta, sive in abside Ecclesiæ, ut patet ex Libro miraculorum S.Stephani in Appendice Tom. 7. Operum S. Augustini novæ edit. cap. 3. In ea sublimiores sedebant Episcopi assidentibus hinc inde Presbyteris in humilioribus subselliis, ut dictum est, & adstantibus Diaconis in veste candida, ut item supra notavimus ex S. Gregorio Nazianzeno in Somnio de Ecclesia Anastasiæ; idque exprimunt dictæ Apostolicæ Constitutiones loco citato his verbis: *in medio sit Sedes Episcopi, ad cujus utrumque latus considenat Presbyteri, & Diaconi assistant succincti, & expediti*: quod de Diaconorum statione dicitur, confirmatur ex Gelasii Papæ Epistola 9. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos cap. 8. cujus titulus: *quod Diaconi in Presbyterio residere non possint &c.* idque antea docuerat S. Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium, *cæterum*, ait, *etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi, licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconum viderim.* Sequiori dein ævo ad dexteram Altaris partem collocatam extitisse Episcopalem Cathedram habemus ex Ordine Romano, ubi legitur: *tandem Episcopus osculatur Evangelium, & Altare, & pergit ad dextrum Altaris ad sedem suam*: id etiam observare est ex Marcellino Comite in Chronico relato in Bibl. PP. Tom. 9. pag. 517. qui dum narrat Joannem Romanum Pontificem cum anno 525. Constantinopolim pervenisset, *miro honore* a Justino Imperatore exceptum fuisse, sic ait: *solus dumtaxat Romanorum sibi decessorum Urbe digressus; dexter* (habens scilicet a sinistro latere Epiphanium Patriarcham Constantinop.) *dextrum Ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri Resurrectionis plena voce Romanis vocibus* (idest Latino ritu) *celebravit.* Eumdem Patriarchalem thronum ad Altaris dexteram collocatum fuisse innuit item Joannes Scylitzes in Stratiotico, ubi de Patriarcha: *illum enim*, inquit, *descendentem continuo multitudinis incentores comprehendentes, thronumque auferentes, in dexro Bematis latere collocant.*

Pontificalis Cathedra varie in variis locis collocata.

Supra hunc autem Pontificalem Thronum Christum Dominum solere effingi manibus ad mensam appositam in Crucis formam decussatis, dextera Panem sacrum, sinistra Crucem apprehendentem, hinc inde vero, & a lateribus supra Sacerdotum, qui sacris intersunt, circumstantium subsellia Apostolorum effigies delineatas fuisse scribit in Notis ad Euchologium Græcorum Jacobus Goar, qui idcirco Episcopalem Cathedram in medio, & intimo conchæ recessu subter sacram Christi Domini imaginem statuit. Et sane hujusmodi Picturæ musivo opere efformatæ, de quibus videndus Ciampinius de vet. Monum.

Supra hunc Pontificalem thronum Christi Domini Salvatoris nostri imago depicta.

Mus.

Muſ. adhuc Romæ in Basilicis Lateranensi, S. Pauli, & S. Pudentianæ Ecclesia, aliisque conspiciuntur. Huc proinde respexisse dignoscitur Germanus Patriarcha in sua rerum Eccles. Theoria, cum scripsit: *Thronum, in quo omnium Rex Christus cum Apostolis primus sedet*. Ita etiam Symeon Thessalonicen. lib. de Templo: *Synthrono sedens Christum imitans, consedentes habet Coepiscopos* (loquitur de Patriarcha) *& Sacerdotes, qui Apostolos referunt*. Et Lib. de Sacramentis: *excelsa illa Sedes supercælestem Christi Cathedram designat: quæ infra sunt subsellia Episcoporum, & Sacerdotum, ordinem & ascensum, in quo nemini alii licet sedere, ac ne ipsis quidem Diaconis*: quod clarius, & sublimius aliis verbis exprimit laudato lib. de Templo: *per sacrum vero consessum Verbum Incarnatum, & in Cælis ad dexteram Patris assidens, per gradus cujuscumque Sanctorum Virorum, & Angelorum ordo, & ascensus significatur*: Sacer vero consessus iste, *Presbyterium muro circum septum.* sive Presbyterium muro seclusum erat, de quo sepimento intelligendus Anastasius, sive Author Libri Pontificalis in Leone III. ubi de eodem scribit: *Hic fecit Presbyterium noviter totum marmoreum magnæ pulchritudinis sculptum, compteque erectum*. Et Durandus in Rationali lib. 1. cap. 3. num. 33. *In primitiva Ecclesia peribolus, idest paries, qui circuit chorum, non elevabatur, nisi ad appodiationem*: quod indicare videtur altitudinem dimidii corporis usque ad pectus: & locus inaccessus erat Laicis, uti ex pluribus Conciliorum decretis constat, quæ infra referemus nota sequenti. Porro de Presbyterio hujusmodi, Choro, & Peribolo plura Conradus Janningus de Basilica S. Petri in Vaticano §. 8. Tom. 7. Act. SS. Junii Parte II., nonnulla diserte Philippus Rondininus de Basilica S. Clementis lib. 2. cap. 7. num. 4., & novissime Petrus Morettus peculiari Libro hac de re Romæ edito.

(11) *Cum dona sua offerre vellet*). Præstat ibi adducere, quæ Sozomenus loco cit. recitat de Ambrosio: *moris erat, ut Imperatores intra consepta Altaris in Ecclesia consisterent, honoris causa a populi multitudine separati*. *Olim Ambrosii tempore Imperatoris Sedes ante Cancellos Altaris collocata usque ad seculum 14.* *Quod ex assentatione, vel ex disciplinæ corruptione profectum esse Ambrosius animadvertens, locum Imperatori assignavit ante Cancellos Altaris, itaut Imperator quidem plebem, ipsum vero Imperatorem Sacerdotes in Ecclesia præcederent. Hanc egregiam Ordinationem Imperator Theodosius comprobavit, & Successores ejus postea confirmarunt, atque ex eo tempore in hunc usque diem observari eam videmus*: quam consuetudinem sua etiam ætate idest seculo XIV. perdurasse scribit Nicephorus Callixtus loco ab Eminentissimo citato; at vero ut Imperator ad Bematis Cancellos sedeat, subdens hanc legem, quam ab Ambrosio didicerat etiam Constantinopolim reversum diligenter observasse, ac Nectario ibi tunc Patriarchæ sciscitanti quanam de causa post sua mysticæ mensæ oblata dona statim recederet, modesta objurgatione respondit: *vix aliquando tandem quod discrimen sit inter Imperatorem, & Sacrorum Antistitem cognovi, vix veritatis Doctorem inveni: unum namque, qui pro dignitate sua Episcopali nomine recte utatur, Ambrosium reperiri*. Hanc autem Ambrosii Constitutionem a Theodosio approbatam, & observatam tanta cum animi devotione, ac submissione excepere Imperatores, ut Theodosius Junior, & Valentinianus in eo decreto, quod extat post Concilium Ephesinum Concil. Labbei Tom. 3. col. 1237. in hæc verba proruperint: *ad Sacra Altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, & cum circum septum sacrorum adytorum ingressi sumus, statim egredimur, nec quicquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus*.

Quia vero de Cancellis Sanctuarii, seu Presbyterii, de quibus supra, hic iterum mentio est, præstat ad majorem illustrationem nonnulla adjicere tum ex Latinis, tum Græcis Scriptoribus quæ sequuntur. Ea igitur Sacræ Ædis pars, quam Græci Bema appellant, solis Sacerdotibus addictam, a Nao, vel Choro separabat tabulatum, seu septum muro compactum, columnis, cancellis, hyperthyris, sive superportalibus, & imaginibus adornatum, ne quibuslibet pateret accessus. Hujus meminit Gregorius Nazianzenus carm. XI. & expressius Theophanes Ceramæus hom. 55. de Æde S. Petri in Palatio: *locus ille*, inquit, *in quo arcanum peragitur Sacrificium, marmoreo thorace septum, & circumscriptum est Sacerdotibus, ubi & requiescere, & tuto consistere, & aspectum spectaculo licet oblectare, idque Claustrum etiam ab accessu prohibet, si quis temerarius, ac profanus adyta penetrare contendat*. Tabulatum istud, seu sacros Cancellos cyclidas vocant Scriptores Byzantini; de his ita Constantinus Porphyrogenitus in Vita Basilii Macedonis Imp. avi sui cap. 55. *qui ab externa Templi parte Sanctuarium secludunt cyclidæ* (Cancelli) *& in ipsis columnæ, & quæ supra sunt hyperthyra*. *Cancelli Altaris plerumque fusiles ex ære, argento, aliove metallo, ac lapide elaborati.* Cancellos istos ut plurimum ære fusiles fuisse observat Germanus Patriarcha in Theoria, cujusmodi fuere descripti apud Leonem Ostiensem in Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 33. *fecit itaque*, ait, *& Cancellos fusiles ex ære ante Altare, scilicet inter chorum, & adytum statuendos*. Idem Ostiensis cancellos lapideos refert capite sequenti; argenteos vero Anastasius plerisque in locis Libri Pontificalis, ut & Cyprianus S. Cæsarii Arelaten. Episcopi discipulus in ejus Vita, quales etiam extitere cancelli Bematis in Templo S. Sophiæ Constantinopoli, quorum ea fuit elegans structura, (quemadmodum refert Paulus Silentiarius inter Historiæ Byzantinæ Scriptores in ejusdem Templi descriptione Parte 2. vers. 260. & seqq.) ut non eboris, aut marmoris, vel æris quidquam in iis esset, sed tabulatum omne, seu quidquid Bema a Nao, Sanctuarium a reliquo Templi loco extra Chorum, & Presbyterium separat, totum argento obductum fuerit. Hæc autem Bematis tabulata non unicis cancellis, aut tabulis constabant, verum etiam in iis duodecim præsertim columnæ argento perinde contectæ assurgebant ita dispositæ, ut binæ simul cohærerent; iis adjunctæ erant variæ orbiculares tabellæ, in quibus sculptæ erant imagines Christi Domini, Deiparæ, Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum: in me-

dio vero Monogrammata Justiniani Imper. & Theodoræ Augustæ una cum Crucis figura.

Reliqui post Theodosium, & Valentinianum Imperatores ad pristinam sensim redire consuetudinem intra septa Altaris considendi.

(12) *Imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem*) Siquidem post Theodosium, & Valentinianum laudatos piissimos Imperatores, reliqui sensim ad pristinam redire consuetudinem intra septa Altaris considendi, idque iterum jam in usu erat seculo octavo, ut patet ex illa Tharasii sanctissimi Patriarchæ Constantinopolitani ad impium Constantinum Copronymum ob adulterinas, quas ille inire cogitabat nuptias, comminatione, quam refert Ignatius Monachus in ejus Vita apud Surium, & Bollandum die 25. Februarii cap. 7. ubi ita legitur: *quin etiam hoc quoque notum facimus coram Deo in primis honorandæ tuæ Purpuræ, quod intra Cancellos incruentæ Mensæ, in qua Sacrificium magnæ Hostiæ Christi venerabiliter peragitur, non sinemus amplius nobiscum vestram ingredi potentiam*: ita olim usitatum; nunc vero non Imperatores modo, & Principes, sed de plebecula quique choros ita replent, ut divina celebrantibus Officia plerumque vix supersit assidendi locus. Immo, quod referre pudor est, ipsæ sæpius mulierculæ intolerabili prorsus licentia ad gradus Altaris sedere non verentur.

Longe religiosiores plane sunt Æthiopes, apud quos, si Joanni Botero in Epistola ad Antonium Caraffam Cardinalem fides sit, ante templa transituri ex equis reverentiæ causa desiliunt, templa ingressuri calceos deponunt, non ingrediuntur, nisi qui sunt sacris Ordinibus initiati. Immo apud Armenos olim solus celebrans Sacerdos Ecclesiam intrabat, ut scribit Theorianus a Manuele Comneno an. 1170. ad eos missus, id quod ex antiqua Ecclesiæ suæ traditione observare se, interrogati responderunt. Cæterum innumeri propemodum sunt sacri Canones Ecclesiastici, quibus Laici, præsertim mulieres, ab Altarium adytis arcentur. Concilium Laodicenum Can. 44. *Non oportere mulieres ad Altare ingredi*. Concilium Romanum sub Eugenio II. Can. 33. *ut nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, reliquive Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut libere, & honorifice possint sacra Officia exercere*. Quem Canonem renovavit Leo Papa IV. in alio Concilio pariter Romæ habito an. 853., item Can. 33. Quod & renovatur sub Joanne XII. in alio Concilio Rom. anno 964. celebrato. Finis non erit, si Canones omnes hac de re antiquitus statutos recensere vellem, sufficiat id antiquæ consuetudinis testimonium proferre ex Anastasio Bibliothecario in Vita dicti Leonis Papæ IV. de quo ita scribit: *secundum antiquam consuetudinem canonica authoritate decrevit, ut dum sacra Missarum solemnia in Ecclesia celebrantur, nullus ex Laicis in Presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra Plebs, quæ in administratione sacri Officii constituta videtur*. Plura de his erudite congerit Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 9. num. 8. & seqq.

Nonnulli afferuntur sacri Canones, quibus Laici, præsertim fæminæ ab Altarium adytis arcentur.

Quoad Græcos quod nulli præter sacros Ministro liceret ingredi in sacrum Bema, testantur, qui inter eosdem de sacris Ædificiis scripserunt; nihilominus in Ecclesia Sancti Salvatoris Chalce ædificata, ex Anonymo de Antiquit. Constantinopol., Codino, aliisque contrarium deducitur; in hujus enim Ecclesiæ Bema præter Ecclesiæ consuetudinem, quo nemini fas erat ingredi, cuivis volenti patuisse accessum testatur Theodorus Balsamon ad Can. 69. Quinisextæ Synodi: *quomodo ergo*, inquit, *in divinum adytum inclyti Templi, quod est in Chalce, quicumque vult, citra ullum impedimentum ingreditur? nescio*: in hujus Ecclesiæ Bema adytum concessum fuisse etiam mulieribus in gratiam Irenis Atticæ Augustæ censet Ducangius, quod sub ipsa restituta sacrarum Imaginum veneratione post Concilium Nicænum II. rursum Salvatoris Imaginem opere musivo supra portas Chalces eadem Augusta exarari curaverit. At hæc Ducangii conjectura multiplici ex causa non probatur Cl. viro Anselmo Bandurio Comment. in Antiqu. Constantinopolitanas lib. 1. nota 26. inter quas præcipua, quod non solum in Bema dictæ Ecclesiæ Salvatoris adytus cuique patebat, sed etiam in nonnullis aliis Ecclesiis, præsertim in Ecclesia Deiparæ Hodegetriæ, ut habet laudatum Theodori Scholion.

Nihilominus apud Græcos in Ecclesia S. Salvatoris Chalce concessus etiam fæminis ingressus in Sanctum Bema.

Quidquid autem sit de hujusmodi Basilicæ S. Salvatoris Chalce ædificatæ peculiari privilegio quoad fœminas etiam, in gratiam Irenis Augustæ concesso, aliisque Ecclesiis participato, ut dicti censent recentes in res Ecclesiasticas Græcorum Scriptores, certo tamen certius est ex supra allatis Pontificum, & Conciliorum decretis vetitum Laicis quibuscumque, ac secularibus personis in Sanctuarium, seu Presbyterium ingredi, quorum oblationes ad Altare extra ejus septa excipiebant Sacerdos ipse, vel Ministri. Sed nonnullæ supersunt adjacentes Sanctuarii partes considerandæ. Olim in veterum templis, præcipue apud Græcos, hinc inde ad utrumque Aræ majoris latus erant duo recessus, seu binæ ædiculæ, Latinis Cameræ, Græcis Conchæ dictæ, utraque earum suo fornice superstructa. Alteram istarum, quam ad dexteram seu ad septentrionem statuit Symeon Thessalonicensis Comment. de divino Templo apud Goarum in Euchologio pag. 212. & Bibl. PP. Tom. XXII. Prothesin Græci appellant, quasi *Propositionem*, seu *Propositionis Mensam* a cæremonia, quæ in ea peragitur nomen habentem; in ea enim, ait Allatius, Sacerdos ante Missam, unaque cum ipso Ministri res omnes ad Sacrificium complendum necessarias, ut panem, vinum, & alia præparant, quibus finitis secedunt ad sacram Mensam, ubi sacra Liturgia inchoatur. Sacrum hunc recessum, ejusque usum sic describit S. Paulinus Nolanus Epist. ad Severum XII.

Describuntur reliquæ Sanctuarii Partes.

Hic locus est, veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

De altera, quæ ad sinistram Altaris, sive ad meridiem alteri oppositam locatur a Thessalonicensi præfato, idem Paulinus ibidem

Si quem sancta tenet meditandi in Lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

In


In ea quippe Concha, seu Camera sacræ Lectiones fiebant, sacrique libri finita Liturgia publice perlegebantur, uti non obscure indicat Codinus lib. de Off. magnæ Curiæ Constantinopolitanæ cap. 15. num. 4. Binæ autem istæ ædiculæ, seu cameræ, in quarum una vestes Ecclesiasticæ Sacerdotum & Ministrorum, vasaque, & instrumenta ad sacrum Ministerium pertinentia, in altera divini sacræ Scripturæ libri, aliique ad Ritus Ecclesiasticos peragendos spectantes recondebantur, Græcis Diaconicon, majus & minus, Scevophylacion, Pastophorion, ac Metatorium, Latinis vero Paratorium, Vestiarium, Secretarium, Sacrarium, & barbara voce Sacristia nuncupantur, de quorum nominibus eorumque significatione præ cæteris videndus Clar. Ducangius in Glossario med. & inf. Græcitatis, atque Latinitatis. Item in ejusdem Constantinopoli Christiana lib. 3. num. 77. & 78. denique vide infra ad cap. 24. num. 2.

(13) *Ut docet Lupus ad citatum Canonem Trullanum*) Adeo verum est (inquit) varias semper fuisse variarum Ecclesiarum in sacris Ritibus, & cæremoniis consuetudines. At nunc corruit hæc disciplina, nec ullum fere ejus vestigium permansit, idque Latinis Græci Schismatici improperant, & recte quidem, nisi & ipsi multo graviorum transgressionum rei forent. Ante mille annos vivebat S. Maximus Martyr, qui tamen in Scholiis ad cap. 3. Eccles. Hier. de hujusmodi ritibus sermonem habens: *sciendum*, ait, *huic talium rerum differentiæ, distantiæ, & diligentiæ nunc non esse locum*: & Symeon Tessalonicensis Opusc. contra hæreses omnia hæc suo tempore circa ann. 1040. in desuetudinem abiisse scribit ob persecutiones, & frequentes rerum turbas. Vide etiam Ricardum in Notis ad Orat. 18. S. Procli Constantinopolitani.

(14) *Commentariis illustravit Carolus du Fresne*) Post notas in Joannis Cinnami Historiam pag. 497. videri etiam possunt ex heterodoxis Scriptoribus Joannes Gaspar Svicerus in suo Thesauro Ecclesiastico, quem e Patribus Græcis collectum ordine alphabetico dispusuit, & duobus Tomis in folio edidit; Item Joseph Binghamus Originum Ecclesiast. lib. 8. ubi fere omnia, quæ de Ecclesiis veterum scripta sunt, collecta conspiciuntur. De novis autem Ecclesiis, quæ sequiori ævo a Gregorii Magni ætate usque ad nostra tempora extructæ sunt, deque earum super veterum ruderibus structura, multitudine, ornamentis, aliisque ad id spectantibus nonnulla pro veritate scribit Joseph Catalanus in suis Commentariis ad Pontificale Rom. Tom. 2. pag. 5. num. 23., & seqq. ubi dolens, & fortasse nimis, advertit nostra hac tempestate rem eo progressam esse, ut veteribus templis solo æquatis, nova passim in dies ædificentur, adeout in magnis Urbibus plures Ecclesiæ conspiciantur, quam domus privatæ, cum non modo unaquæque natio, sed quarumcumque artium Professores, immo & mendici ipsi, qui panem ostiatim quæritant, Ecclesiam suam habeant, ut omittamus Oratoria privata &c. quantus hinc, qualisve Ecclesiarum Parochialium, & earum præcipue, ubi Verbum Dei prædicatur, neglectus obveniat, cuique perspicuum est. Hæc ille, cui hac in querela ansam præbuit Bernardus Van-Espen Parte 2. Juris Eccl. univ. Tit. 5. cap. 8. num. 9. Cæterum hujusmodi querelæ, etsi a viris doctis provenientes, an excessum, vel exceptionem pati videantur, judicent alii; Ad majorem tamen, quod attinet, Dei Gloriam, & cultum convenire crediderim Ecclesiarum multitudinem potius, quam paucitatem, juxta Malachiæ Prophetæ vaticinium de Sacrificiis Christianorum, ubi cap. 1. 11. dicitur: *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Consimilem, etsi non genere, specie tamen diversam querimoniam a Moyse correptam legimus Numer. cap. 11. 29. Cum enim Josue rogaret Moysem, ut prohiberet tantum Eldab, & Medad, qui prophetabant in Castris, *at ille: quid*, inquit, *æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Hinc eodem ac Moyses sensu, & Spiritu Paulus ad Philip. 1. 18. *dum omni modo*, ait, *sive per occasionem, sive per veritatem Christus annunciatur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*: Putaverim itaque Ecclesias a quocumque, & in omni loco ædificari posse, dummodo id ex Superiorum licentia fiat, & sine Parochialium Ecclesiarum, earumque, in quibus Verbum Dei prædicatur, præjudicio, quod providendum Antistitum, & Prælatorum curæ summopere incumbit. Neque id recens, novumque est; Græci namque, & ab antiquo plures Capellas, seu sacras Ædiculas circa majorem Ecclesiam, & ab eo etiam aliquot dissitas habent, quæ *Par-Ecclesiæ* ab ipsis vocantur. Latini etiam cum quamplura in eadem Ecclesia habeant Altaria, cur etiam plures in eadem Urbe Ecclesias habere non possunt?

Joseph Catalanus notatus.

Ad majorem Dei gloriam convenit Ecclesiarum multitudo potius, quam paucitas.



CAP. XXI.

Sacrificium nonnisi a Sacerdote jejuno celebrandum. Aliquando tamen sumpto cibo oblatum. Sublatus hic abusus a Conciliis cum duplici exceptione. De Missis matutinis, & vespertinis. Quæ fuerint Missæ nocturnæ. Diversæ olim horæ Missarum solemniis assignatæ pro dierum diversitate. Cur diebus jejuniorum dilata quandoque Missa usque ad vesperam. Quæ nunc horæ Missæ solemni, & privatæ tributæ sint.

§. I.

Sacrificium nonnisi a Sacerdote jejuno celebrandum.

QUamvis Christus de hoc mundo discessurus ad Patrem post esum Agni, & communem cum Discipulis cœnam, adimpletis legalibus cæremoniis, ac fine imposito antiquis Sacrificiis, novum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum instituerit; Ecclesia tamen ejusdem magisterio edocta præcepit, ut hoc mysterium nonnisi a Sacerdotibus jejunis celebraretur, nec a Fidelibus, nisi sint jejuni, perciperetur. Optime Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40. docens non omnem Christi actionem a nobis imitandam esse, *ille*, inquit, *Paschatis mysterium Discipulis in cœnaculo tradidit, & post cœnam: nos in Templis & ante cœnam*; jejuni scilicet, ut explicat Nicetas in Commentario. Cui consonans Augustinus *Epist.* 118. ait: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ; quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolos arguit & emendat, mensis suis ista miscere: Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, a quibus ad Passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset*. Ejusdem consuetudinis testis est Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur*. Cyprianus idipsum confirmat Epist. 63. *Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa Sacrificii* veteris Testamenti *ostenderet occasum, & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus* Consentiunt passim antiqui Patres, Basilius hom. 1. de jejunio. *Neque enim fieri potest, ut absque jejunio quisquam sacris operari audeat*. Chrysostomus Hom. 27. in Epist. 1. ad Cor. *Tu prius quam communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus appareas*. Idem Serm. 9. ad Pop. Anthioch. hortatur non jejunos, qui quadam moti superstitione ad Ecclesiam non accedebant, ut cum cæteris convenirent, non Dominici corporis, sed divinorum eloquio-

eloquiorum participes futuri. Et Epist. 125. scribens ab exilio Cyriaco Episcopo adversus suos calumniatores: *Dixerunt*, inquit, *quod ad communionem non jejunos receperim. Et si quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex Albo Episcoporum, & non scribatur in libro fidei Orthodoxæ, quoniam ecce, & si quid tale admisi, abjiciet me etiam Christus e regno suo*. Paschasius Radbertus lib. de Sanguine, & Corpore Domini cap. 20. *Sacramentum fuit, quod Dominus post cœnam Apostolis hoc tradidit. Sic enim illud oportebat impleri circa finem diei ad vesperam, ut hora ipsa sacrificii ostenderet jam finem seculi advenisse. Porro Apostoli ideo jejuni jam non erant, quia necesse fuit, ut Pascha illud typicum prius compleretur, deinde ad verum Paschæ Sacramentum transirent. Cæterum universaliter in Ecclesia omnes cum summa religione jejuni communicare consueverunt*. (1). (1)

(1) *Omnes cum summa religione jejuni communicare consueverunt*). His Patribus, quos refert Card. noster, & alii plures adjungi possent, inter quos Isidorus, qui Augustini mentem mutuatis fere verbis interpretatur lib. de Div. Officiis cap. 18. Amalarius quoque eodem modo Augustinum intellexit lib. 3. de Eccles. Off. cap. 34. & cum eo sentit hoc jejunii præceptum pro venerabilis Sacramenti reverentia non fuisse a Christo statutum, (*sic enim*, ajunt, *nullus illud mutasset*) sed ab Apostolis, atque ab eorum Discipulis, & Successoribus semper in Ecclesia religiose observatum. Walafridus Strabo lib. de Rebus Eccl. cap. 19. ejusdem item præcepti meminit, de illius tamen origine, & antiquitate nihil dicit. Porro Gregorius Turonensis Amalario, & Strabone duobus ferme seculis antiquior hanc doctrinam confirmat divinæ punitionis exemplo, quod refert lib. de Gloria Martyrum cap. 86. de Sacerdote, qui non jejunus Missam ausus est celebrare.

Jejunium hoc ante communionem Eucharisticam naturale stricte sumptum esse debet, non Ecclesiasticum.

Hoc autem jejunium non solum Ecclesiasticum, (uti falso cum Joanne Parisiensi Ord. Præd. seculi XIII. Scriptore nonnulli ejusdem ferme ævi Theologi apud Silvestrum Prieratem verbo *Eucharistia* num. 3. quæst. 6. arbitrati sunt, quos merito vetus, communisque Ecclesiæ consuetudo in contrarium confixit, ut hæc eorum opinio error in fide censeri debeat) verum etiam naturale stricte sumptum intra diem, communionem Eucharisticam præcedere debet, idque jejunium necessario requiri, ut hoc Augustissimum Sacramentum digne percipiatur, docent saniores veteres, recentesque omnes sacræ Theologiæ Magistri. Et quidem pro omnibus triplicem hac de re rationem reddit D. Thomas tertia Parte quæst. 80. art. 8. „Prima, inquit, petitur ex reverentia Sacramenti, ut scilicet „Corpus Domini in os hominis intret nondum aliquo cibo, aut potu infectum, & „*virgine adhuc saliva*, ut loquitur Tertullianus, in stomachum trajiciatur. Altera petitur ex significatione, ut intelligamus Christum, & Charitatem ejus fundari debere „primo in cordibus nostris juxta illud Matthæi 6. *quærite primum Regnum Dei*. Tertia „ex periculo vomitus & ebrietatis, quæ „quandoque contingunt ex inordinato cibi, „& potus appetitu, sicut & Apostolus ait I. „ad Corinth. II. *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*.

Olim tamen toleratum ab Ecclesia, ut die Cœnæ Domini post refectionem sumeretur Eucharistia, quod postea vetitum.

Cæterum, etsi non obstante Ecclesiastico hujusmodi naturalis jejunii præcepto toleravit olim Ecclesia, ut anniversaria die Cœnæ Domini Eucharistia post cibum, & potum a Fidelibus sumeretur teste Augustino, quemadmodum in Card. textu, & Concilio Carthag. III. Can. 29. mos tamen ille, nec universalis fuit, nec diuturnus, & Concilium illud, necnon Matisconense II. Can. 6. statuerunt, ut, hac una die excepta, venerabile Altaris Sacramentum a jejunis sumeretur. Et denique Concil. Constantiense sess. 13. decrevit: *quod licet Christus post Cœnam instituerit, & Discipulis ministraverit hoc Sacramentum, tamen hoc non obstante Sacrorum Canonum authoritas, & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum, nec post Cœnam conficiatur, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso*: nonnullos hujusmodi casus præter duos ab Eminentissimo Scriptore allatos referunt Morales Theologi, inter quos Natalis Alexander Theolog. Dog. & Mor. lib. 2. de Sacram. Euch. art. 2. §. 2. sed de his iterum infra.



§. II.

§. II.

Aliquando tamen ſumpto cibo oblatum. Sublatus hic abuſus a Conciliis cum duplici exceptione.

ET hæc quidem vetus inſtitutio fuit, ſed non ſemper, nec ab omnibus cuſtodita. Mos enim quidam prævaluerat in Africa, qui vivente Auguſtino adhuc vigebat, ipſo teſtante *Epiſt.* 118. ut in die anniverſaria, qua cœna Domini recolitur, Sacramenta Altaris veſpere ſumpto cibo celebrarentur. De qua re in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ extat Can. 41. ex Concilio Carthaginenſi celebrato anno Domini 397. his verbis: *Ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Dominica celebratur.* Hunc autem morem Synodus Trullana abrogavit *Can.* 29. dicens Sanctos Patres tunc fortaſſe propter aliquas in his locis occaſiones Eccleſiæ utiles ea diſpenſatione uſos fuiſſe: cæterum oportere deinceps Apoſtolicas & paternas traditiones ſequi (1). Idem ſancitum antea fuiſſe a Synodo Laodicena c. 50. (1)
notant plerique; verum citatus Canon adverſus illos editus eſt, qui feria quinta prædicta jejunium ſolvebant. Refert Socrates *lib.* 5. *Hiſt. Eccl. c.* 21. abuſum celebrandi ſumpto cibo in Ægyptum latius irrepiſſe. *Ægyptii*, inquit, *qui Alexandrinis finitimi ſunt, & illi, qui Thebaidem incolunt, Sabbato ſynaxim exequuntur, illi quidem, ſed non ut mos fert Chriſtianorum, myſteria participant. Nam ubi epulati ſunt, & variis cibariis ſe ſaturarunt, ſub veſſperum oblatione facta myſteriis communicant.* Idem narrant Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 19. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. Ab eodem abuſu Galliam non fuiſſe immunem indicat Can. 9. ſecundæ Synodi Matiſconenſis decernens, *ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino ſacrificia contrectare, aut Miſſas privatis feſtiſque diebus concelebrare præſumat. Injuſtum eſt enim, ut ſpirituali alimento corporale præponatur. Sed ſi quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali cauſa & in Conciliis Africanis definitum eſt.* Confirmat deinde citatum Canonem Concilii Carthaginenſis cum exceptione diei Cœnæ Dominicæ. In Hiſpania vero hanc ipſam corruptelam Hæretici Priſcillianiſtæ introduxerunt, quæ in Concilio Braccarenſi primo cap. 16. & in ſecundo *Can.* 10. deſcribitur & damnatur. *Quod ſi illo die*, ut recte Strabo argumentatur cap. 16. *poſt prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini, & quorundam aſſenſus ſuffragari videbatur; multo minus aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoſcitur attributum* (2). Alius (2)
item mos apud quoſdam Sacerdotes invaluerat, ut in exequiis defunctorum non jejuni, & veſpere celebrarent, quia nimirum ſepulturæ non ſolebant inferri, niſi prius ſacrum pro ipſis præſente cadavere ageretur (3). (3)
Id vetuit citato Canone Synodus Carthaginenſis decernens ſolis orationibus defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſive cæterorum commendationem pomeridiano tempore fieri, ſi Sacerdotes jam pranſi inveniuntur. Idem ſtatuit Braccarenſe II. *Can.* 10. Patres vero Concilii Nannetenſis ſive Agathenſis, ut refert Gratianus *cap. Presbyter*, *diſt.* 91. præceperunt Sacerdotem manere jejunum uſque ad ſtatutam horam, ut neceſſitatibus defunctorum ſuccurrere poſſet. Eadem jejunii lex Miniſtris quoque Altaris indicta fuit a Conc. Antiſiodorenſi an. 578. cap. 19. *Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono poſt acceptum cibum, vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia, dum Miſſæ dicuntur, ſtare.* Cujus Canonis

Eadem jejunii lex, quæ Sacerdotibus, miniſtris Altaris pariter indicta.

ratio

ratio est, quia per id tempus nefas erat quemquam de Clero sacrificio inservire vel adstare, nisi simul cum Sacerdote communicaret. A regula autem non communicandi violato jejunio duo casus excipiuntur. Primus est, cum imminente mortis periculo sumendi Viatici necessitas urget. Alter, si Sacerdos celebrans repentina correptus infirmitate deficiat, tunc enim si mysteria consecrata sunt, alius Sacerdos etiam non jejunus inchoatum Sacrificium perficere debet. Primum casum comprobat praxis Ecclesiæ ubique recepta (4). De secundo sic sancivit Concilium VII. Toletanum cap. 2. *Censuimus convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accideret quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis explere mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti*, & post pauca. *Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum sumptum, Missas facere; nullus absque patentis proventu molestiæ minister, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Concilium postea Toletanum XI. cap. 14. ad præcavendos hujusmodi casus instituit, ut ubi temporis, vel loci, sive Cleri copia suffragatur, habeat semper sacrificans vicini solaminis adjutorem, qui ejus vices exequatur.

Duo tamen casus excipiuntur.

(1) *Apostolicas, & paternas traditiones sequi*) Præterea in eodem Concilio Carthaginensi III. can. 48. dicitur hanc consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in Concilio Nicæno confirmatam, ubi animadversione dignum est, non dici fuisse institutam, sed fuisse confirmatam, quo satis indicatur, jam ab antiquo, scilicet ab Apostolis, hanc consuetudinem initium sumpsisse.

(2) *Quibus horum neutrum cognoscitur attributum*) Atque etiam in ipsa Italia pessimus iste abusus invaluit. Etenim Stephanus II. Papa scribens ad Pipinum Francorum Regem epist. 4. Longobardorum scelera illi enarrans inter alia refert, quod Corpus Domini Nostri Jesu Christi contaminatis vasibus, quos folles vocant, immiserint, & cibo carnium copioso saturati comedebant eadem munera.

(3) *Præsente cadavere ageretur*) Irrepserat abusus iste non tolerandus, qui ab antiquo sub specie pietatis ad seculum usque XIII. etiam apud primos nostri Cisterciensis Ordinis Patres (uti narrat Angelus Manriquez in Annalibus Ordinis ad ann. 1217. cap. 8. nu. 8.) pertransierat, scilicet ut pro defuncto, si præsens tunc adesset, atque deessent alii, qui celebrarent, Sacrificium offerret Sacerdos, qui alterius Missæ sumpsisset ablutiones. Non quod putarent Missas pro defunctis a non jejunis posse celebrari, qui error a Priscillianistis descendens in aliquibus Hispaniæ Provinciis viguisse, ut supra, ab Eminentissimo commemoratur, sed quia censerent præceptum positivum epichejam admittere, neque ab ejus limitibus deviare, quod tunc recens e corpore egressa anima potiretur suffragiis, quæ & purgatorias pœnas diminuerent, & aditum ad cœlum accelerarent. Sumendam Eucharistiam a non jejuno, si in extremis laboret, ne viatico careat, quod nulli dubium, probari aliquibus, a non jejuno confici etiam non laborante, ut laboranti detur, si non posset aliunde ministrari, ita apud Dianam Tract. 14. Resol. 66., & 3. parte Tract. 6. Resol. 33. Hæc animæ egredienti subsidia dari, sive per dispensationem generalis præcepti, sive per epichejam, seu tandem per conflictum alterius legis, quæ majorem vim habeat, cur non egressæ? Et legem Charitatis multis titulis positivis præceptis præferendam? His, & similibus sæculo illo rudi, & in quo multa minus adhuc solide, minus adhuc districte cognoscebantur (quod vel Magistri Sententiarum libri facile probant) persuaderi potuerunt antiquiores licere illo in casu etiam a non jejuno sacrificari, si inquam, solas sumpsisset ablutiones, quæ non per modum potus corporalis, sed per modum bibiculi spiritualis potus, ne quid in ore maneat, sumi solent. Utcumque fuerit, sublatus is abusus lege lata in Capitulo Generali Cisterciensi sub Conrado Abbate, dein Cardinali Ostiensi Episcopo his verbis: *firmiter inhibetur, ne aliquis in Ordine nostro post secundam ablutionem, pro mortuo, vel alio aliquo casu celebrare præsumat. Quod autem scriptum est in Usibus, corrigatur.* Hæc pro qualicumque Apologetico veterum nostrorum Patrum ex Angelo Manriquez loco citato.

Abusus quorundam Sacerdotum, ab antiquo usque ad sec. 13. inclusive, qui non jejuni celebrabant præsente cadavere.

(4) *Praxis Ecclesiæ ubique recepta*) Jam ex tempore Ivonis Carnotensis, scilicet a seculo exeunte XI. ut in ejus Epistola ad Manassem Meldensem Episc. Cæterum, ut recte advertit Clar. Meratus Observ. in Gavantum Tom. 1. Parte 3. tit. 9. nu. 4. ex hoc inferri haudquaquam potest quod liceat non jejuno Sacerdoti conficere Eucharistiam ad eam infirmo ministrandam; quamvis enim receptio Viatici supponatur de jure divino, nihilominus ægrotus non tenetur ad illud recipiendum, nisi cum adest copia Eucharistiæ, non autem quando haberi non potest, aut deficit ex causa alterius. In id nonnulla item dicentur §. sequenti.

§. III.

§. III.

De Missis Matutinis, & Vespertinis.

VEtus igitur & Apostolica traditio est, ne quis audeat ad divina mysteria non jejunus accedere (1). Contrarium abusum Concilia & Pa- (1) tres tanquam summum crimen ab Ecclesia sustulerunt, gravissima anathematis, & depositionis interposita pœna. Quod si legentibus antiquos Patres occurrant nonnunquam Missæ vespertinæ, sive nocturnæ, nihil ex his inferre licet, quo præscripta sacrificantibus jejunii lex convelli queat. Certum est enim quod primis Ecclesiæ seculis aliquando bis in die Synaxes factæ sunt, exemplo forsitan Synagogæ, quæ matutinum, & vespertinum sacrificium offerebat: quamvis enim ea lex abrogata esset, non est tamen improbabile, quod ad novum Testamentum in Ecclesiæ primordiis translata aliquandiu fuerit; legalia siquidem paulatim extincta sunt, nec statim veterum rituum oblivisci potuerunt, qui erant ex Circumcisione Fideles. Erant & aliæ Missæ vespere, & noctu peractæ, quarum usus, ut mox videbimus, per aliquot secula in Ecclesia permansit (2). Sed hinc (2) deduci nullo modo potest, quod tunc Sacerdotes non jejuni offerrent: & si aliqui sumpto cibo sacrificabant, hoc ad abusus pertinet, qui sensim irrepserant, vel ex ignorantia Ecclesiasticæ legis, & Apostolicæ traditionis, vel ex pravitate Hæreticorum, qui præscriptos Canones dedita opera violabant, vel arctatus ille mos ad solum diem Dominicæ cœnæ, aut respicit tempus persecutionis, quo necessitas legem vincebat. Tertullianus *de Corona militis cap.* 3. utrumque sacrificium matutinum, & vespertinum commemorat his verbis. *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus*. Ac si diceret, *Tempore victus* id est cœnæ, qua hora Christus hoc mysterium instituit, Eucharistiam sumimus; atque etiam *antelucanis cœtibus*, & consequenter ante omnem cibum. (3). Clarius Cyprianus *Epist.* 63. *ad Cæcilium* de utroque sacri- (3) ficio agit, redarguens Aquariorum errorem, qui semel mane, semel vespere solebant offerre; sed in sacrificiis matutinis solam aquam, ne vinum redolerent: in vespertinis, quia post cœnam, vinum mixtum aqua offerebant. Utrumque autem morem reprobat tanquam absurdum, & Divinæ, atque Apostolicæ traditioni contrarium. Similiter Augustinus *Epist.* 118. respondens Januarii inquisitionibus morem hunc bis offerendi mane, & vespere viguisse docet in Africa in solo die anniversario Dominicæ cœnæ. *Quæris*, inquit, *quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offerendum sit mane, & rursum post cœnam: an jejunandum, & post cœnam tantummodo offerendum: an etiam jejunandum, & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum* (4). Respondet autem, quod (4) si divina Scriptura quid sit faciendum præscribit, ita procul dubio faciendum ut legimus: & si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ esse. Tum ait casum propositum nec definitum in Scriptura, nec universalis Ecclesiæ consuetudine firmatum; sed ex eorum genere esse, quæ per loca & regiones variantur. Quamvis enim Ecclesiæ more receptum esset, quod mysteria semper a jejunis celebrarentur, nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die quo Cœna Domini recolitur, post cibum offerri & accipi deceat Corpus & Sanguinem Christi, tanquam in insigniorem commemorationem mysterii ab ipso post legalem cœnam instituti; quibus

Ex veterum Missis vespertinis, aut nocturnis non deducitur eas absque jejunio celebratas fuisse.

Apud quosdam olim in die Cœnæ Domini mane, & vespere post cœnam celebratum.

quibus contradicere sanctus Pater non audet. Cur vero ipsa die mane, & vespere oblatio fieret, ex eo putat institutum, quod quidam eadem die corpus lavabant, & prandebant, & propter illos mane offerebatur, vespere autem propter jejunantes. (5) Missas quoque matutinas, & vespertinas reperimus in Concilio Agathensi c. 30. & in tertio Aurelianensi c. 28. eo sensu quo nocturnam Missam apud Cassianum, usurpato nomine Missæ, non pro Liturgia, sed pro populi dimissione, quacumque hora, & ad quamcumque Ecclesiasticam functionem conveniret, ut supra Cap. II. explicavimus, in quibusdam Ecclesiis usus Missæ vespertinæ permanserat in vigiliis aliquarum festivitatum, solebant enim Missam nocturnam Nativitatis Domini, & matutinam, quam nonnullæ Ecclesiæ in diei Resurrectionis aurora celebrabant, in vigiliis earundem festivitatum vespere solemniter agere. (6) Has autem & alias quascumque ejusdem generis sustulit Pius V. Constitutione quarta revocatis omnibus privilegiis, & apposita pœna suspensionis (7). (5) (6) (7)

Jejunium ante communionem ab Apostolorum tempore deductum.

(1) *Non jejunus accedere*) Hoc denique præceptum non communicandi nisi jejunum, antiquissimum esse, & ab Apostolorum tempore deductum ex SS. Patribus item ostendit Suarez quæst. 80. art. 8. neque id tantum Disp. 66. Sect. 3. in 3. Partem D. Thomæ observant Catholici, sed & ipsi Hæretici, Orientales maxime, Jacobitæ, Nestoriani, aliique apud Eusebium Renaudotium Liturg. Orient. Tom. 1. pag. 287., ubi eorum plurium ille in hanc rem testimonia profert.

Missæ vespertinæ antiquissimæ.

(2) *Per aliquot secula in Ecclesia permansit*) Missas vespertinas Concilium Antissiodorense commemorat Can. 29. *Sacrificia vero matutina Missarum, sive vespertina ne quis cum armis ad bellorum usum spectet*. Has tempore Quadragesimali potissimum celebratas fuisse colligitur ex S. Ambrosii Serm. 8. in Psal. 118. num. 48., ubi plebem suam adhortatus, ut jejuniorum diebus ad vesperam usque jejuni celesti se convivio, sacræ scilicet communioni servent, ita eam consolatur: *Differ aliquantulum, non longe est finis diei, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio*. Quæ verba habebat ad Populum in Quadragesimali tempore. Idem etiam deducitur ex Honorato Massiliensi in vita S. Hilarii Arelatensis Episc. cap. 2. apud Bollandianos ad diem 5. Maii, ubi legitur, *quod in jejunio ab hora diei sexta usque in ejus decimam epulis plebem spiritualibus saginabat*, scilicet prædicatione, quam sequebatur Sacrificium. Hinc & Theodulphus Aurelianensis in suo Capitulari num. 39. redarguit eos, qui in Quadragesima ad nonam se reficiebant, uti ex iis, quæ infra num. 6. ab Eminen. Authore scribuntur. Extra jejuniorum dies Missas vespere quandoque celebratas fuisse dicemus infra.

Nonnulli Sectarii circa hunc Tertulliani textum male ab ipsis traductum ab eorum gregali Joseph Binghamo reprehensi.

(3) *Et consequenter ante omnem cibum*) Hinc optime Joseph Binghamus, Heterodoxus licet, Orig. Eccles. lib. 13. cap. 4. §. 7. alios Symmistas suos reprehendit, quod ex hoc Tertulliani textu male traducto hujusmodi consuetudinem communicandi post cœnam ad illius ævum usque extendant, videlicet Rigaltium in Cypriano Epist. 63. Fellum ad eamdem, & Caveum prim. Christ. part. 1. cap. 11. perperam enim illius verba eos accipere jure merito existimat; non enim (ait ille) Tertullianus dicit post cœnam Eucharistiam sumpsisse, sed Christum in tempore victus de mandatum Eucharistia omnibus dedisse; tametsi tunc quidem temporis in antelucanis cœtibus, nec de aliorum, quam Antistitum suorum de manibus illam sumerent. Quare ex hujus etiam Hæretici testimonio corroborantur, quæ supra diximus Tom. I. in notis ad cap. 1. num. 4. Agapes nempe, non ante, sed post sumptam Eucharistiam peractas fuisse. Idem tamen Rigaltius in notis ad dictum Tertulliani textum hæc habet, quibus se retractare videtur,

Rigaltius tamen alibi se retractare videtur.

„ scilicet, inquit „ Hæc innuunt Eucharistiæ „ sumendæ tempus ævo Tertulliani tantum „ absuisse a tempore victus, quo tempore „ a Domino fuerat instituta, ut etiam ante- „ lucanis horis sumeretur. Non pugnabo ta- „ men adversus eos, qui sumptam fuisse „ dicunt horis etiam extra antelucanas, mo- „ do ante omnem cibum. Hoc enim signi- „ ficare videtur libro ad uxorem cap. 11. „ *non sciet maritus quid secreto ante omnem* „ *cibum gustes*? Nisi magis videatur etiam ante „ seculum Tertulliani indefensum hoc fuisse, „ & cujusque religione varie factitatum. Exi- „ gua certe est, & obscura mentio Cœnæ „ Dominicæ inter Apostolos celebratæ, etsi „ celebratam quidem, & sæpissime fuisse nemo „ sobrius negaverit, sed ut ait Tertullianus, „ in tempore victus, adeoque fractione illa „ panis, quæ sæpenumero occurrit, includi. „ Hanc in sententiam ducimur illa Pauli incre- „ patione ad Corinth. 1. 11. „ Ad hæc notanda sunt, quæ item observat Gabriel Albaspinæus lib. 1. observ. 14. „ Primis seculis Chri- „ stianos injecta quadam religione, motu- „ que proposito videmus prohibitos tangere, „ videre, sumere, atque adeo Sacrosanctum „ Domini nostri Corpus consecrare, quo „ tempore jejunium celebrarent: propterea „ planum est diebus illis, quibus jejunia „ integra exercebant, hoc est quibus abstine- „ bant, usque ad auctoritatem demorantis „ stellæ, ut loquitur Tertullianus, numquam

„ Missas celebrasse, neque Eucharistiam præbuisse manducandam, consuetudinemque, ac morem illum Missas celebrandi, diebus jejuniorum, non usurpari solitum, nisi cum dimidiato die, non autem pleno, atque integro jejunium observandum judicarint.„ Porro de iis omnibus videndus Emmanuel Schelestratius de Ecclesia Africana Differt. 2. cap. 2. num. 3. pag. 72., & Differt. 3. cap. 7. num. 13. pag. 204.

(4) *Sicut facere solemus, cœnandum*) Ex quibus verbis colligitur tunc Africanos Sacerdotes vespere quidem illa die offerre, sed servato jejunio, quamvis non deessent, qui etiam post cœnam offerrent, ut supra ostensum est.

(5) *Vespere autem propter jejunantes*) Ita cap. 7. ejusdem Epist. Augustinus, ubi ait: *Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur Christo propter prandentes, quia jejunia simul, & lavacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter jejunantes*: Ex quibus verbis, sicuti non obscure deducitur in aliquibus saltem Ecclesiis morem fuisse Missas vesperi celebrare, ut de Gregorio Cordubensi asserunt in Epistola ad Hieronymum Cromatius, & Heliodorus Episcopi vetustiori Martyrologio apud Florentinium præfixa, quam ipse eruditis commentationibus illustrat, & a Baronii scupulis vindicat, de quo illi scribunt, *quod omni die, sive non jejunans matutinas, sive jejunans vespertinas explicans Missas &c.* ita etiam clarum est reliqua, quæ de Feria quinta, ut singularia afferuntur, non vespertinam absolute Missam respicere, sed eamdem, ut a non jejuno celebrandam, quod extra quintam sacræ Hebdomadæ Feriam prohibebatur; idque constat ex Concilio Carthaginesi III. Can. 29., quo cavetur ut Sacramentum Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebretur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur: Idemque confirmat Augustinus Epistola citata cap. 6. ubi ait: *Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi.*

In Africa mane celebratum propter prandentes in die Cœnæ Domini, & vespere propter jejunantes.

(6) *Vespere solemniter agere*) Uti colligitur ex Walafrido Strabone de Reb. Eccl. cap. 23. ubi ait: *Tempus autem Missæ faciendæ secundum rationem Solemnitatum diversum est; interdum enim ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebrantur.*

(7) *Et apposita pœna suspensionis*) In Ecclesia tamen S. Andreæ Vercellensis Canonicorum Lateranensium in Vigilia Nativitatis Domini vespere Missa solemniter celebratur ad solis occasum magno populi confluxu, cui etiam, qui id mihi retulerunt, interfuere; eodem privilegio gaudent Venetiis & ipsi Canonici Lateranenses; quod & in aliis quibusdam Ecclesiis illius Urbis, & in Cathedrali Veronensi observari scribit novissimus Sac. Theol. Doctor Jo. Laurentius Bertius de Theol. Discipl. lib. 33. cap. 22. num. 14. quin etiam hodie, ut testatur Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 3. pag. 294. in percelebris S. Dionysii in Francia Templo, cum solemnes Regum celebrantur exequiæ, Episcopus offerens Sacrificium nonnisi vespere absolvit. In Ecclesia quoque Rhotomagensi die Ascensionis Domini persæpe ad Vesperam Missa celebratur pro publica rei alicujus absolutione. Verum quod una, alterave peculiaris Ecclesia etiamnum in antiquo suo more persistat ex speciali privilegio, & Apostolicæ Sedis indulto, id contrarium universalis Ecclesiæ morem confirmat potius, quam infringit, juxta tritum illud in jure Canonico: Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

In aliquibus locis etiam nunc ex speciali privilegio in vigilia Nativitatis Domini celebratum ad vesperam.

§. V.

Quæ fuerint Missæ nocturnæ.

Ex Missis nocturnis sola permansit, quæ in nocte Natalitia Domini ubique celebratur.

MIssas nocturnas plures olim fuisse, veterum monumenta declarant: (1) (1)
at ex his ea sola permansit, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Tribuitur ejus institutio Telesphoro Romano Pontifici, qui Martyrio coronatus est anno 154. cujus decretum refert Gratianus *c. Nocte sancta, de consecr. dist.* 1. Sed Epistola decretalis Telesphori, e qua Canonem Gratianus excerpsit, supposititia est, nam præter alia argumenta id evidenter ex eo concluditur, quod pervigilium, & pernoctatio, imo & ipsa festivitas Nativitatis multis annis post Telesphorum stata die coli cœperunt, nempe sub Julio I. ut Florentinius in notis ad suum Martyrologium diffuse probat *Exercit.* 2. (2) Missæ autem no- (2)
cturnæ hujus diei, sicut & aliarum quæ diluculo, & hora tertia dicuntur, meminit Gregorius M. *in lib. Sacramentorum*, & *hom.* 8. *in Evangelia*. Quod vero Abnalhassarus Cophtita *cap.* 15. *Constit. Ægyptiacarum*, citatus ab Abrahamo Ecchellensi *in Præfatione Concilii Nicæni, quam ex Arabico in Latinum transtulit pag.* 62. a Patribus ejusdem Concilii sancitum

In plerisque regionibus etiam in Epiphania Domini Missa noctu celebrata.

citum fuisse ait, ut in die Nativitatis, & Epiphaniæ Missa noctu ageretur, aliis examinandum relinquo. Hæc forsitan fuit Cophtorum traditio, postquam festum Nativitatis, quod die sexta Januarii simul cum Epiphania in plerisque regionibus agebatur, ab ipsa sejunctum est. Est & alia quædam Missa nocturna, nisi quis velit eam potius matutinam nuncupare, in quibusdam Provinciis, præsertim in Polonia, & Germania hodie usitata tribus, vel quatuor horis ante lucem, quæ ab initio Introitus Missa *Rorate* nuncupatur, & in Adventu Domini ad honorem

Item Missa Rorate *in Adventu tribus, vel quatuor horis ante lucem.*

B. Virginis cum ingenti solemnitate cantatur. (3) Reliquæ Missæ no- (3)
cturnæ abierunt in desuetudinem, quarum præcipua erat Missa Sabbati Sancti pertinens ad diei sequentis noctem, in qua Christus creditur resurrexisse. Hieronymus *in Matth. cap.* 25. traditionem Apostolicam fuisse ait, ut in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos di-

Missa in vigilia Paschatis olim ante dimidium noctis.

mittere non liceat. (4) Ejusdem moris testis est Tertullianus lib. 2. (4)
ad uxorem cap. 4. *Quis solennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Antiqui*, ait Hugo Victorinus lib. 3. (5) de specialibus Missæ obser- (5)
vat. cap. 21. *jam fere transacto die Sabbati Officium hoc celebrarunt: Sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit destinatum.* Puto autem quod ritus ille paulo ante Hugonem alicubi cœperit immutari. Ipse enim obiisse dicitur anno 1140. At Concilium Claromontanum anno 1095. *can.* 26. statuit ut in Sabbato Sancto jejunium circa noctem protrahatur: & Guil. Durandus, qui vivebat anno 1280. *lib.* 6. *Rationalis cap.* 76. veterem ritum in quibusdam Ecclesiis, usque ad sua tempora permansisse asseverat: idemque de suo tempore post annum scilicet 1400. asserit Thomas Valdensis *cap.* 25. *Tom.* 3. *Doctrinalis.* Theodorus Balsamon *in can.* 90. *Trullanum* scribit Christianos religiosiores toto illo Sabbato in Ecclesia manere solitos, & sexta noctis hora, id est media nocte Divinis Sacramentis communicare, & hora septima ejusdem noctis Psalmodias matutinas audire. Idem statuit Ordo Romanus, non dimittendum scilicet populum ante mediam noctem, & in ipsa nocte matutina luce erumpente redeundum esse in Ecclesiam ad nocturnas vigilias Paschæ celebrandas. In Monasteriis vero signa pulsari jubet, cum prima stella in cœlo visa fuerit, & tunc cantari Litaniam, ac postea ad Missam procedi. Quod autem præcipit Ordo Romanus, Ecclesia quoque Gallicana servabat, teste Amalario lib. 4. cap. 20. *in Sabbato Sancto*, inquit, *expectant omnes jejuni usque ad noctem, quando Missa celebratur Resurrectionis Domini.* Et infra cap. 40. *In nocte sancta Resurrectionis Domini Missam celebramus propter eamdem Resurrectionem, quæ in ea completa est.* Nunc circa meridiem hanc Missam canimus, sed quamvis hora anticipetur, non sunt tamen mutatæ orationes, in quibus noctis mentio fit. Dicimus enim in Collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras.* Et in Præfatione, *In hac potissimum nocte:* & infra actionem, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes.* Quater item in anno; in Sabbatis nimirum quatuor temporum Missa noctu ce-

Itidem in Sabbatis quatuor Temporum olim noctu Ordinationes celebratæ.

lebrari consuevit, sicut Leo primus testatur Epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum; *Quod a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur.* Ideo, ut notat Micrologus cap. 29. *Quatuor Dominicæ, quæ*

P 2 *hujus-*

hujusmodi jejunia proxime subsequuntur, in libris Sacramentorum vacantes *prætitulantur, eo quod propriis careant officiis. Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio Ordinationum juxta decreta Sanctorum Patrum tam sero fiebat in Sabbato, ut potius Dominicæ, quam Sabbato adscriberetur.* (6) Hinc etiam præcepit Ordo Romanus, ne Sabbato quatuor Temporum in Quadragesima oratio super populum diceretur, qua revera carent antiqua Missalia, quia ad illam & capita & genua flectebant Fideles, quod die Dominico nefas erat. Concilium Claromontanum *c.* 24. de his Sabbatis ita sancivit: *ut protrahatur jejunium usque ad vesperas, & si fieri potest usque in crastinum, ut magis appareat in die Dominico Ordines fieri.* (7) Alia Missa nocturna acta olim est in vigilia Pentecostes, in ipsa scilicet nocte, quæ lucescit in Dominica, ut notat Menardus ad lib. Sacrament. *pag.* 161. At Ordo Romanus statuit sic officium in hac vigilia disponi, ut hora octava diei ingrediantur ad vigilias, vel Missarum solemnia, & hora nona expleta omnia consumentur. Certum est etiam noctu ad Missas convenisse Fideles, cum Tyrannorum persecutio vexabat Ecclesiam, de qua re notissima est Tertulliani sententia lib. de fuga in persecut. cap. 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem*, & ad uxorem loco cit. *Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret?* Eidem suffragatur Prudentius hymno de S. Laurentio.

(6)

(7)

Alia olim Missa nocturna in vigilia Pentecostes.

Noctu etiam ad Missas fideles convenisse primis Ecclesiæ seculis persecutionum tempore ex veterum monumentis certum est.

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque, & artem proditum est,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Subscribit Augustinus Epist. 86. ad Casulanum, in qua differens de his, quæ Lucas in Actibus Apostolorum narrat Paulo accidisse cum esset Troade, ait: *Post peractum diem Sabbati noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem Dominicum, hoc est ad unam Sabbati pertinebat; & ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata rursus usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die.* Huc etiam pertinent cœtus antelucani, propter quos natio Christianorum apud Minutium latebrosa & lucifugax dicebatur, de quibus Plinius *lib.* 10. *Epist.* 97. ad Trajanum scribit, *quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* In his autem conventibus Sacramentorum celebrationem non defuisse ex moribus illius seculi manifestum est.

(1) *Veterum monumenta declarant*) Inter cætera, in ordine Officii, qui habetur in Codice Bibliothecæ S. Udalrici apud Augustam Vindelicorum scripto ab annis fere nongentis, ut ait Mabillonius Analect. vet. in fol. pag. 152. & conjicit esse Ordinem antiquum Ecclesiæ Frisingensis, quæ D. Benedicto sacrata erat, leguntur hæc: *Item in Cœna Domini agatur Missa ad vesperum.*

(2) *Probat exercit.* 2.) Præterea Epistola illa, quæ Telesphori nomine scripta dicitur ad omnes Episcopos, incipit cum verbis Damasi Papæ, Epistola ad Illyricos: *Credimus sanctam Fidem vestram in Apostolorum eruditione laudatam*: uti nuper observarunt viri docti, habetque alia plura ex ejusdem Damasi Epistolis testimonia, item ex Psal. 25. 36., & 51. versionis S. Hieronymi; quare merito ab iisdem reijcitur. Porro de solemnitate Nativitatis Domini a Julio I. instituta, lege Pagium juniorem Breviar. Gest. Pontif. in Julio n. XI, & seqq. ubi plura in hanc rem eruditissime congerit, ex quibus colligere licet Julium Pontificem Cyrilli Hierosolymitani

tani suasu solemnitatem Dominicæ Nativitatis diei 25. Decembris affixisse, quod & observatum postea in Oriente deducitur ex Joannis Chrysostomi Serm. 35. de Christi Natali, Oper. Tom. 5. pag. 466. Cæterum longe ante id tempus, exeunte nimirum seculo secundo, vel nondum celebratum hoc festum, vel alicui peculiari diei alligatum non fuisse saltem in Ægypto, ac finitimis Provinciis haud obscure arguit Pagius laudatus ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum. Id quod etiam extitisse anno 246. medio scilicet seculo tertio idem eruit ex Origene lib. 8. contra Celsum; ex quibus infert Natalis Christi Domini, & Epiphaniæ Festivitates, tunc Catholicis ignotas fuisse; an autem id verum, judicent alii. Illud pro certo constat priscis Ecclesiiæ temporibus, & post Clementem, ac Origenem Epiphaniæ festum idem fuisse, ac Natalis Christi, quo scilicet Salvator noster hominibus apparere dignatus est, & Epiphaniam tam Christi Nativitatem, quam Magorum adventum, & Christi baptismum signasse, uti optime ostendit Dionysius Gothofredus in Commentario Legis V. Theodosii junioris Imp. *de spectaculis* an. 425. datæ; Festum autem Epiphaniæ tam in Occidente, quam in Oriente celebratur Mensis Januarii sexta die, uti de Occidente testatur Ammianus Marcellinus Scriptor Ethnicus Histor. lib. 21. cap. 2., & quoad Orientem fidem facit Cassianus Collat. lib. 10. cap. 2. Hanc porro duplicem in una festivitatem postea fuisse divisam ex Julii, Pontificis Decreto constat ex prædicti Cyrilli Hierosolym. Epistola ad Julium Papam, qnam refert Joannes Nicænus, qui ante seculum XI. vixit, in Epistola de die Natali, quam e Græco translatam notis illustravit Combefisius Auctar. novi PP. Græc. Tom. 2. pag. 311. de qua etiam vide Cotelerium PP. Apostol. pag. 233. ubi ait: *a quo tempore* (Julii scilicet Papæ) *cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem XXV. Decembris, tradiditque celebrandam universæ Ecclesiæ*. Licet autem ipsi Combefisio, Cotelerio, Caveo, aliisque nonnullis hæc Joannis Nicæni Episcopi Epistola de die Natali nova & fabulosa visa fuerit, nihilominus quidquid de eadem sit ex iis, quæ docte proferunt dicti Florentinius a Cardinali citatus, Gothofredus, & Pagius mox laudati, haud dubie constat sub Julio I. Papa Nativitatis Dominicæ solemnitatem separatim ab Epiphania celebrari cœpisse; id enim expresse innuunt Gregorius Nyssenus initio Orationis funebris in S. Basilium fratrem, Gregorius alter Nazianzenus Orat. 39. in Epiphaniam, & S. Joannes Chrysostomus cit. hom. 35. de Christi Natali, ac denique memoratus Theodosius Imp. in lata lege 5. de Spectaculis.

Olim Epiphaniæ Festum idem cum Natali Domini.

Epiphaniæ Festum a Natali Domini separatum sub Julio Papa I.

(3) *Cum ingenti solemnitate cantatur*) Huic consimilis est prima Missa nocturna Natalis S. Joannis Baptistæ antiquitus celebrari solita, quæ in Sacramentario Gregorii, aliisque Liturgiarum libris manuscriptis, ut in Gellonensi, & Turonensi annorum 300. inscribitur *Missa de nocte*, seu, ut habet Regius Codex, & alter Noviomensis optimæ notæ, *de media nocte*. At revera primam hanc Missam non de nocte, sed ad auroram decantatam fuisse indicant Codices Remensis, Rodardi, & Ratoldi apud Menardum in notis ad Sacram. Gregorii, in quibus legitur, *in prima mane*, uti apud Pamelium, *in mane prima*, seu ut loquitur Amalarius lib. 3. cap. 58., & lib. 4. cap. 40. *diluculo in exordio lucis*. Id præterea certissima probant argumenta, ut notat Martene de antiqu. Eccl. Rit. lib 1. cap. 3. art. 3. cap. 3. num. 15. Nam Halgadus Floriacensis Monachus in Vita Roberti Franc. Regis ejusdem Missæ post *Te Deum laudamus* in matutinis celebratæ mentionem facit, eamque institutionem Gregorio Magno tribuit. Porro superiori seculo primam Missam S. Joannis in aurora quasi in fine noctis, & initio diei celebratam fuisse, scribit Scultingius. Et quidem in Fossatensi S. Mauri Ecclesia prope Parisios, etiam hodie, solemnis media nocte Missa celebratur, sed de translatione S. Mauri: altera vero post tertiam de S. Joanne, ut asserit dictus Martene loco citato.

Missæ aliæ olim noctu celebratæ.

(4) *Ante noctis dimidium populos dimittere non liceat*) Idem docent Amalarius lib. 1. cap. 16., & Alcuinus, qui hunc locum S. Hieronymi citant. Immo id etiam non subobscure indicant S. Ambrosius Epist. 23. ad Episcopos per Æmiliam constitutos, ubi ait: *certa ratione comperta ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique Sacrificium pro Resurrectione Domini deferatur*: Ad quem locum doctissimi Editores Monachi S. Mauri sic „ notant: „ Observa veteris Ecclesiæ con„ suetudinem, qua Sacrificium in pervigilio „ Paschatis eo ipso tempore offerebatur, quod „ Christi Resurrectione consecratum est. Sanctus quoque Augustinus idem indicat serm. 228., & serm. 219. Eapropter Innocentius I. Papa in celebri Epist. ad Decentium scribit Ecclesiæ traditionem habere feria sexta, & Sabbato Sancto Sacramenta penitus non celebrari, quia revera hujus diei Missa tota in nocte peragitur; quare antiqui Sacramentorum Codices non ante volunt Missam inchoari, quam appareat *una ex Stellis in Cælo*. Quibus additur Concilii Antissiodorensis cap. 2. quo *non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias perexplere*. Porro Divinum hujus diei Officium *supra mediam noctem* protraxisse memoratur Carolus Magnus Imperator apud Monachum Sangallensem in libro de Ecclesiastica cura ejusdem Caroli Magni cap. 24. Et sane vide Gregorium Turonensem lib. 2. Hist. Franc. cap. 34. ubi Missa Sabbati Sancti nocte celebrata narratur. Perseveravit autem hæc pia, sanctaque traditio saltem aliquibus in locis usque ad finem seculi XIV. ut constat ex Consuetudinibus Canonicorum Regularium Monasterii Cassanensis an. 1387. renovatis, in quibus hæc se legisse testatur Edm. Martene de antiqua Ecclesiæ disciplina in Div. Offic. cap. 24. num. 34. *Sabbato Sancto Missa dicitur tardius, & in quibusdam locis celebratur nocte.*

Hujusmodi Missæ nocturnæ usque ad finem seculi XIV. observatæ.

(5) *Ait Hugo Victorinus lib. 3.*) Opus illud hactenus adscriptum est Hugoni Victorino, sed jam vindicatum est Roberto Paululo

lulo Presbytero Ambianensi, vero illius parenti, qui labente sec. 12. vivere desiit.

(6) *Quam Sabbato adscriberetur*) Eapropter Missa pro ordinandis Dominicæ Officium, & Sacrificium supplebat.

(7) *In die Dominico ordines fieri*) Cæterum antiquitus etiam Leonis Magni tempore vespere ut plurimum celebratas fuisse ordinationes patet ex Epistola Gelasii Papæ I. qui paulo post eidem successit, ad Lucaniæ, & Brutiorum Episcopos data, ubi dicitur: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, idest quarti Mensis jejunio, septimi, & decimi, sed etiam Quadragesimalis initis, ac meridianæ hebdomadæ, & Sabbati jejunio circa vesperam noverit celebrandas.*

§. V.

Diversæ olim horæ Missarum solemniis assignatæ pro dierum diversitate.

Reddita postmodum Ecclesiæ pace certa hora rei divinæ celebrationi
tributa est, diversa tamen pro dierum, temporumque diversitate.
Scribit Anastasius in Vita Telesphori ipsum constituisse, ne quis præsu-
meret ante cursum horæ tertiæ Missas celebrare, quod decretum referunt
Amalarius *lib.* 3. *cap.* 42. & Strabo *cap.* 23. Sed hos decepit Pseudo-
Isidorus, qui primorum Pontificum Epistolas Decretales ausu temerario
finxit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces obtrusit. (1) Quid (1)
enim magis alienum a conditione illius seculi, quo Christiani furentium
Imperatorum gladios declinantes summo studio latitabant, quam hujus
legis editio, quæ nullo modo poterat observari? Noctu & in occultissi-
mis locis convenisse Fideles ad Synaxim supra citatus Tertullianus nos
docet, qui aliquot annis post Telesphorum florere cœpit imperante Se-
vero: nec aliter sane poterant, ut & dignitati Sacrificii, & propriæ vitæ
securitati prospicerent. Probabilis igitur sententia est, magisque con-
grua, quam refert Baronius *anno* 382. hanc tertiæ horæ præfixionem a
S. Damaso sancitam fuisse, ex præscripto, ut ajunt, Canonis Nicæni, (2)
qui tamen non extat. (2) Hanc autem horam quolibet die festo ser-
vatam semper fuisse veterum Patrum pervincit auctoritas, quamvis Con-
cilium Aurelianense tertium c. 14. refragari videatur, id servari præci-
piens in præcipuis dumtaxat solemnitatibus, ob aliquam fortassis illarum
partium specialem rationem, vel consuetudinem, quæ tunc temporis
vigebat. Sidonius Appollinaris lib. 5. Epist. 17. *Cultu peracto vigilia-
rum, quas alternante mulcedine Monachi, Clerique Psalmicines concelebra-
verant; quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad ter-
tiam præsto futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda.* Gregorius Tu-
ronensis in vita S. Nicetii, *Hora tertia*, inquit, *cum Populus ad Mis-
sarum solemnia conveniret.* Gregorius Magnus *hom.* 37. *in Evang.* de
Cassio Narniensi Episcopo Sermonem habens ait, *Oblaturus Sacrificium
ad horam tertiam venerat.* Narrat Joannes Moschus in Prato spirituali
cap. 27. cujusdam Villæ habitatores Presbyterum suum apud Episcopum
accusasse, quod die Dominico nunc hora tertia, nunc hora nona Missam
celebraret non servans solemnem, ac legitimum ordinem sanctæ oblatio-
nis. Theodulphus Aurelianen. in Epist. ad Clerum suum *cap.* 45. quod
a Gratiano *de consecr. dist.* 1. *c.* 52. sub Augustini nomine perperam
citatur, statuit ut Missæ peculiares die Dominico non ita publice fiant,
ut per eas Populus a publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia ca-
nonice fiunt, abstrahatur. (3) In diebus autem jejuniorum extra Qua-
dragesimam horam diei nonam sacrificio offerendo destinarunt Antiqui.
Testatur id Epiphanius *sub finem lib.* 3. *adversus hæreses* differens de mo-
ribus primitivæ Ecclesiæ, ubi ait feria quarta, & sexta per totum an-
num

Hora tertia Missarum solemniis celebrandis seculo quarto assignata.

num celebratam Liturgiam hora nona, quia nimirum fideles illis diebus jejunare solebant. (4) Ambrosius in Psal. 118. in explicatione versic. 62. *Indictum est jejunium, cave ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, tamen cœlesti magis te servato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longe est finis diei: imo plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda Oblatio.* Ubi observandum quod ait, plerosque esse, non omnes dies jejunii, in quibus post meridiem itur in Ecclesiam, canuntur hymni, & circa horam nonam fit oblatio; Quadragesimalis enim jejunii alia ratio est, ut infra ostendemus. Concinit Prudentius hym. post jejunium, qui est 8. quotidianorum. (4)

Jejuniorum autem diebus hora nona.

Nona submissum rotat hora solem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus festum, fruimurque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

Idem hymno 6. de Coronis.

Jejunamus ait, recuso potum,
Nondum nona diem resignat hora.

Hæc Prudentius docens Fideles solitos jejunare usque ad nonam. Ordo Romanus de jejunio Pentecostes sic decernit. *Jejunium faciant IV. & VI. feria, & in Sabbato usque ad horam nonam.* Deinde præscribit quæ Lectiones ad Missam legi debeant. Concilium Moguntinum apud Ivonem Carnotensem *pag.* 4. *cap.* 35. loquens de jejunio quatuor Temporum, *Quarta* inquit, *& sexta feria, & Sabbato, veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Litaniis ad Missarum solemnia.*

(1) *Totique Ecclesiæ tamquam legitimas merces obtrusit*) De his Epistolis Decretalibus Pontificum vide supra cap. 3. num. 1. ubi plura de iis disseruimus, legendusque hac de re Petrus Coustantius in sua erudita Præfatione ad Epistolas Summorum Pontificum §. X., & præcipue num. 159., & seqq. Strabonem porro, & Amalarium præcessit in hac sententia Author Libri Pontificalis in Telesphoro asserens ipsum constituisse, quod *Natali Domini Missæ noctu celebrarentur, cum omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missam celebrare*: verum & ipse hallucinatus est, utque observat Schelestratius Antiquit. Illustr. Tom. I. pag. 411. in notis ad Telesphorum: „ hoc „ Pontifice, incipit Author Libri Ponficalis „ adjungere nonnulla, quæ aliunde desum- „ psit, quam ex secundo Catalogo, ut ra- „ tionem quam addit de non incipienda „ Missa ante horam diei tertiam, idest jux- „ ta computum horarum in Palæstina fieri „ assuetum, ubi dies hora sexta ante meri- „ diem incipiebat, & in meridie sexta finiebat „. Cæterum idem Schelestratius a subsequenti nota 2. pag. 413. descripta poterat „ abstinere, videlicet: „ præclarum est enim „ hoc Telesphori decretum, quod in primi- „ tiva Ecclesia locum habere potuit, dum „ unum Altare in singulis Ecclesiis, & non „ plusquam una Missa per diem in illis ce- „ lebratur; constat enim, ut supra abunde dictum est cap. 14. num. 2. multos fuisse Sacerdotes in Ecclesia, pluraque ibidem Altaria; idque etiam Evaristi tempore, qui 19. annis Telesphorum præcessit. Evaristus enim aucta Christiani populi multitudine Titulos XXIV. in Romana urbe Presbyteris distribuit, pluresque Presbyteri eidem titulo adscripti leguntur; uti optime Antonellus in sua Dissertatione hac de re edita num. 17. in fine, quos certe Presbyteros festis saltem diebus omnes, & singulos sacrificasse negandum non est.

Emm. Schelestratius notatus.

(2) *Qui tamen non extat*) Hanc Eminentiss. Sententiam approbat Pagius jun. Brev. Gest. Pontif. in Telesphoro num. 5., quam tamen reprobat Petrus Coustantius Epist. Summ. Pontif. in Damaso §. 4., & 10. pag. 607., & 610. ubi gesta illa Damasi falsitatis, & imperitiæ coarguit. Non est hic nobis hanc litem seu controversiam dirimere, cum ipsam item fuse disquirat Joannes Ciampinus Exam. libri Pontificalis in Damaso; cæterum negari non potest probabiliorem utique Baronii, & Bonæ nostri sententiam

tiam tot veterum monumentorum testimonia hoc loco relata conficere, quibus ut pleniori testium nube contraria diffletur opinio, addimus Concilii Bracarensis III. an. 572. Canonem IX. quo idem statuitur, & confirmatur.

(3) *Ut per eas populus &c. abstrahatur*) Hinc apud Reginonem Prumiensem Abbatem lib. 1. de Eccl. discipl., inter ea, quæ Episcopus Parœcias suæ Diœcesis perlustrando inquirere debet, unum illud est num. 29. *Si Missarum solemnia non ante horam tertiam celebrentur*. Idem usus hora tertia Missam celebrandi & apud Græcos obtinuit, uti docet Nicetas Pectoratus his verbis: *Sic ergo accipientes nos Sabbato, & Dominica die secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus Sanctus descendit super Discipulos, immolantes in ipsis sanctificamus munera*.

(4) *Illis diebus jejunare solebant*) Et ante ipsum Tertullianus non uno in loco de jejuniis, & stationibus, quæ illis ipsis obiri consueverant, mentionem facit, ita in lib. de jejuniis contra Psychicos: *Cur stationibus quartam, & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven?* Et cap. 2. *Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum, proinde nec stationum, quæ & ipse suos quidem dies habeant quartæ feriæ, & sextæ*. Quibus diebus ad Synaxim adeuntes Fideles ibidem ad nonam usque perseverabant, uti idem Tertullianus Montanista ibidem indicat, Catholicis, quos ipse Psychicos contumeliose appellat, objiciens, quasi injuste eosdem Montanistas reprehendant, pro eo, quod Stationes suas ad vesperam producerent, idest jejunia. *Æque Stationes nostras, ut indignas, quasdam vero, & in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus, & ex arbitrio obeundum esse dicentes, & non ultra nonam detinendum, de suo scilicet more*: Item ibidem: *Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus*.

Atque hoc loco notandum non leviter hallucinatum fuisse Pamelium (uti observat Petavius in Animadvers. ad Epiphanii Expositionem Fidei, seu de vet. Ecclesiæ Ritibus) dum Tertullianum per calumniam hæc in Orthodoxos jacere scribit, quod negarent stationes, hoc est jejunia ultra nonam propaganda, cum, ut ex infinitis veterum testimoniis constat, ad Solis occasum usque jejunia protelaverint, ut infra noster Eminentiss. Author. Sed aliud videlicet statio est, quam jejunium, & jejunia stationum, uti nec stationes ipsæ minime ultra nonam observabantur. Quare jure merito a Catholicis castigata Montanistarum illa novitas fuit, quod stationes, & jejunia, aliis, quam quæ ab Ecclesia præscripta essent, temporibus ad vesperam extenderent; nam ad nonam dumtaxat feria quarta, & sexta perseverasse in statione Montanistas eodem Lib. cap. 10. indicat Tertullianus: *Non quasi respuamus nonam*, inquit, *cui & quarta Sabbati, & sexta plurimum fungimur*: Propterea Stationum jejunia illa ab eodem Authore nominantur cap. 13. *Ecce enim* (ait adversus Catholicos) *convenio vos, & præter Pascha jejunantes citra illos dies, quibus ablatus est Sponsus, & stationum semijejunia interponentes*. Semijejunia vocat illos dies citra Quadragesimam, scilicet feriam quartam, & sextam, quia usque ad nonam jejunabatur; in Quadragesima vero usque ad vesperam, uti infra etiam Eminentissimus Author. Præterea solutum fuisse jejunium, sive ad nonam usque, sive ad vesperam prolatum nonnisi cum Liturgia, seu Missa, nos docet idem Tertullianus lib. de Oratione, ut alibi dictum est. *Non putant plerique Sacrificiorum Orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini*. Solvebatur quidem statio cum Missa, etsi non omnes communicarent. Atque inde novum argumentum de Missis sine communicantibus præter Sacerdotem antiquitus celebratis habetur.

Iac. Pamelius a Dion. Petavio reprehensus.

§. VI.

Cur diebus jejuniorum dilata quandoque Missa usque ad vesperam.

At in jejuniis Quadragesimalibus Missa tardius agi solebat, & hæc *Statio sera* dicitur a Tertulliano lib. de jejuniis, *quæ ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat*. Fideles enim ad vesperam hoc jejunium solvebant audito sacro. Clare explicat hunc ritum præcitatus Theodulphus cap. 39. *Solent plures, qui se jejunare putant*, loquitur autem de quadragesimali observatione, *mox ut signum audiunt ad nonam, manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemniis, sive vespertinis officiis, largitis prius eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina bora, & completa oratione sua, jejunium solvere debet*. Refert hoc capitulum Gratianus *de consecr. dist. 1. c. solent*, ex Concilio Cabilonensi: at vir eruditissimus

ditissimus Lucas Dacherius Amalario tribuit ex M. S. Cod. Abbatiæ Corbejensis *Tomo* 7. *sui Spicilegii pag.* 173. Cujuscumque autem sit, priscum morem celebrandi hora vespertina in diebus jejunii Quadragesimalis apertissime confirmat. (1) Idem ritus servabatur olim in vigilia Nativitatis (1)
Domini, ut ex Ordine Romano palam fit. *In vigilia*, inquit, *Nativitatis Domini hora nona canunt Missam ad S. Mariam, qua expleta canunt vespertinalem synaxim, dehinc vadunt ad cibum*. Paulinus quoque Nat. 7. S. Felicis eundem ritum viguisse canit in ipsius Pervigilio.

Noctis eum morem, ut jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœtibus a Templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumpta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & psalmis producere noctem. (2) (2)

Unde colligitur etiam in aliis jejuniis extra Quadragesimam dilatum quandoque Sacrum usque ad vesperam. (3) Hujus autem moris hæc ratio (3)
assignari solet, quia rigor pœnitentiæ, & jejunii mœstitia gaudium illud, & animi exultationem excludebat, quam Fideles ex sacrificio, & Eucharistiæ communione percipiebant, quæ salutis nostræ pignus est, & resurrectionis fiducia. Ita docet Joannes Zonaras *in can.* 52. *Concilii Trullani*, nimirum jejunii tempus expiandis intimo dolore criminibus institutum fuisse, sacrificium vero festivam habere solemnitatem, & lætitiam, quæ simul stare non possunt: neque enim in sola ciborum abstinentia consistebat jejunium, sed omnes ad Ecclesiam diluculo confluebant inculto habitu, ac cinere conspersi, cumque luctu, & lacrymis tabescerent, dare locum Eucharistiæ, mutuoque complexu, & osculo signa præbere hilaritatis, inter corporis squalorem, & animi tristitiam, incongruum existimabant: nam sacrificii alacritas jejunii mœrorem turbasset, & jejunii luctus sacrificii jucunditatem ademisset. Idem de Baptismo asserit Tertullianus in fine Libri, quem de illo conscripsit; cum enim dixisset Christum post baptismum quadraginta diebus jejuniis functum, subdit: *Ergo & nos, dicet aliquis, a lavacro potius jejunare oportet. Et quis enim probibet, nisi necessitas gaudii, & gratulatio salutis?* Quod si gaudii necessitas causa erat, ne recens baptizati jejunarent; tanto magis æquum fuit, ut Fideles ab omni jejunio, eique annexo mœrore eximeret Eucharistia, quæ totius hilaritatis fons est, & omnium gaudiorum plenitudo. Ideo Missa ad illud tempus differri solebat, quo jejunium solvi poterat, ut sacræ mensæ participes effecti, & modesta refectione refocillati animo, & corpore lætarentur. Eamdem ob causam festivitates Martyrum in

Veteris Ecclesiæ ritu festum agere, & non jejunare invicem connexa erant

Quadragesima peragi Synodus Laodicena c. 51. (4) prohibuit, quia ve- (4)
teris Ecclesiæ ritu festum agere, & non jejunare connexa invicem erant, ac propterea Orientalis Ecclesia, quæ solam festivitatem Annuntiationis in Quadragesima celebrat, ea die non jejunat: & Patres decimi Concilii Toletani festum ipsum Annuntiationis ad diem XVIII. Decembris transtulerunt, qua adhuc in Hispania solemniter agitur sub nomine Expe-
ctationis partus B. Virginis, (5) ea ratione permoti, quod minime dece- (5)
ret tantam solemnitatem in Quadragesima celebrari; *sicut*, inquiunt, *auctoritate regulari cautum est*. Et ne viderentur id sine exemplo instituisse, addunt; *in multis namque Ecclesiis a nobis & spatio remotis, & terris hic mos agnoscitur retineri*. Et quis scit an hac de causa festum S. Patris Benedicti ad diem XI. Julii a Majoribus nostris translatum primitus fuerit; sed postea in Italia abrogatum ob excitatam inter Casinenses, & Floriacenses Monachos controversiam de translatione Reliquiarum ejusdem Sancti

in Galliam ? ſed hæc mea , & mera ſuſpicio eſt , in qua hic immorari
extra opus foret (6). S. Ambroſium ſemper jejunaſſe, niſi die Sabbati, & (6)
Dominico, vel cum Natalitia celeberrimorum Martyrum eſſent , ſcribit
Paulinus Presbyter in ejus vita. Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum per
diverſa loca diebus ſolemnibus Martyrum , & feſtis quibuſcumque non je-
junari teſtatur. Leo Magnus Epiſt. 93. ad Turibium Aſturicenſem arguit
Priſcillianiſtas, quod in die Natalis Domini jejunarent . Immunes quoque
a jejunio eſſe feſtivitates Domini , Beatæ Virginis , & Sanctorum, aſſe-
rit Nicolaus I. in Epiſtola , qua reſpondet conſultationibus Bulga-
rorum . Eodem zelo diſciplinæ Eccleſiaſticæ imbuti, qui canones
pœnitentiales ediderunt , diem Dominicum , alioſque feſtivos exi-
munt a jejunio . Concilium item Turonenſe II. *c.* 17. prandium Monachis
concedit , quando Miſſæ, ideſt feſtivitates Sanctorum ſunt . Sed regredior
ad Quadrageſimam , a qua digreſſus ſum . In ea Latini circa finem diei,
imminente , ut dixi , jejunii ſolvendi hora , quotidie ſacrificium offerre
conſueverunt : Græci vero Miſſa utuntur Præſanctificatorum , de cujus in-
ſtitutione , & ritu egi ſupra Cap. XV. Irrito conatu Romanam Eccleſiam
calumniatur Nicetas Pectoratus Hieromonachus Studita, ac ſi antiquos ca-
nones , & jejunii legem tranſgrediatur , quotidie in Quadrageſima cele-
brans , idque hora tertia , ut falſo ſupponit . Nam tempore Nicetæ an-
no circiter 1050. adhuc vigebat mos veſpere celebrandi, nec ullus extat
legitimus canon , quo ſacrificium iis diebus prohibeatur. Trullanum ſiqui-
dem , a quo Miſſa Præſanctificatorum præcipitur , ab Eccleſia reproba-
tum fuit : & Laodicenum , ad quod ejus originem nonnulli referunt, non
fuit univerſale. Pluribus invehitur adverſus Nicetam Humbertus Silvæ Can-
didæ Epiſcopus , ſed nimis acriter, nec ſemper appoſite . (7) Porro Ni- (7)
cetas violati jejunii Latinos ante horam nonam celebrantes accuſat , quia
Græci falſa perſuaſione putabant ſeculo XI. Eucharistiæ perceptione jejunium violari.
Græci falſa quadam perſuaſione , ne dicam ſuperſtitione, decepti Eucha-
riſtiæ perceptione violari jejunium putabant, naturalis , & Eccleſiaſtici
jejunii diſcrimen ignorantes : quo etiam errore quoſdam in Africa im-
butos fuiſſe indicat Tertullianus in fine libri de oratione . *Stationum die-
bus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum , quod ſta-
tio ſolvenda ſit accepto corpore Domini . Ergo devotum Deo obſequium
Euchariſtia reſolvit ? an magis Deo obligat ? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua,
ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini , & reſervato, utrum-
que ſalvum eſt , & participatio ſacrificii , & executio officii .* Cujus ſen-
tentiæ hic ſenſus eſt . Licet ſumptio Euchariſtiæ jejunio non obſit , ſi ta-
men hic te ſcrupulus angit , potes & jejunium ſervare, & ſacrificio in-
tereſſe, accepto corpore Domini , & non manducato, ſed reſervato. Tunc
enim Euchariſtia manu accipi conſueverat, & domum deſerri , ac ibidem
ſumi , ut ſuo loco videbimus (8). (8)

(1) *Apertiſſime confirmat*) Porro ante Theodulphum Concilium Braccarenſe III. an. 572. can. IX. jam ſupra memoratum , de initio Quadrageſimæ hæc ſtatuit : *Quod Epiſcopi , vel reliquus Clerus aſtanti populo poſt lectionem Evangelicam nuntient , ut introitum Quadrageſimæ nullus ignoret , in cujus principio convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ per triduum cum Pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes celebrent Litanias . Tertio autem die celebratis hora nona , ſive decima Miſſis , dimiſſo populo , præcipiant Quadrageſimæ ſervare jejunia .*

(2) *Pſalmis producere noctem*) In hoc autem differt jejunium Quadrageſimale , ut ait Micrologus cap. 49. quod in aliis poſt Nonam , in hoc poſt Veſperam refici debemus ; & ideo Miſſa in his diebus poſt Nonam celebratur . In id S. Bernardus Serm. 1. in Quadrageſima : *Hactenus* , inquit , *uſque ad Nonam jejunavimus ſoli : nunc uſque ad Veſperam jejunabunt nobiſcum pariter univerſi Reges , ac Principes , Clerus , & populus , nobilis , & ignobilis , ſimul in unum dives , & pauper .*

(3) *Dilatum quandoque Sacrum uſque ad Veſpe-*

Vesperam) Eadem insuper confirmantur: in Actis enim S. Theodori Siceotæ ex Archimandrita Galatiæ Episcopi Anastasiopolitani, qui flor. sec. 7. per Georgium ejus discipulum scriptis legitur cap. 9. apud Bollandianos ad diem 22. Aprilis (*cum autem Vespera advenisset, facto divino sacrificio, accubuerant*) videlicet Antiochus, & Teodorus. In Actis etiam S. Geraldi Ducis Aurelianensis ab Odone Abbate Cluniacensi descriptis apud Surium ad diem 13. Octobris lib. 3. cap. 7. legitur Missa a Sacerdote post Completorium celebrata, qua posset ei morienti sacrum Viaticum ministrari. Ad hæc subdit Edm. Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 3. art. 4. n. 10. hodie etiam in celebri Sandionysiano Templo cum solemnes Regum celebrantur Exequiæ, Episcopus celebrans, nonnisi vespere Sacrificium absolvit. In Ecclesia quoque Rotomagensi die Ascensionis Domini persæpe ad vesperam Missa celebratur pro publica rei alicujus absolutione.

Etiamnunc in aliquibus Galliarum Ecclesiis vespere quandoque celebratum.

(4) *Peragi Synodus Laodicena c. 51.*) Et habetur 33. quæst. 4. *Non oportet*. Item in Capit. 48. Martini Episcopi Braccarensis.

(5) *Sub nomine Expectationis partus B. Virginis*) Præcipue in Ecclesia Toletana, ut ad hunc Canonem notat Garcias Loaisa, eo quod ipso die Sanctissima Virgo Beato Ildephonso ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo oranti ad nocturnas preces, vestem, qua in sacris solemnioribus uteretur, adstante SS. Virginum choro tradidit; prout fusius in officiis Ecclesiasticis dictæ Metropolitanæ a Gregorio XIII. approbatis.

(6) *Immorari extra opus foret.*) Certe apud veteres, ut notat Edm. Martene de antiq. Monach. Ritibus, S. Benedicti solemnitatem impediebat ipsum quadragesimale tempus, cujus luctus festivitatum lætitiam ægre admittit; hinc in Beccensi Calendario non rubeis, sed nigris characteribus inscribitur cum XII. tantum lectionibus.

(7) *Nec semper apposite*) Vide supra cap. 15. §. 5. ubi de eodem Humberto similia dicta sunt.

(8) *Tunc enim Eucharistia &c. ut suo loco videbimus*) Scilicet lib. 2. cap. 17. §. 4. Frustra nititur Basnagius in Annal. Polit. Eccl. ad an. Christi 33. n. 60. ex hac falsa quorundam Fidelium persuasione transubstantiationis dogma convellere. Si enim ii, quibus persuasum erat Eucharistiæ sumptione violari jejunium, non arbitrari non potuerunt, quin materia corporea constaret Dominici Corporis Sacramentum; consequens est, ut illi physicam Christi in Altaris Sacramento præsentiam crederent, qui jejunium Eucharistia non solvi putabant; atqui Tertulliani animo ea insedit opinio, quam Basnagius mala fide dissimulat. „ *Stationum diebus,* inquit, *non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* „ Tertulliano igitur probata erat in Eucharistia Corporis Christi præsentia. Sed nec illud sequitur, ut ab eo veritas Corporis Christi negetur, qui solvi jejunium Eucharistiæ perceptione crediderit. Nicetas Pectoratus in lib. contra Latinos conscripto, ut notat hic Emin. Author, similem Latinis ante horam nonam celebrantibus calumniam impingit; nec tamen transubstantiationis dogma negasse putandus est: sed, inquis, ista non cohærent. Recte, idcirco gravi errore tenentur, qui hujusmodi scrupulis agitantur; atqui Tertullianus illis, qui indictum sibi jejunium acceptione Corporis Christi violari credebant, id consilii dat, ut acceptum Corpus Domini reservent: fateor. At prius monitos voluit falsa eos opinatione decipi, ne vero sic errantes ab Ecclesia retraherentur, & communium precum participatione carerent, satius duxit, eo temperamento alliciendos. Cæterum disce hinc quam infirmis fundamentis innitatur adversariorum opinio, quam deficientibus Patrum testimoniis vanis simplicium Christianorum scrupulis tueri conantur.

Samuel Basnagius confutatus.

§. VII.

Quæ nunc horæ Missæ solemni, & privatæ tributæ sint.

Horæ olim pro Missa solemni assignatæ. Tertia in diebus festis, Nona diebus jejuniorum per annum, & Vespertina in Quadragesima.

Liquet ex dictis, quæ horæ olim sacrificio fuerint assignatæ, Tertia nimirum diebus festis, Nona diebus jejuniorum per annum, & in Quadragesima Vespertina. De diebus ferialibus nihil antiqui canones determinarunt, ut Marcellus Francolinus observat *Lib. de tempore horarum canonicarum c.* 29. Usus tamen obtinuit, ut illis hora sexta non incongrue tribueretur; nam cum hora tertia diebus lætitiæ, nona diebus luctus, & afflictionis præfixa sit, rationi consentaneum videtur, ut diebus communibus, qui nec lætitiæ, nec luctus sunt, sed quoadmmodo medii, Missæ item officium hora sexta, quæ inter tertiam, & nonam media est, persolvatur. Horæ autem, de quibus loquimur, illæ sunt, quas Astronomi inæquales, planetarias, & naturales vocant, divisa semper die in duodecim horas, æquales quidem inter se, sed inæquales, si cum aliis diebus comparentur. Nam dies æstivi in XII. horas secti eas longiores habent, quam hiemales, quorum horæ item XII. breviores sunt. Sic horam ter-

tiam dicimus, cum quarta pars diei exacta est; sextam, cum meridies est; nonam cum tres diei partes elapsæ sunt. Vespertinum vero tempus totum illud spatium complectitur, quod a nona usque ad occasum Solis residuum est. Fusius de his tractavi lib. de divina Psalmodia *cap.* 3. At hæc nunc horarum præscriptio contrario usu abrogata est, aliquo dumtaxat antiquitatis vestigio permanente in Missæ publicæ, sive solemnis celebratione. Sic enim decernunt Rubricæ Missalis §. 15. *Missa Conventualis solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas, dicta in choro hora tertia. In festis simplicibus, & feriis per annum dicta sexta. In Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, & vigiliis, quæ jejunantur, post nonam.* Ita factum est, ut non prorsus veneranda vetustas interierit, dum ordo a sanctis Patribus præscriptus saltem in publica officiorum recitatione retinetur, quamvis legitimus horarum punctus nullo modo attendatur. Neque enim horæ nonæ officium tertia, vel quarta post meridiem in vigiliis psallimus, neque Vesperas in Quadragesima circa Solis occasum, sed una, vel duabus horis ante meridiem: quæ anticipatio, ut doctissimus Francolinus scribit cap. 34. *Quædam est nostri temporis calamitas, ne dicam abusus.* Cœpit hæc horarum præventio post seculum duodecimum introduci, cum pristina severitate paulatim relaxata mollior disciplina successit, de qua satius est tacere, quam loqui. Missæ privatæ quacumque hora nunc dici possunt ab aurora usque ad meridiem, (1) de qua re Francolinus differit *cap.* 39. Amalarius Fortunatus *lib.* 3. *cap.* 42. post laudatum Telesphori Papæ supra a nobis reprobatum canonem, ne quis præsumeret ante horam tertiam Missam celebrare, non licere ait hanc regulam transgredi, nisi urgente necessitate: tum narrat se vidisse Leonem Papam, tertium scilicet, diluculo celebrasse. *Vidi*, inquit, *Leonem Apostolicum diliculo intrare ad Missam, nescio utrum causa necessitatis intercedente hoc ageret, an sola potestate.* Hanc vero temporis perversionem non probat. *Fulget enim*, ait, *potestas ratione decorata.* Sed Amalarius de Summo Pontifice vitæ sanctitate conspicuo benignius loqui potuisset; ex ejus tamen zelo dignoscimus legem, sive consuetudinem non celebrandi, etiam privatim, ante horam tertiam eo tunc rigore servatam, ut ab illa nemo potuerit sine aliorum admiratione, & censura deviare. (2)

Missæ privatæ quacumque hora celebrari possunt ab aurora usque ad meridiem.

(1)

(2)

(1) *Missæ privatæ quacumque hora nunc dici possunt ab aurora usque ad meridiem*) Olim quidem, ut ait Natalis Alexander Theol. Dogm. Mor. lib. 2. de Sacram. Euch. cap. 7. art. 2. n. 3. etiam S. Thomæ Aquinatis temporibus seculo scilicet XIII. Missa celebrabatur ab hora tertia usque ad nonam, sive ab ea, quæ nobis est nona ante meridiem, usque ad tertiam pomeridianam, interdum vero noctu, ut in die Nativitatis Domini, & Sabbato Sancto; postea tamen tempus ad celebrandum statutum est ab aurora usque ad meridiem; videlicet in luce, quia ex eodem S. Thoma 3. par. qu. 83. art. 2. ad 4. Christus ait: *me oportet operari, donec dies est*, Joan. 9. addit Suarez Disp. 80. Sect. 4. nec ante auroram regulariter ad opus publicum conveniri, nec post meridiem jejunium protrahi, Tum etiam quia Christus in Missa offertur, qui est *candor lucis æternæ, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*; item quia Sacrificium est legis gratiæ, qua illucescente umbræ omnes evanuerunt. His fortasse motus quidam pius Eremita an. 1191. apud Thomam Cantipratensem lib. 2. de Apibus cap. 5. n. 9. vocatus nocte ad Missam celebrandam; respondisse dicitur: *Dies non est, Missam celebrare non licet.*

Olim etiam seculo XIII. Missa ab hora tertia usque ad nonam celebrata.

Per auroram autem intelligitur primum diei crepusculum, ita ut Missam inchoare liceat una, immo hyemali tempore duabus horis ante Solis ortum; ubi vero non est aurora physice, ea moraliter, seu politice attendatur, quando scilicet ibi terminari solet ordinaria hominum quies, & inchoari eorumdem labor juxta communem, & probatam Regionum consuetudinem, quemadmodum ex Sac. Rit. Congr. decreto an. 1634. apud Meratum in Gavanti Comment. ad Rubr. Missalis in Indice Decretorum sub n. 276. Post meridiem vero neque privatam, neque solemnem Missam celebrare licet, quia id Canones vetant, inquit S. Carolus Borromæus in Instructionibus pro celebratione Mis-

Quid per auroram intelligatur.

sæ,

sæ, nisi ad modicum tempus quoad privatam inchoatio prorogetur, ita ut Sacerdos fere statim post pulsatum meridiei signum Missam incipiat. Atque hæ sunt horæ legitimæ Missam celebrandi juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, de quibus Concilium Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebr. Miss. *Episcopi*, ait, *edicto, & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis, celebrent*.

Cæterum quoad priscam Ecclesiæ consuetudinem, Missas olim etiam post meridiem, vespere, ac noctu celebratas, ut mox innuimus, usque ad seculum XIII. præter quod jam supra dictum est §. 3. & 4. Walafridus Strabo sec. IX. Scriptor affirmat lib. de rebus Eccl. cap. 23. *Tempus autem*, inquit, *Missæ faciendæ secundum rationem solemnitatum diversum est, interdum enim ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur*. Quod sic intelligendum scribit Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 4. n. 3. ut Dominicis, Festisque diebus ante meridiem, diebus jejunii circa nonam, in Quadragesima ad vesperam, nonnullis autem diebus privilegiatis noctu: quod omne id pluribus exemplis demonstrat, quæ apud ipsum videri possunt. Ea vero de publicis præsertim, solemnibusque Missis interpretanda sunt, nam quoad privatas, eas omni hora, dummodo populum a publicis Missis non revocarent, celebratas fuisse, quamplura veterum monumenta nos docent, quæ huc referre non vacat, & apud eumdem legat qui velit. Inde est, quod Humbertus Card. Sylvæ Candidæ, qui seculo XI. floruit, respondens ad objecta Græcorum contra Nicetam Pectoratum, qui Latinos, quia horas ad celebrandum statutas haudquaquam observarent, criminabantur, ait Latinos quotacumque hora diei, non autem sola hora tertia perfectam Missam agere, idque authoritate Domini apud Apostolum 1. ad Cor. XI. v. 26. *Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem*: adjecit Paulus, *Quotiescumque manducabitis panem hunc &c.* Nusquam enim dixit Dominus, hoc facite hora tertia, sed horas omnes, & tempora concludens dicit, *quotiescumque*, sicut & Apostolus: hæc ille adversus Græcos, qui tamen falso Latinos nostrates arguebant, quod non observassent horas ad celebrandum statutas, quum ex Tertulliano de jejunio cap. 13. plane contrarium constet: *semper, & ubique*, ait ille, *& omni tempore orandum, tamen tres istas horas Tertiam, Sextam, & Nonam, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, solemniores fecerunt* (Prædecessores nostri) *in orationibus divinis*. Quare & frequentior earum mentio in sacris, & profanis Authoribus habetur, & his dumtaxat utebantur antiqui in designando tempore, non solum orationis, celebrationis Missæ, solvendi jejunii, sed & aliarum rerum; quod & animadvertit Card. noster de Divina Psalm. cap. 3. §. 4. qui hoc item subdit dicta trium horarum intervalla communiter olim pro una hora accepta fuisse; sic quæ de hora tertia a priscis Scriptoribus notantur, non præcise de hac hora, sed de prima etiam, & secunda intelligi debent, ita ut sub tertiæ nomine totum tempus ab ortu Solis ad ipsam tertiam comprehendatur, atque ita de reliquis dicendum. Pace igitur Ecclesiis restituta publicæ agebantur Missæ hora tertia, sexta, & nona, paucis exceptis diebus, in quibus noctu celebrabantur, videlicet in Nativitate Domini, Sabbato Sancto, in festo S. Joannis Baptistæ, & in Collatione sacrorum Ordinum, in Sabbatis quatuor temporum, atque in his quoque nunc servatur aliorum dierum consuetudo, una excepta nocte Domicicæ Nativitatis.

Confirmantur supra dicta de horis Missæ solemnis celebrandæ.

Horarum tertiæ, sextæ, & nonæ frequens mentio in sacris, ac profanis authoribus.

Quum autem Missæ Sacrificium sit memoriale mortis Domini, & passionis ejus; atque in ipsius commemorationem ex ejusdem Domini nostri præcepto fiat; cumque, ut notant S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos, S. Athanasius lib. de Virginitate, Rupertus Abbas lib. 1. de div. Off. cap. 3. Joannes Belethus de div. Off. cap. 10. Micrologus cap. 58. Jo. Gerson in Summa Theol. cap. 4. de Euch. aliique Ecclesiastici, ac Liturgici Scriptores, idem Christus Dominus hora tertia linguis Judæorum crucifixus fuerit, hora sexta mortis sententiam subierit, atque eadem, ut S. Prosper Aquitanicus observat Sent. 203. ex scriptis Augustini, in cælum ascenderit, hora vero nona in Cruce emiserit Spiritum; ideo his potissimum horis prædicti Authores Missam celebrandam affirmant: quia porro *mane facto*, seu in aurora, *consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores Populi adversus Jesum, ut eum morti traderent*, uti legitur Matth. 27. Petrus Paludanus in 4. Dist. 3. qu. 2. inferebat celebrandam quoque Missam in aurora, quo etiam tempore, matutina scilicet luce irradiante, Dominus, & Salvator noster ab inferis resurrexit: quemadmodum ex Augustino in Psal. 58. ad fin., & lib. 4. de Trinit. scribit Isidorus de Off. Eccl. lib. 1. cap. 23. Ideo denique & in meridie oramus, & Missæ Sacrificium hoc tempore offerimus, quia ut optime observat Cardinalis noster lib. de Div. Psalm. cap. 8. §. 2. n. 3. „ Christus „ Salvator noster semper medio est oblectatus; nam ut salutem operaretur in medio „ Terræ, media nocte natus est in medio „ duorum animalium, & adhuc puer in medio Doctorum disputavit. Cum vitæ autem, atque virtutum jam perfecta suscepisset incrementa, sua volens impertiri „ charismata, dicebat Lucæ 22. 27.: *Ego „ sum in medio vestri sicut qui ministrat*. Affixus Cruci in medio Latronum futuro præludens judicio bonum ad dexteram, malum „ habuit ad sinistram. Post triumphalem Resurrectionem stans in medio Discipulorum, „ pacis suæ pignore ditavit illos. In Regno „ autem suo visus est a Joanne in medio „ Throni, in medio quatuor animalium, in „ medio Seniorum „. Hæc Liturgicus Scriptor, cui & addo, quod in sua gloriosa Transfiguratione, ut testimonium haberet a Lege, & prophetis, ac Fidei Sacramenta Patrum contestatione roboraret, hinc inde Moyses, & Elias visi sunt in majestate, ex-

Hinc & propter earum mysteria statutum, ut in iisdem Missa solemnis celebraretur.

Pariter in aurora celebrandum, quia in ipsa Christus ab inferis resurrexit.

Item in meridie sacrificandum, quia Salvator noster medio semper est oblectatus.

cessum

cessum ejus quem completurus erat loquentes; Nos item pariter inter medios Cleros, medioque die, in medio Ecclesiæ laudem dicimus illi, eidem Deo nostro sacrificamus, ut doceat medium in omnibus tenere. Vides itaque rationes, cur Missa prædictis horis tantum sit celebranda, ab ineunte scilicet aurora usque ad meridiem; vespertinas etenim, ac nocturnas, excepta unica die Natali Domini, omnino prohibuit S. Pius V. anno 1556.

Amalarius a Card. Bona notatus iterum deprehenditur.

(2) *Et censura deviare*) Quæ autem illa fuerit Missa, privatane, an solemnis, non dicit. Mitius porro Amalarius de tanto Pontifice Ecclesiæ Catholicæ optime merito, quem Anastasius Bibliothecarius in Libro Pontificali Romanam, & Apostolicam Sedem per annos viginti, & amplius *gloriosissime* rexisse scribit, aliique illum summis laudibus commendant, sentire debuerat, uti optime observat Card. noster; hic namque Summus Pontifex, cum esset gravissimis afflictionibus, & persecutionibus vexatus, (ut inquit Franc. Pagi Brev. Gest. Pontif. in ejus Vita n. 38.) ad implorandum divinum auxilium frequentiorem adhibebat Missarum celebrationem, fortasse ex illorum temporum usu; tunc enim seculo IX. nonnulli erant Sacerdotes, qui ex sola devotione pluries in die Sacrificium offerebant, *credentes*, ait Walafridus Strabo lib. de Rebus Eccl. cap. 21. *tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur.* Cum autem pluries ante horam prandii celebrarent, consequenter diluculo *ad Missam intrare* illis necesse erat. Vide quæ dicta sunt cap. 18. §. 5. Græcos etiam in die Resurrectionis mane celebrasse ante Solis exortum scribit Gabriel Philadelphiensis lib. de Sacramentis relatus a Gretzero lib. 3. Observ. in Codinum cap. 1. n. 16. ut item supra diximus loco citato §. 6. Latinos vero diluculo celebrasse legimus, non solum in die Nativitatis Domini, sed in aliis etiam diebus.

CAP. XXII.

Quo signo Fideles tempore persecutionis ad Synaxim convocarentur. Rejicitur quorumdam opinio. Reddita pace publica signa instituta, & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ semanteria *dicuntur. A quo inventæ Campanæ. An a Paulino Episcopo Nolano. De veterum tintinnabulis. Campanæ nomen, ejusque etymologia. Quando cœperit Ecclesia Campanis uti. Ad quem spectet Campanas pulsare. De Campanis Religiosorum.*

§. I.

Quo signo Fideles tempore persecutionis ad Synaxim convocarentur. Rejicitur quorumdam opinio.

ORitur hæc disquisitio ex superiori, estque ejus veluti appendix; quamvis enim sacræ Synaxi certa fuerit hora destinata, quia tamen difficile potuit credentium multitudo ætate, sexu, conditione diversa, & habitatione, ac loco dissidens statis horis in Ecclesia adunari, credibile est aliquod signum antecessisse, quo omnes in unum cogerentur. Quale autem hoc fuerit, conjicere quidem possumus, sed non certo definire. Amalarius *lib. 4. de div. off. cap. 21.* lignorum sonitu Christianum populum congregatum ait, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Non assentitur Amalario Baronius *an. 58. num. 103.* & merito tum quia hujus rei nullum extat antiquum monumentum: tum etiam quia ratio ipsa non patitur ut eo tempore, quo abdita loca ad conveniendum studiosissime quærebant, eo lignorum strepitu se proderent, & ad necem sibi inferendam Gentiles provocarent. Verisimilior videtur Strabonis conjectura *cap. 5. de rebus Eccl.* quod nimirum sola devotio aliquos cogeret ad statutas horas concurrere: alii prænunciationibus publicis invitarentur, & in una solemnitate proxime futuras discerent. Sed hæc referre ad nascentis Ecclesiæ tempora difficillimum est, nam vexati Fideles acerbissimis gentium persecutionibus locum sæpe mutare, eumque abditissimum, nec inventu facilem quærere cogebantur, unde nec solo Religionis studio convenire

Item denuo Amalarius notatus.

pote-

poterant, nec in uno conventu alterius præmoneri. (1) Baronius *ibidem num.* 102. viros quosdam delectos arbitratur, qui cursores dicerentur, quorum munus esset singulos Fideles perquirere, & privatim monere, quando, & quo loco convenire deberent. Ut autem probet hanc opinionem, nullum illorum temporum testimonium profert, præter Ignatii Epistolam ad Polycarpum ita scribentis: *Decet, Beatissime Polycarpe, concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habetis, & impigrum, ut possit divinus appellari cursor, & hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem vestram ad gloriam Dei*. Hac sola auctoritate fretus id astruit Baronius, cui ne assentiar, ipsamet cogit epistola, quæ si attente legatur, non de Cursore loquitur, qui Synaxim indiceret, sed de Legato, qui mittendus erat in Syriam ad Antiochenos: unde circa finem ait, *Saluto eum, qui designandus est, ut mittatur in Syriam* (2). Addo quod hanc epistolam non genuinum Ignatii fœtum (3) esse, sed suppositititium viri eruditi dudum observarunt, & ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta. Quod si aliqua fides illi præstanda sit, potior apud me erit alia Baronii sententia, jussu nimirum Episcopi unumquemque secreto convocatum. Hoc vero colligit ex his verbis ejusdem epistolæ: *Crebrius celebrentur conventus, nominatim omnes inquire, servos, & ancillas ne fastidias*. At nutante fundamento firmum ædificium superstrui nequit. Fieri sic potuit, & fortassis sic factum est; sed nullum producere testem possumus, qui id factum asseveret. Aliquam sane tesseram, sive signum fuisse, quo Christiani & se mutuo agnoscerent, & loca scirent, ac tempora synaxeos peragendæ, certæ fidei res est; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus. In Actis S. Cæciliæ dicitur Valerianus S. Urbanum Pontificem reperisse, qui ad vitandas paganorum insidias latebat, *signo quod acceperat*, quodque omnino necessarium erat, ut mutua inter Fideles societas, atque germanitas conservaretur.

Atque etiam Card. Baronius.

(1) *Nec in uno conventu alterius præmoneri*) Hinc Plinius in nota Epistola ad Trajanum de Christianis loquens latebrosam, & lucifugam nationem vocat, ut alias dictum est.

Card. nostri sententia roboratur, & Cursoris officium describitur.

(2) *Ut mittatur in Syriam*) Cardinalis nostri sententiam ulterius roborat, ac Baronii loco indicato, & Spondani ad an. 44. num. 34. item ad an. 58. num. 40. contrariam opinionem infirmat alter ejusdem S. Martyris Ignatii textus in Epistola ad Smyrnæos, ubi cum eorum zelum erga Antiochenos suos, Syriæque Ecclesias diffusum commendasset, ut prosequantur, hortatur, ut suspicionibus, impostorumque fraudibus consulant, atque ob id rationem Dominici Cursoris deligendi in hunc modum proponit n. 11. *Quo itaque opus vestrum absolutum sit tum super terram, tum in Cælo, decet ad Dei honorem, ut Ecclesia vestra eligat sacrum Legatum, ut cum ad Syriam usque venerit, congratuletur illis, quod pacem consecuti sint, & restitutum sit illis suum corpus; Digna igitur mihi res visa, ut aliquem vestrum mittatis cum Epistola, quo una cum illis glorificet Deum*. Quem hic *Sacrum Legatum* appellat, in Epistola ad Polycarpum, cujus textum recitat Cardinalis, nuncupat *Divinum Cursorem*, suadetque, ut observare est, ad encyclicas, mutuasque Epistolas ultro, citroque perferendas virum eligi contestatæ fidei, & pietatis, qui plerumque ex Diaconis delectus erat; speciatim vero admonet id adhibito in consilium Presbyterio fieri oportere. Quotquot autem utraque in hac Epistola Cursoris hujusmodi dotes requirit Ignatius, totidem ferme postulat S. Augustinus Epist. 10. ad S. Hieronymum; in ea enim Cyprianum Diaconum Epistolæ latorem ita collaudat, ut simul brevi oratione præcipuas in quolibet Ecclesiarum Cursore dotes accurate describat: *Gratia*, inquit, *in promendis Epistolis, diligentia in custodiendis, alacritas in perferendis, & fides in reddendis*. Ex quibus omnibus liquido patet Cursoris officium legationis quidem ad Ecclesias fuisse, non autem missionis ad Fideles convocandos ad Synaxim. In horum confirmationem lege eruditissimas Dissertationes de Litteris Encyclicis Cl. Abbatis Bencini Diss. 1. §. 9. ubi de Dominicis Cursoribus docte, & diffuse agit.

Haud tamen assentiri inficiamur Baronio, & Spondano præfatis, quod olim fervente infidelium adversus Christianos persecutione, jussu Episcopi per Clericum, aut alium quemlibet ex Laicis spectatæ vitæ unusquisque Fidelium secreto admonitus fuerit de statuto precationum, & Ecclesiasticorum conventuum tempore, ut infra cum de officiis singulo-

De loco potius, quam de hora, aut tempore prisci Fideles admoniti.

gulorum Ordinum differetur, dicemus. Crediderim vero priscos trium priorum seculorum Fideles sæviente in ipsos Gentilium rabie, qua eosdem, ubi latitarent, continuo ad internecionem quærebant, de loco potius, quo ad Synaxim omnes convenire deberent, privatim admonitos fuisse, quam de hora, aut tempore præsertim matutino, ac vespertino, quod vel ipsis Paganis ignotum aliquo modo esse non poterat; Plinius quippe Secundus lib. 10. Epist. 97. ad Trajanum Imp. scribit, quod Christiani *soliti essent stato die ante lucem convenire*, & apud Minutium Felicem Christiana Religio dicitur *Natio latebrosa*, & *lucifugax*, hinc *nocturnæ convocationes* apud Tertullianum lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & *cœtus antelucani* apud eumdem Apologetici cap. 2. & lib. de Corona militis cap. 3. Quapropter cum vix ullus furente immanium persecutionum æstu Christianis exercendæ suæ religionis locus relinqueretur, cumque alias omni cautela, industria, ac sollicitudine sacra profanis quibuscumque occultarent mysteria, eos nocte, aut saltem summo mane tenebris adhuc terræ faciem occupantibus eadem celebrare necesse erat, alioquin si de die convenissent, facili negotio ab infidelibus, nominisque Christiani infensis hostibus deprehendi potuissent. Hinc quæcumque noctis hora erat antiquis illis Christi Athletis legitimum sacræ Synaxis celebrandæ tempus. Conveniebant autem non privatim singuli per familias in suis ædibus, sed omnes publice in unam congregati Ecclesiam, seu locum ab Episcopo designatum, uti S. Ignatius Martyr supra laudatus monet in Epistola ad Magnesianos, & alibi in prima Parte hujus Operis dictum est. Qui locus postea per peculiarem delegatum, vel præsentes alios, quisque ad socium, aut amicum suum absentem, secreto ad aures indicabatur; neque enim aliter iis temporibus, ut puto, fieri poterat.

Card. noster Usserii Armachani authoritate motus excusatur.

(3) *Non genuinum Ignatii fœtum*) Mirantur Eruditi, neque animo ferunt Eminen. Virum unius ferme Usserii Armachani authoritate, etsi non absque suo rationum pondere motum, a cæteris in hac parte dissensisse. *Usserii authoritas*, ait Clar. P. Nicolaus le Nourry in Appar. ad Bibl. Max. Dissert. 7. cap. 22. p. 142. *viros quosdam celeberrimos suas traxit in partes. Hos inter & purpura, & doctrina primas tenet Emin. Cardin. Bona, qui judicium Usserii secutus &c. sed si viro tam erudito per otium licuisset illa accuratius examinare, in aliam procul dubio ivisset sententiam*. Ita plane, non enim eruditissimas doctorum Virorum hac de re lucubrationes, quæ exinde ab impresso suo hoc Opere Liturgico an. 1671. editæ fuerunt, videre poterat; anno quippe sequenti Joannes Pearsonius vindicias Epistolarum S. Ignatii edidit, & observationes in easdem Rotomagi an. 1674. impressæ fuere, quas etiam cum suis animadversionibus, & notis eodem anno iterum edidit Joannes Baptista Cotelerius inter Opera PP. Apostolicorum Tom. 2. Ignotæ demum eidem fuere doctissimæ Natalis Alexandri, Dupinii, & præsertim laudati Nicolai Novuririi Dissertationes de dictis Epistolis, quæ omnes post obitum dicti Cardinalis evulgatæ sunt; quare mirandum non erit, si Usserio Anglicanæ licet, & Acatholicæ communionis Episcopo, tunc tamen temporis apud Eruditos celeberrimo adhæsit & ipse noster Emin. Scriptor.

§. II.

Reddita pace publica signa instituta, & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ Semanteria *dicuntur.*

Varia olim publica signa ad convocandum populum instituta.

CONverso autem ad Fidem Constantino, cum pace, & tranquillitate potiri cœpit Ecclesia, summa pietas Imperatoris, & Christianorum alacritas, quam describit Eusebius testis oculatus initio *libri X. suæ Historiæ*, nos dubitare non sinit, quin publicis signis, quæ ab omnibus perciperentur, populus ad Ecclesiam cœperit convocari. Ea diversa fuisse veterum Scriptorum monumenta testantur. Pachomius Abbas tubæ sonitu congregari Monachos præcipit, sicut olim Moysi imperavit Deus *Numer. cap.* 10. ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad sacrificia multitudo convocaretur. *Cum audierit*, inquit Pachomius regulæ suæ cap. 3. *vocem tubæ ad Collectam vocantis, statim egrediatur*. Joannes Climacus item ait *Gradu* 19. signo sacræ tubæ canente coactos Fratrum cœtus. Alii malleo utebantur, quo singulorum cellæ pulsabantur. Historia Lausiaca *cap.* 104. in vita Abbatis Adolii, *excitatorio malleo*, inquit, *pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria*. Cassianus libro 4. Institut. cap. 12. *Cum sonitum pulsantis ostium, ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit*. In Bethleemitico Monasterio hac voce *Alleluja* convocatas Moniales ad

Colle-

Collectam scribit Hieronymus *Epist.* 27. Usi sunt etiam Græci lignorum percussione, quorum usum antiquissimum esse ex Actis secundæ Synodi Nicænæ constat. Ibi enim *Act.* 4. ex libro miraculorum Sancti Anastasii Martyris legimus, quod cum ejus Reliquiæ Cæsareæ appropinquarent, Cives omnes lætitia magna perfusi ligna sacra pulsantes obviam facti sunt. Eorumdem frequens habetur mentio apud Græcos Scriptores. Theodorus Petreorum Episcopus in vita Sancti Theodosii Archimandritæ; *Monachi*, ait, *lignum pulsabant præter solitam propemodum horam.* Nicephorus Blemides in vita Sancti Pauli Latrensis, *Imperat, ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, & sacra Mystagogia peragatur.* Theodorus Studita in carminibus, *veluti tuba percute lignum tempore suo, ut opus est.* Auctor vitæ Sancti Niconis cognomento *Metanœitæ, Et ligni pulsatione omnes fratres convocat.* Et tubæ quidem, ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, ligna autem ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt (1), longoque spatio permansit eorum consuetudo, quia ut paulo post videbimus, campanas serius receperunt. Nunc quoque Græci, & aliæ Nationes sub tyrannico Turcarum imperio iisdem lignis utuntur, quæ a Græcis *Semanteria*, sive Chirosemantra, quod manibus teneantur, atque pulsentur, nuncupantur. Ea sic describit Leo Allatius in Dissertatione de recentiorum Græcorum Templis. *Sacerdotes Græci ligneo instrumento ad Græcos in Ecclesiam convocandos utuntur. Id est lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fissum, aut rimosum, quod manu sinistra medium tenens Sacerdos, vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens modo in unam partem, modo in alteram, prope, vel eminus ab ipsa sinistra, ita lignum diverberat, ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extensum edens, perfecta Musices scientia auribus suavissime moduletur.* Hæc Allatius, qui aliud Semanterion esse ait insignis magnitudinis, adeo ut quandoque sex palmos latitudo, unum crassitudo, triginta longitudo exæquet, quod in turribus catenis ferreis appenditur, & malleo pulsatur. Campanas vero usui Græcis esse cœpisse anno 865. refert Baronius ex Historiæ Venetæ Scriptoribus asserentibus Ursum Patritiacum Venetiarum Ducem primum omnium dono misisse duodecim mirificæ artis, & valde sonoras Michaeli Imperatori, qui eas in turri ad S. Sophiam extructa collocavit. Ad Orientalem igitur Ecclesiam delatæ sunt sæculo nono, cum jam dudum in Occidentali receptæ fuissent. Sed a quo primum inventæ, cujusque opera, vel auctoritate in Ecclesiam introductæ sint, incompertum est.

In iis tubæ, ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, & ligna ab Ecclesiis Orientalibus usurpata.

(1) *Ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt*) Sic in vita S. Joannis Chrysostomi apud Metaphrastem: *pulsato ligno vocatos homines ad quamdam congregationem legitur.* Porro in dicta septima Synodo Oecumenica, seu Nicæna secunda a Cardinali memorata, cui oblatus fuit Libellus de Miraculis ejusdem Sancti Martyris, expressum habetur in maxima etiam, & publica lætitia solita pulsari ligna, quæ nunc mœstitiæ tantum diebus ad convocandum populum pulsantur, uti tribus ultimis majoris Hebdomadæ diebus fit ob lugubrem memoriam Passionis Domini; quod & adhuc perseverat apud Monachos, nostrates præcipue, dum in agone morientis cujuscumque Fratris mallei pulsantur lignei, quibus ad orationem excitantur, & convocantur Monachi omnes, ut extrema vitæ periodus animam agentis Domino precibus commendetur. Sic etiam hujusmodi lignorum strepitu, noctu præsertim, excitati ad matutinas Dei laudes persolvendas in choro conveniunt. Id Officium dormientes Monachos ad Divina Officia decantanda convocandi ad Prælatos ipsos pertinuisse colligitur ex laudati Chrysostomi Hom. 59. ad Pop. Antioch. ubi describens Monachorum vitam, eos ad galli cantum surrexisse asseverat his verbis: *Postquam gallus cantavit, statim veniens Prælatus, & pede solum simpliciter cædens omnes excitavit, mox statim surgentes stant, hymnos canentes Propheticos* cum

Ita etiam nunc Monachi noctu lignorum strepitu ad matutinas Dei laudes excitati.

eum vocis consonantia, cum apte compositis concentibus.

Duplex tintinnabulum æneum, & ligneum apud Armenos, & Syros.

Duplex porro est tintinnabuli genus maxime apud Orientales, alterum ligneum, quo in Oriente frequentius uti solent, æneum alterum, quod etiam in nonnullis Ecclesiis ibi visitur. Dionysius Bar-salibi Amidensis Episcopus Jacobita, vir alioquin eruditus, si Monophysitarum hæresi notatus non fuisset, tintinnabuli ænei, & lignei apud Armenos rationem reddit in sua Liturgia, quam refert Assemanus Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 179. *Pulsatur*, inquit, *tintinnabulum initio orationis, & officii, ut perfectos ad Orationem congreget, & milites ad decertandum cum adversario: Congregantur autem Christiani in Ecclesiam tanquam ad portum vitæ. Item pulsatur tintinnabulum, ut vocem ejus audientes in memoriam revocemus per lignum quidem nos præceptum transgressos fuisse, & e Paradiso ejectos, per lignum vero Crucis a peccato, & a prævaricatione liberatos.* Consule etiam Fabricium in Bibliographia cap. 11. num. 17. pag. 375. ubi de Semantro Græcorum, seu ligno oblongo duarum decempedarum magnitudine, quod loco campanæ in Oriente pulsari consuevit, ubi Goari, Allatii, & Cangii observationes adnectit.

§. III.

A quo inventæ Campanæ, an a Paulino Episcopo Nolano.

Campanarum inventio Sabiniano Papæ perperam adscripta.

POlydorus Virgilius lib. de Inventoribus rerum id Sabiniano Pontifici adscribit, qui Gregorio Magno successit. De eodem Onuphrius Panvinius in Epitome Summorum Pontificum sic scribit, *Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque ut ad horas canonicas, & Missarum Sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* (1) Sed Anastasius in ejus Vita nihil de (1)
Campanis ab eo inventis dicit, nec scio a quo hoc didicerint Panvinius, & Polydorus. Angelus Roccha *in Comment. de Campanis cap.* 1. a S. Hieronymo, qui ducentis circiter annis ante Sabinianum vixit, Campanarum mentionem factam credidit cap. 33. & 39. regulæ Monacharum, ejusdem regulæ perperam Hieronymo tributæ (2) falsa inscriptione (2)
deceptus. Tum ait S. Paulinum Episcopum in suam Nolanam Ecclesiam primum omnium hunc usum invexisse. Consentiunt passim recentiores, quod attinet ad Paulinum: & alii quidem adinventas ab eo tradunt, alii vero earum usum a Gentilibus acceptum ad Ecclesiam ab eodem translatum autumant, sive minora dumtaxat tintinnabula, quæ jam ubique in usu erant, Ecclesiæ tradiderit; sive ab his desumpta forma, majora confici curaverit. Nemo tamen veterum Patrum, qui res Paulini accuratissime prosecuti sunt, hanc memorabilem ejus inventionem laudat, vel attingit; unde fit ut huic assertioni ægre assensum præbeam, quæ nullo legitimo teste munita est. Auget scrupulum ipsemet Paulinus, qui Epist. 12. ad Severum conditam a se Basilicam, & singulas ejus partes describens, nullam tamen Campanarum, sive turris campanariæ mentionem facit, cum alia nihilominus minora ædificia exacte commemoret. Agunt de Campanis, earumque usu in Ecclesiis Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui Caroli Magni, & Ludovici Pii temporibus claruerunt, quarto seculo post Paulini decessum, sed de Paulino silent, sicut & alii sequentium seculorum Scriptores. Verba Strabonis omittenda non sunt. Ita enim loquitur cap. 5. Rerum Ecclesiasticarum, *De vasis fusilibus vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his, inquam, hic dicendum videtur, quod eorum usus non adeo apud antiquos habitus proditur. Eorum usum primo apud Italos affirmant inventum. Unde & a Campania, quæ est Italiæ Provincia, eadem vasa majora quidem* Campanæ *dicuntur: minora vero, quæ & a sono tintinnabula vocantur, nolas appellant a Nola ejusdem Civitate Campaniæ, ubi eadem vasa primo sunt*

Neque earum usus a S. Paulino Nolano invectus.

com-

commentata. (3.) Fortassis sciolus quispiam, cum hæc apud Strabonem (3) legisset, de suo addidit Paulinum, qui Nolæ in Campania Episcopus fuit, Campanas, & nolas in Ecclesiam induxisse, & hoc commento sequioris ævi Scriptoribus fucum fecit. Quisquis autem fuerit, qui hoc Paulino primus adscripsit, cautius processisset, si Campanæ, & nolæ vocabula Paulini seculo, & aliquot sequentibus inaudita fuisse considerasset. Res sane vetus est, sed vox recentior. Non me latet Quintilianum, qui sub Domitiano vivebat, nolæ meminisse *lib.* 8. *institut. cap. ult.* ubi inter ænigmata recenset, quod Cæcilius dixit de quadam muliere, eam fuisse in triclinio Coam, in cubiculo Nolam: at hic nola longe diversa significatione accipitur, conficta voce a nolendo sensu obscœno, quem peritiores Grammatici explicant apud Vossium *lib.* 4. *instit. Orat. cap.* 11. §. 5. rejecta falsa Cœlii Rhodigini & aliorum opinione, qui ex usu sui temporis hanc vocem interpretati sunt. (4) (4)

(1) *Et Missarum Sacrificia pulsarentur in Ecclesia*) Idem scribunt Genebrardus in Chronico ad an. 604. Ciacconius in Sabiniano, quem tamen emendavit August. Oldoinus dicens de eodem Pontifice, quod Campanæ usum, ut referunt Ciacconius, & Panvinius, non invenerit; Campanæ enim nomen habetur apud S. Hieronymum, sed id ex Angelo Roccha, de quo Eminentissimus Author.

Perperam item Monacharum Regula S. Hieronymo attributa.

(2) *Ejusdem Regulæ perperam Hieronymo tributæ &c.*) Regulam Monacharum perperam Hieronymo tributam recentiores omnes eruditi fatentur; rudem, & imperitum Scriptorem satis superque indicat totus insulsi adeo sermonis character, ut vel ab indoctis dignosci queat. Vide quid de eadem proferant Religiosi Operum S. Hieronymi editores Tom. 5. pag. 421. quare mirandum, quod Angelus Roccha vir alias eruditus, Oldoinus præfatus, aliique hoc opus ut Hieronymianum admiserint. Porro Regulam hanc ex Hieronymi scriptis consarcinatam per Lupum Olivetanum, & a Martino Papa V. post annum 1417. approbatam scribit Guillelmus Cave de Script. Eccl. in Hieronymo. Cæterum non diffitendum erit hunc Maximum Ecclesiæ Doctorem Regulas Monachorum a SS. Pachomio, Oriesisio, & Theodoro Monachis Ægyptiis Tabennensibus scriptas, (quarum meminit Gennadius de Viris Illustr. cap. 7. 8., & 9. extant vero in Appendice ad Cassianum in Bibl. PP. Tom. IV. & Collectione Holstenii) petente quodam Silvano Monacho, profuturum, ut ait, Latinis suis, e Græco in Latinum sermonem transtulisse, ut ipse in Præfatione illis affixa testatur, qui tamen in Catalogo Script. Eccl. illorum, Pachomii præcipue, Regulam silet. Hanc vero non tantum pro viris, sed & fœminis accommodatam extitisse non obscure indicat idem Hieronymus Epist. 16. ad Principiam de Marcellæ ipsius matris Romanæ nobilissimæ fœminæ Epitaphio, inter cætera his verbis scribens: *Hæc* (Marcella) *ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, Vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum ac Viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.* Prosequitur deinde Hieronymus, & se Romæ commorante ait reperiri ibidem *tam crebra Virginum Monasteria, Monachorumque innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloria.* Denique Marcellam ipsam discipulam suam Monasticæ vitæ amplexam esse institutum, & in aliis propagasse tradit. Ex his omnibus hallucinatos fuisse arbitror dictos præstantes viros, ut Hieronymo memoratam Monacharum Regulam falso tribuerint.

Quæ tamen ex Regulis Monachorum quas ipse S. Doctor e Græco in Latinum transtulit, excepta esse potest.

(3) *Eadem vasa primo sunt commentata*) Idem ait Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ, seu de Officio Missæ lib. 1. cap. 143. Ambo autem de Paulino Nolano nec ullum verbum habent, quare ex hoc item colligitur quod Nolæ vocabulum, ut optime ait Card. noster, res sane vetus est, sed vox recentior.

(4) *Hanc vocem interpretati sunt*) Aliam prædicti Quintilianæi ænigmatis interpretationem affert Adrianus Turnebus Adversar. cap. 19.

§. IV.

De Veterum tintinnabulis.

PORRO Veteres pelvis, lebetis, æris, æramenti, codonis, & tintinnabuli vocibus usi sunt, donec nolæ, & campanæ vocabula adinventa & communi quodam latine scribentium consensu approbata fuerunt. Tintinnabulum describit Plautus in Trinummo *act.* 4. *sc.* 2. his versibus.

Nunquam ædepol temere tinniit tintinnabulum,
Nisi quis illud tractat aut movet, mutum est, tacet. (1) (1)

Plutarchus *lib.* 4. *Symposiacon qu.* 5. Helluones, & obsonatores eos dici notat, qui in foro piscatorio versantur, & tintinnabulum, quod Græce *Codon* dicitur, celeriter exaudiunt. Eo enim sonitu signum dabatur vendendi pisces: cujus rei jucundissimam narrat historiam Strabo Geographus *lib.* 14. cujusdam Citharædi, qui cum artem suam in Jasso insula ostentaret, quamprimum tintinnabulum increpuit, illico omnes eo relicto ad pisces dilapsi sunt, præter unum surdastrum, cui Citharædus gratias egit, quod cæteris audito tintinnabuli signo abeuntibus solus remansisset: At ille, numquid, ait, jam sonuit tintinnabulum? & eo affirmante, ipse item surgens protinus digressus est. Scribit etiam Porphyrius *lib.* 4. *de abstin. animalium* Samnæos, genus quoddam Philosophorum in India, ad codonis, seu tintinnabuli sonum solitos congregari ad preces, & ad cibum. Usos quoque tintinnabulis Sacerdotes Proserpinæ refert Apollodorus *lib. de Diis*, idemque testatur de Sacerdotibus Deæ Syriæ Lucianus *in Dialogo de eadem*. Idem agens de viris mercede conductis ait in ditiorum ædibus familiam, & mercenarios ad opera olim excitatos tintinnabulis, quorum ingens sonus esset, ut ab omnibus posset audiri. Ab Augusto posita tintinnabula in fastigio Ædis Jovis Capitolini refert Svetonius. Tumulo quoque Porsenæ Regis eadem appensa asserit Plinius *lib.* 36. *cap.* 13. quæ vento agitata longe sonitum referebant. (2) Nota est Juvenalis invectiva in verbosam mulierem sat. 6. (2)

Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulsari: jam nemo tubas, atque æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere Lunæ. (3) (3)

Notum est etiam Martialis distichon lib. 14.

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Notus est denique usus tintinnabulorum in Veteri testamento. Exodi 28. *Ad pedes tunicæ quasi mala punica facies, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum.* (4) Et Ecclesiastici 45. *Cinxit* (4) *illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo.* Ex his, & aliis testimoniis liquido constat id quod supra diximus, Campanæ & nolæ vocabulum recentius, rem ipsam antiquissimam esse. (5) (5) Unde autem Campanæ nomen derivatum sit, Grammatici inquirunt, & quasdam afferunt notationes, quæ plus argutiarum, quam veritatis habere noscuntur. Plerique a Campaniæ regione deducunt, vel quia ibi grandiores fieri cœperunt, vel quia primum in ea provincia repertæ sunt: sic vasa fictilia ab Horatio lib. 1. sat. 6. *Campana supellex* dicuntur, quia in Campania ex luto & argilla pulcherrima fingebantur. Quare idem lib. 2. sat. 3. ait.

Qui Vejentanum festis potare diebus,
Campana solitus trulla.

Campana a Campaniæ regione, ubi æs omnium præstantissimum, dicta.

Et Isidorus lib. 16. Orig. cap. 24. *Campana*, inquit, *a regione Italiæ nomen accepit, ubi primum ejus usus repertus est.* Loquitur autem de trutina, quæ constat scapo notis distincto ad librarum discrimina indicanda; nam subdit, *Hæc duas lances non habet, sed virga est signata libris, & unciis, & vago pondere mensurata.* Potest quoque campana ex ære campano desumi, quod omnium præstantissimum esse asserit Plinius lib. 34. cap. 8. *In reliquis palma Campano.* Licet enim supra *cap.* 2. Co-

rinthium

rinthium cæteris præferre videatur, illud tamen non erat purum æs, sed commixtio omnium metallorum, ut ex eodem Plinio notat Isidorus *lib.* 16. *Orig. cap.* 19. ubi etiam ait æs campanum utensilibus, & vasis omnibus probatissimum esse. Nec est improbabile campanæ nomen tunc tintinnabulis inditum, cum ipso ære majora fieri cœperunt: quo autem anno id contigerit, non liquet.

(1) *Mutum est, tacet*) Item in Pseudom. Act. 1. Scæna 3. Phædrus etiam tintinnabuli meminit lib. 2., & Apulejus lib. 10.

(2) *Longe sonitum referebant*) Notum est æris Dodonæi proverbium in loquaces, & garrulos, quod in Dodona Caoniæ in Epiro Urbe duæ essent columnæ, in altera pelvis ænea, in altera puer cum flagro vento impellente pelvim percutiens, unde tinnitus in multas horas perdurabat. Hinc orta Juvenalis invectiva, de qua mox loquitur Card. noster.

(3) *Poterit sucurrere Lunæ*) Etenim Lunæ eclypsim patienti se posse auxiliari æris, & pelvium sonitu Ethnicorum superstitio credebat, eo nimirum strepitu impediente, ne incantantium voces audiret. Ita Seneca in Hyppolito v. 787.

At nos soliciti lumine turbido
Tractum Thessalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

(4) *Tintinnabulum sit aureum*) Item cap. 30. v. 23., & 24. *Et tintinnabulum de auro purissimo* &c. *tintinnabulum autem aureum* &c.

(5) *Rem ipsam antiquissimam esse*) Unde immerito Torcellius in Lexico dubitat, an apud veteres recepta fuerint tintinnabula. Sane rem antiquissimam esse præter indicata ab Eminentiss. Authore, veterum Scriptorum loca satis superque exprimunt Seneca Epist. 95. & de brevitate vitæ, ubi de tintinnabulis mentionem habet; item Suidas in Lexico verbo καὶ αυφορὸν Excubiarum Præfectos scribit tintinnabula secum ferre solitos ad explorandos vigiles, ut iis auditis responderent. Huc pertinet illud Ovidii

Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Præterea si verum est, quod scribit Socrates Hist. Eccl. lib. 5. cap. 18. Theodosium Imp. inter cætera Urbem lupanaribus expurgasse, quibus mulieres in adulterio deprehensæ includi solitæ, ad tintinnabulorum sonitum scortari cogebantur, ut iis, qui in proximo adessent, illarum turpitudo innosceret; manifestius constaret tintinnabulorum usus apud Veteres; at vero hanc fuisse Romæ consuetudinem apud neminem memini legere, (inquit Spondanus ad an. 389. num. 9.) ibi siquidem Lex Julia vigens extitit vindex adversus adulteros.

§. V.

Item de Tintinnabulis.

Hieronymus Magius cap. 2. libelli de Tintinnabulis, quem capta Cypro captivus & servus hominis Turcæ omnibus libris destitutus ex penu memoriæ in ergastulo scripsit, putat Campanas tunc Ecclesiarum turribus impositas, cum Ethnicorum Principum odia adversus Christianos jam satis refrixissent. (1) Ejusdem sententiæ Baronius est (1) *an.* 58. *n.* 104. licet fateatur incompertum esse annum, quo id primitus factum est. Mihi autem vero propius videtur, statim ac reddita Christianis est pax, ad convocandum populum Tintinnabula adhibita, primum minora, deinde grandiora; etenim ad idem munus cœtum congregandi passim apud Ethnicos in usu erant: multoque aptior ad multitudinem coadunannam Campanarum sonitus est, quam strepitus lignorum, aut clangor tubarum, quia & longius diffunditur, & facilius percipitur. Cum S. Benedictus circa annum 495. in specu Sublacensi monasticæ professionis fundamenta jaceret, Romanus Monachus, a quo sanctæ conversationis habitum susceperat, panem ipsi portare certis diebus solebat, quem per funem in speluncam submittebat. *Resti autem*, inquit Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 1. *parvum tintinnabulum inseruit, ut ad ejus sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet*; ex quo colligimus Tintinnabuli usum apud Monachos jam eo tempore percrebuisse: nec dubito quin de Tintinnabulo idem Benedictus intelligi debeat, cum de significanda hora operis Dei agens in Regula cap. 33. ait: *Ad horam Divini Officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus summa*

Apud veteres signi nomine Campana metonymice intellecta.

ma cum festinatione curratur. Nam veteres signi nomine Campanam metonymice intelligebant, quia per eam datur signum Divini Officii. Gregorius Turonen. in Vita S. Gregorii Lingonensis, *commotoque signo Sanctus Dei ad Officium Dominicum consurgebat*. Idem in Nicetio Lugdunensi, *quod Presbyter audiens jussit; signum ad vigilias* commoveri. Et lib. 3. Histor. Franc. cap. 15. *Dum per plateam præterirent, signum ad matutinas motum est*. Eulogius Martyr in Apologetico, *per idem tempus graviter in nos præsidialis grassabatur insania, ita ut excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum gestamina erant ad Conventum Canonicum quotidie Christicolis innuendum*. (2) Quidam ex Actis S. Lupi (2)
Senonensis Episcopi nomen Campanæ receptum credunt initio septimi seculi, vel in fine sexti. (3) In his enim hoc factum narratur. *Clo-* (3)
tarius Rex ubi comperit Campanam S. Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpius delectaretur. Displicuit ea res Beato Episcopo. Itaque mox ut ablata est a Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens ocius jubet suo illam loco restitui. Ubi autem ad pontem Senonicum ventum est, rediit illi pristinus sonus, & ob Sancti viri merita septimo milliario auditus est. Idem confirmari potest ex Audoeno Rothomagensi in Vita S. Eligii apud Surium *lib.* 2. *cap.* 21. his verbis: *Cum aliquando visitaret Diœcesim suam, ut solent Episcopi, quadam ex causa interdixit, ne cursus, id est preces Canonicæ, & Sacrificium celebrarentur in Basilica quadam, donec ipse juberet. Erat illic Presbyter quidam sibi male conscius, ob cujus culpam id fecerat Beatus Episcopus. Is parvipendens ejus sententiam, cum procul illum recessisse arbitraretur, Campanam hora statuta uti moris erat, pulsare cœpit. Sed ut ejus temeritas reprimeretur, Campana rationis expers Beato viro obtemperans nullum sonum reddidit. Perstitit ille trabendo restim Campanæ, sed sonum exprimere non potuit*.

Hier. Magius notatus, & emendatus.

(1) *Jam satis refrixissent*) Idem Magius cap. 1. putat petasum, id est ad formam galeri, & nolam, ac codonem, atque campanam unum & idem esse, at hæc longe diversa fore inter se quisque conspicit; petasus quippe galerus quidem est, sed pileus latior viatorius adversus Solem, & pluviam; huic autem campana similis recte dicitur, sed petasus non est, atque ita improprie nuncupatur. De Nola nil dubito utpote campanæ synonima, Codones vero ex Casaubono in Athenæum Dymnosoph. lib. 1. sunt orificia tubarum, quibus exit spiritus, vel crepitacula ex equorum phaleris pendentia, & sonantia, in modum sphærulæ, ac globuli compacta, quæ tintinnabula potius, quam campanæ vocitari merentur. Indulgendum proinde solertissimo Critico, (quo nomine Magium donat Card. noster in Indice Authorum suæ Psalmodiæ præfixo) in carcere enim detentus vix scribendi libertatem habere potuit, non vero omnia sine libris attente examinandi.

Confirmantur supradicta de signi nomine pro campana.

(2) *Quotidie Christicolis innuendum*) Allatis ab Eminentissimo Scriptore veterum testimoniis, quibus majores nostros signi nomine campanam intellexisse probatur, sequentia hæc item ex multis addi possunt. Et primo Concilium Calchutense in Anglia an. 787. habitum cap. 10. præcipit mortuo Episcopo, *ut pulsato signo omnis famulorum Dei cætus ad Basilicam conveniat*. Ejusdem seculi Pontificale Egberti Archiep. Eboracensis litteris Saxonicis ab an. circ. 950. eleganter scriptum, similis item antiquitatis venerandæ Gellonensis sacramentorum liber ante annos 900. exaratus, de quibus frequenter meminit Edm. Martene in suo præclaro Opere de antiquis Eccl. Rit. aliaque vetustissima Ritualia ab ipso commendata formulam benedicendi campanas hoc titulo habent: *Ordo ad signum Ecclesiæ benedicendum*: ubi vides campanæ nomen signi vocabulo expressum. Id etiam connotant varia sequioris ævi monumenta. Rotbertus, sive Robertus Francorum Rex anno circa millesimum referente Helgaldo Floriacensi Monacho in ejus Vita, in Aurelianensi S. Aniani Basilica fecisse dicitur *Signa quinque, unum ex his satis mirabile, in quo duo milliaria metalli, & sexaginta libræ fuerunt*. In Fossatensi S. Mauri Monasterio Teuto Abbas *duo signa pretiosa facere præcepit*, ut scribit Odo Fossatensis in Vita Burchardi Comitis. Similia habet Ingulphus Londinensis in Chronico Croylandensi, circa an. 1091. scripto. Quibus omnibus veterum testimoniis satis perspicue constat signi nomine campanam ab antiquis intellectam fuisse.

(3) *Quidam ex actis S. Lupi &c.*) Hos inter Card. Baronius ad an. 615.

§. VI.

§. VI.

Campanæ nomen, ejusque Etymologia. Quando cœperit Ecclesia Campanis uti.

VErum in his testimoniis ex actis sanctorum Lupi, & Eligii advertendum
est in primis Scriptoribus nomen Campanæ non reperiri, sed a Lau-
rentio Surio, qui priscas loquendi formas recentioribus commutavit, uti ipse
fatetur, contra fidem veterum Codicum substitutum fuisse, non sine gravi
dispendio sacræ, & profanæ eruditionis. Puram Eligii vitam, qualem scripsit
Audoenus, edidit *Tomo V. sui Spicilegii* Lucas Dacherius, cujus in ve-
terum scriptis ab interitu vindicandis summam diligentiam & acutissimum
judicium omnis posteritas collaudabit. Prænarratam igitur Historiam sic
proprio sermone scribit Audoenus apud ipsum p. 250. *Alio tempore cum
Diœceses suas, ut Episcopis mos est, visitaret, extitit quædam certa causa,
ut in una Basilica interdiceret cursum vel oblationem, quousque ipse juberet,
celebrari. Erat autem illic Presbyter quidam mala conscientia saucius, cujus
videlicet ob culpam excommunicatio processerat, qui Episcopi jussis minus
obtemperandum credens, verbaque ejus leviter valde ferens, cum longius eum
a loco illo abiisse æstimaret, mox signum Ecclesiæ statuta hora, sicut mos
erat, pulsare cœpit. Tunc ad confutandam humanam præsumptionem, magis
insensibilis, quam rationabilis creatura verbis Episcopi parens, veluti sibi
interdicto silentio nullum ad pulsantis nisum signum reddidit sonum. Deinde
Presbyter diutius funem terebrans, cum cerneret tinnulum omnino perma-
nere mutum, egressus protinus Basilicam causam cunctis manifestat.* Tum
illum refert pœnitentiam egisse, & loco ab Eligio reconciliato, *mox signo
tacto sonus pristinus rediit in tintinnabulum.* In his autem apparet Audoe-
num signi & tintinnabuli vocabulo, non Campanæ usum esse. Beda tamen
qui sexaginta circiter annis post Audoenum floruit *lib. 4. Histor. cap. 23.*
describens obitum Hildæ Abatissæ auditum ait a quadam moniali *notum
Campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant.* Eadem
voce utuntur Alcuinus Bedæ discipulus, & passim octavi, noni, & se-
quentium seculorum Scriptores, ex quo conjicio nomen Campanæ gran-
dioribus tintinnabulis impositum circa finem septimi seculi, & octavo,
(1) ac nono apud omnes diffusum esse (1). Anastasius in vita Leonis IV.
*Fecit in Ecclesia S. Andreæ campanile, & posuit Campanam cum malleo
æreo & cruce exaurato.* Monachus Sangallensis *in lib. de Ecclesiastica cura
Caroli Magni cap. 31.* narrat tempore ejusdem Caroli vixisse opificem in
omni opere æris excellentissimum, qui optimam Campanam, seu Cam-
panum, ut ille loquitur, conflavit, cujus sonitum cum Imperator mirare-
tur, promisit artifex, se multo præstantius conflaturum, si pro stanno cen-
tum libras argenti illi daret. Accepto autem argento vir nequam stannum
pro argento posuit, & Campanam brevi tempore perfecit, quæ cum Regi
placuisset immisso ferro pulsatorio jussit in Campanario suspendi. Cumque
custos Ecclesiæ & reliqui Capellani eam movere ad sonitum niterentur,
nec possent, indignatus Auctor operis apprehenso fune pertraxit æramen-
tum, & ecce ferrum elapsum in verticem ipsius decidit, & occidit. Ar-
gentum vero repertum jussit Carolus inter Palatinos egentes distribui. Alia
ejusdem temporis testimonia frustra congererem, nam post Carolum Ma-
gnum omnes fere Scriptores voce Campanæ, vel signi indiscriminatim usi
(2) sunt. Seculo item octavo barbara vox *Cloccæ* audiri cœpit (2). Ea utitur
S. Bonifacius Episcopus Moguntinus & martyr *Epist. 9.* rogans Huetbertum
Abba-

Campanæ nomen grandioribus Tintinnabulis impositum circa finem septimi seculi, & octavo, ac nono apud omnes diffusum.

Abbatem, ut unam sibi cloccam transmittat. Et Gutbertus ad Lullum Episcopum *Epist.* 89. inter reliquas ejusdem Bonifacii, *Cloccam*, inquit, *qualem ad manum habui, tuæ Paternitati mittere curavimus*. Rudolphus quoque in vita S. Liobæ Abbatissæ, *Mater ejus*, ait, *vidit per somnium se quasi signum Ecclesiæ, quod vulgo cloccam vocant, in sinu suo habere, idque immissa manu tinniens extrahere*.

(1) *Apud omnes diffusum esse*) Ad hunc locum Franciscus Pagi Annotatoris Baroniani Nepos in Brev. Gestorum Pontif. ad Sabiniani Papæ Vitam num. 2. hæc adversus Liturgici Scriptoris nostri conjecturam habet: „ Cardinalis Bona, inquit, Lib. I. Rer. Liturg. cap. 22. plura lectu digna habet de „ Campanæ nomine, & Etymologia, deque „ veterum tintinnabulis, sed ei assentiri non „ possum in eo quod conjicere se ait, nomen campanæ grandioribus tintinnabulis im„ positum circa finem seculi septimi, & octa„ vo, ac nono apud omnes diffusum esse; „ nam Mabillonius sec. I. Bened. edidit Vi„ tam S. Columbæ primi Abbatis Hyensis „ in Britannia, scriptam a Cummeneo Albo „ dicto, qui anno 657. dictus est pariter „ Abbas Hyensis, obiitque an. 669. juxta „ Guillelmum Cave in Historia Literaria: „ in ea autem Vita Cummeneus cap. 22. scri„ bit S. Columbam, qui ex Annotatore Ba„ ronii obiit an. 599. *media nocte pulsante* „ *campana* ad Ecclesiam perrexisse, & cap. „ 25. hunc Sanctum *quadam die ministro suo* „ *campanam subito pulsare* præcepisse, *cujus* „ *sonitu fratres excitati Ecclesiam protinus sunt* „ *ingressi*: ideoque ante seculum sextum ab„ solutum fideles ad Divina Officia campa„ narum sonitu convocabantur. Id etiam „ pluribus probat Edmundus Martene in Tra„ ctatu de antiqua Ecclesiæ disciplina in Di„ vinis Officiis celebrandis cap. 2. num. 11. „ ex Gregorio Turonensi „ hæc Pagius Junior; cujus animadversio in Cardinalem nostrum, etsi non suo utcumque fundamento destituta, aliter tamen concipi potuisse mihi videtur; cum enim simplici ex conjectura tantum, atque ad extorquendum assensum indifferenti, non vero absoluta, ac definitiva sententia id asseruerit Purpuratus Scriptor, non est quod hujusmodi censuram meruisse deprehendatur. Cæterum in Cardinalis Apologismum sic Pagio reponendum ducerem. Et quidem si Cummeneus Vitæ S. Columbæ Abbatis scriptor, & ipse postea Hyensis Abbas ann. 657. obiit ann. 669. scilicet post medium seculum septimum, ac proinde circa finem ejusdem, profecto Cardinalis noster non male conjicit nomen campanæ grandioribus tintinnabulis circa finem seculi septimi impositum fuisse, cum Cummeneus campanæ nomen adhibens videatur primus, qui hoc vocabulo usus sit; neque enim alius antiquior Vitarum scriptor idem pro significando tintinnabulo adhibuisse legitur, qui si extaret, utique Pagio proferendus incumberet. Nec item S. Columba ibi dicitur ita hoc campanæ nomen expressisse, qui forte tintinnabuli, signi, aut clocchæ vocibus tunc communiter in Ecclesia usitatis locutus est, uti constat ex antiquis Ritualibus etiam post seculum octavum exaratis, in quibus campanæ nomen non legitur, sed dicta tantum vocabula exprimuntur, quemadmodum de S. Audoeno ejusdem seculi Scriptore Vitæ S. Eligii ostendit Card. noster; atque ex S. Gregorio Turonensi, qui non alio nomine, quam signi campanam vocat. Cummeneus itaque quamvis primus hujusmodi campanæ nomen tintinnabulo tribuerit, quod tamen non statim ubique receptum fuit, uti ex mox indicatis Ecclesiarum Ritualibus, aliisque posterioris ævi Scriptoribus constat, qui adhuc octavo seculo, & nonnulli etiam nono primigenia retinuere vocabula, non officit quin circa finem seculi septimi id nomen audiri, & usurpari a fidelibus cœperit, atque octavo, ac nono apud omnes diffusum fuerit.

Card. Bona a Francisco Pagi notatus vindicatur.

(2) *Vox Cloccæ audiri cœpit*) Ita in Capitulari Caroli Magni ann. 787. cap. 18. *ut Cloccæ non baptizentur*. Eo scilicet sensu, quo infra §. sequenti explicabitur. Apud Vvilebaldum in Vita S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, dicitur Cloccum (Act. Sanctorum Ord. S. Bened. Sec. 3. Parte 2. pag. 26.) In altera ejusdem Bonifacii Vita ab Othleno conscripta pag. 86. appellatur Glocca. Ægil Abbas Fuldensis in Vita S. Sturmii item Abbatis Fuldensis consanguinei, & Præceptoris sui pag. 284. *Gloggas* appellat: *currere citius ad Ecclesiam jubet, omnes Gloggas pariter moveri imperavit*. Item pag. 249. in Vita Sanctæ Liobæ Abbatissæ *Clochum*.



§. VII.

§. VII.

Ad quem spectet Campanas pulsare. De Campanis Religiosorum. Et de earum Benedictione.

SIgnum vero, sive Campanam pulsare pertinebat antiquitus ad Sacerdotes, & S. Benedictus *in Regula cap.* 47. hoc munus Abbati imponit, ut ipse horam operis Dei diu noctuque nuntiet, aut tali solicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 1. hoc officium non esse a Presbytero subterfugiendum ait: & in Capitul. Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 168. statuitur, ut Sacerdotes signa tangant horis Canonicis. Idcirco Ordo Romanus, & antiqua Ritualia, itemque Concilium quartum Carthaginense materiam Ostiariatus in sola clavium traditione constituunt, nulla habita mentione pulsationis Campanæ, quia hoc ad ejus officium non pertinebat. Sic olim præcepit Deus, ut filii Aaron sacerdotes tubis clangerent ad convocandam multitudinem: qui ritus ad novi Testamenti Sacerdotes transivit, & in Ecclesia diu permansit (1). At hodie officium Ostiarii est, quem decet superpelliceo indutum esse, dum signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet. Nec sine ratione Majores nostri decreverunt a Deo sacratis viris signa tangi, quia & sacra res est fidelem populum ad divinum Officium, ad Missam, ad communionem, ad audiendum Verbum Dei coadunare: & ipsæ Campanæ Episcopali benedictione, sanctique Olei unctione consecratæ sunt, & inter sacra Ecclesiæ vasa connumerantur. Et usum quidem benedicendi Campanas scribit Baronius a Joanne XIII. traxisse originem, qui anno 968. Campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super campanile elevaretur, sacris Ritibus Deo consecravit, atque Joannis nomine nuncupavit, *qui ritus*, inquit, *in Ecclesia perseveravit*. Sed multo antiquiorem esse ex Ritualibus libris integro seculo ante Joannem XIII. conscriptis palam fit, in quibus formula benedicendi & ungendi Campanas reperitur, hoc præfixo titulo, *ad signum Ecclesiæ benedicendum*, ut eruditissimus Menardus testatur in notis ad lib. Sacrament. *pag.* 207. ex Codice Rhemensi tempore Caroli Magni exarato. In ipsa vero consecratione nomine alicujus Sancti Campana insignitur, sive ut a cæteris proprio veluti nomine distinguatur; sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus Ritus Institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur (2). Quod autem spectat ad usum Campanarum, memini me legisse apud quosdam Juris Canonici Interpretes non licere Religiosis plures Campanas habere, sed unam dumtaxat, sicut Joannis XXII. in Constitutione, quam vocant Extravagantem *cap. unico de officio Custodis*. Atqui ea Constitutio de solis Mendicantibus loquitur, eisque mandat, ne plures Campanas habeant sine licentia Apostolicæ sedis propter lites inter ipsos, & Cathedrales Ecclesias hac de causa exortas: at ubi plures sine contradictione possidebant, illis deinceps libere uti permisit. De Monachis nihil decernit, imo Zacharias Papa, & Callixtus II. Cassinensibus concesserunt quandocumque vellent, etiam in Civitatibus signa pulsare, ut patet ex eorum Bullario *Constit.* 4. & 11. & hoc quoque pro Monachis Anglis statuisse Callixtum narrat in suis Chronicis Gul. Thorne an. 1085. Favent prisca Monachorum Ritualia, quæ diebus festis omnia signa pulsari mandant, & hanc pulsationem *Classicum* vocant (3). Templariis autem, Hospitalariis, & aliis habentibus in suis domibus Oratoria *C. patentibus*, *de privilegiis*, Campanarum usus a Celestino III. vetitus fuit.

Margin: (1) (2) (3)

Nunc Officium Ostiariorum est Campanas pulsare.

(1) *Et in Ecclesia diu permansit*) Etiamnum in Ecclesia Ambianensi id muneris spectat ad quosdam Presbyteros, quos propterea Clokemannos appellant. Vide Dufresn. in Gloss. Item Concilium Coloniense Parte 3. cap. 31. eos, qui campanas pulsant, sacris vult superpelliceis indui. Quod nunc Officium Ostiarii est, ut optime notat Card. noster, idemque exprimitur in eorum ordinatione apud Martene de Antiquis Eccl. Rit. lib. 1. cap. 8. art. 11. pag. 487. illis verbis, quæ Episcopus ordinans super ipsos profert tradendo funem Campanæ cum clavibus Ecclesiæ: *Deum Patrem Omnipotentem, fratres charissimi deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est, ut sit eis fidelissima cura diebus, ac noctibus ad distinctionem cæterarum horarum ad invocandum nomen Domini nostri Jesu Christi*. Et sane misericordiam Dei annunciant campanæ, ut olim Hebræorum populo tubæ clangentes, quemadmodum legitur Numer. cap. 10. Omnia item quæ istæ Israelitis, præstant illæ in Ecclesia nunc devotæ Christianorum plebi, cui & per ipsas dicitur: *& erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum*.

Describuntur breviter beneficia, quæ per solemnem Campanarum benedictionem proveniunt.

Beneficia porro, quæ per Campanarum solemnem benedictionem populo Christiano proveniunt, breviter ex Rituali Carmelitarum exhibet laudatus Martene, quæ cum expressis in dicto Concilio Coloniensi loco infra citando conveniunt. Cum autem pia admodum sit hæc Oratio, atque ut ipsorum peculiaris non omnibus nota, ideo sic inde exscriptam, gratamque, ut supponitur, legendam damus; ea est: „ Deus, qui per Sanctum Moysem legitimum famulum tuum tubas argenteas „ fieri præcepisti, quibus dum Levitæ tempore Sacrificii clangerent, ut sonitus dulcedine populus monitus ad te orandum fieret præparatus, & ad celebranda Sacrificia „ conveniret: præsta quæsumus, ut hoc vasculum Sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum „ a tuo Sancto Spiritu per nostræ humilitatis obsequium Sancti✠ficetur: ut per illius „ tactum, & sonitum fideles invitentur ad „ Sanctam Matrem Ecclesiam, & ad præmium supernum. Procul pellantur omnes „ insidiæ inimici, fragor grandinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, prosternat aereas tempestates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum tremiscant, & fugiant ante Crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse „ Dominus noster Jesus Christus præstare dignetur, qui absorpta morte per patibulum Crucis regnat in gloria Dei Patris „ cum eodem Spiritu Sancto per omnia secula seculorum. Amen „. Benedictionem porro Turris, in qua appenduntur campanæ ex antiquo Ritu ibidem refert dictus Edm. Martene, qui subdit non mirum id cuiquam videri, si meminerit Sacras Reliquias olim in turribus reconditas fuisse; Et sane hoc testantur Leo Ostiensis Chron. Casinen. lib. 2. cap. 53. lib. 3. cap. 30. Petrus Diaconus de Viris illustr. Ord. S. Benedicti lib. 4. cap. 73. aliique, uti infra ad lib. 2. cap. 17. ℣. 6. dicetur.

(2) *Ad Ecclesiam convocari diceretur*) Hinc Hæretici malignantes, in primis Centuriatores Magdeburgenses Cent. x. cap. 6. col. 294. Hospinianus de Templis lib. 4. cap. 9. Anon. in Fasciculo Rerum expetendarum Tom. I. pag. 366. Wolfius Lectionum memorab. Cent. xvi. an. 1550. Sleidanus Commentar. lib. 21. aliique hujus furfuris impostores, novissime Joseph Binghamus Orig. Eccl. lib. xi. cap. 4. §. 2. occasionem sumunt in nos Catholicos insurgendi, dicteriis, conviciis insectandi, & superstitionis, ac Christianæ Religioni contrariæ profanæ consuetudinis insimulandi, quasi eodem Baptismo, quo homines baptizantur, & Campanæ benedicantur, & consecrentur. Sed contra has, similesque inflictas injurias, & contumelias, lege Theoph. Raynaudum Heterocl. Script. Parte I. pag. 413., & seqq. Pagium Brev. Gest. Pontif. Tom. I. in fol. pag. 460. num. 12. Edm. Martene lib. 2. de antiq. Eccl. Rit. cap. 21., & Lazarum And. Bocquillot. in Tract. Hist. de Liturgia Sacra, seu de Missa, lingua Gallica scripto, ubi de Campanis fuse agit lib. 2. cap. 6.

Indicantur nonnulli Auctores, qui de Campanarum benedictione agunt.

Iterum de Campanarum benedictione ex Concilio Coloniensi.

Sed de Campanarum benedictione, seu ut vulgo dicitur Baptismo, ita præfatum Concilium Coloniense Parte IX. cap. 14. „ Benedicuntur, inquit, Campanæ, ut sint tubæ „ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus „ ad conveniendum in Templum, & audiendum Verbum Dei, Clerus vero ad annunciandum mane misericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem: ut per illarum „ sonitum fideles invitentur ad preces, & ut „ crescat in his devotio fidei. Quamvis etiam „ Patres respexerint, videlicet, ut dæmones „ tinnitu Campanarum Christianos ad preces „ concitantium terreantur, quin potius preces ipsis territi, abscedant, illisque submotis, fruges, & corpora credentium serventur: ut procul pellant hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur; infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ „ potestates prosternantur. Breviter, ut audientes confugiant ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, ac ante Sanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodum hæc in solemni benedictione Campanæ reperies.

Campanarum solemnis benedictio contra Sectarios vindicatur.

Quod autem Sectarii, occasione istius Benedictionis, seu (ut vocant) Baptismi Campanarum, lapidant Catholicos, tamquam sacrilegos, & blasphemos, utpote qui Sacramentum vitæ rebus inanimis stolide conferant: næ ipsi stolidissime, immo malignissime agunt, qui nescire se simulant, non eo apud nos animo illas benedici his divini cultus instrumentis, ut ea benedictio sit verus earum Baptismus (Apage calumniam omnino ridiculam) sed *Baptismum* vocat vulgus Catholicam benedictionem, & consecrationem, ac adolitionem ad Divinum cultum a Joanne XIII. primum inductam anno 968. qua ratione Ivo Carnot. serm. de sacris Dedic. baptizari Templum dixit, cum catholico ritu consecratur. Et accessit nominis impositio, ut Campanæ, quæ plures esse

esse solent, internoscantur. Inde enim, ut Baronius anno citato recte conjecit, vulgus nomen similitudinarii Baptismi traxisse videtur, quo eam benedictionem passim insignit, etiamsi verum Baptismum non cogitet, ut fingunt Sectarii. Videndi qui hoc commentum plenius explodunt, Coccius Tom.II. lib. 3. art. 6. Durantus lib. 1. de sac. Eccl. Ritibus cap. 22. n. 6. Suarez lib. 2. Defens. cap. 16. Gretzerus lib. 2. de Bened. cap. 45., & 46. Del-Rio lib. 6. Disqu. Magic. cap. 2. sect. 3. in fine. Uno verbo rem expedivit Card. Hosius lib. 5. contra Brentium. Cum enim retulisset sortem illius ruditum contra Ecclesiam, ob perversionem Baptismi Campanis adhibiti, quod magnæ impietatis insimulabat impius Nebulo, respondet Cardinalis. „ Baptizari „ Campanas, mihi inauditum est. Benedicun- „ tur quidem juxta formam in Pontificali „ Romano præscriptam; verum de Baptis- „ mo, ne verbo quidem fit ulla mentio „

Quoad Joannem XIII. Papam, de quo dicitur apud Baronium ad an. 968. num. 93. Sacris Ritibus Deo consecrasse primariam Lateranensis Ecclesiæ Campanam miræ magnitudinis recens ære fusam, cui nomen Joannis Baptistæ imposuit, *qui sacer Ritus*, inquit, *in Ecclesia perseveravit, ut eo modo, quo ipse usus est, Campanæ in Ecclesiis collocandæ, Deo, primum imposito ejus nomine, dicarentur.* Quibus verbis innuere videtur, benedictionem Campanarum a Joanne XIII. originem duxisse, Edmundus Martene lib. 2. de Antiq. Eccl. Ritibus cap. 21. observat, signorum, seu Campanarum benedictionem antiquiorem in Ecclesia esse; in Capitularibus enim Caroli Magni anni 789. num. 18. ducentis fere annis ante Joannem XIII. jubetur, *ut Cloccæ non baptizentur*. Jam itaque Caroli Magni tempore usus Campanas benedicendi in Galliis, & in Germania, invaluerat. Addit Martene antiquos Codices MSS., & Egberti præsertim Pontificale, ac Gellonense ejusdem Caroli Magni tempore exaratum referre ritus, & preces benedictionis, sed nullos veteres Codices Ritualium testari nomen alicujus sancti Campanis benedictis impositum fuisse. (quod tamen Baronius scribit testari veteres Codices Rituales) Martenio subscribit Pagius junior loco supra indicato, ubi item ait veteres Ritualium libros nullam impositi Campanæ nominis mentionem facere; at Doctorum virorum venia paulo infra ex ordine Romano antiquissimo, & ex Alcuino contrarium ostendemus. Ea porro benedictio dicitur adhuc Baptismus, non quod revera Campanæ baptizentur eo Baptismo, qui in remissionem peccatorum confertur, sed quia præcipuæ, quæ in Baptismo puerorum observantur cæremoniæ, in his benedicendis peragantur, ut lotio, unctio, nominis impositio; quæ non tam Baptismum, quam Baptismi signa, & symbola repræsentare dicenda sunt.

Campanarum benedictio Joanne XIII. antiquior.

Supradictis adstipulatur Cangius in Glossario med. & infim. latin., ubi verbo *Campana* inter cætera de ejus benedictione, seu Baptismo hæc habet: „ Campanas baptizari di- „ cimus, huic dicatas usui, quas benedice- „ re, & ungere, eisque nomen imponere „ solet Ecclesia Romana: quam benedictio- „ nem Baptismi nomine indigitare solent „ Scriptores, non quod revera baptizentur „ Campanæ eo Baptismo, quo remissio pec- „ catorum confertur, sed quia præcipuæ, „ quæ in puerorum Baptismo observantur, „ cæremoniæ, in iis benedicendis peragantur: „ unde non tam Baptismus, quam Baptismi „ signum, seu symbolum iis confertur, „ quemadmodum etiam Ecclesiis, quæ bap- „ tizari dicuntur ab Ivone Carnotensi Episcopo „ de Sacramento Dedicat. &c. Cum primum „ dedicantur. Helgaldus in Roberto Rege: „ *signa quinque: unum ex his mirabile, in quo* „ *duo millenaria metalli, & sexcentæ libræ* „ *fuerunt, cui imprimi jussit signum Baptismi* „ *de oleo, & Chrismate facti, sicut Ordo de-* „ *poscit Ecclesiasticus, & ut vocaretur Rober-* „ *tus Spiritus Sanctus*. (Sebastianus Perusinus „ in Vita B. Columbæ Reatinæ, apud Bol- „ landianos Act. SS. Maii Tom. 5. pag. 393. „ *Eam* (Campanam) *solemniter, & devote* „ *baptizavit, sacravit Deo, ac benedicens cla-* „ *ram Columbam intitulavit*.) Vide Chronicon Abbatis S. Trudonis lib. 9. pag. 460. Prosequitur Cangius.

Vulgo dicuntur baptizari Campanæ, quia in earum consecratione præcipuæ Baptismi cæremoniæ observantur.

„ Extat formula baptizandi, seu benedi- „ cendi Campanas in ordine Romano, cujus „ Authorem antiquissimum esse constat, ex „ quo, inquit Alcuinus, *novum videri non* „ *debet Campanas benedici, & ungi, eisque* „ *nomen imponi*. Quod vero in Capitulari „ Caroli Magni ann. 787. cap. 18. de quo „ supra: Campanæ, quæ Cloccæ, ibi dicun- „ tur; baptizari vetantur, recte ait Amer- „ bachius prohiberi superstitionem, non vero „ legitimam, & Ecclesiasticam benedictio- „ nem. Sed & virorum, aut mulierum no- „ mina indici solere Campanis, notum ex „ Helgaldo. Ingulfus: *fecit ipse fieri duas* „ *magnas Campanas, quas Bartholomæum, &* „ *Bettellinum cognominavit: .. & duas mino-* „ *res, quas Pegam, & Begam appellavit*. „ Chronicon Montis sereni an. 1206. *Cam-* „ *panam de 50. centenariis fudit, quam Hel-* „ *lembertus Havelbergensis Episcopus consecra-* „ *vit, Petronillam nominans*. Vide Institut. „ Capituli Cisterc. dist. 2. cap. 8., & Mar- „ tinum Delrium lib. 6. Disquisit. magic. „ cap. 2. sub fine.

Formula benedicendi Campanas antiquissima.

Sed præstat antiquam Campanarum benedictionem cum recentiori Ordinis Romani collatam describere. Hugo Menardus clarissimus Ord. S. Benedicti Mon. Congr. S. Mauri in eruditissimis suis ad Sacramentarium Gregorianum Notis pag. 207. „ Ordo, inquit, in „ benedictione signi, hoc est Nolæ, seu Cam- „ panæ, qui extat in Codicibus Remensi & „ Ratoldi Abbatis. In Codice igitur Remensi „ ita habetur: ad signum Ecclesiæ benedicen- „ dum: *Benedic Domine hanc aquam benedictio-* „ *ne cælesti* &c. In Codice Ratoldi: ad signum „ &c. In primis intingue ter in aqua & laves „ in ea, quæ benedicenda est his verbis: *Be-* „ *nedic Domine hanc aquam benedictione cælesti* „ &c. ut in Ordine Romano. Post hæc can- „ tabis Psalmos sex *Lauda anima mea Domi-* „ *num* usque ad finem Psalterii; Interim la- „ ves eum (signum) de aqua (scilicet bene-

Ejusdem collatio cum descripta in Ordine Romano.

„ dicta, ut præcipitur in Cod. Remensi) cum „ oleo & sale, & dic: *Deus, qui per Moysen* „ *legiferum tubas argenteas fieri præcepisti* &c. „ ut in Ordine Rom. Tunc exterges eum „ linteo, & dicas: *vox Domini super aquas,* „ *Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas* „ *multas*, usque in finem. Post hæc tangis „ eum de chrismate septem vicibus foris, „ intus quaternis. Oratio: *Omnipotens sempi-* „ *terne Deus, qui ante Arcam fœderis* &c. ut „ in Ord. Rom. In Codice Remensi legitur „ in hunc modum: & dicis Antiphonam cum „ capite: *vox Domini* &c. Tunc pones incensum „ in acerna (lege acerra, seu thuribulo) & „ myrrham, & faciat fumum intus, & extra: „ cantes: *viderunt te aquæ Deus, viderunt te* „ *aquæ*, usque ad finem Psalmi. *Omnipotens* „ *Dominator, Christe, cui* (*lege* quo) *secun-* „ *dum assumptionem carnis dormiente in navi* &c. „ ut in Ord. Rom. In Codice Remensi sic ha- „ betur: tunc imponis incensario & thymia- „ mata & myrrham, & erigis Cloccam, & „ dicis Antiphonam: *Deus in sancto via tua,* „ *quis Deus magnus sicut Deus noster?* ℣. *Vi-* „ *derunt te aquæ Deus*, usque ad finem Psalmi, „ & dicis collectam: *Omnipotens Dominator* „ *Christe* &c. Et hæc de Signi benedictione. „ Clocca autem, cujus est mentio in Codice „ Remensi, Signum est, Nola, Campana, „ Gallice *Cloche*. Ita docet Otholonus lib. 2. „ de Vita S. Bonifacii Episc. Moguntini. *In-* „ *terea Signum Ecclesiæ, quod vulgo appellari so-* „ *let Glocca* (legendum *Clocca*) *absque huma-* „ *no motu sonare cœpit*. Hucusque Menardus.

Cæterum Campanæ tropologice, & allegorice Verbi Dei Prædicatores designant, qui populum ad Ecclesiam convocant, tempus orationis annuntiant, aliaque id muneris, præstant voce, quod sono Campanæ. Legendus de hujusmodi comparatione Clar. Franciscus Amatus Pouget Presb. Oratorii Gallicani Instit. Cathol. Tom. 2. pag. 903. & seqq. ubi plura ex sanctis Patribus aptissime in hanc rem exhibentur. Cur autem (idem subdit) Campanarum benedictio baptismus vocatur? Respondet: Populari illi locutioni parum accuratæ locum dedit conformitas quædam inter Baptismi, & benedictionis Campanarum Ritus, ut dictum est; quia sicut in Baptismo nomen accipimus suggerentibus susceptoribus, qui Patrini, & Matrinæ vulgo nuncupantur, abluimurque, & tandem inungimur oleo, & Chrismate; ita abluitur Campana, oleoque & Chrismate ungitur, & nomen alicujus Sancti accipit, suggerentibus, ut moris est in nonnullis Diœcesibus, viro & fœmina, qui Patrinus & Matrina nuncupantur a plebe. Verum non Campanæ solum, sed res aliæ, ut Altaria, & Templa ante Consecrationem abluuntur, post ablutionem inunguntur oleo, & Chrismate, & nomine Sancti alicujus designantur; nec propterea horum consecratio Baptismus appellatur. Baptismi quidem vox, si sensum literarum spectes, cuilibet lotioni congruit; sed usu Ecclesiæ determinatur ad significandum Sacramentum regenerationis, quod pro hominibus solis institutum est.

(3) *Et hanc pulsationem Classicum vocant*) Monasticon Anglicanum Tom. 2. pag. 370. *Classico pulsato incipiant vesperas, quibus dictis tam de die, quam de Dominica, ingrediantur Claustrum*: Idem Tom. I. pag. 150. *defuncti, cum venerit, tabula pulsabitur, vigilia cantabitur, sonabunt Classicum*. Vitæ 23. Abbatum Sancti Albani pag. 134. Edit. Londin. an. 1639. *pulsato igitur solemni Classico, deportatum est corpus in Ecclesiam*; Decreta Lanfranci pro Ordine Sancti Benedicti Sect. 2. Tom. 18. Bibl. PP. pag. 180. *pulsetur Classicum, & post inchoetur Missa*: Joannes de Janua, *prope Classicum est concentus, & concordia omnium instrumentorum simul sonantium, sive sint tubæ, & cornua in bello, sive sint Campanæ*. Male igitur Editores Bibl. PP. in margine ad laudatum Lanfranci locum, & Author Annotationum in vitas 23. Abbatum Sancti Albani *Classicum* majorem Campanam intelligunt, quam interpretationem etiam diserte refellit MS. Rituale Turonensis Ecclesiæ apud Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. pag. 357. in quo hæc leguntur: *illis Chorum intrantibus sonant Classicum Campanarum chori*. Vide plura apud Carolum Dufresne in Glossario.

Plurium Campanarum pulsatio Classicum vocata.



PRO-



PROPYLÆUM,
SEU
PRÆMONITIO
AD LECTOREM
Quoad ſequens Caput XXIII.



ERVENIMUS ad celebrem, implexam, atque inter Eruditos valde, & ſæpius agitatam Quæſtionem, ſive Controverſiam de Azymo, ac Fermentato, videlicet an Eccleſia Latina, ſeu ſaltem Romana perpetuo Azymorum uſu conſecraverit, necne? (de Eccleſia quippe Græca dubium non eſt ipſam in Azymo numquam, ſed in Fermentato ſemper ſacrificaſſe, uti Doctiſſimus Joannes Mabillonius cap. 3. *ſuæ Diſſertationis, de qua infra luculenter oſtendit, nec infitiatur Emin. Author* §. 7. *Edit. Pariſienſis, quibus ſubſcribit Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. XI. & XII. Diſſert. XI. art.* 3.) *Hujus diſputationis præcipuum fundamentum ex Chriſti facto deduci videtur, pro quo in anteceſſum firmiter credendum, ac pro certo habendum eſt, quod cum in ultima Cœna Dominica ad menſam propter Azymorum dies apud Hebræos, Azymus dumtaxat panis, & non alius appoſitus fuerit, Chriſtus Salvator noſter non alium, quam Azymum panem, prout lex præcipiebat, juxta vulgatam, & communem Sanctorum Patrum opinionem adhibuit, & in eodem admirabile, Divinum, atque Auguſtiſſimum ſui Corporis, & Sanguinis Sacramentum inſtituit; fateri nihilominus neceſſe eſt hocce Domini noſtri exemplum nequaquam Eccleſiæ ſuæ legem impoſuiſſe illud ipſum in Euchariſtico Sacrificio conficiendo imitandi, neque id veriſimile apparet, aut ſuſpicandi locum præſtat, videlicet Jeſum Chriſtum Dei Filium hominem pro nobis factum in hoc inſtituto ſublimiſſimo Paſſionis ſuæ memoriali perenni, ac dilectionis ſuæ uſque in finem argumento omnium maximo intentionem aliquam habuiſſe Apoſtolos, ac Diſcipulos ſuos, eorumque ſucceſſores adſtringendi, ut in ſacris celebrandis Myſteriis Azymum panem præ Fermentato ſeligerent, ſed potius ſummum hac de re Eccleſiæ Catholicæ Sponſæ ſuæ arbitrium reliquiſſe pro certo tenendum perſpicue conſtat, cum panis uterque, tam Azymus, quam Fermentatus legitima Sacramenti materia ſit, unus, & alter ab Eccleſia approbatus, quia nimirum utrique nihil deeſt ad veram panis integritatem, ac denique eadem univerſalis Eccleſia æque Latinis Azymum, ac Græcis Fermentatum in Miſſæ Sacrificio adhibendum ſtatuerit, præcipue in OEcumenico Concilio Florentino, ad promovendam Græcorum cum Latinis unionem, Eccleſiæ ſcilicet Orientalis cum Occidentali Romana omnium Matre, & Magiſtra, conſenſionem congregato, Seſſ. ult. in qua unionis Decretum publice lectum num.* 3. *ab omnibus Fidelibus credendum indictum fuit:*

Controverſia de Azymo, ac Fermentato a Chriſti facto deduci videtur, quo tamen non impoſita lex illud ubique imitandi.

fuit: quod in Azymo, sive Fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter conficitur, & quod Sacerdotes in altero ipsum Domini Corpus conficere debent, unusquisque scilicet juxta Ecclesiæ suæ, sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.

Hinc Eruditis persuasum, quod salva fide disquiri possit an Azymus panis perpetuo usitatus fuerit in Ecclesia Latina.

Inde autem est quod fortassis ex eo tempore ita Eruditis persuasum extitit, ut salva fidei religione se in judicium vocare posse existimaverint, utrum Azymus panis perpetuo usitatus fuerit ab Ecclesia Latina, vel priorum octo seculorum intervallo eadem Fermentatum panem in Altari adhibuerit, aut indiscriminatim, seu promiscue in alterutra specie eo tunc tempore consecraverit. Et quidem circa hanc ultro, citroque discussam Quæstionem antiquiores Theologi Scholastici, quos multi recentiores sequuntur, existimarunt Ecclesiam Latinam ab initio Azymum panem in Sacrificio adhibuisse usque ad exortam hæresim Ebionæorum, qui legalia observari oportere affirmabant, in quorum odium rejectis Azymis Fermentum admissum fuerit, sed ea hæresi desinente ad Azymos denuo rediisse. Ita nimirum sentiunt, & docent Joannes Scotus in. 4. Dist. 11. quæst. 5. Alexander Alensis ibid. quæst. 32. membro 3. ad ult. & part. 4. de Sacram. Euchar. quæst. 10. membro 4. art. 1. §. 3. S. Bonaventura in 4. Dist. 11. art. 2. quæst. 1. S. Thomas ibid. quæst. 2. art. 2. Durandus quæst. 4. Richardus in eumdem locum, & alii; quo autem fundamento id asserant præfati Doctores, nondum satis exploratum est; unde enim hæc Historia prodierit, quis eam primo scripserit, quis Pontifex, aut quæ Synodus hanc mutationem sanciverit, nemo dicit. Quidam eam tribuunt Leoni Papæ, alii ipsum Leonem non ut Authorem, sed quasi testem adhibent, alii de ipso silent; at quis fuerit iste Leo, nec ipsi dicunt, nec se reperisse ait Doctor Franciscus Svarez Tom. III. in 3. partem Divi Thomæ disp. 44. sect. 3. quare huic narrationi quæ fides sit tribuenda conspicitur, cujus per mille ferme annos nullum apud antiquos Scriptores vestigium extat. Agit quidem, & diffuse de dicta Ebionæorum hæresi Epiphanius hær. 30. sed quod ejus occasione Fermentati usus introductus fuerit, silet, nec ullum verbum hac de re in aliis extat, qui de dictis Ebionæis scripserunt. Quidam nihilominus historici recentioris ævi Azymorum originem a seculo secundo referunt, quorum antesignanum, Cardinalis noster putat, esse Martinum Polonum Gnesuensem Archiepiscopum in Chronico, ubi ad an. Christi 132. scribere dicitur Alexandrum I. Papam statuisse, ut Oblatio fieret ex Azymo, & in modica quantitate, *at vereor ne hæc narratiuncula pariter computanda sit cum decantata illa fabula Joannæ Papissæ, quæ eidem Martini Chronico assuta, & intrusa fuit, ut omnibus notum ex iis, quæ dudum observarunt Eruditi. Quidquid sit, illi adhæsit, idemque tradidit Baptista, seu verius Bartholomæus, Platina Historicus non admodum accuratus in vita Alexandri I. Papæ, de eo dicens his verbis, quod* oblationem ex Azymo, non autem ex Fermentato, ut antea fieri mandavit: *eidem sententiæ subscripsit Barlaamus Calaber Hieracensis Episcopus versatilis ingenii homo, qui in prima ad Græcos Epistola pro unione Romanæ Ecclesiæ*, Alexander, *inquit*, Romanus Pontifex, qui sub Adriano vitam glorioso martyrio finivit, hostiam Romanæ Ecclesiæ de Azymo statuit: *Radulphus quoque Tungrensis hoc ipsum tenuit Lib. de Canonum observ. propos. 23. quibus etiam adstipulatur Joannes Calvinus in Instit. lib. 4. ubi Sanctissimum Papam, & Martyrem deridens perfidus Hæresiarcha:* Fermentum, *inquit*, & vulgatum panem fuisse ante tempus Alexandri Romani Episcopi narrant Historiæ, qui primus Azymo pane delectatus est. Qua id ratione, non video, nisi ut plebis oculos novo spectaculo

Quid circa hanc Quæstionem antiquiores Theologi senserint.

Quid vero Historici.

in

in admirationem traheret magis, quam ut animos proba religione instrueret. *Sed in legitimis, sinceris, antiquisque S. Alexandri Actis nihil ab eo de Azymis statutum legitur, nec per undecim secula aliquis proferri potest, qui de hoc Alexandri statuto testimonium perhibeat. His addo Joannem Gersonium, qui fortasse ex dictorum veterum Theologorum placitis motus in Tractatu de Communione censet Latinos quondam Sacerdotes Eucharistiam confecisse in Fermentato, at quo tempore, quave occasione non exprimit.*

Isti omnes inter se dissidentes hanc Controversiam obscuriorem reddidere.

Cum itaque ex hac opinionum diversitate apud præfatos sex prioris ævi Scriptores certo non constaret, utrum Latini, aut Græci variaverint panis materiam, inde profecto ignorabatur, utrum initio omnes Ecclesiæ unius moris circa eamdem fuerint, an scilicet utroque pane indifferenter, an solo Azymo, vel Fermentato determinate uterentur, & quis primus veterem usum mutaverit, quo tempore, qua occasione: quando mordicus cœperint Græci Fermentato, & Latini Azymo adhærere: an diversarum Ecclesiarum diversi mores fuerint, sicut olim in celebratione Paschatis: cur per annos mille inter Græcos, & Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia; cur Photius schismatis Græcanici parens, qui multo minora, atque etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ postea tanta contentione inter partes agitata est: cur inter Orientales soli Armeni, & Maronitæ Azymo utantur; quando, & qua occasione eo uti cœperint, aliaque multa hujusmodi dubia non satis diligenter examinata adhuc incomperta forent, eo vel maxime, quod veteres Scholastici ab his se facile expedirent, asserentes, ut diximus, utramque Ecclesiam Græcam, & Latinam ab initio, & deinceps in Azymis conseerasse usque ad exortam Ebionæorum hæresim; quia item persuasum habebant morem utendi Azymis apud Latinos a Christi exemplo descendisse, hanc demum invenerunt viam conciliandæ difficultatis, ut Azymum propter Ebionæos rejectum, seu intermissum nimium fortasse creduli dicerent, postea vero cessante hæresi prædicta restitutum. Attamen, ut ait Mabillonius præfatus Dissert. de Azymo, & Fermentato cap. 7. in fine, cum nulla lex, nullum decretum, nullum horum alterius vestigium extet apud Veteres de recipiendo in Ecclesia Azymo, neque de mutando Fermento, nec de transferendo Azymi, & Fermenti promiscuo usu in Azymi communem ritum; cumque Sancti Patres tam solliciti fuerint de iis, quæ ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinerent, adeoque tot decreta condiderint de Altaribus, de Vasis Sacris, deque Linteis in Sacrificio usitatis, de Eucharistia pie, ac religiose tum conficienda, tum porrigenda, tum percipienda, tum asservanda; cum tot statutis decreverint retinendam aquæ admixtionem in Calice, atque ad majorem Dei cultus in hoc tremendo Mysterio peragendi decorem, & majestatem alia bene multa sapienter, prudenterque ordinaverint, mirandum certe foret, si Latini aliquando abjecto Fermento Azymum admiserint, idque communi consensu factum sine lege fuisset, nemine reclamante, aut referente; propterea tot difficultatibus, dubiis, ambagibus, atque implicatis quæstionibus, quibus hæc magna scatebat, & obvolvebatur. Controversia de Pane Eucharistico, scilicet qualis olim fuerit, præsertim apud Latinos, an Azymus semper, & ab initio, vel interdum Fermentatus, & quando, quave occasione adhibitus, occurrere volentes plerique elapsi seculi insignes Theologi, eamdem toto nisu discutere, extricare, atque explanare summo labore studuerunt, qui etiam nobilem hanc, sed arduam provinciam excolendam nacti, ipsam peculiaribus suis eruditissimis Dissertationibus exornare, ac dilucidare, in varias licet, atque inter se adversantes opiniones dissecti, dignati sunt.

Inde plerique recentiores viri summi eamdem sibi assumpsere discutiendam.

Hinc

Hinc circa Azymorum apud Latinos antiquitatem tres præcipuæ extant, ac versantur Theologorum sententiæ (ut alias taceam , quæ his accedunt , etsi parumper diverso modo conceptæ, quasque omnes referunt Mabillonius infra memorandus suæ Dissertationis Eucharisticæ cap. 5. , & Joannes Ciampinus in Tractatu , quem inscripsit : De Azymo , & Fermentato Conjecturæ , *ediditque Romæ in 4. an.* 1688.) *Prima itaque est doctissimi e Soc. Jesu Presbyteri Jacobi Sirmondi , qui in Disquisitione de Azymo edita an.* 1651. *conatur ostendere Fermentatum panem in Missa olim a Latinis consecrari solitum ex promiscuis populi oblationibus , ac proinde Fermentati usum octingentis , & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse , usum vero Azymorum medio illo intervallo , quod a schismate Photii Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani , Pontificatu Nicolai I. Papæ, & alterum schisma Michaelis Cerularii itidem Patriarchæ , sedente Leone IX. Papa effluxit , idest medio illo tempore , quod ab anno Christianæ salutis* 867. *ad* 1054. *per duo circiter secula intercessit , in eadem fuisse dumtaxat receptum , cui sententiæ adhæsit Joannes Launojus , qui pro eadem ipsa tractationem scripsit . Altera eidem ex adverso opposita est Clariss. Joannis Mabillonii , qui non tantum in Præfatione prima ad seculum tertium Benedictinum Observ.* 9. *num.* 64. *verum & fusius in peculiari Dissertatione de pane Eucharistico Azymo , ac Fermentato , quam instante ipsomet Cardin. Bona confecit , uti in nuncupatoria ad eumdem Epistola , ac Præfatione ad Lectorem diserte testatur , typisque commisit an.* 1675. *probare in eadem contendit perpetuum fuisse in Ecclesia Latina ab Apostolorum temporibus Azymorum usum . Huic opinioni suffragantur Franciscus Macedo in Disquisitione de Ritu Azymi , Joannes Cabassutius in Notitia Eccles. sec.* 2. *Dissert.* 12. *Christianus Lupus Ord. S. Augustini Lovaniensis Doctor Tom. III. Schol. in Canones Concil. Dissert. de Actis Leonis IX. cap.* 5. *usque ad* 12. , *& Joannes Ciampinus supra memoratus , qui tamen in hoc a Mabillonio dissentit , quod iste Apostolis indiscriminatim utriusque panis usum attribuere videtur . His addere lubet nuperum Clariss. Scriptorem Antonium Sandini , qui inter XII. Dissertationes , quas ex Ecclesiastica Historia depromptas Patavii edidit anno* 1729. *undecimam composuit de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina.*

Qui in tres invicem adversantes sententias divisi sunt , quarum prima est Jacobi Sirmondi.

Altera eidem opposita Joannis Mabillonii.

Tertia denique , & inter istas media , qua scilicet Sirmondi , & Mabillonii sibi adversantes opiniones conciliari possunt , est Cardinalis nostri Joannis Bona toto hoc Capite more suo luculenter discussa , primum in Editione Romana an. 1671. , *deinde in Parisiensi an.* 1676. *post ejus mortem octo sectionibus , seu numeris , aut §§. notabiliter aucta , ac demum Bruxellis sequenti anno recusa , demumque Parisiis iterum impressa an.* 1678. *Ejus itaque sententiæ summa hæc est , jam inde ab Apostolorum temporibus ad Schisma Photianum in Ecclesia Latina promiscuum fuisse usum Fermentati , & Azymi panis , nec ante seculi decimi initium Azymum lege communi , ac generali ubivis usurpatum apud Occidentales , qua in re Sirmondi , ac Mabillonii opiniones temperavit Purpuratus noster , quod scilicet ille ante Photium , per octo scilicet secula , Azymorum , iste Fermentati usum perpetuo excluderet in Ecclesia Romana ; Cardinalis vero in eadem utrumque promiscue , ac licite dictorum seculorum decursu pro temporum , ac locorum opportunitate adhibitum fuisse doceat , adeoque si ob persecutionum angustias Azymus panis haberi non poterat , in Fermentato tunc consecratum fuisse ostendat , ita tamen ut Azymum non excludat , sicut exclusit Sirmondus, neque omnino Fermentatum, uti Mabillonius. Huic sententiæ*

Tertia , & inter istas media Cardin. Joannes Bona.

lubenter

lubenter subscripserunt eidem Cardinali coævus Franc. Maria Florentinius in Opusculo posthumo a Mario ejus filio edito an. 1680. *cui titulus* : Tumultuaria Disquisitio de antiquo usu Fermentati panis, & Azymi &c. *recentiores etiam plerique Viri docti, inter quos Lazarus Andreas Bocquillotius edito an.* 1701. *gallice Tractatu Historico de Sacra Liturgia, sive de Missa, Claudius De-Vert Cluniacensis Monasterii Thesaurarius item gallice Explicationis Cæremon. Eccles. Tom. I. secundæ edit. cap.* 2. *pag.* 23. *& nuperrime, ut alios sileam, Hyacinthus Amat de Graveson Hist. Eccl. Tom. III. edit. Rom. Colloquio* 3. *in fine, atque Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus Prælect. Theol. Tom. VIII in* 4. *de Sacram. Euchar. quæst.* 4. *art.* 5. *concl.* 3. *ac denique Gaspar Ivenin de Sacramentis Dissert.* 4. *quæst.* 2. *cap.* 1. *art. & §.* 4. *concl.* 1. *quibus etiam suffragatur J.* Grancolas *Tom. I. antiq. Liturg. pag.* 564.

Qui apud nonnullos celebres nostri tēporis Scriptores rem acu tetigisse videtur, licet apud alios de eadem male audierit.

Tres inter istos laudatissimos facile primi subsellii Viros, inquit Gravesonius, rem acu tetigisse videtur Cardinalis Bona; suppetunt siquidem gravissima momenta, queis evincitur Ecclesiam Latinam per plura secula pane tam Azymo, quam Fermentato in Eucharistiæ consecratione indifferenter usam fuisse. Possem eadem argumenta, quæ hi duo præclarissimi Theologi Gravesonius, & Tournelyus fuse producunt in Præliminare ejusdem Cardinalis nostri Apologeticum, ac ipsius vindicias ab antiquitate petitas, & ex horum insignium Doctorum calculis roboratas summatim referre; verum hæc, & alia hujusmodi ad quartum Tomum cum reliquis Dissertationibus reservanda censemus. Interim post tot insignium Scriptorum suffragia inde dignosces, benigne Lector, quam improprie, & irrationabiliter commoverit hæc ipsius sententia quorumdam in Urbe animos (ait Mabillonius Præfat. ad suam Dissertationem) rei novitate, ut sibi videbatur, ne dicam indignitate attonitos, quasi nefas esset tantisper recedere a communi recentiorum opinione, qui Azymorum perpetuum usum in Ecclesia Latina non secus, ac dogma Catholicum defendunt. Gliscenti hujusmodi querelarum rumori frænum imponere curavit modestissimus Cardinalis, edita hanc in rem publica ad Lectorem monitione, qua assertionis suæ rationem contra sentientibus advertendam, & approbandam exposuit, eamque in fronte Romanæ editionis Rerum Liturgicarum folio separatim impresso constituit, quam paulo infra exscriptam damus. Quod ubi plene ad votum non succederet, idem argumentum retractare, & clarius sententiam suam explicare animo destinaverat, idque brevi perfecisset, nisi hoc agitantem negotiorum turba distraxisset, uti ipsemet in Epistola ad eumdem Mabillonium data Romæ die 14. *Martii* 1673. *expresse confitetur, atque ideo ibi hanc illi Spartam exornandam reliquit. Fecit tamen & ipse, dum in secunda hujus Capitis editione Parisiensi apud Ludovicum Billaine priorem Romanam notabiliter auxit, ut diximus, plurimis observationibus, novisque argumentis locupletavit, ac plerisque invictis veterum Patrum authoritatibus firmatam sententiam suam munivit, solidavitque, adeo ut eidem potius, quam Sirmondo, aut Mabillonio accedendum omnes ex Eruditorum flore, qui Parisiis celebrabantur, consenserint, uti fidem facit Clariss. Claudius Castellanus Metropolitanæ Parisiensis Ecclesiæ Canonicus Epistola ad ipsum Card. data, quam infra in Appendice referemus, aliique nonnulli præter supra recensitos recentiores, haud infimæ notæ Theologi idem censuerint, quos indicare subsistimus, ne longior, quam par est, hæc Præmonitio discurrat.*

Illius tamen sententiam ipsa utriusque adversæ Partis argumenta confirmant.

Sane Cardinalis sententiam, promiscuum scilicet Azymi, ac Fermentati panis usum fuisse apud Latinos ab ipsis Apostolorum temporibus, probant ipsa

ipsa argumenta omnia, quæ adducunt pro perpetuo Azymo Mabillonius, & e contra pro Fermentato Sirmondus; hinc quemadmodum ex Mabillonii argumentis evincitur antiquissimam esse ab initio Christianæ Fidei in Ecclesia Romana consuetudinem in pane Azymo consecrandi, ita non minus evidentes apparent Sirmondi rationes, quibus, si non semper, ut ipse intendit, frequenter tamen Fermentatum ibidem, & apud Occidentales in Eucharistiæ confectione adhibitum comprobatur. Certant pro alterutra sententia invicem opposita duo virorum doctissimi, neque unius fundamenta minus, quam alterius urgere affirmandum, aut saltem dubitandum erit, cum utraque sua soliditate firmetur, & quales, quantæque scientiæ simul ac authoritatis sint ambo isti insignes Theologi literario hoc in stadio pugnantes, omnibus Eruditis profecto exploratum habeatur. Quare ex his plane concludendum exurget, quod si unaquæque singulatim hujusmodi sententia non in omnibus undequaque subsistit, uti per se constare videtur; quamquam plures Mabillonio adhæserint, pauci Sirmondo, Cardinali tamen nostro quamplurimi subscripserunt, & bene multos ipse suæ causæ patronos ex Parisiensi Academia Sorbonicos Doctores habuit, ut vidimus; concludendumque est, quod ejusdem sententia, utpote media, atque utriusque adversæ partis documentis, ac rationibus sic simul junctis munita, probabilior, neque a veritate distans, sed ei proximior præ cæteris jure dicenda sit; eo vel maxime (id addam ad uberiorem ejusdem confirmationem) quod ea Concilia, quæ prohibent aliud ad consecrandam Eucharistiam offerri, quam panem, & vinum aqua mixtum, veluti Carthaginense III. an. 397. cap. 24. cujus hæc verba sunt: Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panem, & vinum aqua mixtum: *Braccarense IV. an. 675. cap. 2. & Trullanum, seu Quinisextum an. 692. can. 28. nullam hæc singularem, in pane præcipue, conditionem sive Azymi, aut Fermenti requirunt, sed simpliciter panem, & vinum determinant, idest qualia ordinario hominum usui solent inservire, nimirum quoad panem, vel Azymum, vel Fermentatum, quoad vinum sive album, sive nigrum. Non est quod plura alia ejusdem veteris consuetudinis, quæ certa est, exempla proferam, ut Libri Sacramentorum S. Gregorii, Ordinis Romani, Canonis Missæ, Concilii Matisconensis II. an. 585. can. 4., ubi jam inclinari incipientem frigescente mundo Fidelium pietatem in oblationibus ad Altare deferendis de novo excitat, cum hæc sapientibus, & insipientibus nota sint. Eadem cum reliquis non exigui ponderis momentis pro hujusmodi sua assertione tuenda suse, luculenter, ac disertissime produxerat, in prima etiam Romana editione Cardinalis doctissimus; at hæc non obstiterunt quin evulgatis duobus istis Rerum Liturgicarum Libris, ac præsertim hoc Capite XXIII., in quo hæc Controversia hucusque descripta, atque ex nova recensione Parisiensi accurate justo suo expensa criterio funditus enucleata discutitur, statim adversus hanc novam, ut ajebant, Emin. Authoris sententiam complures ex Scholasticorum Theologorum Senatu, & Eruditorum Cœtu insurrexerint, ut dictum est, eamque ipsorum nonnulli acriori sane, quam par erat, censura perstringere conati sint, quasi eadem Azymorum usus tolli penitus videretur: quorum ut impetus reprimeret modestissimus Scriptor, ipsam opinionem suam clarius exponere, ac dilucidare aggressus est, ut sequitur.*

MONITIO AD LECTOREM.

Cardinalis Protestatio, ac suæ sententiæ Declaratio Romæ jam edita.

VIX emersit e prælo hic Liber, cum statim intellexi, displicuisse nonnullis rem non satis intelligentibus, aut in sensum a meo alienum detorquentibus, quod Lib. I. Cap. XXIII. asserui usum Fermentati diu viguisse in Ecclesia Latina. Visum igitur est mihi, omnem scrupulum e mentibus illorum tollere, & statum controversiæ clarius explicare. Tres sunt ejus quæstiones. Prima est, an Christus, quando instituit Eucharistiam, Azymo usus sit, vel Fermentato? Secunda, an in utroque valida sit consecratio? Tertia, in quo Pane convenientius fiat? Hæc tria sunt, quæ magno ardore inter Græcos, & Latinos agitata sunt. Ego autem ad I. asserui cum omnibus Orthodoxis, Christum in ultima Cœna Azymum consecrasse. Ad II. quoque dixi, validam esse Consecrationem tam in Azymo, quam in Fermentato. Ad III. affirmo, convenientius omnino esse in Azymis conficere, & Christi exemplum sequi. Dixi tamen ex facto Christi non concludi, ita necessario faciendum: nam Orientales Fermentato utuntur, præcipientibus Apostolicis Constitutionibus, ut singulæ Nationes suum ritum servent. An vero Ecclesia Latina aliquando Fermentato usa sit, res facti est, nullo modo ad dogma pertinens, sed ad ritum, qui mutationem, & novitatem admittit, ut Lib. I. Cap. VI. §. I. ostendo. Cum itaque in hoc Libro propositum mihi fuerit historiam scribere, quæ soli auctoritati innititur, ea tradidi, quæ apud priscos Scriptores inveni. Obsecro autem viros doctos, ut primo observent, me passim uti nominibus opinionis, & conjecturæ: tum dixi, *me paratum esse certiora docentibus, statim, & ex animo consentire*: & in fine Lib. II. Lectores precatus sum, *ut si quid incautius scripsi, ignoscant, corrigant, & emendent*. Rem ergo gratissimam facient, si prolatis ex antiquitate testibus, amice ostenderint me errasse. Deinde observare debent, quod initio §. VII. dico, Apostolos panem consecrasse, *qualem in domibus Fidelium reperiebant*. Non dico Fermentatum, sed qualem reperiebant, sive Azymum, sive Fermentatum, præsertim apud Hebræos, qui certis diebus Azymis utebantur: qua in re Arcudio consentio, qui *Lib.* 3. *de Sacram. cap.* 3. ait, verisimile esse Apostolos pro varietate locorum, gentium, & temporum, modo Azymo, modo Fermentato usos fuisse. Et §. III. dixi, quod sæviente persecutione *Azymum semper habere non poterant*: ergo pro certo pono aliquando habuisse. At inquiunt, me multa congerere ad probandum, quod usus Fermentati per octo secula perstiterit in Ecclesia Occidentali. Fateor, sed non excludo usum Azymi: nam veterum Patrum, & Historicorum testimonia, quæ profero, nonnisi pro suis Ecclesiis, & Provinciis, & temporibus probant. Nec adeo Dialecticæ sum ignarus, ut nesciam argumentum ab inductione non concludere necessario, nisi omnia singularia sufficienter enumerentur, quod difficillimum est. Denique nunquam dixi, Ecclesiam aliquo præcepto usum Fermentati universaliter decrevisse: quod tamen asseveranter dicunt Principes Theologorum, S. Thomas a me citatus §. V., S. Bonaventura 4. *Sent. dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 1. Scotus ibid. *quæst.* 6. Durandus *quæst.* 4. & his antiquior Alensis *P.* 4. *de Sacram. Euchar. quæst.* 10. *memb.* 4. *art.* 1. §. 3. narrantes historiam Ebionitarum, de cujus fide ago eodem §. V. Et hunc usum docent, donec viguit illorum hæresis, ubique permansisse. Ergo usus Fermentati, ut isti asserunt, eo tempore communis fuit, & ab eorum opinione ego non discrepo, nisi quod

 eun-

eundem usum in quibusdam locis ad plures annos extendo. Omitto plura, nam hominibus eruditis, & bonæ voluntatis, ista sufficiunt. Aliis nec integra volumina satisfacient. Hanc autem paginam claudo præclara Quintiliani sententia, qua & S. Hieronymus in casu non dissimili usus est. *Felices artes, si de iis soli artifices judicarent.*

Quæ tamen non obstitit, quin adversus ipsum insurrexerit Ord. Minorum Theologus Fr. Franciscus Macedo, cui respondit Mabillonius.

Sincera hæc, & ingenua Cardinalis Protestatio mitigavit nonnihil in se ipsum commotos Theologorum aliquot dissidentium animos, hinc conticuere plures, intentique ora tenebant adversæ opinionis fautores; at nihilominus hujusmodi non obstante declaratione haud defuere, qui nimium sui tenaces propositi intemperanti admodum criterio eumdem Emin. Scriptorem carpere, dictamque ejus sententiam adhuc impugnare aggressi sunt. Hos inter primario recensendus est Fr. Franciscus a S. Augustino Macedo Ord. Min. in Dissertatione Theologica de Ritu Azymi, & Fermentati in XVI. Capite divisa, quam in lucem emisit Veronæ an. 1677. *duobus annis post Cardinalis obitum. Viderat pridem Joannes Mabillonius, nostri Purpurati amicissimus, istius Autoris Diatribam quamdam, cui titulus:* Azymus Eucharisticus *impressam fortasse Patavii circa an.* 1673., *ubi dictus Minorita Observans Lector publicus habebatur, cumque in eadem perlegenda deprehendisset Vir summus illam invectivam potius esse, quam de Azymo Disquisitionem, quæ nihil continebat, præter dicteria, & injurias, quibus Jacobum Sirmondum, & Bona Cardinalem amplissimum eminentis subsellii viros indigne afficeret, ac veluti violatæ fidei reos insectaretur Franciscanus Professor, ubi etiam multa quidem Patrum loca collegerat, in quibus de Azymis tropologice, sive allegorice agunt, ea tamen de Azymo Eucharistico ille inepte interpretatus fuerit, ipse Mabillonius in testimonium veniens, ut potissimum alterius cognominis amantissimi sui testimonium præberet de sincero ejus sensu, pro coronide Dissertationis suæ de pane Eucharistico eidem adjicere proposuerat Caput XII., seu Appendicem, qua Cardinalem ab ineptis exceptionibus contra ipsum a dicto Macedone illatis vindicaret, illique ad objecta responderet; at cum ejus Capitis apographum una cum tota memorata Dissertatione Romam Eminen. Principi approbandam direxisset, piissimus, & humilis Purpuratus ex ingenita religiosa modestia sua per Epistolam ad eumdem Mabillonium datam die* 23. *Octobris* 1673. *ipsum enixe obtestatus fuit, ut prædictum Caput, seu sui apologeticam hujusmodi responsionem ad Macedonis Libellum contra se, & Sirmondum exaratum omnino expungeret; eidem morem gerens, & obsecundans Mabillonius ipsam Appendicem omisit, & Dissertationis suæ Eucharisticæ undecim dumtaxat Capita, ut Cardinalis optaverat, prælo consignavit Parisiis an.* 1674., *ex cujus exemplari denuo impressa fuere Tridenti cum laudati Mabillonii Præfationibus ad Acta SS. Ord. S. Benedicti an.* 1724. *pag.* 545.

Verum Antonius Vincentius Thuillierius item Monachus Congr. S. Mauri Ord. S. Benedicti inter Opera posthuma Joannis Mabillonii, & Theoderici Ruinart, quæ nuper edidit Parisiis an. 1729., *hanc iterum, & tertio Dissertationem de Azymo, ac Fermentato typis donavit, addito eidem dicto Capite XII., seu Appendice, vel Responsione ad Macedonis Diatribam Tom. I. pag.* 167 *existimans hanc novæ editioni impune adjungi potuisse, cum piissimo Cardinali, & Franciscano Doctore vita functis, nec ille jam aliquo indigeat, per quem se experiatur, nec iste gloriari posset se a Mabillonio confutatum. Quam Apologeticam hujus eximii Viri ad Macedonem pro Cardinali nostro responsionem, & nos item dabimus in fine istius Tomi. Cæterum mox dictam Diatribam sui conscius (ita videtur) excessus, moderato, atque emollito calamo postea emendavit Macedo*

edita

Idem postea Macedo mutuus in Cardinalem se gessit. Ita pariter Nicolaus Papadopolus, qui & in ipsum acriter invectus fuerat.

edita Veronæ Theologica præfata Disquisitione, *in cujus Monito ad Lectorem hæc ait :* Quod si alias ardentius, & acrius egi, mihi condonandum, quod dolore perculsus minus mihi temperavi &c. *Ita pariter se gessit Nicolaus Comnenus Papadopolus Græcus Cretensis*, *qui in suis Prænotionibus Mystagogicis*, *quas tunc Cardinali Joanni Francisco Albano*, *antequam Summus Pontifex Clemens XI. electus suisset*, *dicatas edidit Patavii an.* 1698. *Responso* 3. *Sect.* 5. *num.* 10. *Cardinalis Bonæ suppresso nomine*, *in ipsum Doctissimum Principem*, *quasi gentis suæ hostem*, *indigne traductum*, *nonnullis dicteriis*, *& scommatis acriter invectus fuerat ; mutato postea in melius*, *saniusque consilio*, *mitius agens palinodiam cecinit in Opusculo*, *seu Responsione adversus hæreticam*, *horrendisque blasphemiis in Catholicos oppletam Joannis Hoxstoni Epistolam Venetiis impressa anno* 1703., *ubi pag.* 84. *num.* 47. *&* 48. *retractans quæ alias in eumdem optimum Purpuratum Bona nimis audacter contra ipsius de promiscuo panis Azymi*, *& Fermentati usu*, *olim in Ecclesia Latina sententiam scripserat*, *Liturgicum nostrum Authorem ibi summis laudibus efferens*, *illius virtutes*, *& sapientiam eximie commendat ; quæ etiam suo loco referentur. Vides inde*, *benevole Lector*, *quomodo hac in parte Joanni Cardinali Bona adaptari poterit propheticum illud Isaiæ cap.* 60. 14. Venient ad te qui humiliaverunt te, & detrahebant tibi &c.

Epilogus, & causa hujus duplicis editionis indicatur.

Hæc sunt, *quæ circa hujusmodi magnam de Eucharistico pane controversiam*, *qualis nempe apud Latinos usitatus olim fuerit*, *an Azymus semper*, *aut quandoque Fermentatus adhibitus in Sacrificio*, *ejus item consuetudinis originem*, *statum*, *de iis opinionum varietatem*, *ac propter ipsas exorta dissidia*, *& contentiones præmittenda erant. Superest*, *ut te monitum dicam*, *Sacræ Liturgicæ Antiquitatis Scrutator studiosissime*, *me in tui commodum*, *& utilitatem istius Capitis XXIII. utramque editionem exhibuisse*, *Romanam scilicet*, *quam primo imprimi fecerat Romæ anno* 1671. *Cardinalis ipse*, *& Parisiensem anni* 1677., *quam nova recensione*, *ac secundis curis perlustratam*, *auctam*, *ut innuimus*, *plerisque etiam eruditis observationibus locupletatam idem Eminen. adornaverat*, *ac paulo ante obitum Lutetiam Typographo Ludovico Billaine imprimendam transmiserat*, *cujus exemplar ibi asservatur in Bibliotheca S. Germani a Pratis*, *& authographum Romæ in Archivo Bibliothecæ S. Bernardi ad Thermas*, *atque ita sub oculis*, *ac pene unico conspectu habes*, *humanissime Lector*, *in hac perdifficili Disceptatione subtiliter utrobique discussa*, *& enucleata*, *quod laudabilem cupiditatem tuam expleat*, *quid nempe in priori editione pro tuenda sententia sua ingenue scripserit Cardinalis Eruditissimus*, *quid in posteriori nolens æmulari in malignantibus sincere*, *non ex animo irreverenti*, *& infrunito pro eadem sustinenda opinione*, *ac confirmanda*, *adversus impugnantes se humiliter exposuerit*, *quomodo sensum suum modeste expresserit*, *declaraverit*, *& interpretatus fuerit ; quid denique omissum in prima*, *suppleverit in secunda*, *quid in hac de illa retinuerit*, *quid de novo adjecerit*, *mutaverit*, *aut fusius digesserit. In summa quid ad hanc quæstionem undequaque dignoscendam spectet*, *quid ad ejus resolutionis notitiam*, *quidve ad optime perpendendam ingentem argumentorum vim scire necessarium foret*, *atque ex iis concludendum videatur. Hinc cum deceat veritatis amantissimum*, *ubi illa est*, *adhærere*, *ubi propinquat*, *accedere*, *Te*, *qui commendatam istam celeberrimi Scriptoris Eucharisticam Dissertationem absque ullo partium studio*, *aut præjudicio attente legeris*, *non solum quantæ molis*, *ac momenti eadem sit*, *intellecturum*,

sed

ſed & Authori Emin. cum ſupra relatis inſignibus Viris ſubſcripturum fore confido. Paucas inſuper, ut videbis, eaſque breves tantum obſervationes, ac notas, non, ut cæteræ fuſiores, hinc inde adjicere interdum viſum eſt, primo ne te amplius fatigarem, amice Lector, deinde quia Purpuratus noſter ſatis admodum Cauſam ſuam promovit, ut eidem in ipſius corroborationem vix aliquid addendum ſuperſit; tum quod earum nonnullas, quæ fortaſſe adjicienda eſſent, reſervandas ſuo loco in peculiari Diſſertatione cenſuimus. Hæc, inquam, ſunt, quæ a me tibi pronuntianda occurrebant. Proſice, vive, vale, ſcriptiſque his utere felix.

CAP. XXIII.

EX EDITIONE ROMANA

Qualis debeat eſſe Panis, qui offertur, & conſecratur in Miſſa. Quæ gentes Azymo, quæ Fermentato utantur. Diſcutitur de hoc controverſia inter Græcos, & Latinos. Quibus argumentis, & conjecturis probari poſſit utramque Eccleſiam per multa ſecula in Fermentato ſacrificaſſe. De more offerendi Panem, & Vinum. Quid ſit Fermentum, quod olim Pontifices ad Eccleſias Urbis mittebant. Miſſam antiquitus Euchariſtiam, necnon & Panem communem in ſignum communionis. De forma, ſeu figura Panis conſecrandi. Quo tempore, & qua occaſione Panis Azymus introductus. Hoſtiarum, quibus hodie utimur, origo. Quo ſtudio olim factæ. Duplex Panis & Vini præparatio. Addita quædam de Eulogiis.

§. I.

Qualis debeat eſſe Panis, qui offertur, & conſecratur in Miſſa. Quæ gentes Azymo, quæ Fermentato utantur.

CUM Sacramentum Euchariſtiæ, quod ſingulari prærogativa & Sacramentum eſt, & Sacrificium, ex Pane, & Vino conſtet, nulla unquam de Vino inter Catholicos quæſtio fuit; omnes enim Vini nomine audito, illud ſtatim mente concipiunt, quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur. De Pane vero inter Orientales, & Occidentales acerrimæ motæ ſunt lites: nam Orientales Fermentato utuntur, & hunc ſolum legitimam eſſe materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in Azymis conficiunt, utentes tamen Fermentato non damnant. Adhærent Latinis in uſu Azymorum Maronitæ, & Armenii, ſed quo tempore his uti cœperint, præter morem cæterorum Orientalium, difficile eſt invenire. Ajunt Maronitæ antiquiſſimam eſſe in ſuis Eccleſiis hanc conſuetudinem, ſed ejus initium deſignare non poſſunt. Morinus in præfatione Ordinationis Maronitarum *pag.* 393. ad probandam hujus ritus antiquitatem ex Davide illarum gentium Archiepiſcopo, qui vivebat anno Domini 1053., teſtimonium affert excerptum ex notis Abrahami Ecchellenſis ad catalogum librorum Chaldaicorum *pag.* 144. *editionis Romanæ*; ſed nihil ex eo concluditur, nam David ibi citatus hoc ſolum refert, Chriſtum in Pane Azymo Sacramentum inſtituiſſe. De Armeniis diverſæ ſententiæ ſunt. Quidam enim ajunt Magnum Gregorium Illuminatorem primum Armeniæ Patriarcham una cum Tiridate Rege ad fidem converſo Romam profectum fuiſſe, ut cum S. Silveſtro Pontifice, & cum Imperatore Conſtantino, qui Chriſtianam Religionem nuper etiam amplexus fuerat, fœdus, & concordiam inirent, atque ibi Sanctum Patriarcham Azymorum

Ex Orientalibus Maronitæ, & Armenii in uſu Azymorum Latinis adhærent.

morum

morum usum didicisse, suæque Ecclesiæ tradidisse: sed quicquid sit de fide hujus narrationis, quam aliis examinandam relinquo, probandum his erat, non pro certo ponendum, quod Ecclesia Romana tunc Azymis uteretur. Alii conjiciunt id moris eos usurpare cœpisse, cum Eutychianis adhæserunt, unam scilicet Christi naturam ea oblatione profitentes, sicut Panis Azymus nulla est unione commixtus, ut Isaac Catholicus Invectiva I. adversus ipsos ait cap. 7. *Panem Azymum*, inquit, *Judæorum more offerentes nulla unione commixtum, unius naturæ mysterium faciunt*. Demetrius item Cyzicenus in Tractatu de hæresi Jacobitarum Chatzitzariorum, qui sunt Armenii, editus a P. Combefis post Historiam Monothelitarum ait: *Oblationem faciunt azymam, inque calicem communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Ac juniores quidem ex causa irrationabili id cæremoniæ inductum nugantur: veteres autem eorum doctores sanctum a Deo afflatum, ac Martyrem Gregorium Magnæ Armeniæ Episcopum oblationem ejusmodi sine fermento, ac calicem sine aqua, eis ideo tradidisse calumniantur, quia inquiunt, quem Christus panem discipulis tribuit in Cœna mystica, Azymum erat, ac Calix sine aqua: quos tamen Ecclesia Catholica Apostolicam, ac Patrum traditionem legitime servans, non probat*. Extat & quædam Armeniorum historia ipsorum schisma, ac rituum mutationem Niersi Patriarchæ adscribens, qui ut rem gratam Regi Persarum tunc Armeniæ dominanti faceret, Conciliabulum in civitate Thevin sexto seculo inchoante coegit, in quo decretum fuit anathematizandam esse Synodum Chalcedonensem ritusque veteres Sacrificii innovandos, ut hoc Religionis dissidio omnino a Græcis separarentur. At Clemens Galanus, qui omnes fere Armeniorum Libros perlustravit, de impio Nierse Patriarcha agens *lib.* 1. *Conciliationis ejus Ecclesiæ cum Romana cap.* 10. consentit quidem in reliquis prænarratæ historiæ, negat tamen aliquid spectans ad Sacrificium statutum fuisse in Conciliabulo Thevinensi: inferius autem *cap.* 17. ex historia Armenia ea, quæ sequuntur de Joanne Ozniensi Patriarcha recenset. *Hic jussu Homaris Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis Synodum congregavit in Urbe Manaschierti in confinibus Harcanæ Provinciæ, ubi convenientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio, fueruntque a Sacris ablata Mysteriis, Fermentum, & aqua, Canoneque statutum est non esse amplius in Sacrificiis aquam vino miscendam*. Acta sunt hæc circa tempora sextæ Synodi generalis, dum Armenia sub durissimo Saracenorum jugo pœnas lueret schismatis, & impietatis: ex quibus satis constat Azymum panem, & vinum sine aqua ab Armeniis offerri cœpisse in signum divisionis a Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychianæ. Ideo Patres Trullani, qui anno 692. Canones sub nomine sextæ, seu quinisextæ Synodi ediderunt, decimo circiter anno post impia decreta a Joanne Ozniensi promulgata, ipsos Armenios acriter reprehendunt, quod vinum solum sine mixtione aquæ in Sacra Mensa offerrent, Apostolicam traditionem detestabili errore subvertentes, *ad nostram*, inquiunt, *cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in Sacra Mensa offerunt, aquam illi non miscentes*: id vero prohibent sub pœna depositionis. De panis autem mutatione ex Fermentato in Azymum silent, licet eodem tempore, & in eodem sacrilego Oznienfis Conciliabulo sancita fuerit, nec eos accusant, quod Fermentatum rejicere, & Azymum introducere, nulla habita ratione veteris consuetudinis, ausi sint. An id fortassis ad eorum notitiam non venerat? vel potius de hac

Sed Armenii Azymum panem, & vinum sine aqua in signum divisionis ab Ecclesia Catholica offerre cœperunt.

re

re ſiluerunt, quod indifferens exiſtimarent, ſive quis Azymum, ſive Fermentatum panem in Sacrificio offerret? Uterque enim vere eſt panis, nec ulla extat Eccleſiaſtica regula, quæ alterutrum interdicat: Aquam vero vino miſcere, mos eſt univerſalis Eccleſiæ ex Divina, & Apoſtolica traditione: atque ideo Armenii in crimen vocati ſunt, quia ſolum vinum ſine aqua offerebant; non autem propter uſum Azymi panis, ſive hunc perperam ab illis uſurpatum neſcierint Trullani Antiſtites, ſive diſſimulandum cenſuerint.

§. II.

EX EDITIONE ROMANA.

Diſcutitur de hac Controverſia inter Græcos, & Latinos. Quid circa eamdem ſenſerit Jacobus Sirmondus.

ORta deinde eſt, quatuor fere ſeculis poſt ſextam Synodum, controverſia de Azymo, & Fermentato, & diu agitata inter Græcos, & Latinos, partium potius, quam veritatis inveniendæ ſtudio, ut in ſimilibus fieri ſolet: atque hinc factum eſt, ut pertinaciter contenderint ſuam quiſque conſuetudinem a Chriſto, & ab Apoſtolis ad noſtra uſque tempora derivare. Sed ſi omiſſis hac de re Scholaſticorum ſubtilitatibus, & argumentis, quæ apud ipſos legi poſſunt, veritatem ſincere, & ſine affectu ad alterutram partem ex veterum Patrum monumentis, & ex praxi Eccleſiæ inveſtigare voluerimus, inveniemus procul dubio, quam parvi momenti ſint, in re, quæ a facto pendet, doctorum ſpeculationes: tum perſpicue cognoſcemus multum intereſſe inter tempora, quæ præceſſerunt, & quæ poſtea ſequuta ſunt; eoſque turpiter errare, qui ex præſenti rerum ſtatu omnem æſtimant antiquitatem. Inquirendum igitur hic eſt, quo pane uſa ſit in Sacrificio vetus Eccleſia, Azymone, an Fermentato, an in utroque indiſcriminatim: ſpecialiter vero utrum apud Latinos ſemper in uſu fuerit Azymus panis; vel potius antiquitus Fermentatum adhibuerint, & poſtea Azymum receperint, & quo tempore id factum ſit. Brevem, ſed luculentam de hac quæſtione diſquiſitionem ſcripſit rei antiquariæ peritiſſimus Jacobus Sirmondus; ex qua, ut ingenue fateor, me profeciſſe, ita etiam agnoſcet benignus Lector, quot argumenta, conjecturas, & teſtimonia adjecerim ad ejus ſententiam confirmandam. Putat Sirmondus uſum Fermentati in Eccleſia Latina ab ipſo ſuſceptæ Religionis exordio cœpiſſe, & multis exinde ſeculis perſtitiſſe. Et mihi quidem hoc valde probabile viſum fuit, priuſquam illius tractatum vidiſſem, & in hac ſententia confirmatus ſum, cum rem ipſam intimius perluſtravi: non ita tamen illi adhæreo, quin paratus ſim certiora docentibus ſtatim, & ex animo conſentire.

In re, quæ a facto pendet parvi momenti ſunt Doctorum ſpeculationes.

Laudatur Jacobi Sirmondi Diſſertatio de Azymo, & Fermentato.

§. III.

EX EDITIONE ROMANA.

Quibus argumentis, & conjecturis probari poſſit utramque Eccleſiam per multa ſecula in Fermentato ſacrificaſſe. De more offerendi panem, & vinum.

Argumenta, quibus probatur utramque Eccleſiam Latinam, & Græcam in Fermentato ſacrificaſſe.

QUod igitur vetus Eccleſia Fermentato pane in partibus quoque Occidentalibus diu uſa ſit, probatur primo loco ex more offerendi, qui olim vigebat; nam ut idem Sirmondus ſapienter advertit, vetus

vetus in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque Sacrificii partem adferret. Cujus consuetudinis apud priscos Antistites tanta fuit religio, ut hanc etiam synodicis decretis, ne obsolesceret, sanciendam putarint, nec dissimulandum, si quis violaret. Ita enim decrevit Concilium Matisconense II. c. 4. *Residentibus nobis in sacro Concilio, cognovimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse, itaut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes*. Ad hunc item morem respexit Concilium Nannetense cap. 9. quo Presbytero mandat, ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase nitido, quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Liber Sacramentorum S. Gregorii editus a Pamelio, postquam præcepit cantari offertorium, ait: *Et offeruntur a populo oblationes, & vinum, e quibus in Altari ponuntur, ut sacreutur*. Consonat Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens oblatas ponit tantas super Altare, quantæ possunt populo sufficere*. Ejusdem oblationis factæ a Fidelibus illustria habemus exempla in Theodosio Imperatore, celebrante Ambrosio, & in Valente, celebrante Basilio, ut narrat Theodoretus *lib. 4. Eccles. histor. cap. 17., & lib. 5. cap. item* 17. Adeo autem initio Ecclesiæ mos iste invaluerat, ut digni reprehensione haberentur, qui nihil offerentes alienæ oblationis partem sumebant. Quo nomine Cyprianus divitem fœminam increpans lib. de opere, & eleemosynis: *Locuples*, inquit, *& dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Idem urget Augustinus, seu quisquis est auctor Sermonis 215. de Tempore dicens: *Oblationes, quæ in Altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*. Et Eligius Noviomensis Tract. de rectitud. Catholicæ conversat. Tom. IX. Augustini. *Ille bonus Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentius venit, & oblationem, quæ offeratur Deo in Altari, exhibet*. Hoc idem confirmant verba Sacerdotis suum in Missæ precibus, & populi sacrificium, atque hostias sæpius commemorantis. *Orate*, ait, *fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum*. Et infra. *Memento, Domine, omnium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*. Item. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus, ut placatus accipias*. Et in orationibus, quæ secretæ dicuntur. *Suscipe preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Suscipe munera populorum tuorum*. Et clarius Dominica V. post Pentecosten, *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem*. Sunt & alia ejusdem generis multa, quæ priscum illud tempus respiciunt *, quo populi oblationes consecrabantur. Quod si Sacerdos oblatum a Fidelibus Panem pro sua, & illorum communione consecrabat', non alium sane quam communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qui singulis tam divitibus, quam pauperibus semper in promptu esset: cum præsertim primis Ecclesiæ seculis propter metum persecutorum sæpe in cryptis, & in carceribus sacrum

* *Vide not. 1. in §. 13. Edit. Paris.*

Tom. II. V occul-

occulte, & ex occasione celebrari oporteret, Pane procul dubio communi, quia Azymum nec ubique conficere, nec semper paratum habere poterant. * Scio quidem Virum doctissimum Albaspinæum *lib.* 1. *observ.* 5., & sequentibus ea, quæ de oblationibus allata sunt, aliter interpretari; sed singularis ejus sententia est, & contra communem Doctorum sensum. Ait ille has oblationes, de quibus Cyprianus, & alii loquuntur, nihil ad Eucharistiam pertinere; neque partem ex iis decerptam, ut consecraretur; sed referendas esse ad Eulogias, sive ad Panem in fine Missæ distribuendum. Nam Panis, inquit, qui offerebatur, Fermentatus erat, Eucharistia vero ex Pane sine Fermento conficiebatur: quod genus argumenti quanti sit ponderis, nemo non videt. Imo quia Panis Fermentatus offerri solebat, consequens est, ut & idem consecraretur: nec ullo modo ad Eulogias trahi potest quod Cyprianus scribit argtens mulierem, quæ partem sumebat de Sacrificio, quod pauper obtulerat. Unde enim probare poterit, quod nomen Sacrificii Eulogiis unquam tributum sit? aut quod tempore Cypriani Ecclesia Azymis uteretur? Id demonstrandum erat, non tamquam indubitatum statuendum (1). Adhuc mos perseverat, ut in quibusdam solemnitatibus (1) integer Panis, atque is Fermentatus simul cum vino ab his, quorum interest, offeratur, ut Episcopi consecrantur, cum Reges coronantur, cum aliquis in numerum Sanctorum adscribitur: ex quo veluti per rimulas antiqua Panis Fermentati offerendi consuetudo perspicitur, & olim quidem ipsemet Panis, qui oblatus erat, consecrari solebat: at nunc remanente sola, & nuda oblatione in his celebritatibus, quæ raro accidunt, in reliquis disciplina mutata est. Sed pergo, & serius a Latinis recepta Azyma aliis argumentis ostendo.

** Vide not. 2. in §. XIII. Edit. Paris.*

Rejicitur Gabr. Albaspinæi de oblationibus interpretatio.

Notatur P. Franciscus Macedo, & vindicatur Card. Bona.

(1) *Id demonstrandum erat, non tanquam indubitatum statuendum*) Ad hunc locum insurgit Pater Franciscus Macedo in sua Disquisitione de Azymo, & Fermentato cap. 6. in fine, ubi Parergon habet de oblatis ad Altare, ibique Emin. refellere nititur, & Albaspinæum defendere; ait ille, postquam nonnullos Authores retulit, quibus ipse suum addit calculum, & his verbis se exprimit. „ Litigandum mihi est cum Authore doctissimo, & Eminentissimo (habita prius illius „ venia) circa hunc panem Catechumenorum, quem ponit Augustinus, & ex „ eorum ore eripit Author, ut salem ejus „ loco intrudat. Negat Augustinum loqui de „ pane, cum de sale omnino intelligendus „ sit, ubi sic placuit scribere lib. 2. cap. 19. (non. 26. uti ex mendo forsan typographi irrepsit) „ §. 7. *Errant qui de Catechumenis* „ *aliter sentiunt, decepti loco quodam Augu*„*stini, quem male interpretati sunt*: & pro„ducto eo: *Augustinus*, inquit, *non hic de* „ *pane, ut illi perperam existimant, sed de* „ *sale locutus est, quod Cathecumenis dari so*„*lebat, ut Eruditis notum est*. Nescio cur „ vehementer accipiat eos, qui de Pane in„terpretantur Augustinum, cum illi erudi„tissimi viri sint. Vellem ut mitius ageret, „ & ut aliquod suæ sententiæ fundamentum „ afferret, sed nullum prorsus adducit sua „ nixus authoritate, quam ego elevare nec „ volo, nec possum. Propterea de aliorum „ existimatione sollicitus, eos liberare a nota „ imperitiæ volo; nam ejusdem ego fui sen„tentiæ in meis Scholis Theologicis positivis „ Schola 12. eadem authoritate Augustini mo„tus, ex qua perspicue constare puto, illum „ cibum Catechumenorum Panem benedi„ctum fuisse &c. „ Hæc Lusitanus Minorita publicus Patavious Professor, quem æquiori jure vellem ego, ut ipse in Bona Cardinalem eruditis omnibus ubique doctrina, ac pietate conspicuum mitius egisset, nec religiosæ urbanitatis, ac modestiæ limites nimia prorsus confidentia, & libertate transgressus eumdem Emin. imprudenti hujusmodi nota carpsisset, de eo pronuncians, quod nullum prorsus suæ sententiæ fundamentum afferat sua nixus authoritate.

Indulgerem id inconsiderantiæ sciolo cuipiam, qui vel a limine tantum salutata Ecclesiastica antiquitate de his, quæ transeunter, ac perfunctorie legerit, nec plene examinaverit, ut isti assolent, in summos etiam viros os suum ponere, iisque contradicere non vereatur; at Macedoni Theologo, si quis est (liceat dicere) ad miraculum docto, cui quadraginta tomos scribere datum, & omnium Literatorum omnino scrutari antiquitatem, & Patres consulere libuit, (quemadmodum ipse de se ait in Diatriba, quam ante Disquisitionem de Ritu Azymi exaraverat, de qua ad calcem in Appendice, ubi Cardinalis Epistolæ, aliorumque Eruditorum ad ipsum, hac de controversia scriptæ afferentur, sermo erit) idem non condonandum

dum

dum censerem. Et sane quomodo fieri potuit, ut vastissimam ejus mentem fugerint, quæ Purpuratus Author, tum loco per Macedonem ipsum indicato, tum lib. 1. cap. 16. §. 3. exquisita veterum plurium testimonia profert, quibus diserte probatur non Panem benedictum, uti idem contendit Macedo, sed sal dumtaxat Cathecumenis adultis olim datum fuisse? Et quia hujusmodi ritus salis illis dati peculiaris erat Latinæ tantum, non Græcæ Ecclesiæ, ut ibi ad dictum locum nota 4. ostendimus, eumdem ex Latinis solum Patribus confirmabimus.

Et primo cum Panis usualis, & communis aliquid in terram decuti anxie, eo quod esset materia Eucharistiæ, Fideles paterentur, ut loquitur Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3. multo magis inconveniens existimabant frusta Panis benedicti dare profanis, & nondum initiatis, quales sunt Catechumeni; illis tamen dabant sal, non solum in Baptismo, verum etiam in Catechumenatu, ad quem ritum, non ad Eulogias, sive Panem benedictum, respexisse Augustinum lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 26. cum Cardinali nostro perspicue firmat & alter Joannes Morinus Oper. posth. de Catechumenorum expiat. cap. 9. quod Opusculum denuo edidimus in Append. ad Lib. 1. Partem 1. seu Tom. 1. pag. 421. & seqq. ubi dicto cap. invicte vindicatam leges, benigne Lector, Cardinalis nostri sententiam contra laudatum Macedonem. Sane quod ad sal Catechumenis datum dumtaxat respexerit Augustinus, ex eo plenissime constat, quod nec apud ipsum, nec alibi apud Latinos hujusce suppositi Panis benedicti Catechumenis traditi ulla mentio fiat. Distincte audiatur idem Augustinus, qui lib. 1. Confess. cap. 11. de suo Catechumenatu agens; *audieram ego*, inquit, *adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Filii tui Domini Dei nostri, & signabar signo crucis, & condiebar ejus sale*: Hoc unicum erat Catechumenorum Sacramentum, de quo Concilium Carthaginense III. ipso vivente Augustino celebratum can. 5. *Placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal*: Mos autem iste in hoc Canone præscriptus adhuc vigebat in Gallia tempore Caroli Magni; in ejus quippe Capitularibus cap. 190. item præcipitur, ut in Paschate *Sacramentum Catechumenis non detur, sed tantum benedictum sal a Sacerdotibus pro communione tribuatur*: Sal vero istud cum signo crucis iisdem Catechumenis tradi solitum erat, quod solemni benedictione sanctificabatur, quæ in Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in antiquo Ordine Romano legitur; verba autem, quæ Sacerdos in illius salis traditione proferebat, ex iisdem antiquis Ritualibus hæc sunt: *Accipe salem Sapientiæ in vitam æternam*: Porro Catechumenorum sal benedictum, uti antiquum laudant Isidorus, Amalarius, Strabo, Alcuinus, aliique veteres sacrorum Ecclesiæ Latinæ Rituum Expositores; neque eorum ullus Panis benedicti, de quo contendit Macedo, Catechumenis dati tamquam ipsorum Sacramentum, vel minimam mentionem habet. Valeat igitur secum opinio sua, de qua iterum nobis sermo erit supra citato lib. 2. cap. 19. Porro de Cypriani, aliorumque veterum Patrum textibus quoad Fidelium oblationes pro consecranda Eucharistia olim Sacerdotibus exhibitas nonnulla dicentur in memorata peculiari Dissertatione suo loco referenda.

§. IV.

EX EDITIONE ROMANA.

Hujus Controversiæ origo non sub Photio, sed Michaele Cerulario (Patriarchis). Ex Photii silentio de Azymi usu apud Latinos, hic deducitur, nonnisi post an. 860. viguisse.

SEdente Nicolao I. Pontifice Maximo Græcorum schisma adversus Latinos exortum est, curante Photio viro improbo, & turbulento, qui S. Ignatio e Sede Patriarchali injuste deposito, thronum Constantinopolitanum invaserat. Hoc autem divortium, ne temere, & absque consilio fecisse videretur, magno ardore Latinos insectatus est, & illis tanquam gravissima crimina objecit quæcumque in eorum ritibus, & disciplina a moribus Græcorum discrepabant. Eos itaque reprehendere cœpit, quod Sabbatis jejunarent, quod uxores Presbyteris prohiberent, quod iisdem Presbyteris non permitterent Chrismate baptizatos linire, quod Clerici barbas raderent, quod octo hebdomadas ante Pascha non observarent, quod Agnum Judæorum ritu in Altari offerrent, & benedicerent, quanquam id falso objiceret; & si quæ sunt alia ejusdem generis, quæ Michael, & Basilius Imperatores ad Nicolaum Papam, hic ad Hincmarum, & ad alios Galliæ Antistites misit discutienda, & refellenda: de qua re extat ejusdem Hincmari Epistola ad Odonem Episcopum Bel-

Objecta Græcorum adversus Latinos, de aliis rebus, non de Azymo.

lovacensem *edita Tomo secundo Operum ejus pag.* 809. De Azymis autem nec verbum quidem, quam certe objectionem non omisisset, qui etiam falsa crimina de illis per calumniam finxit, & de multo levioribus litem movit. Ex quo silentio, si non evidenti, saltem probabili consecutione deducitur Azymi panis usum circa annum Christi 860. nondum in Ecclesia Latina viguisse. Quod si quis contendat ex Photii silentio nihil concludi, cum sit argumentum pure negativum: obsecro, ut causam assignet motæ postea de Azymis controversiæ. Non enim video, cur de his tacuerit Photius, & post duo secula Michael Cerularius Photii Successor tam aspere loquutus sit; nisi quia vivente Photio non erant in usu, tempore autem Cerularii nuper recepta fuerant. De vi argumenti negativi nolo hic odiosam texere disputationem, sed neque necessarium est; nostra siquidem assertio non soli silentio Photii innititur, sed alia habet validiora firmamenta, atque adminicula, quibus fulcitur, & credibilis sit, ut ex progressu patebit. Precor etiam viros eruditos, ut me doceant, an post Christum, & deinceps per annos mille ulla unquam de Azymis, eorumque usu in Sacrificio mentio habita reperiatur, nisi occasione Sectariorum, qui illis usi sunt, ut a consuetudine Catholicæ Ecclesiæ se alienos ostenderent, sicut de Armeniis diximus supra, & de Ebionæis mox videbimus. Argumentum vero, quod plerique Scholastici tanquam insolubile opponunt, Christum scilicet prima die Azymorum Eucharistiam instituisse, ideoque Ecclesiam ejus exemplo Azymis usam esse, quanti roboris sit, viderint sapientiores Theologi, & judicent. Nam Christus illo pane in ultima Cœna usus est, qui apud Hebræos in illa solemnitate communis erat: nec ut ait Algerus lib. 2. de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini cap. 10. *ideo Christus Azymum panem in ultima Cœna consecravit, quia res sic exigeret, sed quia illa Cœna alium panem non exhibuit*. Et si post Resurrectionem aliquando consecravit, ut communiter asserunt Sancti Patres, panem communem, & fermentatum adhibuisse credendus est, quo post dies Azymorum omnes utebantur. Dato item, & non concesso, quod semper Azymis usus esset, nihil tamen ex hoc pro Azymis concludi posset: certissimum est enim, non omnem Christi actionem præceptum continere, alioquin celebranda a nobis forent hæc Mysteria post Cœnam, quia Cœna peracta ab ipso sunt instituta. Ex praxi quoque Ecclesiæ apparet quanta sit vis in hoc argumento; nam usum Fermentati ipsa approbavit. Deinde quis non videt Scholasticos ad hanc rem pertractandam præoccupatis mentibus accessisse? Cum enim ab infantia sola Azyma offerri viderint, eaque sola in Scholis, & in exedris prædicari audierint, ea sola semper in usu fuisse crediderunt; & hoc posito, varias subinde convenientias, variaque argumenta excogitarunt, ut quod semel conceperant, firmius stabilirent. Veræ autem sapientiæ nihil magis adversatur, quam a teneris annis certis quibusdam principiis sine delectu, & examine mentem imbuisse. Unde jam olim notavit Ammonius Aristotelis commentator eos, qui falsis doctrinis innutriti erant, multa puerilia, atque inepta adeo pertinaciter defendisse, ut nulla ratione potuerint ab iis divelli. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu*, inquit Horatius. Pari quoque ratione qui ex præscripto proprii instituti, sive ex affectu erga præceptores, certis opinionibus adhærent, omnia secundum illas dijudicant quacumque auctoritate, & demonstratione posthabita, ad easdem trahentes quicquid audiunt, quicquid legunt. Non enim servant traditum a Beato Hilario Pictaviensi Episcopo *lib. I. de Trinitate* salutare documentum, ut cum Doctorum tractatus legunt,

Ex Christi facto non satis arguitur perpetuus in Ecclesia Azymorum usus.

non

non præconceptas persuasiones illis inferre, sed veritatem potius ab his referre conentur. *Optimus enim Lector est*, ait ille, *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quem imponat; & retulerit magis quam attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum*. Sed redeo ad Scholasticos. Hi videntes usum, Fermentati dudum apud Orientales invaluisse, ejusque moris originem ignorantes, ne hanc difficultatem taciti declinasse viderentur, hanc Historiam commenti sunt.

§. V.

EX EDITIONE ROMANA.

Refertur præcipuum Scholasticorum argumentum pro Azymo ex Ebionæorum hæresis Historia.

AJunt utramque Ecclesiam Græcam, & Latinam absque ulla Controversia post hujus Sacrificii institutionem, & deinceps Azymis usam fuisse exemplo Christi, qui in Azymis consecravit. Postmodum supervenisse hæresim Ebionæorum, qui docebant legalia præcepta simul cum Evangelio servanda esse, ideoque in mysteriis Azymo Pane utebantur. In eorum vero detestationem universam Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem, rejectis Azymis, Fermentatum Panem ad mensam Domini adhibuisse. Demum illa hæresi profligata, Latinam Ecclesiam ad pristinum morem Azymorum rediisse, Græcis receptam ea occasione Fermentati consuetudinem retinentibus. At unde prodierit hæc historia, incertum est. Refert eam S. Thomas *in 4. sent. Dist.* 11. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. eamque tribuit Leoni Papæ. Sed quis fuerit iste Leo, nec ipse dicit, nec se reperisse ait Franciscus Svarez *Tom. III. in* 3. *Par. disp.* 44. *sec.* 3. Quis igitur huic narrationi fidem præstet, cujus apud antiquos Scriptores per mille ferre annos nullum apparet vestigium? Agit diffuse de hæresi Ebionis Epiphanius hær. 30. sed quod ejus occasione Fermentati usus introductus fuerit, nullo modo testatur, nec verbum quidem de hac re in aliis extat, qui de Ebionæis scripserunt. Quin potius idem Epiphanius inter cæteros illorum errores hunc recenset, quod mysteria quotannis celebrabant ad Ecclesiæ, & Sanctorum imitationem, in quibus Panes Azymos, & ad alteram mysterii partem solam aquam adhibebant, notans illos, quod utramque materiam Sacramenti perverterent. Scio quosdam Scriptores hoc loco abuti ad probandum usum Azymorum temporibus Apostolorum, ac si dixerit Epiphanius Ebionæos mysteria fecisse in Azymis ad imitationem Ecclesiæ, & Sanctorum. Sed nisi vim inferamus textui, imitatio Sanctorum ipsa tantum mysteria respicit, non eorum materiam; alioquin dicendum foret eos aquam quoque adhibuisse ad imitationem Sanctorum. Illud itidem considerandum, quod si tunc temporis omnes Ecclesiæ Azymis utebantur, cur reprehensi sunt Ebionæi, quod mysteria in Azymis conficerent? aut quomodo Epiphanius notam eis erroris infert, si in hoc a præscriptis Ritibus non aberrabant? An quia illi dicebant legales cæremonias servandas esse, quarum una erat usus Azymorum, ideo Ecclesia Azyma a sacris abstulisse credenda est? An propter paucorum abusum æquum fuit morem deserere, quem ipsi Scholastici a Christo, & ab Apostolis derivatum arbitrantur? Imo Ebionæi hac de causa rei habiti sunt, quia a communi usu Fermentati recedentes, Azymum Panem usurparunt, ut eo veluti symbolo ab Orthodoxis discernerentur, suumque dogma de Legis Hebrai-

Idem pariter ex afficta quadam Ebionæorum Historia perperam deductus.

Hebraicæ obſervantia ejuſdem Azymi uſu confirmarent. Hoc igitur commentum de Pane Azymo, primo quidem omnium conſenſu uſitato, exinde in deteſtationem Ebionæorum exploſo, demum extincta ſecta a ſolis Latinis rurſum recepto, tanquam abſurdum, & incredibile reſpuendum eſt.

§. VI.

EX EDITIONE ROMANA.

Decepti cum Scholaſticis nonnulli recentioris ævi Scriptores.

Decepti cum Scholaſticis nonnulli medii ævi Scriptores.

EOdem cum Scholaſticis præjudicio deceptus fuit Hugo Etherianus *lib. 2. de Hæreſibus, quas in Latinos Græci devolvunt cap. 17.* dicens: *Latinorum Sancta Eccleſia æternaliter Azyma offert, & immolat, ſecundum Chriſti traditionem.* Stephanus quoque Æduenſis *lib. de Sacram. Altaris cap. 17.* Romanam Eccleſiam de Azymo pane immolare ait, Græcos autem de Fermento; quod, inquit, *non conſentit Sanctorum Patrum doctrina, quia in ſacro eloquio nunquam invenitur Fermentum accipi in bonum.* Sed hi recentiores ſunt, & nimis probant: ſi enim ex Chriſti traditione Azymus panis immolaretur, quis unquam auſus fuiſſet Fermentatum adhibere? Nec verum eſt, ut luce clarius conſtat, quod Fermentato non conſentiat Sanctorum Patrum doctrina: non alio enim pane, quam Fermentato uſi ſunt Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Cyrillus, & quotquot fuerunt ſanctitate, & doctrina conſpicui Sacerdotes in Eccleſiis Orientalibus. Simili errore lapſus eſt Barlaamus Hieracenſis Epiſcopus, qui ſe aſſerit vixiſſe quadringentis annis poſt ſchiſma, poſt annum ſcilicet 1300. Hic ad amicos ſuos in Græcia conſtitutos ſic ſcribit: *Eccleſia Romana ante incboatum ſchiſma pluribus quam ſeptingentis annis per Azyma conficiebat Sanctiſſimam Teletam. Alexander enim Romanus Pontifex, qui ſub Adriano glorioſo martyrio vitam finivit, hoſtiam de Azymo Eccleſiæ Romanæ ſtatuit.* Verum hic aliis contradicit aſſerentibus Romanam Eccleſiam ſemper in Azymis conſecraſſe ex Chriſti inſtitutione. Deinde in Actis legitimis Sancti Alexandri Papæ nihil ab eo de Azymis ſtatutum legimus: imo Romæ, & in aliis Occidentalibus Eccleſiis longo poſt ipſum tempore Fermentatum in Sacrificio adhibitum multis argumentis probari poteſt. Occurrit primo loco mulier incredula, quæ, ut narrat Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni *lib. 2. cap. 41.* Sancto Pontifici celebranti ſolitas oblationes obtulerat; cui tempore communionis Myſteria traditurus, cum diceret: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam*, riſit mulier. At ille dextram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici Corporis ſuper Altare depoſuit: expletis vero Miſſarum ſolemniis, matronam coram populo inquiſivit, quamobrem Corpus Dominicum ſumptura ridere præſumpſerit. At illa ait, quia panem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu Corpus Dominicum perhibebas. Tum Gregorius facta oratione pro mulieris incredulitate particulam panis in carnem, & ipſam carnem rurſus in panem convertit. Porro hæc mulier panem communem, & uſitatum obtulit, quem ipſa fecerat pro domo ſua: ſi enim Azymum feciſſet, & obtuliſſet, quo uti tunc in Sacrificio mos foret, non potuiſſet ignorare, cui fini panis ille inuſitatus deſtinatus eſſet, nec indicia ſive incredulitatis, ſive ignorantiæ ridendo præbuiſſet. Credidit S. Thomas *3. part. qu. 74. art. 4.* Eccleſiam Romanam hujus Gregorii tempore Azymum

Argumenta nonnulla ex veterum monumentis pro Fermentato.

mum panem, tanquam diu usitatum adhibuisse, ipsumque Gregorium in Registro ejus consuetudinis rationem reddidisse. At a Viris eruditis dudum observatum fuit eam sententiam supposititiam esse, nec in scriptis Gregorii reperiri. Quidpiam simile legitur in Registro Gregorii VII. *lib.* 8. *Epist.* 1. & hinc fortassis hallucinatio processit, & primo Gregorio tributum, quod septimi est. De eodem pane communi Ambrosius loquitur lib. 4. de Sacram. c. 4. *Tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Dum autem nominat panem usitatum, & in mensa communiter usurpatum, certe de Azymo explicari non potest. Illustre etiam de hac re testimonium perhibent Concilii XVI. Toletani Patres, quod æra Hispanica 731., anno scilicet Christi 693. actum fuit, c. 6. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & studio præparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque, aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia uspiam gestum perpenditur.* Et paucis interjectis, quibus ex Evangelio ostendunt Christum non particulam panis, sed integrum panem accepisse, & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas particulatim Discipulis tribuit, subdunt: *Unde temeritatis ejus, atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat: cujus reliquiæ, aut ad conservandum modico loculo absque aliqua injuria conserventur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit, gravis farciminis onere premat, sed animam alimonia spirituali reficiat.* Quid clarius hoc Canone ad id, quod intendimus, astruendum? Si enim debuissent illi Sacerdotes Azymum panem consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent, quod non Azymum, prout mos ferebat, sed panem usualem, & communem, & consequenter Fermentatum consecrarent: atqui de hoc Synodus tacet, & eo tantum nomine illos castigat, quod panes non erant nitidi, & ad illud ministerium, sicut par erat, peculiari studio præparati, atque fortuito, & indecenter de communi mensa decerpti *. Ad idem facere videtur Concilium Calchutense in Anglia anno 787. dum c. 10. præcipit oblationes Fidelium tales fieri, ut panis sit, non crusta. In Concilio quoque Nannetensi supra citato constituunt Patres, *ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant.* Quod decretum iisdem verbis extat inter Capitula, quæ Hincmarus Remensis dedit Presbyteris suis anno 852. *cap.* 7., & hinc liquet nullum fuisse tunc discrimen inter panem, qui supererat consecrationi, & alium communi usui Presbyteri destinatum, quia vel ex illo, vel ex isto indiscriminatim partes haberi pro Eulogiis illi Antistites decreverunt. Atque hinc etiam confirmatur, quod superius dictum est, orto jam schismate Græcorum adhuc in Ecclesia Latina usum Fermentati permansisse.

* Vide Edit. Paris. §. 14. num. 2.

§. VII.

§. VII.

EX EDITIONE ROMANA.

Veteres Patres de Pane Eucharistico loquentes nonnisi de communi, ac Fermentato commode intelligi, & explicari posse videntur.

QUod si veteres Patres percurrere, & omnem evolvere antiquitatem libeat, inveniemus procul dubio sic a tempore Apostolorum, & deinceps de Pane Eucharistico omnes loqui, ut nonnisi de communi, & Fermentato commode intelligi, & explicari queant. De Apostolis legimus in eorum Actis *cap.* 2. & 20. quod ibant per domos frangentes panem, & Fideles erant perseverantes in communicatione fractionis panis, & una Sabbati, idest die Dominica, conveniebant ad frangendum panem, qualem scilicet in domibus Fidelium reperiebant. Ibi autem agi de perceptione Eucharistiæ, omnium Interpretum concors sententia est. Tertullianus ad uxorem lib. 2. cap. 5. *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Scivisset autem, si panis ille diversus * a communi fuisset. Augustinus *Epist.* 59. loquens de pane Eucharistico, *benedicitur*, inquit, *sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*: quia nimirum integer panis consecrari, & ex eo particulæ communicantibus distribui solebant. Narrat Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 87. Epachium Presbyterum, cum indigne celebrare præsumpsisset, sumpto Sacramento in terram corruisse, & projecisse ab ore Sacri Mysterii particulam, quam dentibus comminuere non potuit. Alia multa his similia occurrunt passim in Sanctis Patribus, & Conciliis, sed nimis in longum irem, si vellem singula recensere. Ruperto Abbati, & aliis recentioribus asserentibus Ecclesiam Romanam nunquam in Sacrificio Fermentum admisisse, quæ fides habenda sit, ex dictis manifestum est. Nec unquam Humbertus Cardinalis, & reliqui Scriptores, qui primitus adversus Græcos acerrime pro Azymis decertarunt, hanc perpetui moris præscriptionem in suæ causæ defensionem, & robur afferre ausi sunt, scientes nihil in ea præsidii fore, quod serius a Latinis recepta Azyma non ignorarent. Petrus Cluniacensis, qui integro seculo post Humbertum floruit, lib. 4. Epist. 17. ad S. Bernardum, *Testes*, inquit, *sumus & nos temporis nostri* (nostri, ait, non antiqui) *qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare Sacrificium Azymi panis videmus, cum Græca Ecclesia, & maxima Orientis pars, ac barbaræ, sed Christianæ gentes sacrificare de Fermentato dicantur*.. Tum ait ob has usuum dissonantias tam antiquos, quam modernos a mutua charitate non descivisse, quia in his nihil, quod fidem læderet, invenerunt. Græcus etiam homo Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus, quem citat Sirmondus, cum animadvertisset nullos usquam Canones Azymorum meminisse, recte conjecit eorum morem serius, & post Photii schisma in Romanam Ecclesiam se insinuasse. Hinc doctiores inter Græcos Schismaticos controversiam de Azymo, & Fermentato male excitatam fuisse fatentur, nec propter hanc discrepantiam, quæ ritus est, non dogmatis, dissidium ab initio contigisse agnoscunt, & testantur. Illorum vero testimonia legi possunt apud Leonem Allatium in Dissertatione de perpetuo consensu Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis ad Joannem Christianum de Boineburg edita cum ejusdem Tractatu de Purgatorio, & in Hottingero

* *Vide not. 1. in §. 14. Edit. Paris.*

Doctiores inter Græcos Schismaticos controversiam de Azymo, & Fermentato male excitatam fuisse fatentur.

gero convicto *cap.* 9. consentit ex Latinis Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, agens enim *Epist.* 44. de quodam Sacerdote, qui ex pane communi Sacrificium obtulerat, gravius puniendum ait Ecclesiæ, seu populi scandalum, qui ea novitate offensus fuerat, quam delictum, in ea enim consuetudinem potius, quam fidem impugnatam fuisse. Non possum autem hoc loco omittere, aut dissimulare Rabani Mauri sententiam, qui *lib.* 1. *de Institutione Clericorum* (quem se scripsisse testatur anno Domini 819.) *cap.* 31. ait, *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis sanctificari oportet.* Quæ verba, & alia, quæ sequuntur ad comprobandum Azymorum usum, assertioni nostræ procul dubio adversari videntur. Sed dum attentius considero, nullam, vivente Rabano, de Azymo, & Fermentato controversiam extitisse, nec ab aliis illius seculi Scriptoribus Azymorum pro usu Sacrificii mentionem fieri, suspicatus sum addita illa ab aliquo recentiore ex ritu sui temporis. Ut igitur hac de re certior fierem, ad Codices MSS. confugiendum esse existimavi, unumque reperi in Bibliotheca Vaticana n. 1149. sic inscriptum: *Rabani Mauri Liber de Officiis Ecclesiasticis:* & sic incipientem, *Qualiter ad Divinum Officium instrui oportet sanctissimum Ordinem Clericorum, institutio Ecclesiastica narratione declarat multimoda.* Est autem lib. 3. citati Operis de *Institutione Clericorum*, isque in multis ab edito diversus. Ex quo meam suspicionem haud temerariam fuisse cognovi, librumque Rabani a recentioribus auctum, & interpolatum fuisse non inconsulte judicavi.

Genuina Rabani Mauri sententia.

§. VIII.

EX EDITIONE ROMANA.

Quid sit Fermentum, quod olim Pontifices ad Ecclesias Urbis mittebant, & utrum id vere esset Eucharistia.

AD eumdem Fermentati usum comprobandum præteriri non debent Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.* De Siricio hæc scripta sunt. *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum.* Innocentius vero Epist. ad Decentium cap. 5. sic scribit. *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam.* Ad statutum autem Melchiadis hæc in Scholiis suis ineditis addit Petrus Episcopus Urbevetanus. *Diebus enim Dominicis mittebat Romanus Pontifex per titulos Urbis Fermentum confectum ab ipso per suos Acolythos, ut a communione ejus plebs non putaret se separatam, quia recipiebat Corpus Christi de Fermento ab ipso consecrato. Ad Ecclesias autem cœmeteriorum extra Urbem positas non mittebatur, quia Sacramenta longe deferri non possunt.*

Varia de more antiquo deferendi per cœmeteria oblationes, & luminaria ad missas celebrandas.

 Mos

Mos vero non deferendi in cœmeteria, de quo hic mentio fit, postea abrogatus fuit. Nam in vitis Pontificum a Joanne III. constitutum lego, ut oblationes, & amulæ, vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur: Et Gregorius III. disposuisse dicitur, ut in cœmeteriis circumquaque positis luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas. Mittebant itaque Pontifices ad Ecclesias Urbis in signum mutuæ

Fermenti voce non Eulogiæ, sed Eucharistia intelligenda.

communionis panem, qui Fermentum dicebatur, quo nomine ipsam Eucharistiam intelligendam esse, non autem Eulogias, ut contendit Baronius, ex verbis Melchiadis, & Siricii manifeste deducitur: illi enim de pane consecrato loquuntur, non de Eulogiis, quibus nomen consecrationis aptari non potest. Et Innocentius rationem reddens, propter quam illud Fermentum non mittebatur extra Urbem, *quia*, inquit, *non longe portanda sunt Sacramenta*. De Sacramento igitur hic sermo est, non de Eulogiis, quæ non sunt Sacramentum (1). Nec puto hunc ritum non mittendi (1)
procul Sacramenta a Joanne, & Gregorio tertiis abrogatum, cum in cœmeteria mitti oblationes e palatio Lateranensi decreverunt; nullam enim consecrationis mentionem faciunt, nomen autem oblationis pani oblato ad usum Sacrificii tribui quoque solebat, antequam a Sacerdote consecraretur. Sed videamus qua ratione motus Baronius nunquam potuit adduci,

Cardinalis Baronius explicatus, & emendatus.

ut crederet Fermenti nomen tributum aliquando Eucharistiæ, *quia*, inquit, *notissimum est Romanam, ac simul Occidentalem omnem Ecclesiam nonnisi in Azymo pane consuevisse Eucharistiam conficere*. Ita ille *anno* 313. agens de rebus Melchiadis. At ego ostendere hic enitor usum Fermentati Romæ, & in Occidentali Ecclesia diu viguisse: ideoque assero Fermenti nomen a prædictis Pontificibus Eucharistiæ tributum, quia in pane Fermentato conficiebatur. Narrat ibidem Baronius Viros eruditos hac in re elucidanda admodum laborasse, & inter alios Latinum Latinium, a cujus sententia ait se dissentire. Optavi sane, cum primum hæc scriberem, Latinii de hoc Fermento Dissertationem, si forte extaret, videre; sperabam enim me aliquid in ea reperturum, quo res obscurissima utcumque posset elucidari. Cumque aliquando de hoc colloquerer cum Viro humanissimo, rerumque omnium, præsertim Ecclesiasticarum notitia maxime imbuto Francisco Maria Brancatio S. R. E. Cardinali, & Episcopo Viterbiensi, se prælo paratam habere dixit secundam partem Epistolarum ipsius Latinii ex suæ Ecclesiæ Bibliotheca mox edendam studio Dominici Macri ejusdem Canonici, & Theologi notæ eruditionis, inter quas erant Latinii, & Antonii Augustini de Fermento opiniones duabus Epistolis alterius ad alterum expressæ, quas protinus ad me mitti curavit. Et Latinius quidem ad ipsum Augustinum, tunc Episcopum Ilerdensem, scribens, putat Fermentum, de quo agitur, verum Sacramentum Eucharistiæ omnino fuisse, quod cum legissem, gavisus sum me in eam sententiam venisse, quæ dudum homini doctissimo placuerat, eique propterea firmius adhæsi. Cur vero Fermenti nomen ipsi Sacramento tributum sit, expendens Latinius duas causas comminiscitur, quæ, pace tanti Viri, mihi prorsus absurdæ, & a moribus illorum temporum ex toto alienæ visæ sunt. *Appellabatur autem Fermentum*, inquit, *non quia aliquid haberet commune cum Fermento, quo utimur ad panem fermentandum, sed ea fortasse ratione, vel quia velut massa, & conspersio esset utriusque partis Sacramenti, Corporis videlicet, & Sanguinis ita mixta, ut nullo modo separari posset. Vel quia eadem ipsa massa propria Fermenti vicem obtineret in alia majori massa fermentanda, quæ satis esse posset ad populum cujusque tituli communicandum*. Hanc vero

mixtio-

Latinus item Latinus notatus quoad fermenti vocem, ejusque causam.

mixtionem eo consilio factam arbitratur, ut Manichæi, qui a vino abnorrebant, detegerentur: nam mittens Pontifex illud Fermentum Presbyteris, præcipiebat, si Latinio credimus: *ut per eosdem Presbyteros plebi universæ astanti diligentissime declararetur Fermentum illud a Summo Pontifice confectum, & consecratum cum admixtione utriusque speciei eo consilio fuisse, ut qui cum Catholica Ecclesia sentirent, & in ejus communione manere vellent, dum illud sumerent, profiterentur se sub specie panis, & vini simul mixta Eucharistiam accipere, & tam panis, quam vini Creatorem Deum agnoscere, & non Principem tenebrarum, ut de vino in Creatoris omnium injuriam Manichæi blasphemi asserebant.* At missum ex hoc motivo Fermentum, nec ex Actis Melchiadis, & Siricii, nec ex Epistola Innocentii ulla ratione colligi potest. Nulla item assertæ mixtionis utriusque speciei apparet necessitas ad detegendos Manichæos; cum enim tunc sub utraque specie Fideles communicarent, multo facilius deprehendi poterant, si a Sanguinis poculo per Diaconum porrecto abstinerent; quo indicio sub Leone Magno eos proditos *ex ejus Sermone* 4. *de Quadrag.* constat. Nihil etiam legimus in Scriptoribus illorum temporum, quo Latinii conjectura inniti queat. Deinde mixtio Corporis, & Sanguinis tunc inaudita fuit, & a moribus, ac ritibus Ecclesiæ omnino per illa tempora dissidebat, ut Lib. II. palam fiet, cum de communione intincta disseremus. Porro ad Latinii Epistolam breviter respondens vir solidæ doctrinæ, & eruditionis Antonius Augustinus, suamque de hoc Fermento opinionem exponens, missum a prædictis Pontificibus panem consecratum asserit, cum negari non possit, quod illi clarissime dicunt, sed ex præconcepta sententia de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina putat *Fermenti appellationem non veram esse, sed usurpatam, & qua vulgus uteretur pro Azymis illis sinceritatis, & veritatis; inde fortasse appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua læti omnes participes fierent Sacræ Mensæ post longam quadraginta dierum inediam, eadem verba de Fermento audirent, & pro græco Azymorum verbo, latino uterentur contrariæ significationis.* At hinc videre licet magnos quoque viros errori obnoxios esse, cum alicui opinioni ab infantia adhærentes, antiquos ritus ad illam expendunt, & accommodant. Nam quid magis alienum a communi usu loquendi, quam quod nomen Fermenti pro Azymis accipiatur? Quia nimirum in die Paschatis audiebant Fideles, *epulamini non in Fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis*; idcirco Eucharistiam contraria significatione vocabant Fermentum. Neminem futurum credo, cui hoc suaderi possit. Cæterum Epistolæ Latinii, & Augustini editæ jam sunt *parte* 2. *Epistolarum ipsius Latinii pag.* 166. & *sequentibus* *. Diversa ab his est Sirmondi sententia, qui Eucharistiam ex eo Fermentum a prædictis Pontificibus dictam existimat, non quod ex pane fermentato esset, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut Fermentum massæ, cui commiscetur. At nihil vetat, quin utrumque verum sit, & Eucharistiam Fermentum dictam, quia revera ex Fermento erat, & symbolice etiam Fermentum nuncupatam, quod signum sit unitatis, & vinculum charitatis *.

Insuper Antonius Augustinus hallucinatus.

** Vide not. 2. ad §. 16. Edit. Paris.*

** Vide not. 2 ad §. 16. Edit. Paris.*

Cardinalis Bonæ sententiæ de Fermento plerique clarissimi Scriptores subscribunt.

(1) *Non de Eulogiis, quæ non sunt Sacramentum*) Huic sententiæ plerique recentiores subscribunt, inter quos novissime Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus de Sacram. Euchar. art. 5. Concl. 3., cui & adhæret Illustrissimus Joseph Maria Perimezzius in suis Dissertat. Polemicis parte 8 pag. 41. Ita igitur, inquit Tournely, „ negat Baronius ad ann. Christi 313., contenditque simplices intelligi debere Eulogias, quæ in signum mutuæ communionis, & charitatis ad absentes mittebantur „.

Verum

Verum oppoſita ſententia nobis probabilior videtur; primo, quia vox ipſa *Conſecrationis*, qua utuntur laudati Sancti Pontifices, veriſimiliter Euchariſtiam deſignat. Secundo, id quoque innuere videtur ratio, quam ſubjicit Innocentius I., *quia*, inquit, *Sacramenta non ſunt longius portanda*. Veriſimile autem eſt, ibi Sacramenti nomen in propria, & ſtricta ſignificatione uſurpari, quo ſenſu cap. 8. ejuſdem Epiſtolæ appellat Unctionem extremam *Sacramentum*. Tertio, quia ante Innocentium I. obtinuiſſe conſuetudinem mittendi ad abſentes, & exteros Euchariſtiam antea probavimus, ubi de aſſervatione Euchariſtiæ ex literis S. Irenæi ad Victorem Romanum apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 24. Hinc ejuſdem ſententiæ cum Emin. noſtro ſunt præfati Authores. Vide etiam Pagium Brev. Geſtor. Pontif. in Innoc. I. Tom. I. pag. 71. Huic etiam ſententiæ ſubſcribunt Mabillonius Diſſert. de Azymo cap. 10. circa fin., & Comment. in Ord. Rom. cap. 6. num. 2. pag. 38., & Vener. Card. Thomaſius apud Ciampinum de Azymo cap. 5. pag. 124. Item Scheleſtratius de diſcipl. Arcani cap. 7. art. 5. pag. 139., ac noviſſime Comes Nicolaus Antonellus in ſua Diſſert. de Titulis §. 20. quibus & adhæret Petrus Couſtantius Epiſt. Roman. Pontific. pag. 340. Joannes Mabillonius in ſuo Itinere Germanico præfixo ad ſua Analecta vetera nuper edita in fol. pag. 11. ſic ait: *Majoris momenti eſt, quod in Gloſſis manuſcriptis ſuper Canones Apoſtolorum, & Decretales Pontificum legitur de fermento in Epiſtola Innocentii Papæ I. ad Decentium, cujus vocis interpretatio viros eruditos in diverſas traxit ſententias, aliis de Euchariſtia, aliis de Eulogiis interpretantibus. Sic autem legitur in Codice perantiquo, de fermento, quod dicit, mos eſt Romanis, ut de Miſſa, quæ cantatur in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto, & in die Sancto Paſchæ, & in Pentecoſten, & in Natali Domini dic ſancto per totum annum ſervatur, & ubicumque per ſtationes, ſi ipſe Papa ad Miſſam præſens non fuerit, de ipſa Miſſa mittitur in Calicem, cum dicit: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, & hoc dicitur* Fermentum. *Tamen Sabbato Sancto Paſchæ nullus Presbyter per Eccleſias Baptiſmales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipſa ſancta, quam obtulit Dominus Papa*. Ex quibus nemini dubium in poſterum relinqui debet (ſubdit Mabillonius) hunc Innocentii locum, alioſque ſimiles de Euchariſtia eſſe interpretandos. Codicem ſupradictum, ex quo prænarrata Mabillonius eruit, valde antiquum eſſe, & ab annis fere nongentis ſcriptum idem autumat. Vide quæ de hoc ſtatuto jam diximus Parte I. ſeu Tomo I. ad Cap. 1. §. 5. nota 4. pag. 8.

§. IX.

EX EDITIONE ROMANA.

Miſſam antiquitus Euchariſtiam, necnon & panem communem in ſignum communionis.

[*Concordat in omnibus cum §. 17. Edit. Pariſ.*]

SIC expedita videri poterat controverſia de Fermento ad Eccleſias olim miſſo, ſed emergunt alii nodi, quorum difficilis, valdeque perplexa ſolutio eſt: nec eos diſſimulavit in præcitata Epiſtola Latinius, ſed proponit his verbis: *An autem titulares Presbyteri eodem die Dominico Miſſas integras celebrarent, idest an vere ipſi conſecrarent, & offerrent; & an una cum Fermento a Pontifice miſſo propriam quoque oblationem peracta conſecratione ſumerent; an tantum alteram, & an ſoli ipſi, vel etiam populus ex altera, vel utraque communicarent, ut in re valde obſcura, nihil videtur temere pronunciandum*. Hæc revera obſcura ſunt;

Nonnullæ enodantur quoad Fermenti miſſionem obſcuræ difficultates.

nam cum ſupra dixerimus Sacrificium peractum ex oblationibus Fidelium, quomodo hi Pontifices e Lateranenſi Patriarchio mitti oblationes decreverunt? & ſi panis, quem mittebant, erat conſecratus, certum eſt quod ad Miſſam a Presbyteris titulorum celebrandam non pertinebat. An igitur a Fidelibus ſolitas oblationes accipiebant in Miſſa conſecrandas, ex quibus, & ex Pane conſecrato, quem Pontifex miſerat, tam Sacerdos, quam adſtantes in ſignum mutuæ pacis, dilectionis, atque unitatis communicabant? Hoc plane veriſimile, imo certum mihi videtur: nam vinum miſiſſe Pontifices nuſquam apparet, Miſſæ autem Sacrificium ſine panis, & vini oblatione, & conſecratione agi non poterat; quare Fideles more tunc uſitato utrumque offerebant, & ex ipſis muneribus Sacrum agebatur, ſine ullo reſpectu ad panem miſſum e Lateranenſi palatio, niſi quod illum cum oblationibus recenter conſecratis communicaturis diſtributum putamus. Cohæret hic ritus cum aliis veteris Eccleſiæ

con-

consuetudinibus. Mos enim fuit, ut qui ejusdem Fidei essent, sibi mutuo mitterent Eucharistiam in signum communionis, sicut testantur Eusebius *lib. 5. hist. Eccl. cap.* 24. (1) Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 39., & Joannes (1) Moschus *in Prato spirituali cap.* 29., idque salvo jure celebrandi, quod sacrum illud munus non auferebat. Ita pari ratione missa per titulos Eucharistia nullum præstabat impedimentum, quin possent, & deberent eorum Presbyteri Synaxim agere. Quia vero Sacramenta procul deferre vetitum erat, absentibus, & longe constitutis in symbolum fraternæ charitatis panis communis mitti solebat, cujus rei testes sunt Augustinus *Epist.* 34., & Paulinus *Epist.* 41. 45. 46. quem morem diu permansisse Flodoardus docet *lib.* 4. *hist. Rhemensis cap.* 3. scribens Formosum Papam Carolo Regi Francorum panem misisse pro pignore pacis, & unanimitatis. Sic imminuto Fidelium fervore, usui frequentissimo, ac fere quotidiano communionis successit usus Eulogiarum, de quibus infra. Aliam veterem consuetudinem describit Alcuinus *lib. de Divinis Off. cap.* 37. agens de ordinatione Episcopi in Romana Ecclesia, *Pontifex ad communicandum porrigit ei Formatam, atque sacram oblationem, quam accipiens communicat super Altare, cætera vero reservat sibi ad communicandum usque ad dies quadraginta*. Idem habetur in Ordine Romano, ubi est etiam exemplar *Formatæ*, quæ datur Episcopo noviter consecrato.

Describuntur peculiares Ritus Ordinationis Episcopi, & Presbyteri olim observati.

Ejusdem Panis consecrati, quem acceptum ab Episcopo in die suæ ordinationis Presbyteri consumere debent quadraginta diebus quotidie ex eo particulam sumentes, historiam narrat Fulbertus Carnotensis Episcopus *Epist. ad Finardum*, mysticam ejus ritus rationem reddens (2). Ex hac (2) autem Fulberti Epistola manifestum est, tunc Presbyteros per illos quadraginta dies quotidie celebrasse, & tempore communionis particulam hostiæ de manu Episcopi susceptæ, & eam, quam ipsimet consecrabant, comedisse. *Sicut enim*, ait ille, *multæ Ecclesiæ sunt per universum Orbem terrarum propter diversa loca, & tamen una est Sancta Catholica Ecclesia propter unam Fidem: sic & multæ sunt oblatæ propter vota offerentium, unus panis est propter unitatem Corporis Christi. Nam Panis ab Episcopo consecratus, & Panis a Presbytero sanctificatus, in unum, & idem Corpus transfunditur, propter secretam unius operantis potentiæ virtutem*. Hinc autem suspicor sumendam originem, & rationem duplicis panis, qui ab Episcopo in die ordinationis suæ offertur: olim enim uterque consecrabatur, alter pro consecrante, & aliis Missæ assistentibus, alter pro prædicta quadraginta dierum Episcopi tunc promoti communione. Si ergo Panis consecratus, quem Pontifex Episcopis, Episcopus Presbyteris in Missa Ordinationis præbebat, ut ex eo singulis diebus particulam ad communicandum decerperent, nullatenus impediebat, quin quotidie sacris operarentur, nemo certe absurdum, aut a moribus Ecclesiæ, prout illa ferebant tempora, alienum existimabit, quod Presbyteri Romani, accepta a Pontifice Eucharistia, *quæ Fermentum* (3) *dicebatur*, Missam nihilominus (3) diebus Dominicis agerent, & alium panem oblatum de more a Fidelibus consecrarent, atque ex utroque se, & alios communicarent. Hæc mea opinio est (4), quam precor ut expendant Viri docti, & periti, & si quid (4) certius, magisque consentaneum repererint, libentissime amplectar.

(1) *Lib. 5. Histor. Eccles. cap.* 24.) Ubi fragmentum Epistolæ Irenæi ad Victorem Papam recitat, in qua hæc leguntur: *Sed & Presbyteri illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernarunt, Anicetum dico, & Pium, & Hyginum &c. Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt*.

(2) *Ejus ritus rationem reddens*) Ejusdem consuetudinis meminit Rituale Rotomagensis Ecclesiæ anni 1651. Aliquando tamen non per quadraginta dies, sed per unam

tantum

Olim per 40. dies, postea vero per unam tantum hebdomadam novi Presbyteri ex pane ab Episcopo consecrato communicabant.

tantum hebdomadam communicabant Presbyteri ex pane ab Antistite consecrato. In Rituali enim MS., quod 700. annorum ætatem superare videtur, quodque extat Romæ in Bibliotheca Casanatensi ista leguntur: *Omnes enim, qui consecrantur, eodem die & offerunt, & communicant, & dantur singulis Presbyteris die eodem ordinationis singulæ oblatæ sanctificatæ ab Episcopo, ex quibus per totam sequentem hebdomadam mixtim cum Sacrificio, quod illi sacrificaverint, communicent.* De hac consuetudine videndus Joannes Ciampinus in sua Dissertatione de Azymo, & Fermentato cap. 5. pag. 132. qui tamen emendandus, cum textum mutilum afferat, & duas lineas omiserit. Cæterum propria tantum Sacerdotum ordinationi non fuit hæc consuetudo, quam in Virginum etiam consecratione usitatam invenire est; siquidem in Abbatia Portus Regii prope Parisios vetustum extat Necrologium, cui additus est ritus in Virginum Benedictione servandus, ubi legitur Episcopum in celebratione Missæ magnam hostiam consecrare debere, quam postea octo in partes dividit, quarum una Virginem sacram communicat, reliquas nitido linteolo involutas dexteræ ejusdem imponit, quas in Octava Consecrationis suæ consumere debet. Ita tradit Du-Moleon, qui Necrologium vidit, & rem narrat in suo Liturgico Itinere pag. 235.

(3) *Quæ Fermentum dicebatur*) Vide de hoc supra in §. VIII. hujus editionis notam unicam circa medium.

(4) *Hæc mea opinio est*) Hanc Doctoris nostri sententiam veneror, at quod Missam nihilominus Romani Presbyteri diebus Dominicis agerent, dubitaverim: Verba enim Innocentii Pontificis I. aliud portendere videntur, eadem hæc sunt: *Quod per Parochias fieri debere non puto, quia,* inquit Sanctus Pontifex, *non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus; & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam:* Vetitum igitur fuisse videtur Romæ Presbyteris Sacrificium die Dominico celebrare, alioquin inanis foret ea ratio, qua motus Pontifex cœmeteriorum Presbyteris Euchariftiam mittere recusabant.

In alia posteriori editione Pariensi §. XVII. hanc opinionem libenter admittit, & approbat Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. IV. cap. 5. art. 7. Eamdem etiam amplectitur Illustris S. Joannes Ciampinus in eruditissima sua Disquis. de Azymo, & Fermentato cap. 7. pag. 174. & 175. & circa eamdem quæst. vide Meratum Comment. in Gavant. Prælim. n. XIII. pag. 30. & seqq. Editionis Romanæ.

§. X.

EX EDITIONE ROMANA

Quo tempore, & qua occasione Panis Azymus introductus. De forma, seu figura Panis consecrandi.

Hinc multa ab hodiernis Ritibus plane diversa olim viguisse, nunc legitime immutata conspicitur.

QUæcumque vero de hac re hactenus scripta sunt, si quis attento animo, & a præjudiciis opinionum libero percurrerit, fatebitur, ni fallor, Azymorum usum non semper extitisse in Ecclesia Occidentali: tum etiam agnoscet multa ab hodiernis ritibus prorsus diversa olim viguisse, quæ nunc legitima potestate immutata, & antiquata sunt, ita exigente rerum, temporum, & hominum conditione. Quod si usus Azymorum perpetuus in Romano Patriarchatu non fuit, inquirendum consequenter videtur, quo tempore, & qua occasione introductus sit. Et quidem, quod spectat ad tempus, probabilis mihi semper visa est Sirmondi conjectura existimantis, tunc a Latinis recepta Azyma, cum illis opponi tanquam grave crimen a Græcis Schismaticis cœperunt. Hoc vero contigit sub Pontificatu Leonis IX. vel paulo ante, thronum Constantinopolitanum occupante Michaele Cerulario, qui primus omnium Latinæ Ecclesiæ Azymorum causa bellum indixit, quem alii postea sequuti Latinos per ludibrium *Azymitas* nuncupabant, eorumque Sacrificium hac de causa execrabantur. Quamvis autem annus præcise assignari non possit, quo panis Azymus ad usum Sacrificii initium habuit, saltem a scopo non aberrabit, qui illud ad tempus referendum censuerit, quod inter Photium, & Cerularium, centum, & septuaginta circiter annorum decursu, intercessit. Occasionem vero non sine manifestis indiciis inde natam arbitror, quod cum paulatim Fidelium sacro assistentium, imo & Clericorum communio desierit; sufficeretque modicus panis pro celebrantis, & Ministrorum

rum

rum in Missis solemnibus communione; in privatis vero pro solo Sacerdote: cumque populus alicubi vel panem non offerret, vel minus aptum ad Sacrificium, sensim factum est, ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur, ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes, & Clericos pertineret: & quia Azymus facilius parabatur, nec ullo canone vetitus erat, hic fermentato substitui cœpit, & per omnes Ecclesias paulatim propagari. Sed hæc clariora evadent, si altius perscrutemur, quænam olim panis consecrandi forma, seu figura fuerit, & quomodo ad eam, qua nunc utimur, deventum sit. A primis autem Ecclesiæ seculis sumpto principio, cum dira persecutione per illa tempora vexaretur Ecclesia, integros, ac solidos Panes, quales vel præ manibus erant, vel a Fidelibus offerebantur, cujuscumque formæ, seu figuræ forent, in Altari poni, & consecrari, atque in partes comminui, & communicaturis distribui consuevisse, ex re ipsa exploratissimum est. Reddita vero pace servatam figuram rotundam, sive orbicularem insinuant Patres Græci, & Latini. Epiphanius *in Anchorato num.* 57. loquens de Pane, qui in Corpus Christi convertitur, agnoscit in eo rotunditatem. Cæsarius Nazianzeni frater *Dialogo* 3. *de Fide Cathol. interrog.* 169. comparans Corpus Christi inter nos degentis cum eodem in Sacramento sub specie Panis existente, illud ait esse artubus compositum, hoc rotundum. Severus Alexandrinus in ordine Missæ hostiam circulum appellat. Eamdem rotunditatem astruunt Patres Concilii XVI. Toletani supra citati. Gregorius *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 55. refert Presbyterum quemdam duas secum oblationum coronas detulisse. Oblationibus autem coronæ nomen inditum a rotunditate notat Petrus Urbevetanus in scholiis ad vitam Zephyrini Papæ, qui ibidem constituisse dicitur, ut coronam consecratam de manu Episcopi acciperet Presbyter tradendam populo. Iso Monachus de miraculis Sancti Othmari Abbatis cap. 3. rotulas Panis vocat Oblatas, quæ in ejus sepulchro mirabiliter repertæ sunt. Hanc ipsam figuram confirmant picturæ, quæ in antiquis Codicibus MSS. & in parietibus veterum Ecclesiarum non alia forma, quam circulari easdem Oblatas repræsentant. Cruce quoque ac nomine Jesu Christi Salvatoris nostri signatas fuisse testantur Goar *in notis ad Euchologium pag.* 117. Arcudius *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 38. & Sirmondus *de Azymo cap.* 4. earumque formas æri incisas exhibent. Diversos vero fuisse in diversis Ecclesiis Oblatarum characteres, ex Concilio Arelatensi V. discimus, quod anno 554. celebratum fuit: nam c. 1. statuit, *ut Oblatæ, quæ in sacro offeruntur Altario, a Comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ*: non pro cujusque arbitrio signatæ, seu formatæ. At progressu temporis pro signo Crucis, & Jesu nomine aliæ effigies inductæ sunt, in Azymis præsertim, quibus hodie utimur, Christi scilicet Crucifixi, vel ad Columnam alligati, vel e sepulchro emergentis, & resurgentis, quas ex diversis partibus orbis sibi transmissas Aloysius Novarinus profert in Agno Eucharistico *cap.* 69. Quo vero tempore cœperint hostiæ ea forma cudi, quæ nunc passim viget in omnibus Ecclesiis Occidentalibus, ex Scriptoribus, qui post annum Christi millesimum floruerunt, investigandum est.

Primis Ecclesiæ seculis, seu persecutionum tempore panes oblati pro sacrificio cujuscumque formæ, seu figuræ, postea rotundi, seu orbiculares.

§. XI.

§. XI.

EX EDITIONE ROMANA.

(Concordat in omnibus cum §. 19. Edit. Parif.)

Hoftiarum, quibus utimur, origo. Quo ftudio olim facta.

DIfferit de hac re, fed parum diftincte, Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 66. *Fertur quod olim Sacerdotes a fingulis domibus, & familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci fervant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc confecratum eis diftribuebant. Poftquam autem Ecclefia numero quidem augebatur, fed fanctitate minuebatur; propter carnales ftatutum eft, ut qui poffent, fingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel fummis feftivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia populo non communicante, non erat neceffe panem tam magnum fieri, ftatutum eft eum in modum denarii formari, vel fieri, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognofcerent, qui tamen denarii in ufum pauperum, qui membra funt Chrifti, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertinet.* Et fupra *cap.* 35. de eadem forma Panis per modum denarii fcribens ait: *Ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia in denario imago, & nomen Imperatoris fcribitur.* Hæc Honorius, qui vivebat anno 1130. Ernulfus item Roffenfis Epifcopus, qui obiit anno 1124. *Epift. ad Lambertum Tomo* II. *fæpius laudati Spicilegii*, poftquam probavit aliquos Ecclefiæ ritus alio modo cœpiffe, & alio modo per ejus incrementa cucurriffe; *Patet*, inquit, *atteftantibus Scripturis, Sacramenta Altaris, quæ jejuni modo accipimus, Difcipulos Domini cœnatos accepiffe. Patet etiam quod fumimus de menfa lapidea, ac facrata; illos fumpfiffe de menfa lignea, non fecundum morem Ecclefiæ facrata, aut fortaffe nulla. Illi panes quotidianos comederunt: nos in forma nummi panem accipimus.* * In quibus verbis illud obiter notandum, quod ait Apoftolos Panes quotidianos comediffe, hoc eft communes, & Fermentatos. * His vero antiquior Humbertus Cardinalis in Refponfione ad Michaelem Conftantinopolitanum, & ad Leonem Acridanum fcripta anno 1054. *Ad magnam Chrifti menfam illum folum adhiberi panem ait, quem Diaconi cum Subdiaconis, feu ipfi Sacerdotes facris amicti veftibus cum melodia Pfalmorum confperfum, & in ferro paratum ex Secretario proferunt.* Et paulo poft: *Nos tenues oblatas ex fimila præparatas integras, & fanas facris Altaribus fuperponimus, & ex ipfis poft confecrationem fractis cum populo communicamus.* Antiquæ item Confuetudines Cluniacenfes a S. Uldarico collectæ circa annum 1070. *Tom. IV. Spicilegii pag.* 217. communionem moribundi defcribentes, Sacerdotem ad Ecclefiam accedere ajunt, Corpus Domini frangere, & partem, quam allaturus eft, fuper Calicem tenere. Ex quibus teftimoniis liquet, etiam poft recepta azyma, non adeo tenuem fuiffe panem, quin frangi poffet, & dividi in partes, quæ pro adftantium communione fufficerent. Non ergo videntur fuiffe Oblatæ viventibus Humberto, & Uldarico per modum denarii; fed ad eam formam redactæ funt prope finem illius feculi, cujus rei teftem habemus fide digniffimum Bernoldum Presbyterum Conftantienfem, quem Trithemius ait ad utilitatem Ecclefiafticæ Reipublicæ compofuiffe volumen, quod prænotavit Ordinem Romanum, claruiffe autem anno 1060. Latet hic liber nondum typis editus, fed ex eo nonnulla excerpfit, & tranftulit in fua Liturgica, tacito Auctoris nomine, Georgius Caffander. Idem tamen *Epift.* 114. fic de illo fcribit ad Jacobum Pamelium. *Eft apud nos libellus quidam*

*** Concordat cum §. 19. Edit. Parif. excepto quod inter duos afterifcos plus invenitur.*

Oblatæ feculo XII. tenues quidem, fed frangi, ac dividi poterant, & ex iis particulas fieri.

Deinde ad formam denarii redactæ, & formatæ, quæ fingulis communicantibus diftribuerentur.

juſtæ magnitudinis, in cujus initio ponitur Ordo quidam Romanus, deinde ejus Expoſitio, cujus Auctor ſcripſiſſe ſe teſtatur anno Domini 1089., *quem ſuſpicor eſſe Bernoldum Presbyterum Conſtantienſem*. Et bene ſuſpicatus eſt, conteſtante Trithemio, & nota temporis non diſcrepante. Sed ſive Bernoldus fuerit, ſive alius, propoſito noſtro ſatis eſt, quod labente ſeculo undecimo ſcripſerit. Is igitur apud Caſſandrum in Liturgicis *cap.* 27. de forma panis ſic diſſerit. *Manifeſtum eſt cujus menſuræ, vel formæ debeant eſſe Sacerdotum Oblatæ, quæ ex pugillo ſimilæ fieri jubentur, & ad ſpeciem coronæ, quod eſt tortam panis offerre. Menſura pugilli minima eſt omnium menſurarum, unde poſſit panis fieri, qui ſcilicet menſura legitimo jure conſtituitur Sacerdotibus ad miniſterium Altaris. Quod ſi minor menſura, quam pugillus non invenitur in tota ſerie veteris, & novi Teſtamenti, & ſi nihil omnino debet fieri intra, vel extra Templum Domini abſque menſura, & ratione, videntur Oblatarum minutiæ ad Chriſtum, & ad Eccleſiam nihil pertinere, quia ſunt abſque menſura, & ratione*. Hæc, & alia plura Auctor ille Expoſitionis Ordinis Romani, quæ ſe omiſiſſe aſſerit Caſſander ibidem his verbis. *Plura ab eodem Auctore alioquin prudenti, pio, & Eccleſiaſticarum traditionum ſtudioſiſſimo in eam ſententiam dicuntur, qui indigniſſime tuliſſe videtur ætate ſua in quibuſdam Eccleſiis Oblatas panis, quæ priſca Eccleſiæ conſuetudine ad uſum Sacrificii ad menſam Domini a populo fideli offerebantur, ad imaginem nummorum, & ad tenuiſſimam quamdam, & leviſſimam formam a veri panis ſpecie alienam fuiſſe redactas: quare per contemptum minutias nummulariarum Oblatarum appellat, imaginariam, & umbratilem levitatem illis tribuit, & indignas eſſe panis vocabulo pro ſua tenuitate, ac propter eas officium, atque religionem Eccleſiaſtici officii multum per omnem modum confundi aſſerit, pluribuſque, & acerbioribus dictis eas inſectatur, quæ omnia ut aſcribam, expedire hoc loco non putavi*. Et revera neceſſarium non fuit; ex ſupradictis enim, cumulatius quam oporteret, habemus hujus Scriptoris ætate cœpiſſe hoſtias, quibus nunc utimur, jam uſu Azymorum introducto, quæ acrius a Græcis impugnata fuiſſent, ſi formam nummi ab initio accepiſſent. In hac autem re credibile eſt majores noſtros paulatim, & per gradus proceſſiſſe: nam vivente Humberto, & pro Azymis ſcribente, panis, ut diximus, tantæ erat magnitudinis, ut ex eo conſecrato tot particulæ frangi poſſent, quot erant neceſſariæ ad populum communicandum. Poſtea interjectis quadraginta fere annis, cum præcitata Ordinis Romani Expoſitio ſcripta eſt, ad hanc minimam formam redactus eſt, quam utpote novam, & tunc incipientem, Scriptor ille tanta acerbitate inſectatur. Quia vero novitates in Monaſteriis a frequentia hominum remotis ſerius innoteſcunt, non ſtatim a Monachis hujuſmodi oblatæ nummulariæ receptæ ſunt, ut ex earum forma in quibuſdam Ritualibus præſcripta evincitur: quod in aliis etiam Eccleſiis contigiſſe evidens eſt; nam Petrus Abbas Cluniacenſis, qui doctrina, & ſanctitate claruit anno 1150. *lib.* 1. *Miracul. cap.* 5. ſcribit hominem quemdam, qui Corpus Domini indigne ſuſceperat, nunquam illud trajicere potuiſſe, *ſed fruſta omnia*, inquit, *comminuti Corporis Chriſti cum vino, quod ſuſceperat, in vas, quod ori ſuppoſitum fuerat, refundere coactus eſt*. Ex quo patet talem fuiſſe tunc panem, ut deglutiri non poſſet, niſi dentibus comminutus. Denique eodem tempore, quo nummulariæ Oblatæ introductæ fuerunt, præter Oblatam majorem pro Sacerdote, aliæ item minores pro communione populi ſunt inſtitutæ, quæ licet integræ conſecrentur, & ſingulis integræ porrigantur, nomen tamen particularum ex antiqua conſuetudine retinuerunt.

In Cœnobiis autem Monachorum non ſtatim receptæ hujuſmodi oblatæ nummulariæ.

§. XII.

EX EDITIONE ROMANA.

(Concordat in omnibus cum §. XX. Edit. Paris.)

Duplex panis, & vini præparatio. Addita quædam de Eulogiis.

Diversi gradus olim in panis consecrandi præparatione servati.

Simili modo in panis consecrandi præparatione diversi gradus pro temporum diversitate servati sunt. Primorum enim sæculorum mos fuit panem communem, & propriis usibus paratum offerre, & consecrare. Pacato postmodum Ecclesiæ statu, placuit Patribus non vulgares panes, sed studio ad id paratos adhiberi. De S. Radegunde Regina legimus, quod Oblatas manibus suis factas locis sacris dispensabat. Concilium Toletanum XVI. sancivit, ut non aliter panis in Altari sanctificandus proponatur, nisi qui studio fuerit præparatus. Teodulphus Aurelianensis in suo Capitulari cap. 5. panes in Sacrificium offerendos nitide, & studiose fieri mandat, atque diligenter observari statuit, ut tam panis, quam vinum, & aqua mundissime tractentur, nihilque vile, nihil non probatum in his inveniatur. Sanctus Wenceslaus Dux Bohemiæ in magno Belgii Chronico laudatur, quod spicas propria manu colligeret, excuteret, & ex his panem sacrandum formaret. Nullo autem loco studiosius, quam in Monasteriis idem panis parabatur. Modum hic breviter describam ex statutis Monachorum a B. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi collectis *cap. 6.*, & ex antiquis Consuetudinibus Cluniacensium a Luca Dacherio editis *Tom. IV. Spicilegii*, atque ex aliis Monachorum Ritualibus. Et primo quidem frumentum, quantumvis purum, granatim eligebant, lavabant, & in sacculo mundo ad hoc solum opus destinatum ponebant, honestoque famulo dabant, qui deferret ad molendinum. Tum hic lavabat molam, aliudque frumentum prius frangi curabat, ut sine aliqua sorde moleretur. Exinde reportabat farinam, quam Secretarius, sive, ut nunc loquimur, Sacrista indutus alba, & amictu, cribro prius abluto, & extensa circum cortina cribrabat. Demum Sacerdotes, seu Diaconi alba induti, lotisque manibus, & psalmos recitantes, farinam aqua conspersam in vase nitidissimo coagitabant, igneque succenso lignis aridis ad hoc de industria præparatis hostias coquebant, summa cura caventes, ut nec proprius quidem flatus ad eas pertingeret. Tanta in illis erat erga Panem consecrandum reverentia, tam severa, & anxia in eo conficiendo sollicitudo (1). Venit hic in mentem dictum Tertulliani sæpius citatum lib. de corona militis cap. 3. *Calicis, aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur.* Etiam nostri, inquit, idest communis, & domestici, qui apud Christianos in summo semper honore fuit, quod ex eo Eucharistia conficiatur. Memini etiam me legisse peculiares olim vineas Ecclesiæ traditas, ut ex illis optimum vinum fieret in usum Sacrificii. S. Remigius, teste Flodoardo *lib. 1. hist. Remen. cap. 18.* vineam reliquit, ut inde vinum diebus Dominicis, & aliis Festis sacris Altaribus offerretur. Ibas Edessenus in Synodo Berytensi accusatus fuit, quod vinum vile in usum Sacrificii præberet. Qui vero sint hodierni mores in panis, & vini præparatione, nimis notum omnibus est, nec me oportet in his enarrandis inutiliter occupari. Cæterum panis, & vini duplex est præparatio, una remota, de qua hactenus actum est: altera proxima, cum Sacrificii instat celebratio. Hæc a Latinis in Sacrario peragitur, quod attinet ad panem, posita hostia super patena, additisque particulis pro his, qui Sacræ Communionis participes esse volunt. At vinum, & aqua Calici infunduntur (1)

Præ omnibus autem studiosior apud Monachos adhibitus.

Duplex hodierna panis, & vini præparatio.

cum

cum oratione, & benedictione immediate ante offertorium, qui ritus suo loco explicabitur. Græcos quoque eamdem præparationem quondam in Scevophylacio, sive Sacrario peregisse docet Goar in notis ad Liturgiam Chrysostomi *n.* 22. At ex Liturgiis, quibus hodie utuntur, & ex communi eorum praxi constat manifeste tam panem, quam vinum in Prothesi ab illis, sive in minori Altari, præparari, priusquam Sacerdos, & Ministri ad sanctum Bema, quod est majus Altare, sacris vestibus induti procedant. Olim cum panis Fermentatus erat, & justæ magnitudinis, dissectis ex ipso tot partibus, quot erant necessariæ ad Sacrificium, & ad Fidelium communionem, ipsius residuum in alias partes scindi, & his, qui non communicaverant, in fine Missæ distribui solebat, qui ritus adhuc permanet in Ecclesia Orientali. Eulogiam vocant Græci, sive benedictionem, & Antidoron, quia datur loco doni, sive Eucharistiæ, quæ a Sanctis Patribus donum nuncupatur. Eulogiæ nomen pro ipsa Eucharistia quandoque usurpatum reperitur, ut a Cyrillo Alexandrino Epist. ad Nestorium: *Accedimus ad mysticas Eulogias, & sanctificamur, participes facti Sacræ Carnis, & pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi:* & a Maximo Martyre ad cap. 3. Eccl. Hier. *Elevans Sacerdos Sacrum Panem, ostendebat Eulogiam dicens, Sancta Sanctis.* Frequentius tamen ab ea distinguitur, tamquam id, quod ejus vices aliquo modo supplebat. Hoc Concilium Nannetense indicat c.9. decernens, ut Eulogiæ in fine Missæ iis, qui communicari parati non fuerint, distribuantur. Quod decretum quidam Canonum collectores S. Martyri, & Pontifici Pio perperam tribuunt, non considerantes Epistolam ejus, e qua sumitur, esse supposititiam: nec advertentes secundo seculo, quo ille vixit, nondum fuisse Eulogias in Ecclesia, de quibus Tertullianus, Cyprianus, & alii æquales silent, quia quicumque tunc aderant Sacrificio, communicare solebant; Eulogiæ autem institutæ sunt, ut his darentur, qui Mysteriorum participes fieri aut non poterant, aut nolebant. Earum meminit Nazianzenus *Orat. in funere Patris.* Concilium quoque Laodicenum paulo ante Nicænum sub S. Silvestro celebratum c. 14. prohibuit, ne Sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ ad alienas parœcias mitterentur: ubi Balsamon in Scholiis, Latini ritus ignarus, Latinos calumniatur, ac si Panem consecratum perinde, ac communem distribuerent. Vera autem hujus Canonis expositio ex veteris Ecclesiæ consuetudine sumenda est. Tanta enim erat mutuæ unionis, & societatis inter Fideles religio, & zelus, ut si omnes de uno, & eodem pane ab eodem Sacerdote consecrato participare potuissent, id libentissime in toto terrarum orbe fecissent, quo sic ostenderent se omnes in Christo unum esse. Ideo non solum Romanæ, sicut supra diximus, sed aliarum etiam quarumdam Ecclesiarum usus fuit, ut ab Ecclesia primaria Civitatis ipsa Eucharistia ad singulas parecias ab Episcopo mitteretur, quatenus scirent omnes, qui ab uno Episcopo regebantur, se cum illo unum Corpus efficere. Id in Paschali festivitate fieri vetuit Synodus Laodicena, vel quia oporteret omnes Presbyteros ea die Episcopo celebranti cum plebe sibi commissa adstare, & ritu tunc usitato cum eodem celebrare: vel alia de causa nobis ignota. Cætera, quæ de Eulogiis, earumque usu, ac distributione dicenda forent, plenius Lib. II. pertractabimus, cum de communione disseremus.

Quid Eulogiæ præsertim apud Græcos.

Eulogia signum charitatis, & mutuæ unionis inter Fideles.

(1) *In eo conficiendo solicitudo*) Confirmantur hæc ex Anselmo Havelbergensi Episcopo, S. Berardi coævo, qui apud Acherium Tom. XII. Spicilegii pag. 240. Dialogor. cap. 18. circa finem, sic ait: *Quod etiam apud Religiosos Latinos per manus Diaconorum, & ex electis granis, & ex mundissima simila in sacrario ad futuram hostiam cum decantatione Psalmodiæ.*

IDEM CAPUT XXIII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Qualis debeat esse Panis, qui offertur, & consecratur in Missa. Discutitur de Azymo, & Fermentato Controversia. Quædam præmittuntur, in quibus omnes conveniunt tam in Azymo, quam in Fermentato confici Sacramentum. Hanc quæstionem non Fidei, sed Ritus esse. Cujus origo, & difficultas. Variæ opinones de usu Azymi, & Fermentati. Græcos semper Fermentato usos fuisse. Armenios, & Maronitas Azymis uti. Examinantur quæ pro perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina afferri solent servato ordine temporum. Argumenta, & conjecturæ pro usu Fermentati. De more offerendi Panem, & Vinum. Quid sit Fermentum, quod olim Pontifices ad Ecclesias Urbis mittebant. Missam antiquitus Eucharistiam, necnon & Panem communem in signum communionis. De forma, seu figura Panis consecrandi. Hostiarum, quibus hodie utimur, origo. Quo studio olim præparatæ. Addita quædam de Eulogiis.

§. I.

Controversiæ de Azymo, & Fermentato inter Orientales, & Occidentales initium. Sirmondi, & Authoris hac de re sententia.

CUM Sacramentum Eucharistiæ, quod singulari prærogativa & Sacramentum est, & Sacrificium, ex pane, & vino constet; nulla unquam de vino inter Christianos quæstio fuit, omnes enim vini nomine audito, illud statim mente concipiunt, quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur, cujuscumque coloris, & qualitatis sit. De Pane vero post decimum æræ Christianæ seculum acerrimæ motæ sunt lites, & diu agitatæ inter Orientales, & Occidentales, partium potius, quam veritatis inveniendæ studio, ut in similibus fieri solet: nam Orientales (exceptis Armenis, & Maronitis) Fermentato utuntur, & hunc solum legitimam esse materiam hujus Sacramenti affirmant. Occidentales in Azymis conficiunt, utentes tamen Fermentato non damnant: utrique autem pertinaciter contendunt suam quisque consuetudinem a Christo, & ab Apostolis ad nostra usque tempora derivare. Sed si omissis hac de re Scholasticorum subtilitatibus, & argumentis, quæ apud ipsos legi possunt, veritatem sincere, & sine affectu ad alterutram partem ex veterum Patrum monumentis, & ex praxi Ecclesiæ investigare voluerimus, inveniemus procul dubio quam parvi momenti sint in re, quæ a facto pendet, Doctorum speculationes tum perspicue cognoscemus multum interesse inter tempora, quæ præcesserunt, & quæ postea sequuta sint, eosque turpiter errare, qui ex præsenti rerum statu omnem æstimant antiquitatem. Inquirendum igitur hic est, quo pane usa sit in Sacrificio vetus Ecclesia, Azymone, an Fermentato, an utroque indiscriminatim: specialiter vero utrum apud Latinos semper in usu fuerit Azymus panis, vel potius antiquitus Fermentatum adhibuerint, & postea Azymum receperint. Scripsit de hac quæstione brevem, sed luculentam disquisitionem rei antiquariæ peritissimus Jacobus Sirmondus, in qua asser: usum Fermentati octingentis & amplius annis in Ecclesia Latina viguisse; recepta autem

Errant qui ex præsenti rerum statu omnem æstimant antiquitatem.

Jacobi Sirmondi sententia refertur, & in parte commendatur ab Authore, qui & suam exprimit.

autem Azyma medio illo intervallo, quod a Schismate Photii sub Pontificatu Nicolai I. usque ad turbas Michaelis Cerularii sedente Leone IX. effluxit. Id mihi valde probabile visum est in prima hujus Operis editione, usum videlicet Azymorum in Ecclesiis Occidentalibus communi lege sancitum, & ubique receptum fuisse prope finem noni seculi, vel initio decimi: a temporibus vero Apostolorum usque ad prædictum tempus ita adhibitum Fermentatum putavi, ut tamen Azymum non excluserim, sicut exclusit Sirmondus; dixi enim Apostolos Panem consecrasse qualem in domibus fidelium reperiebant, sive Azymum, sive Fermentatum, præsertim apud Hebræos, qui certis diebus Azymis utebantur: qua in re Arcudio consensi, qui *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 3. ait: verisimile esse Apostolos pro varietate locorum, gentium, & temporum modo Azymo, modo Fermentato usos fuisse: deinde dixi, quod sæviente primis Ecclesiæ seculis persecutione non poterant Sacerdotes semper Azymum habere, ergo pro certo posui aliquando habuisse: & licet multa congesserim pro usu Fermentati, non tamen illum ab omnibus, & ubique receptum affirmavi; nam veterum Patrum, & Historicorum testimonia, quæ protuli, nonnisi pro suis Ecclesiis, & Provinciis, & temporibus probant. Sciebam enim argumentum ab inductione non concludere necessario, nisi omnia singularia sufficienter, ut ajunt Dialectici, enumerentur, quod difficillimum est. Denique passim usus sum nominibus conjecturæ, & opinionis, cui me non ita adhærere protestatus sum, quin paratus essem certiora docentibus statim, & ex animo consentire.

Idem etiam cum Card. senserat Petrus Arcudius.

§. II.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Laudantur Joannis Mabillonii, & Christiani Lupi de Azymis Dissertationes; Scribentium Scopus quis esse debeat.

Præliminaris Monitio ad Lectorem, de qua supra in Præfatione, recensetur.

VErum his non obstantibus, vix e prælo emersit liber, cum statim displicuisse intellexi nonnullis non satis rem intelligentibus, aut in sensum a meo alienum detorquentibus, quod perpetuum Azymorum usum convellere, ut ipsi putabant, ausus essem: e quorum mentibus omnem scrupulum tollere curavi addita post Præfationem monitione ad Lectorem, qua statum controversiæ clarius explicavi, certa ab incertis, & fidei dogma a ritu secernens. Et sic quidem hominibus eruditis, & bonæ voluntatis me satisfecisse arbitratus sum: cæteris præclaram Quintiliani Sententiam objeci, qua S. Hieronymus in causa non dissimili uti solebat, *felices artes, si de iis soli artifices judicarent*. (1) Interim vir Orbi literario notissimus (1) Joannes Mabillonius Congregationis S. Mauri Monachus, ob singularem doctrinam, pietatem, & eruditionem arcta mihi junctus amicitia edidit Parisiis seculum tertium Benedictinum, in cujus Præfatione adversus Sirmondum probare contendit usum Azymorum in Ecclesia Latina ante Schisma Photii viguisse; argumenta vero Sirmondi non evincere, quod Latini pane olim Fermentato usi fuerint. Legi avide ejus lucubrationem, ex qua, ut ingenue fateor, me profecisse, ita illi gratias egi, quod quædam a me non observata in publicam utilitatem contulisset; & aliquid etiam, in quo lapsus eram, emendasset: ad quam rem omnes invitaveram in prima mei Operis editione dicens, gratissimum mihi fore, si quis prolatis ex antiquitate testibus amice ostenderet me errasse. Scopus etenim scribentium hic esse debet, ut nonnisi vera scribant: quod si aliquando

falsum

falsum pro vero per imprudentiam, aut oblivionem, sive etiam ob ignorantiam amplexi sunt, humana incuria excusanda, quæ omnibus obrepit quantumvis doctis, & attentis: tum error, statim ac agnitus est, ab auctore emendandus, & expungendus. Hæc videlicet vera sapientia est, quam continuo, & indefesso totius vitæ studio me aliquo modo assequutum fuisse, Deo opitulante, confido; ut vere, & ex animo cum Socrate dicere queam, *hoc scio, me nihil scire*. Docuit autem nos maximus Ecclesiæ magister Augustinus errores nostros sincere fateri, & de his monere Lectores, ne & ipsi errent. *Ego proinde fateor*, ut verbis illius utar, Epist. 7. ad Marcellinum, *me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perversæ se ipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, quod revocare deberet, omisit. Hoc quisquis non est assequutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ; & quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Hæc Augustinus. Sed redeo ad Mabillonium. Scripsit is mihi se destinasse hoc argumentum fusius pertractare, & ea clarius exponere, quæ brevius, & obscurius in præcitata Præfatione observaverat. Hoc audito hortatus sum illum, ut nulla habita ratione meæ opinionis, hanc controversiam plenius discuteret, idque vir eximius proferens de thesauro suo nova, & vetera, copiosissime exequutus est, edita Dissertatione de Pane Eucharistico Azymo, ac Fermentato, cui literas præfixit, quas de hoc argumento ad ipsum scripseram. Et hæ * quidem literæ sufficiebant, ut omnis scrupulus ab eorum mentibus eximeretur, quos mea, & Sirmondi sententia commoverat; atque ut etiam omnes agnoscerent me veritatis indagandæ studio animum ad scribendum appulisse. Sed quia Typographus alteram hujus libri editionem molitur, necessarium duxi hoc caput novum in modum contexere, & secundis curis, quæ sapientiores sunt, in meliorem formam adornare. Ad hoc autem impulit me tum Joannis Mabillonii laudata dissertatio: tum Christiani Lupi Ordinis S. Augustini, & sacræ Theologiæ Lovanii Professoris amici item mei multiplex eruditio. Hic enim Bruxellis paulo post evulgata mea Liturgica tertiam partem edidit Scholiorum, & notationum in decreta, & Canones Conciliorum, ubi de Azymo, & Fermentato uberrime disserit in Dissertatione de actis S. Leonis IX. adversus Schisma Michaelis Cerularii, a cap. 5. usque ad 12. Priusquam vero rem ipsam aggrediar, quædam præmittenda, quæ certa, & fixa apud omnes Orthodoxos esse debent: tum ea sequentur, quorum dubia, & anceps quæstio est. In his autem Historici partes agam, ut difficilis controversia, non meo arbitrio, sed Sapientis, ac discreti Lectoris judicio, re mature perpensa enodetur. Nam cum omnis multitudo pro Azymis stet, non is ego sum, qui velim inimicitiis clarescere. Libenter igitur omnes eruditos audiam, omnemque illorum reprehensionem, sive studio veritatis, sive alia de causa pro maximo beneficio habebo, dummodo & ipsi meminerint se quoque homines esse, & sæpe decipi, ac labi posse. Latet priscorum rituum veritas, & inter rudera antiquitatis sepulta inventu difficillima est: non ita tamen eam opprimi patitur Divina Providentia, quin ali-

Sincerus Scriptoris animus in perquirendæ veritatis studio declaratus.

Cardinalis Bona Joannem Mabillonium, ut suam de azymo & fermentato Dissertationem nulla habita suæ opinionis ratione scribat, hortatur.

** Literæ, sive Epistolæ tum Eminentiss., tum aliorum Eruditorum ad ipsum, extant in Appendice hujus Tomi in fine.*

Priscorum Rituum veritas inventu difficillima.

aliquando quasi per transennam appareat his, qui eam sincere quærunt. Sed hi pauci sunt, quia traditum a B. Hilario Pictaviensi Episcopo lib. I de Trinitate salutare documentum pauci servant, ut cum Doctorum tractatus legunt non præconceptas persuasiones illis inferre, sed veritatem potius ab his referre conentur. *Optimus enim lector est*, ait ille, *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat; & retulerit magis, quam attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum*. Atque hinc fit, ut multitudo hominum falsis rerum imaginibus sæpissime decipiatur, quia non ex veritate res explorare, & judicare solet, sed ex his, quibus assuevit; atque ita veritati præjudicatur, & sicut in psalmo canimus, *diminutæ sunt veritates a filiis hominum*. Sed his omissis, quæ veluti parerga sunt, jam ad opus accedendum est, & ea, ut diximus prætermittenda, quæ certa apud omnes esse debent.

(1) *Felices artes .... judicarent*) Sanctus Hieronymus Epistola 26. ad Pammachium ita habet: *Felices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices judicarent. Poetam non potest nosse, nisi qui versum potest struere, Philosophos non intelligit, nisi qui scit dogmatum varietates. Manufacta, & oculis patentia magis probant artifices*. Idem etiam confirmat Procem. lib. 16. in Isaiam.

§. III.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Quinque præmittuntur, in quibus omnes conveniunt, Christum scilicet in Azymis Eucharistiam instituisse: tam Azymum, quam Fermentatum esse verum panem: melius est Azymum offerre: hanc quæstionem non Fidei, sed facti, & Ritus esse: primum litis Authorem fuisse Michaelem Cerularium.

De ultimæ Christi cænæ tempore variæ veterum, & recentiorum opiniones.

ET primo quidem firmissime credendum est, & pro certo habendum Christum in ultima Cœna non alio pane, quam Azymo, prout lex præcipiebat, usum fuisse, & in eo Corporis sui admirabile, ac divinum Sacramentum instituisse: licet enim de hac re non recentiores dumtaxat, sed veteres Scriptores diversa opinati sint, contendentibus nonnullis Redemptorem nostrum legalis Cœnæ diem anticipasse, cum usus Fermenti nondum vetitus erat: communis tamen, & vera, ac trium Evangelistarum testimonio confirmata sententia est Christum Dominum prima die Azymorum Pascha illud peregisse, & post esum Agni Eucharistiam in Azymo consecrasse (1). Agunt de hac quæstione Lupus, & (1) Mabillonius locis citatis, Baronius anno Christi 34. Gennadius (sive Georgius Scholaris) in Expositione pro Concilio Florentino, Humbertus Cardinalis cum aliis, qui adversus Græcos scripserunt, & omnes passim Interpretes Evangeliorum.

Uterque panis tam Azymus, quam Fermentatus legitima Sacramenti materia contra Græcos Schismaticos.

Secundo credendum est, & tanquam inconcussum Fidei dogma statuendum, utrumque panem tam Azymum, quam Fermentatum legitimam Sacramenti materiam esse, utrumque ab Ecclesia approbari, quia nimirum nihil utrique deest ad veram panis integritatem: nec ullus unquam de hoc dubitavit, nisi Græci Schismatici, qui Michaeli Cerulario, ejusque affeclis pertinaciter adhærentes ausi sunt asserere solum Fermentatum esse panem, adscribentes Fermento veluti animam, ac formam panis, qua comedentem nutrit, & animat: Azymum vero esse aridum lutum, & lapidem, & quasi corpus sine anima humanæ nutritioni ineptum: ac propterea Lati-

Latinorum Sacrificium inane, & execrabile esse, utpote carens legitima Sacramenti materia, nosque Azymitas vocant, & tanquam hæreticos, & Judæis in usu Azymorum communicantes detestantur, & anathematizant. Pleni sunt hujusmodi calumniis, & maledictionibus Michaelis Constantinopolitani, Leonis Acridensis, & Nicetæ Monachi, atque aliorum recentiorum Libelli ab Humberto Cardinali, & ab aliis Orthodoxis Scriptoribus acrius interdum, quam par esset, confutati; neque enim omnium Græcorum, etiam Schismaticorum eadem de hac re sententia est. Sunt inter illos multi sapientiores cæteris, qui, ut refert Arcudius lib. 3. de Sacram. cap. 6. rem prorsus adiaphoram existimant, sive quis in Azymo, sive in Fermentato Sacramentum conficiat, cum uterque sit panis. Testatur quoque Franciscus Combefis, *in notis ad tract. de hæresi Jacobitarum Tom. 2. Auct. Biblioth. Patrum*, dixisse sibi Trapezuntiũ Metropolitam causam discessionis Græcorum a Latinis non fuisse, quod Græci salem, & fermentum in mystico pane adhibeant, Latini neutrum; sed ubi semel factum est schisma, hunc etiam prætextum accessisse. Joannes item Episcopus Citri scribens Constantino Archiepiscopo Dyrrachiensi lib. 5. *Juris Græco-Romani*, ait Azymorum oblationem tanti momenti non esse, ut divisionem facere debeat inter Græcos, & Latinos: quia nimirum æque panis est Azymus, ac Fermentatus. Theorianus Philosophus *Epist. ad Sacerdotes* apud Allatium ad Historiam Concilii Florentini Exercit. 24. *Divinus panis, antequam consecretur, sive Azymus, sive Fermentatus fuerit, indifferenter panis est, & dicitur. Panis etenim nomen genus cum sit Azymi, & Fermentati, æqualiter prædicatur de iisdem, cum sint illius species.* Consentiunt Theoriano alii, quos idem Allatius refert in Dissertatione de perpetuo Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ consensu ad Joan. Christianum de Boineburg edita cum ejus tractatu de Purgatorio *pag.* 689. *& seqq.* Idem ex nostris asserit S. Anselmus Cantuariensis, qui ad quæstiones a Valeranno Episcopo propositas respondens ait Azymum, & Fermentatum non differre substantialiter, & Christum cum Carnem suam panem vocavit, non Azymum dixisse, vel Fermentatum, quia uterque pariter panis est. Panem vero materiam Eucharistiæ esse constat, quatenus est panis, non autem ut Azymus, vel Fermentatus. Et in hoc Græci merito arguuntur, quia Azymum panem esse pervicaciter negant, & Christum in Fermentato consecrasse contendunt, cum essent dies Azymorum.

Multo autem melius, & convenientius in Azymo cõficere, quam in Fermentato.

Tertio, certissimum est multo melius, & convenientius esse in Azymo conficere, quam in Fermentato: *tum quia*, ut Anselmus loco citato ait, *valde aptius, & purius, & diligentius fit: tum quia Dominus hoc fecit.* Omitto mysticas Azymi rationes, quæ ad meum institutum non spectant, & apud alios legi possunt. Quamvis autem Christus Eucharistiam in pane Azymo instituerit, & qui eo utuntur, ejus exemplum sequantur, non tamen ex hoc facto inferri potest, positam Ecclesiæ legem, ut solis Azymis utatur. Evidens enim est non omnem Christi actionem præceptum continere, alioquin celebranda a nobis forent hæc mysteria post Cœnam, quia Cœna peracta ab ipso sunt instituta. Oportere panem triticeum esse, vinum aqua mixtum lex inviolabilis est: an vero vinum rubrum sit, vel album, panis Azymus, vel Fermentatus, res prorsus indifferens est Ecclesiæ arbitrio a Redemptore nostro relicta; quia ut colore non mutatur vini natura, ita nec Fermenti accessione panis essentia variatur. *Frumentum*, inquit Cæsarius Arelatensis homil. 7. *in candidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam, & ignem in unius panis*

substantiam

Nulla tamen lege, aut exempli necessitate, sed legitima consuetudine, ac probabili ratione Latina Ecclesia Azymis utitur.

substantiam congregatur: nec aliud requiritur ad veram panis compositionem. Nulla igitur lege, nulla exempli necessitate Latina Ecclesia Azymis utitur, sed legitima consuetudine, probabili ratione suffulta, quia ut Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in Expositione pro Concilio Florentino cap. 2. sect. 2. sapienter scribit: *Ecclesia nullum discrimen intercedere arbitratur inter Fermentatum, & Azymum, dummodo ex tritico confectus sit panis, & propterea statuit nihil aliud ad Sacrificii usum offerri, quam ex tritico panem.* Optime quoque Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap. 10. *Utrum ex Azymo, an ex Fermentato pane Corpus Christi confici debeat, inter Latinos, & Græcos magna concertatio est, cum tamen non sit contra Fidem Christianam, seu Azymum, seu Fermentatum sacrificetur. Tum quia utrumque panis est, tum etiam quia quamvis Christus de Azymo pane Corpus suum fecerit, forsitan non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat; sed quia Cœna, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat; panem tamen Fermentatum non prohibuit.* Eadem ratione Guibertus Novigenti Abbas *lib.* 1. *Gestorum Dei per Francos cap.* 2. de Græcorum erroribus agens, ait: *Convenienti ratione defendi, quod de panibus Fermentatis Sacramenta conficiunt, quia quod recta cum fide geritur, materialis Fermenti admixtione non læditur: nam quod Dominus veteribus cæremoniis finem imponens, postquam cum Azymis Agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat, nec secundum legem, quam implebat, induci tunc poterat, Corporis sui Sacramenta contradidit, Azymorum illatio, quæ tunc affuit necessitati, non videtur ad institutionem pertinere Mysterii.* Idem sensus fuit Isaaci magnæ Armeniæ Catholici; in prima etenim Invectiva adversus Armenios sic loquitur. *Ajunt panem, quem Christus dedit, Azymum fuisse, ac idcirco Azyma in Sacrificio offerri. Esto, fuerit Azymus panis, quem Christus dedit: ipse qualem panem pro tempore invenit, talem tradidit: neque decebat, ut id temporis perfectum panem in manus acciperet, eo quod dies illi Azymorum essent, ne Judæis ansam præberet accusandi eum velut impium, & solventem legem.* Hæc & alia plura Isaac fusius ostendens non omnia facta Christi præcepta esse. Quod vero Azymum græco spiritu omnino reprobet, id seculi vitio tribuendum; vixit enim ea vigente controversia; ipse vero Romanæ Ecclesiæ unitus erat, cujus traditiones sequendas asserit, Summorumque Pontificum prærogativas commendat. His adjungi potest testimonium Syri Scriptoris, sive S. Maronius, sive alius recentior sit, in Expositione Liturgiæ, quam e Chaldaico sermone latinam fecit D. Faustus Naironus Maronita Abrahami Ecchellensis nepos, in cujus cap. 16. hæc leguntur. *Ad illud, quod petistis, an convenientius sit offerre de pane Azymo, vel Fermentato, respondemus quod de hoc non habemus præceptum Dominicum, vel Apostolicum, quod hoc jubeat, & illud vetet. Quapropter hi in hoc, & illi in illo conficiunt juxta morem detentum. Nam qui in Fermentato offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus, atque Armeniis, dicentes, quod Azymus non est panis.* Tum ex Scriptura probat vere Azymum esse panem, & Christum in Azymis Sacramentum instituisse. Patet autem ex contextu scriptum hunc Librum post Græcorum Schisma, & post lites de Azymo excitatas.

Etenim non omnia Christi facta præcepta sunt.

Quarto, tanquam verissimum, & apud omnes indubitatum habendum est id, quod sæpius in hoc Libro repetendum fuit, quædam esse in Ecclesia, quæ ad Fidem, & ad Dogmata, quædam, quæ ad ritus, & mores pertinent. Quæ Fidei sunt, sancta, inviolabilia, immutabilia semper, & ubique manent, Deumque solum auctorem agnoscunt. Ad ea

credenda cœco quodam obſequio captivum ducimus intellectum; & ſi quis ea turbare, vel quovis modo immutare, aut iis contradicere auſus fuerit, diro anathemate perculſus extra Eccleſiam fit, nec locum deinceps habet inter Orthodoxos. Ritus, & ea, quæ morum, ac diſciplinæ ſunt, ab hominum arbitrio pendent, & cum tempore variantur, rerumque ſtatu immutato, veteres conſuetudines abrogantur, & novæ ſuccedunt, illæſa Fidei unitate. Id cum plerique non intelligerent, nefas eſſe exiſtimarunt in dubio ponere, quod Eccleſia Latina non ſemper Azymis uſa ſit, ac ſi uſus Azymorum dogma Fidei eſſet, cum ſit ritus, & conſuetudo ad Hiſtoriam ſpectans, de qua dubitare, & inquirere, an hic uſus ſemper viguerit, nullo Orthodoxo prohibitum eſt: ſive enim in Azymo, ſive in Fermentato celebretur, eadem manet regula Fidei, qua Chriſtiani, & Orthodoxi nominamur, & ſumus. Debet quidem unaquæque Eccleſia ſuum morem ſervare, nec quiſquam poteſt ſine legitima auctoritate præſcriptas conſuetudines violare, aut immutare; ſed inter eos, qui diverſis utuntur ritibus, nullo modo ferendæ ſunt lites, ac ſi rituum varietas Fidei quoque, ac Dogmatum diſcrepantiam induceret. Præclare de hac re S. Anſelmus in reſponſione ad querelas Valeranni. *Quoniam multæ ſunt diverſitates, quæ non in ſumma Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide diſcordant, neque omnes in unam conſuetudinem colligi poſſunt; æſtimo eas potius in pace concorditer tolerandas, quam diſcorditer cum ſcandalo damnandas. Habemus enim a Sanctis Patribus, quia ſi unitas ſervatur charitatis in Fide Catholica, nihil officit conſuetudo diverſa. Si autem quæritur, unde iſta natæ ſint conſuetudinum varietates: nihil aliud intelligo, quam humanorum ſenſuum diverſitates. Qui quamvis in rei virtute, & unitate non diſſentiant, in aptitudine tamen, & decentia adminiſtrationis non concordant.* Hildebertus item Turonenſis Archiepiſcopus *Epiſt.* 44. agens de quodam Sacerdote, qui ex pane communi Sacrificium obtulerat, gravius puniendum ait Eccleſiæ, ſeu populi ſcandalum, qui ea novitate offenſus fuerat, quam delictum; in ea enim conſuetudinem potius, quam fidem impugnatam fuiſſe. Cum igitur ex dictis conſtet hanc Azymorum quæſtionem hiſtorici facti eſſe, nullumque de illis, aut Chriſti Domini præceptum, aut Apoſtolicam traditionem extare; ſed ſola longi temporis conſuetudine quaſdam Nationes Fermentato, alias Azymo uti; concludendum eſt antiquitatis ignoratione, vel præconceptæ opinionis præjudicio, ſeu nimio affectu ad ea, quibus aſſueverunt, illos errare, qui rem natura ſua indifferentem in Fidei dogma convertunt.

At proinde Azymorum uſus non ad fidei dogma, ſed ad ritum ſpectat, quem unaquæque Eccleſia ſervare debet quem invenit.

Vide quæ jam dicta ſunt quoad Rituum varietatem Tom. 1. ſeu Parte I. cap. 6. §. 1. & ſeqq.

Quinto denique ex veteri Hiſtoria exploratiſſimum eſt, nunquam de Azymis inter Latinos, & Græcos diſputatum fuiſſe, niſi poſt illud horribile Schiſma, per quod Græci ſubtrahentes ſe ab obedientia Romani Pontificis, omnes fere Orientales Nationes ab unitate Eccleſiæ ſegregarunt. Dux impiæ deſertionis Photius, ut notum eſt, cujus Schiſma aliquo tempore ſopitum denuo excitavit Michael Cerularius genere illuſtris, animo turbulentus, & ut Georgius Cedrenus narrat, perduellis in principem, qui in pœnam rebellionis detruſus in Monaſterium, & ex Monacho Patriarcha regiæ Urbis electus, cum per aliquot annos ſanctimoniam ſimulaſſet, demum detracta larva peſſimam ſuam detexit mentem, & jampridem conceptum virus in perniciem totius Orientis evomuit anno undecimi ſeculi quinquageſimo tertio. Hic primus fuit, qui Latinæ Eccleſiæ temerario auſu de Azymis litem movit, affirmans Azymum non eſſe panem, ideoque Latinos materiam ineptam Sacramento adhibere, & eſſe hæreticos Azymitas carentes vera Euchariſtia. Ex hoc autem ſequitur omnes

Numquam de Azymis inter Latinos, & Græcos diſputatum niſi poſt Photii Schiſma.

omnes Scriptores, qui post annum Christi millesimum hanc controversiam pertractarunt, non esse idoneos testes tam pro Azymo, quam pro Fermentato. Quis enim non videt tam Græcos, quam Latinos, postquam cœperunt de hac re secum contendere, & exercere discordias, præoccupatis mentibus ad scribendum accessisse? Nam cum Latini sola Azyma semper offerri perspexerint, eaque sola in Scholis prædicari audierint, ea sola semper viguisse crediderunt, & hac opinione semel concepta, varia argumenta excogitarunt, ut eam firmius stabilirent: nec dubitari potest, quin Græci eodem præjudicio suum Fermentatum defenderint. Veræ autem sapientiæ nihil magis adversatur, quam a teneris annis certis quibusdam opinionibus mentem imbuisse; nam qui illis innutriti sunt, omnia secundum illas dijudicant, quacunque auctoritate, & demonstratione postposita; & si quis eos urgeat ad suorum rituum, & consuetudinum, quibus pertinaciter adhærent, originem, & antiquitatem] legitimis testibus probandam, veris rationibus, & probationibus deficientibus ad fabulas convertuntur, ut in progressu hujus disquisitionis ostendemus.

Christum Dominum post esum Agnum Paschalem Eucharistiam in Azymo consecrasse veriorem esse sententiam vel ipsi non diffitentur Sectarii.

(1) *In Azymo consecrasse*) Atque hanc veriorem esse sententiam, vel ipsi non diffitentur Heterodoxi. Basnagius Annal. Politic. Eccl. ad an. 311. num. 21. hæc, inquit „ Azyma in consecranda Eucharistia „ a Christo fuisse adhibita, certum, explo- „ ratumque est. Quippe Corporis sui Sa- „ cramentum instituit, dum Pascha cele- „ brabat, a quo Fermentum omne removeri „ debuit. Patris ergo sui legem violare San- „ ctissimus Filius nec debuit, nec potuit, „ & magno Judæis scandalo fuisset, si cum „ Fermento Agnum comedisset, ut justa „ morte cecidisse videretur, ipso jubente „ Deo, qui sine Azymis Pascha celebrasset, „ illum esse occidendum „: hæc Basnagius, qui Sirmondi, & Bonæ nostri opinionem tueri inde prosequitur, & maxime prioris, videlicet Græcos, & Latinos usque ad annum 847. Fermentato usos fuisse.

§. IV.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Summa totius disquisitionis, ejusque difficultas proponitur.

HIS jactis totius controversiæ fundamentis indagandum est, quo pane usa sit vetus Ecclesia, Azymone, an Fermentato: utrum scilicet omnes Ecclesiæ tempore Apostolorum in uno pane convenerint, & quæ gentes veterem ritum mutaverint, quo tempore, & qua occasione. Præcipua deinde difficultas explananda erit, an Latini semper Azymo, Græci semper Fermentato, an utroque sine ullo discrimine usi sint: cujus disquisitionis occasione videbimus, an diversarum Ecclesiarum tam in Oriente, quam in Occidente diversi mores fuerint; an soli Latini Azymis utantur, & cur per multa secula nulla de Pane Eucharistico lis in Ecclesia, aut disceptatio mota sit: hæc enim omnia sic inter se cohærent, ut nihil a nobis de singulis dici queat, nisi simul de omnibus sparsim disseramus.

In hac difficili Controversia nihil dici potest, nisi simul de omnibus sparsim dicatur.

Sunt autem hæ quæstiones difficillimæ, ac fere insolubiles; nam Sanctis Patribus, & Ecclesiasticis Scriptoribus, qui primis Ecclesiæ seculis vixerunt, de iis tacentibus, aut nihil certi afferentibus, fateri non erubesco me nihil habere quod liqueat. Latet veritas in obscuro demersa, & vix radius aliquis interlucet, cujus splendore caligo, qua obvolvitur, discuti queat; vix tenuissima apparent vestigia, quorum indicio eam detegere, & reperire possimus. Quod si quis existimet se solis suspicionibus veritatem comprehendere posse, assimilabitur homini, qui remotissimam urbem, quam nunquam vidit, & cujus præter nomen nihil audivit, ejusque mœnia, ædificia, templa, propugnacula, civiumque mores, & habitum describere aggrediatur: fieri namque poterit, ut ex aliqua parte veritatem

 attingat;

attingat ; ſed neſciet qua ex parte verum dixerit ; cum nihil eorum viderit , nec a legitimis teſtibus quidpiam audierit , qui præſentes fuerint, & ex certa ſcientia loquantur. Ita plane contingit nobis ſcire cupientibus, quo pane in Sacrificio vetus Eccleſia uſa ſit ; cum enim a primo ſeculo, & deinceps uſque ad octavum, vel nonum nullum proferre teſtimonium valeamus authentici Scriptoris , qui clare , & diſerte de oblati panis qualitate loquatur , temerarium foret hujus rei ſcientiam nobis ipſis vindicare , quæ certo, & evidenter ſciri non poteſt. Unde autem abeſt ſcientia, ſola ſupereſt opinatio , quæ conjecturis, & probabilibus argumentis innixa contrariæ partis formidinem non excludit . Afferam igitur diverſarum partium opiniones , earumque momenta , ut iis expenſis cordato Lectori liberum ſit, cui maluerit, adhærere.

§. V.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA .

Examinatur Hiſtoria quædam de introducto Fermentato propter Hæreſim Ebionæorum.

ET primo quidem apud antiquos Scholaſticos, quos multi recentiores ſequuntur, occurrit celeberrima Hiſtoria , quæ ſi firma illius temporis , quo contigiſſe aſſeritur , teſtificatione munita foret , e latebris educta veritas ſole ſplendidior eluceſceret, nec ullus propoſitæ quæſtioni locus relinqueretur. Ajunt iſti utramque Eccleſiam Græcam, & Latinam abſque ulla controverſia , aut contradictione poſt hujus Sacrificii inſtitutionem , & deinceps Azymis uſam fuiſſe Exemplo Chriſti , qui in Azymis conſecravit ; Poſtmodum ſuperveniſſe hæreſim Ebionæorum , qui docebant legalia præcepta ſimul cum Evangelio ſervanda eſſe ; ideoque in myſteriis Azymo pane utebantur . In eorum vero deteſtationem univerſam Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem, rejectis azymis , fermentatum panem ad menſam Domini adhibuiſſe . Demum illa hæreſi profligata Latinam Eccleſiam ad priſtinum morem azymorum rediiſſe , Græcis receptam ea fermentati occaſione conſuetudinem retinentibus . At unde prodierit hæc hiſtoria , quis eam primo ſcripſerit , quis Pontifex , aut quæ Synodus hanc mutationem ſanciverit, nemo dicit . Referunt eam Alexander Alenſis p. 4. de Sacram. Euch. quæſt. 10. membro 4. art. 1. §. 3. S. Thomas 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. S. Bonaventura ibid. art. 2. quæſt. 1. Scotus ibid. quæſt. 6. Durandus quæſt. 4. Ricardus in eumdem locum , & alii paſſim. Quidam vero eam tribuunt Leoni Papæ, alii ipſum Leonem , non ut auctorem , ſed quaſi teſtem adhibent , alii de ipſo ſilent . At quis fuerit iſte Leo , nec ipſi dicunt, nec ſe reperiſſe ait Franciſcus Svarez Tom. III. in 3. par. diſp. 44. ſect. 3. Quis igitur huic narrationi fidem præſtet , cujus apud antiquos Scriptores per mille ferre annos nullum extat veſtigium ? Agit diffuſe de hæreſi Ebionis Epiphanius hær. 30. ſed quod ejus occaſione fermentati uſus introductus fuerit , nullo modo teſtatur, nec verbum quidem de hac re in aliis extat , qui de Ebionæis ſcripſerunt . Quin potius idem Epiphanius inter cæteros illorum errores hunc recenſet , quod myſteria quotannis celebrabant ad Eccleſiæ, & Sanctorum imitationem , in quibus panes azymos , & ad alteram myſterii partem ſolam aquam adhibebant, arguens illos, quod utramque Sacramenti materiam perverterent . Scio quoſdam Scriptores hoc loco uti ad probandum uſum azymorum temporibus Apoſtolorum , ac ſi dixerit Epiphanius

Huic Hiſtoriæ de introducto fermento propter hæreſim Ebionæorum, quæ fides ſit adhibenda.

nius Ebionæos mysteria fecisse in azymis ad imitationem Ecclesiæ , & Sanctorum . Sed nisi vim inferamus textui , imitatio Sanctorum ipsa tantum mysteria respicit , non eorum materiam ; alioquin dicendum foret , eos aquam quoque adhibuisse ad imitationem Sanctorum . Eodem loquendi modo idem usus est hær. 46. quæ est Tatiani dicens: *mysteria quædam ad Ecclesiæ Sanctæ imitationem instituit , sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit .* Ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam , sed ipsam oblationem respicere . Illud itidem considerandum , quod si tunc temporis omnes Ecclesiæ Azymis utebantur, cur reprehensi sunt Ebionæi, quod mysteria in Azymis conficerent ? Aut quomodo Epiphanius notam eis infert , si in hoc a præscriptis ritibus non aberrabant ? Satis erat eos arguere , quod solam aquam in Calice offerrent , in hoc Christi , & Ecclesiæ legem transgredientes . An quia illi dicebant legales cæremonias servandas esse , quarum una erat usus Azymorum , ideo Ecclesia Azyma a sacris abstulisse credenda est ? An propter paucorum abusum æquum fuit morem deserere , quem ipsi Scholastici a Christo , & ab Apostolis derivatum arbitrantur ? Immo Ebionæi rei habiti sunt , quia ab usu fermentati , qui tunc communis erat , saltem inter Orientales , ut infra ostendemus , recedentes Azymum panem usurparunt , ut eo veluti symbolo a cæteris Græcæ communionis hominibus discernerentur , suumque dogma de Legis Hebraicæ observantia ejusdem Azymi usu confirmarent . Hoc igitur commentum de pane Azymo , primo quidem omnium nationum unanimi consensu usitato , deinde in detestationem Ebionæorum exploso , demum extincta Secta a solis Latinis rursum recepto , tanquam absurdum , & incredibile respuendum est .

§. VI.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Aliæ Historiæ , & opiniones de origine Azymi referuntur , & confutantur .

Platina, Barlaamus , & Radulphus Tungrensis refelluntur , qui Azymorum originem Alexandro I. Papæ tribuunt .

ALiam Azymorum originem , quidam recentioris ævi Historici referunt , quorum ni fallor , antesignanus fuit Martinus Polonus . Is enim ad annum Christi CXXXII. Alexandri primi gesta enarrans hunc statuisse ait , ut oblatio fieret ex Azymo , & in modica quantitate . Idem tradidit Baptista Platina in vita Alexandri his verbis : *oblationem ex Azymo , non autem ex fermentato , ut antea , fieri mandavit ; quia hoc modo purior , ac potior haberetur , & Ebionitis Hæreticis calumniandi occasio auferretur .* Eidem sententiæ subscripsit Barlaamus Calaber ex Monacho Basiliano Episcopus Hieracensis , qui in prima ad Græcos Epistola pro unione , *Romana Ecclesia* , inquit , *ante inchoatum Schisma plusquam septingentis annis per Azyma conficiebat sacratissimam Theleten. Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano vitam glorioso martyrio finivit , hostiam Romanæ Ecclesiæ de Azymo statuit .* Radulfus quoque Tungrensis hoc ipsum docuit *lib. de Canonum observantia propos.* 23. Sed in legitimis , & antiquis S. Alexandri actis nihil ab eo de Azymis statutum legimus , nec per undecim secula aliquis proferri potest , qui de hoc Alexandri statuto testimonium perhibeat . Magis autem absurda , & prorsus ridicula sunt Græcorum quorumdam Schismaticorum adversus Latinos scribentium figmenta . Simeon quidam Hierosolymitanus apud Allatium Exercit. 28. ad Historiam Concilii Florentini : *unde* , inquit , *nata sint Azyma , vobis enarrabo . Ex Apollinarii*

illius

Ineptæ quædam, & aniles aliæ hujusmodi narratiunculæ de Azymorum origine in Ecclesia Romana referuntur, & exploduntur.

illius impii unus discipulus nomine Leucius seu Felix in vestra Urbe magna Roma cum venisset, ac vita Sanctimoniam, & pietatem simularet, in Apostolicum thronum evehitur, & Papæ principatum assumit. Is inter alia dogmata docebat amentem, & inanimatam carnem Dominum ex Virgine accepisse, vicem animæ, & mentis gerente Divinitate, & sic Azymum Sacrificium offerre instructi fuistis, quemadmodum Azymum mortuum est, & inanimatum. Eamdem Fabulam narrant alii eodem libro. Vidi etiam in Bibliotheca Barberina Codicem Græcum num. 75. Auctore Anonymo, qui ait Carolum Magnum, cum Romam profectus est tempore Leonis tertii, viæ comites habuisse aliquot Monachos Arii, & Apollinaris erroribus infectos, qui Urbem ingressi perverterunt populum docentes Spiritum Sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere, & oportere in Azymis Sacrificare; ita ut azyma e Francia prodierint *. Omitto alias ejusdem generis Fabulas, ne tempus inutiliter prodigam in somniis delirantium recensendis. Sunt & aliæ quædam minus ineptæ Græcorum opiniones. Petrus Patriarcha Antiochenus *tractat. de Azymo* apud Allatium *lib. cit. Exerc.* 24. ab Apostolis Petro, & Paulo tradita azyma universæ Ecclesiæ ait, & modico tempore permissa propter ingentem Judæorum multitudinem, qui Apostolorum prædicatione ad fidem conversi sunt: postea roborata satis Christiana Religione abolita fuisse, quemadmodum etiam alii ritus immutati sunt. Georgius Corcyrensis Metropolita, de quo agit Allatius *in diatriba de Georgiis edita cum Historia Georgii Acropolitæ*, scripsit Commentarium de S. Communione, quo probare intendit Panem Fermentatum traditum fuisse Ecclesiæ ab Apostolis, & oblatum in Ecclesia Romana usque ad tempora Gregorii Dialogi. Fidem asserit Simeon Thessalonicensis libro de Templo, & Missa apud Goar. in Euchol. pag. 214. ubi ait: *S. Gregorius Author ille Dialogorum cum Fermentato Pane Sacrificium offerri testatur.* Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus scribens Constantino Archiepiscopo Dyrrachiensi *lib. 5. Juris Græco-Romani*, Latinorum, inquit, Azymorum nullus Canon meminit, quippe quod posterius, ut probabile est, eorum mos Romanæ Ecclesiæ se insinuaverit. Mox concludit non esse propter azyma Latinos abhorrendos. Alii finxerunt sextæ Synodi Canone prohibitum, & damnatum usum Azymorum, cum manifestum sit nullum in ea Canonem de abolendo azymo reperiri. Hoc Hilarion Monachus Græcus *lib. de pane Græcorum mystico, & de azymo Latinorum dudum observavit*, ut refert Allatius, dicens: *unde nata sunt eorum somnia, qui asseruerunt in sexta Synodo sub Constantino Imperatore Agathonem Papam, & Agrigentinum Episcopum Gregorium adversus azyma legem tulisse, ne in posterum fierent a quoquam fidelium? Ex quo enim Latini Azymorum Sacrificium cœperunt, nunquam ab eo destiterunt.* Neque dissidium solum est inter Orientales, & Occidentales. Sed tam isti, quam illi se mutuo jugulant: & Græci quidem ab Armeniis, & Maronitis dissident; Latini vero in varias, easque contrarias sententias divisi sunt: cumque omnes incertæ sint, eruenda veritas, quantum fieri poterit, ex certis, & probatis veterum monumentis. Testis deponens de re sibi ignota, & quæ ipsum præcessit longissimo temporis intervallo; nisi afferat documenta, quæ rei, de qua quæritur, fidem confirment, a Jurisperitis rejicitur, cujuscumque gradus, & conditionis sit. In hac autem Classe eos omnes colloco, qui de Azymo, seu Fermentato sententiam ferunt, vel ex solis suspicionibus omni fundamento carentibus, vel quia Ecclesiæ consuetudines ex præsentibus æstimant, ea omnia tanquam falsa respuentes, quæ ab ipsorum præjudicatis opinionibus discrepant. Hinc facile poterit vir prudens judicare, quo

** Ita etiam legitur in Edit. Antuerpiensi Verdussenìana; at mihi sensus, fateor, videtur nonnihil obscurus, ac propterea clarius aliquid desiderari.*

Humberti Card. & Ruperti Abb. testimonia de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Rom. non satis firma, & inconcussa.

quo loco habenda sint Humberti Cardinalis, & Ruperti Abbatis testimonia asserentium Romanam Ecclesiam nunquam in Sacrificio Fermentatum admisisse, nullo teste adhibito a Christo ad sua tempora, spatio nimirum mille, & amplius annorum, qui rei conscius sit, & eorum assertioni legitima testificatione adstipuletur. Multo prudentius locutus est Sanctus Abbas Petrus Cluniacensis, qui lib. 4. Epist. 17. ad Sanctum Bernardum *Testes*, inquit, *sumus & nos temporis nostri* (nostri ait, non antiqui) *qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam Linguam offerre Deo salutare Sacrificium Azymi* *panis videmus; cum Græca Ecclesia, & maxima Orientis pars, ac Barbaræ, sed Christianæ gentes sacrificare de Fermentato dicantur:* (*) (tum ait: *ob has usuum dissonantias, tam antiquos, quam modernos a mutua charitate non descivisse, quia in his nihil quod fidem læderet, invenerunt.*) Jacobus item Cardinalis de Vitriaco in Historia Orientali Azymorum consuetudinem a Christo ad Apostolos emanasse ait, & ab his relictam Ecclesiæ. Græcos vero post Schisma, ne Romanam Ecclesiam imitari viderentur, pertinaci contumacia ab Azymis ad Fermentum migrasse, non attendentes mysterium, nec virtutem Scripturarum. Similiter Innocentius III. *lib.* 4. *de Missa cap.* 4. postquam ostendit panem Azymum offerri debere, sic loquitur in fine capitis: „ Romana Ecclesia ab ipsis Beatis Apostolis Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & „ defunctos custodit, hunc Sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. Græci vero postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ divisioni scandalum interponerent, Sacrificii ritum temere mutavere „. Porro isti integro seculo post Rupertum vixerunt, & quod attinet ad Græcos, Barlaamus Hieracensis Episcopus eisdem refragatur, ostendens in præcitata Epistola Christum Dominum in Azymis sua mysteria tradidisse, Apostolos autem eadem mysteria nobis tradentes non distinxisse sive Azymum, sive Fermentatum, sed Orientalem Ecclesiam continuo Fermentatum incepisse.

** Quæ sequuntur usque ad clausulam ejusdem sunt Authoris.*

Melius locuti Petrus Abbas Cluniac. Jacobus Card. de Vitriaco, Innocentius III. & Barlaamus Hieracen. Episc.

§. VII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Semper Græcos pane Fermentato usos fuisse.

Ex his autem diversis, & inter se dissidentibus opinionibus evidens fit facile eos in errores devolvi, qui legitimis probationibus destituti ea se scire opinantur quæ nesciunt. Antiqua facta, ut supra dixi, si desint testes idonei illorum temporum, de quibus agitur, solis indiciis, & conjecturis probari possunt. Est autem conjectura argumentum, quod tacite elicitur: indicium vero est signum, vel argumentum verisimile, atque probabile ad veritatem investigandam. Hoc posito videndum est pro qua parte indicia certiora, & probabiliores conjecturæ habeantur. Ajunt quidam, ut ostensum est, Græcos cœpisse Fermento uti, quando ab Ecclesia Romana horrendo, & deplorabili Schismate divisi sunt: alii ex adverso asserunt semper Fermentum in Pane Eucharistico adhibuisse. Serio igitur investigandum quænam ex his contrariis opinionibus probabilior censenda sit; qua controversia dirempta de azymis Latinorum sermo instituetur. Joannes Mabillonius *cap.* 3. *suæ Dissertationis* ab ipsis Ecclesiæ incunabulis cœpisse Græcos Fermento uti arbitratur, & eam semper consuetudinem retinuisse. Id autem probat tum ex more & instituto ejus nationis, quæ a majoribus traditas consuetudines constantissime, & absque notabili mutatione usque ad præsentem diem servavit: tum ex Ecclesiastica Histo-

Joannes Mabillonius Cardinalis sententiæ cohærens.

Historia, in qua refertur nonnullas rituum varietates inter Orientales, & Occidentales Ecclesias, salva pace, & charitate ab initio fuisse, ut Eusebius scribit *lib.* 5. *cap.* 24. inter quas conjicit numerari posse Panis Eucharistici discrimen. Hanc conjecturam confirmat Origenis auctoritate in *cap.* 16. *Matthæi*, ubi agens de Fermento Pharisæorum, ait, *An non & aliquando Fermentum offertur super Altare?* Affert quoque Datii Mediolanensis Episcopi Chronicon MS. in quo legimus S. Ambrosium in suis Officiis Ecclesiam Græcam imitatum fuisse, & in præcipuis festivitatibus eorum Fermentatum cum Azymo nostro consecrasse. Accedit Photius, qui *Epist.* 64. differentiam per varias Ecclesias in mysticis Sacrificiis agnoscit, quod etiam de Pane Eucharistico intelligi potest. Humbertus item Cardinalis aperte indicat tempore sextæ Synodi Græcos usos esse pane a Latinis diverso; & Romanæ Sedis Legatos more suo in Azymo celebrasse, eorum Sacrificium approbantibus, & laudantibus Græcis. At hæc indicia levissima sunt: nam apud Eusebium, & Photium de differentia panis altum silentium est; & quod attinet ad Origenem, non constat, utrum de novo, an de veteri testamento loquatur. Chronicon autem Datio adscriptum supposititium esse jampridem Viri eruditi observarunt: nec Humberti auctoritas ullius momenti in hac re esse potest; nam in sexta Synodo nulla Azymi, vel Fermentati mentio facta est. Luculentius testimonium Joannes Philoponus præbet in Disputatione de Paschate edita cum ejus tractatu de Operibus sex dierum; nam ideo probare nititur Christum ultimam Cœnam ante dies Azymorum peregisse, quia si in Azymis Eucharistiam instituisset, *hoc etiam*, inquit, *nunc fieret*: ex quo evidenter apparet, vivente Philopono prope finem sexti seculi, usum Fermentati apud Græcos viguisse. Colligitur etiam ex vetustissimis Liturgiis Græcos ad Sacrificium panem integrum, & turgidum, justæque magnitudinis, ac consequenter Fermentatum attulisse, ex quo particulas consecrandas lanceola incidebant, quem morem nunc quoque servant. Sic perpetuum Fermentati usum in Ecclesia Orientali Mabillonius probat; cujus sententiæ cum & ipse consentiam, libet eam aliis indiciis stabilire. Favent primo loco Patres Græci, qui panem consecrandum communem, vulgarem, & usitatum vocant. Justinus Martyr prope finem secundæ Apologiæ sermonem habens de Sacrificio Missæ: *Non enim*, ait, *ita sumimus ut communem panem, & communem potum*, sive ut alius Interpres vertit, *ut vulgarem panem, & vulgare poculum*. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Jam non communis panis est, sed Eucharistia*; Gregorius Nyssenus, Orat. in Baptismum Christi: *Panis item panis est initio communis, sed ubi eum Mysterium sacrificaverit, Corpus Christi fit, & dicitur*. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mystag. 3. *Panis Eucharistiæ post Spiritus Sancti invocationem non amplius est panis communis, sed Corpus Christi*. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 109. *Spiritus Sanctus in mystica Mensa communem panem Christi Corpus facit*. Theodorus Abucara Cariæ Episcopus Opusc. 22. sic Saracenum loquentem introducit: *Ex una farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulas partitum populis distributis, & nominatis Corpus Christi*. Panis autem communis, vulgaris, & usitati nomine Fermentatum intelligi, quo communiter utuntur homines, certum mihi videtur. Scio quidem Romanis, & aliis gentibus utrumque panem Azymum, & Fermentatum in usu fuisse; nam Cornelius Celsus *lib.* 2. *cap.* 24. inter ea, quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine Fermento, & *cap.* 25. panem Fermentatum stomacho nocere ait; atque etiam *cap.* 28. utriusque

Sed ejus rationes admodum leves videntur.

Quare firmioribus indiciis, & conjecturis stabilitur.

Panis communis, vulgaris, & usitati nomine Fermentatum intelligi probabilius est.

utriusque mentionem facit. Nihilominus communem, atque, ut ita dicam, quotidianum, Fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ cæteris laudat Plinius lib. 22. cap. ult., & Galenus de pane agens lib. 1. de alimentorum Facultat. cap. 2. eum, qui Fermento caret, nemini esse accommodum docet. Sequitur Galenum Sennertus lib. 4. Institut. Medic. parte 1. cap 3. dicens: *Ingens discrimen est inter panem Fermentatum, & Azymum: Fermento enim crassiores partes attenuantur, & viscidæ raresiunt, leviores redduntur, & aereæ naturæ nonnihil concipiunt, coctionique omnino redduntur aptiores. Azymus vero panis ponderosus est, crassus, glutinosus, atque omnino difficulter concoquitur, & crudis humoribus aptissimam præbet materiam.* Quæ cum ita sint, concludendum est panem communem Fermentatum esse, qui communiter mensæ adhibetur, & quo homines communi usu vesci solent: nec puto dici communem, ut vult Mabillonius cap. 10. suæ Dissertationis, quatenus consecrato opponitur, sed ex eo præcise communis vocatur, quia in cibum promiscue usurpatur. Et hoc sensu Rupertus Abbas ab eodem citatus, lib. 3. de Operibus Spiritus Sancti cap. 21. Christum in ultima Cœna panem communem accepisse dicit, & benedicendo transmutasse; quia illis diebus Azymus apud Hebræos communis erat, nec licebat Fermentatum mensis apponere.

§. VIII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Aliis argumentis perpetuus Fermentati usus apud Græcos probatur. Quando, & qua de causa Armenii cœperint Azymis uti. Maronitæ Azymis utuntur.

Denique apud Græcos perpetuum fuisse usum Fermentati argumento esse possunt acerrimæ illorum querimoniæ adversus Nationes throno Patriarchali Constantinopolitano subjectas, vel unitas, quæ Azymis, præter communem usum, uti cœperunt. Hac de causa Epiphanius, ut susius dictum est supra §. V. hæresim Ebionæorum describens, tanquam rem speciali nota dignam refert, quod Mysteria in Azymis celebrarent. Ob similem causam reprehensi sunt Armenii, sed quo tempore, & qua occasione Azyma receperint, diversæ sunt Scriptorum opinationes. Quidam ajunt Magnum Gregorium Illuminatorem primum Armeniæ Episcopum una cum Tiridate Rege ad Fidem converso Romam profectum cum Sancto Silvestro Pontifice, & cum Imperatore Constantino, qui Christianam Religionem nuper quoque amplexus fuerat, fœdus, & concordiam sanxisse; atque ibi Sanctum Antistitem usum Azymorum didicisse, & Ecclesiæ suæ tradidisse. Sed quicquid sit de fide hujus narrationis, quam aliis examinandam relinquo, non est certum, quod Ecclesia Romana tunc Azymis uteretur. Deinde Gregorium Cæsareæ in Cappadocia nutritum, & consecratum fuisse Acta ejus testantur: ac proinde a Græcis Fermentatum accepisse creditur, quod postea Successores in Azymum commutarunt. Aliam rationem traditi a Gregorio Azymi Demetrius Cyzicenus recenset in Tractatu de hæresi Jacobitarum Chatzitzariorum, qui sunt Armenii, *Oblationem*, inquit, *faciunt Azymam, inque Calicem communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Ac juniores quidem ex causa irrationabili id cæremoniæ inductum nugantur: veteres autem eorum doctores Sanctum a Deo afflatum, ac Martyrem Gregorium Magnæ Armeniæ Episcopum oblationem ejusmodi sine*

Qua tempore, & qua occasione Armenii Azyma receperint, variæ Scriptorum opinationes.

Fermento, ac Calicem sine aqua eis ideo tradidisse calumniantur, quia, inquiunt, quem Christus panem Discipulis tribuit in Cœna mystica, Azymus erat, ac Calix sine aqua: quos tamen Ecclesia Catholica Apostolicam, ac Patrum traditionem legitime servans, non probat. Hæc Demetrius editus a Francisco Combefis post Historiam Monothelitarum, cui consentit iisdem fere verbis Nicephorus Callistus lib. 18. Histor. Ecclesiast. cap. 54. *Veteres eorum Doctores Magnæ Armeniæ Gregorium illum Antistitem ritus ejuscemodi eis per manus tradidisse calumniose jactant, maxime vero Oblationem Azymam, & absque aqua poculum, propterea quod in mystica illa Cœna Azymum etiam Sacrificium, & vinum solum fuerit: quarum rerum nullam Apostolica Ecclesia admittit, veterem traditionem legitime servans.* Alii volunt usum Azymorum ab illis usurpari cœpisse, cum abjurata Orthodoxa Fide Eutychianis adhæserunt, unam scilicet Christi naturam ea oblatione profitentes, sicut panis Azymus nulla est unione commixtus. *In re divina*, ait Nicephorus lib. citat. cap. 53. *Azymo non pane utuntur, unam ea re in Christo naturam designantes; neque, sicuti nos, Calicem miscent, per quam mixtionem duarum naturarum unionem declaramus.* Consentit Isaac Catholicus prima in eos Invectiva cap. 7. dicens: *Panem Azymum Judæorum more offerentes nulla unione commixtum unius naturæ mysterium faciunt.* Extat & quædam Armeniorum Historia ipsorum schisma, ac rituum mutationem Niersi Patriarchæ adscribens, qui ut rem gratam Regi Persarum tunc Armeniæ dominanti faceret, conciliabulum in Civitate Thevin sexto seculo inchoante coegit, in quo decretum fuit anathematizandam esse Synodum Chalcedonensem, ritusque veteris Sacrificii innovandos, ut hoc religionis dissidio omnino a Græcis separarentur. At Clemens Galanus, qui omnes fere Armeniorum libros perlustravit, de impio Nierse Patriarcha agens lib. 1. Conciliationis ejus Ecclesiæ cum Romana cap. 10. consentit quidem in reliquis prænarratæ historiæ, negat tamen aliquid spectans ad Sacrificium statutum fuisse in Conciliabulo Thevinensi: inferius autem cap. 17. ea, quæ sequuntur de Joanne Ozniensi Patriarcha ex probata ejus gentis historia recenset. *Hic jussu Homaris Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis Synodum congregavit in urbe Manascbierti in confinibus Hircanæ provinciæ, ubi convenientibus cum Armeniis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio; fueruntque a Sacris ablata Mysteris Fermentum, & aqua, canoneque statutum est non esse amplius in Sacrificiis aquam vino miscendam;* Acta sunt hæc circa tempora sextæ Synodi generalis, dum Armenia sub durissimo Saracenorum jugo pœnas luerat schismatis, & impietatis; ex quibus satis constat Azymum panem, & vinum sine aqua ab Armeniis offerri cœpisse in signum divisionis a Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychianæ. Hoc ipsum constanter illarum gentium Historici affirmant, & hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armeniæ Episcopi, & Sacerdotes a me interrogati, & aliqui etiam ex nostris rituum, & linguæ eorum periti confirmarunt. Sed quæcunque fuerit Azymorum apud illos origo, & occasio, illud certe negari a nemine potest hunc usum in illis regionibus antiquissimum esse, & hoc nomine reprehensos, quod a Fermentato recesserint ab universis Orientalibus Ecclesiis usurpato. Ideo S. Nicon, qui & ipse Armenus fuit in libello de pessima Armeniorum religione inter cæteros eorum errores, & hunc recenset, dicens: *In pane mystico utuntur Azymis, & in Sanctum Calicem aquam non immittunt.* In narratione quoque de rebus Armeniæ edita a P. Combefis Moses Armenio-

rum Catholicus tempore Mauritii Imperatoris, *Absit*, inquit, *ut furno coctum comedam, aut calidum bibam:* alludens nimirum ad ritum Græcorum in pane Fermentato, & in furno cocto consecrantium, & aquam calidam Calici miscentium. Quod si aliquando ad Fidem Orthodoxam, & ad concordiam cum Græcis revertebantur, inter errores, quos abjurabant, hic legitur in veteri formula, quam Joannes Baptista Cotelerius vir eruditissimus inseruit notis ad lib. 5. Constit. Apostolicarum pag. 237. *Si quis in panem oblationis non immittit Fermentum, & sal, nec aquam cum vino in Sanctum Calicem, anathema sit*. Hæc autem formula sic inscribitur: *Renuntiatio hæreticorum Armeniorum, quomodo debeant anathematizare, cum ad Fidem Orthodoxorum Romanorum redeunt*. Nomine vero Romanorum Græcos intelligi tum hic, tum apud Theorianum in Dialogo adversus Armenios, tum passim apud alios Scriptores manifestum est. Porro hic omitti non debet Canon adversus Armenios promulgatus ab Episcopis, qui in Trullo congregati varia decreta sub nomine sextæ Synodi ediderunt anno 692. *Ad nostram*, inquiunt can. 32. *cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in Sacra Mensa offerunt, aquam illi non miscentes*. Id vero prohibent sub pœna depositionis. De panis autem mutatione ex Fermentato in Azymum silent, licet eodem tempore, quo aqua rejecta, & in eodem sacrilego Joannis Oznieñsis conciliabulo sancita fuerit; non aliam sane ob causam, nisi quia indifferens existimarunt, sive quis Azymum, sive Fermentatum offerret, nulla existente Ecclesiastica regula, quæ alterutrum interdicat: aquam vero vino miscere mos est universalis Ecclesiæ ex Divina, & Apostolica traditione. Erravit Otho Frisingensis, qui lib. 7. suæ Historiæ cap. 32. ex falsa, ut puto, relatione scripsit Armenios uti Fermentato, ex quo enim Azymum acceperunt, semper illo usi sunt, nulla habita ratione, quod reliqui Orientales Fermentato uterentur, ut dictum est. Liquet igitur ex his Ecclesiam Orientalem panem Fermentatum in Sacrificio adhibuisse, quod sex prioribus post Christum seculis probabilibus indiciis, a septimo autem usque in hodiernum diem fide dignissimis testimoniis evincitur. Sexto seculo priscam consuetudinem mutarunt Armenii, & deinceps constantissime receptum Azymum retinuerunt. Est etiam in Oriente Maronitarum natio, quæ præter cæterorum morem Azymis utitur. Sed quo tempore, & qua de causa his uti cœperint, difficile est invenire. Ajunt illi antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, sed ejus initium designare non possunt. Morinus in Præfatione Ordinationis Maronitarum *pag.* 383. ad probandam hujus ritus antiquitatem ex Davide illarum gentium Archiepiscopo, qui vivebat anno Domini 1053. testimonium affert excerptum ex notis Abrahami Ecchellensis ad Catalogum librorum Chaldaicorum *pag.* 144. *Editionis Romanæ*. Sed nihil ex eo concluditur; nam David ibi citatus hoc solum refert, Christum in pane Azymo Sacramentum instituisse. Credibile est usum Azymorum ab iis receptum, cum abjurata hæresi ad Fidem Catholicam conversi sunt, quod Gullielmus Tyri Archiepiscopus suo tempore, & se præsente contigisse scribit *lib.* 22. *suæ historiæ cap.* 8. Ipsi tamen hoc negant, & Scriptores proferunt asserentes Maronitas semper Romanæ Ecclesiæ adhæsisse: sed qui sint illi Scriptores ignoro, nec video quam exceptionem afferre possint adversus Gullielmi Tyri gravissimum testimonium. Ecclesiam quoque Hierosolymitanam a reliquis Orientalibus differre, & in Azymis offerre Sacrificium, asserit Humbertus Cardinalis, sed testis singularis est, & de auditu, nec ullum affert suæ assertionis fundamentum. Idem con-

Otho Frisingensis notatus quod Armenios Fermentato uti perperam scripserit.

Maronitæ inter Orientales Azymo utuntur, sed quo tempore, & qua de causa id introductum difficile est invenire. Vide de iis dicta Tom. 1. seu Parte I. cap. 9 §. 8. pag. 164. & 165.

Ecclesiam pariter Hierosolymitanam a reliquis Orientis differre, & in Azymis offerre nonnulli scribunt.

firmare videtur Azymorum primus, & acerrimus impugnator Michael Cerularius in literis ad Petrum Antiochiæ Patriarcham, quæ extant apud Baronium Tom. XI. anno 1054. In his enim poſtquam violatæ Fidei reos fecit Patriarchas Alexandrinum, & Hieroſolymitanum, quia Romani Pontificis nomen intra Miſſarum ſolemnia e dipthycis recitabant, addit: *Nec hoc ſolum, verum etiam ad aures noſtras pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ non ſolum alios Azymis veſcentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in Azymis Sacrum conficiunt Sacrificium. Et nos quidem cum non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re illos ſciſcitaremur, quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ Sanctitati requirendam relinquimus, ut de hac re, cum omnia diligenter fuerint ſcrutata, humilitati noſtræ ſingula facias manifeſta.* Quibus verbis non queritur, quod abrogato Fermentati uſu Azymum receperint, ſed tantum ait ad ſuam notitiam incerto rumore delatum, quod aliquando in Azymis celebrarent. Quid ab illis factum ſit, ignoramus: ſciebant tamen nulla Eccleſiaſtica lege vetitum Azymum, & eo fortaſſis certis diebus utebantur in gratiam Latinorum, quos in illis Civitatibus frequenter adfuiſſe manifeſtum eſt.

§. IX.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Latinos ſemper Azymis uſos fuiſſe, probatur teſtimoniis Patrum a primo ſeculo uſque ad nonum, & quanti momenti ea ſint, oſtenditur.

Referuntur argumenta eorum, qui perpetuum in Eccleſia Latina Azymorum uſum a SS. Apoſtolis Petro, & Paulo introductum putant.

SIC expeditis quæſtionibus, quæ ad Orientalem Eccleſiam pertinere viſæ ſunt, ad illud venio, quod eſt ſummum hujus controverſiæ, quo pane Latini uſi ſint. Et primo quidem argumenta, ſeu conjecturas afferam, quibus innititur eorum ſententia; qui perpetuum fuiſſe in Eccleſia Occidentali Azymorum uſum exiſtimant a Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo introductum, ac veluti per manus Succeſſoribus traditum, & ſine ulla intermiſſione uſurpatum; & quanti ſint momenti examinabo. Tum ea ſequentur, quæ pro uſu Fermenti in prima editione allata ſunt, & quæ illis objecta fuerunt, breviter diſſolvam; quatenus auditis utriuſque partis rationibus poſſit Lector pro ſuo arbitrio litem dirimere, & cui maluerit opinioni adhærere. Qui pro Azymis ſtant, multas conjecturas, & indicia ab antiquis Patribus, & ab Eccleſiaſtica hiſtoria depromunt, quæ viſum eſt mihi ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, & deinceps ſervata temporum ſerie proferre.

Argumenta ex primo ſeculo deſumpta.

Primo igitur ſeculo putant Apoſtolos Azymorum uſum præcepiſſe, cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges præſcripſerunt editis Canonibus, quos Apoſtolorum vocamus; nam can. 3. decreverunt: *Nihil aliud in Sacrificio, præter id, quod Dominus ſtatuit, offerendum.* Quæ verba de Azymorum uſu non immerito explicari queunt, quandoquidem illis perſuaſum erat Chriſtum in Azymis Sacramentum inſtituiſſe. Eodem ſeculo vixerunt Ebionitæ, de quibus ait Epiphanius, quod panem Azymum in Sacrificio offerebant ad Eccleſiæ, & Sanctorum imitationem. Teſtatur etiam ab Apoſtolis uſurpatum Azymum Sanctiſſimus Pontifex Leo Nonus, qui in celebri Epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum, & Leonem Acridanum eos reprehendit, quod auſi ſint poſt mille, & viginti annos a Paſſione Salvatoris noſtri Eccleſiam Romanam propter uſum Azymorum

con-

Verum ex his nihil pro Azymis concludi demonstratur. condemnare: tum ait Martyres nostros Azymis saginatos fuisse. Verum ex his nihil pro Azymis concludi evidens est: nam Canones sub Apostolorum nomine editos perperam illis adscribi omnes eruditi consentiunt, & novissime docet Cotelerius in notis ad Clementem pag. 327. Deinde citatus Canon nihil prorsus de Azymis decernit, sed tantum prohibet, ne præter factam a Domino de Sacrificio constitutionem alia ad Altare Dei offerantur, seu mel, seu lac, seu pro vino sicera, confecta, aut aves, aut aliqua animalia, aut legumina; exceptis novis granis, sive spicis frumenti, sive uvis; excepto quoque oleo ad luminaria, & thymiamate tempore oblationis. De Ebionitis quid sentiendum sit, paulo ante dixi §. 5. Quanti vero ponderis sit Leonis Noni simplex assertio in facto antiquissimo mille, & amplius annorum, docebunt nos Jurisperiti, quorum certa, & inconcussa sententia est, nudam Principis assertionem de facto alieno, quod ipse non vidit, imo multis ante ipsum seculis gestum est, sine scripturis, & aliis legitimis attestationibus nihil probare. Potuit Sanctus Pontifex suam de Azymo proferre opinionem, sed historicam fidem præstare non potuit, nisi ex antiquis, & probatis monumentis. Fortassis credidit perpetuum fuisse usum, quem ipse in Ecclesia Romana reperit, sicut credidit veram esse Constantini Imperatoris donationem, quam fere integram inserit eidem Epistolæ, ex ea probans primatum, & excellentiam Romanæ Ecclesiæ: quam tamen falsam, & suppostitiam esse Baronius ostendit Tom. III. anno 324. & Tom. XII. anno 1191., idemque fusius prosequitur Joannes Morinus Parte 3. historiæ de vita Constantini, & de magnitudine Romanæ Ecclesiæ. Patet etiam ex ipsius Epistolæ lectione S. Leonem non de ritu Azymorum sermonem habere, sed de dogmate Fidei; Græci enim Latinos veluti hæreticos insectabantur, falso asserentes Azymum non esse panem, & Christum in ultima Cœna panem Fermentatum consecrasse. *Ponitis*, inquit, *in Cœlum os vestrum, & lingua vestra humanis argumentationibus, & conjecturis antiquam Fidem subvertere molitur*. Tum ait: *Ecce jam post mille, ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda. Non ergo perpenditis quanta impudentia dicatur Pater, qui est in Cœlis, abscondisse a Principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis Sacrificii per dispensationem Unigeniti sui, cui per semetipsum plenissime revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis Divinitatis ejusdem Filii sui?* Et post multa. *Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere Catholicos cessate subsannando azymitas vocare, aut Ecclesias illis denegare, si vultis pacem, & portionem cum Petro habere*. Paci autem, & communioni cum Petro panis Azymi, vel Fermentati usum nihil officere, idem Pontifex testatus est, sic scribens in eadem Epistola: *Omnes Latinorum Basilicas penes vos clausistis, Monachis Monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, & clementior vobis est, siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ nulla eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur, & admonetur eam observare*. Agnovit igitur, & approbavit rituum, & consuetudinum discrimen, & errorem Græcorum impugnavit asserentium Azymum non esse panem, & in eo Sacramentum fieri non posse. *Cum enim Græci*, ut Jansenius Gandavensis Episcopus in sua Concordia cap. 131. sapienter observat, *a Romana Ecclesia sese separantes cœperunt pertinaciter defendere in Fer-*

mentato

mentato conſecrandum eſſe neceſſario, hæreſis notati ſunt, non quod in Fermentato celebrarent, ſed quod in Azymo aſſererent non poſſe fieri conſecrationem.

Item ex ſecundo, & tertio ſeculo.

Secundo ſeculo Romanam rexit Eccleſiam S. Martyr Alexander Primus, a quo Azymorum uſum præcepto ſtabilitum quidem recentiores tradiderunt: ſed hanc aſſertionem omni fundamento carere demonſtravimus ſupra §. 6.

Sed ex Cypriani textu nihil pro Azymis conficitur.

Tertio proferunt Cyprianum, qui Epiſt. 63. ad Cæcilium Euchariſticum Panem ex ſola aqua, & farina confici ait, ideoque Azymum eſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Sic vero Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage ſolidatum.* Sed nihil inde pro Azymis infertur; nam primo non excludit Fermentum, & fortaſſe intelligitur illis vocibus *adunatum, copulatum, & ſolidatum:* quod enim copulat, adunat, & ſolidat, Fermentum eſt. Deinde neceſſarium non erat Fermenti mentionem facere; tum quia ad panis ſubſtantiam, & ad materiam Sacramenti non requiritur: tum quia inutilis omnino erat Fermenti mentio ad id, quod docere intendit. Patet hoc ex contextu. *Quando*, inquit, *in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in Calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Unde Eccleſiam, ideſt plebem in Eccleſia conſtitutam fideliter, & firmiter in eo, quod credidit, perſeverantem, nulla res ſeparare poterit a Chriſto, quo minus hæreat ſemper, & maneat individua dilectio. Sic autem in ſacrificando Calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto, quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc Sacramentum ſpiritale, & cæleſte perficitur.* Tum interjecta ſententia ſupraſcripta, ait: *Quo & ipſo Sacramento populus noſter oſtenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta panem unum faciunt: ſic in Chriſto, qui eſt panis cæleſtis, unum ſciamus eſſe corpus, cui conjunctus ſit noſter numerus, & adunatus.* Eadem ſimilitudine utitur Epiſt. 76. ad Magnum, ex qua evidens fit nihil aliud docuiſſe Cyprianum, quam nos Chriſto, unitate inſeparabili commiſceri, ſicut aqua vino, farina aquæ copulatur, a qua re Fermenti commemoratio prorſus aliena eſt.

Ita etiam ex quarti ſeculi Scriptoribus, qui de Azymo, ac Fermentato ſilent, & quæ de Ambroſio Dacius Mediolanenſis in Chronico ſcripſiſſe dicitur, ſuppoſititia ſunt. Vide & de eodem dicta Tom. I. p. 181 & 182.

Quarti ſeculi Scriptores de Azymo, & Fermentato prorſus ſilent, niſi quis velit auctoritate Dacii Mediolanenſis Epiſcopi uti, cujus extat Mediolani in Bibliotheca Ambroſiana Chronicon M. S., in quo leguntur hæc verba: *S. Ambroſius Græcorum Eccleſiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus eſt, qui & Sacrificium eorum, ſcilicet Fermentatum cum noſtro Azymo in celeberrimis feſtivitatibus, maxime in Reſurrectione Domini benedicebat.* Ergo vivente Ambroſio, qui hoc ſeculo floruit, vigebat in Eccleſia Occidentali uſus Azymorum certa lege ſtabilitus. Verum ut ſupra admonui, Chronicon illud recentioris ævi eſt, & perperam Dacio tribuitur. Quod ſi quis contendat legitimum eſſe, ex eo Dacii teſtimonium repelli poteſt, quod cum ſeculo VI. vixerit, ut exactiores Chronographi evincunt, rem quarto ſeculo geſtam narrat teſtis ſingularis, cui fides non adhibetur: nec ipſa res fidem meretur; valde enim abhorret ab Eccleſiæ conſuetudine, quod in eodem Sacrificio utrumque panem conſecret

ſecret Azymum, & Fermentatum: nec facile occurrit hujuſmodi ritus exemplum aliquod, aut veſtigium in Eccleſiaſticis monumentis. Multo minus ad hoc ſeculum ſpectare poteſt quod in Miſſa Ambroſiana, quam ex Codice M. S. edidit Pamelius in Liturgicis, orationi, qua panis offertur, hæc inſcriptio præfigitur, *Oblatio panis Azymi cum patena*. Quis enim audeat aſſerere nullo fulcitus veterum teſtimonio hunc titulum a S. Ambroſio præfixum? Aut Codicem, quo uſus eſt Pamelius, Miſſam ab Ambroſio ordinatam, abſque ulla mutatione, vel additione continere? Notiſſimum eſt in hoc ſtudio verſatis, quam multæ ſucceſſu temporis in Officiis Eccleſiaſticis factæ ſint mutationes: idque recentiores libros cum vetuſtis conferentibus liquido conſtat.

Ex quinti ſeculi teſte Auguſtino, quem proferunt, nihil pariter pro Azymo concluditur.

Quintum ſeculum illuſtravit Auguſtinus, cujus pro Azymo teſtimonium profertur ex Serm. 83. de diverſis, in quo Dominici Corporis Sacramentum baptizatis exponens, ſolius conſperſionis aquæ, & farinæ meminit, nulla facta mentione Fermenti. Sed præſtat ipſum audire. *Apoſtolus dicit, unus panis, unum corpus multi ſumus. Commendat vobis in iſto pane quodammodo unitatem amare. Nunquid enim panis ille de uno grano factus eſt? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, ſeparata erant: per aquam conjuncta ſunt, & poſt quandam contritionem; niſi enim molatur triticum, & per aquam conſpergatur, ad iſtam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem exorciſmi Sacramento quaſi molebamini: acceſſit Baptiſmus, & aqua quaſi conſperſi eſtis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt Chriſma. Oleum etenim ignis noſtri Spiritus Sancti eſt Sacramentum.* His autem verbis unitatem commendat, & ad eam baptizatos hortatur, ut ſicut panis ex multis granis mola contritis, aqua conſperſis, & igne coctis conficitur, & ad unitatem redigitur: ita ipſi pœnitentia prius contriti, tum aqua Baptiſmatis conſperſi, & igne Spiritus Sancti per Sacramentum Confirmationis ſolidati, unum Corpus in Chriſto fiant. *Accedit*, inquit, *Spiritus Sanctus, poſt aquam ignis, & efficimini panis, quod eſt Corpus Chriſti, & ideo unitas quodammodo ſignificatur*. Ad hanc vero ſimilitudinem explicandam nihil proderat Fermenti commemoratio, ut ſupra notavi in Cypriano; idcirco Fermenti non meminit, quia nec ad propoſitam comparationem, nec ad panis compoſitionem exigitur. Eadem panis ſimilitudine uſus eſt tract. 2. de Paſchate Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, qui initio hujus ſeculi vivebat, & hunc quoque pro Azymis teſtem producunt. *Quomodo panem*, ait, *de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, & per ignem neceſſe eſt conſummari: rationabiliter in eo figura accipitur Corporis Chriſti, quod novimus ex multitudine totius humani generis unum eſſe corpus effectum per ignem Sancti Spiritus conſummatum*. At hæc verba ad probandum Azymi uſum in Sacrificio nullo modo pertrahi poſſe, quis non videt? Neque enim requiritur neceſſario, ut quicumque aliquam rem pani ſimilem eſſe dicunt, etiam Fermenti mentionem faciant: nec ratio ſimilitudinis exigit, ut quæ in uno ſimilia eſſe dicuntur, in omnibus convenire oſtendantur. Quod ſi hujuſmodi remotiſſimis conjecturis, & a re, de qua agitur, omnino alienis indulgere velimus, multæ poterunt Auguſtini ſententiæ afferri, quibus negat Azyma a Chriſtianis uſurpari, ſed relicta eſſe Judæis, & per novi Teſtamenti gratiam in maledictionis ſignum illis converſa. Sic loquitur in Expoſit. Pſalmi 39., & Concione 1. in Pſalm. 58. & alibi ſæpius. Idem aſſerunt & alii Patres, qui tamen Judaicum Azymorum uſum dumtaxat reprehendunt; & hoc ſenſu damnarunt Azymum

Epiſcopi

Epifcopi in Trullo congregati Can. 11. ubi prohibent, ne quis Sacerdos, vel Laicus Judæorum Azyma comedat, vel ullam cum eis ineat familiaritatem.

Sed neque ex Authoribus fexti feculi id evincitur.

In fine fexti feculi Magnum Gregorium habemus, cujus fententiam pro Azymo refert S. Thomas 3. par. quæft. 74. art. 4. & in Catena fuper Matthæum, ex ejus Regiftro, ut ipfe ait; Anonymus vero qui extat in Bibliotheca Patrum Parte I. Tom. IV. eamdem fententiam citat aliis verbis ex Dialogis ejufdem Gregorii, & ex vita ipfius Græce fcripta, Tractatu contra Græcos, diftinct. 3. Verba autem Gregorio adfcripta apud S. Thomam hæc funt. *Solet nonnullos movere, quod in Ecclefia nonnulli offerunt panes Azymos, alii Fermentatos. Ecclefia namque Romana offert Azymos panes, propterea quod Dominus fine ulla commixtione fufcepit carnem. Aliæ vero Ecclefiæ offerunt Fermentatum pro eo quod Verbum Patris indutum eft Carnem, & eft verus Deus & verus Homo. Nam & Fermentum commifcetur farinæ. Sed tamen tam Azymum, quam Fermentatum dum fumimus, unum Corpus Domini Salvatoris noftri efficimur.* Hæc autem verba nec in Epiftolis, nec in Dialogis, nec in aliis Gregorii Operibus reperiuntur, & tanquam fpuria ab omnibus Eruditis rejiciuntur. (In impreffo Romæ fic habetur: quidpiam fimile legitur. In Regiftro Gregorii VII. lib. 8. Ep. 1. & hinc fortaffis hallucinatio proceffit, & primo Gregorio tributum, quod feptimi eft). Chriftianus Lupus cap. 7. fuæ Differt. Teftem pro Azymis producit Auctorem Sermonum de Cardinalibus Chrifti Operibus apud S. Cyprianum, quem prope finem hujus feculi vixiffe credit. Sed jam a criticis obfervatum eft ex fide Codicum MSS. fermones illos effe Arnoldi Abbatis, qui vivebat feculo duodecimo. Hoc eodem labente feculo anno fcilicet 693. Concilium Toletanum XVI. celebratum eft, cujus Canone fexto utitur Mabillonius, ut veterem ufum Azymorum comprobet. Sed quia ego ejufdem Canonis auctoritatem ad probandum ufum Fermenti adhibeo, quis fit ejus fenfus mox examinabimus, cum de Fermento fermo erit.

Seculi pariter feptimi Monumenta pro Azymis incerta & dubia.

Septimo feculo affertor Azymorum produci poffet Ifidorus Hifpalenfis, fi legitima foret Epiftola ipfi tributa ad Redemptum Archidiaconum; fed recentioris ævi commentum effe omnes agnofcunt; agit enim de controverfia inter Græcos, & Latinos pro Azymo, & Fermentato, quæ feculo undecimo exorta eft. Eodem vitio laborant quæ ex Actis fextæ Synodi hoc ipfo feculo fub Agathone Papa peractæ narrat Humbertus Cardinalis in Refponfione ad Nicetam; cum enim ifte a Patribus ejus Synodi legem adverfus Azyma editam afferveraret, tacentibus, & non contradicentibus Legatis Apoftolicæ Sedis: negat hoc Humbertus, & fubdit Joannem Portuenfem Epifcopum unum ex Legatis Miffam folemnem die octava Pafchatis in Ecclefia S. Sophiæ coram Imperatore, & Epifcopis in Azymis celebraffe: tum Miffa peracta Latinorum Rituum rationem reddidiffe, nominatim vero oftendiffe, quod oblatio debeat effe fine Fermento, ficut B. Virgo abfque omni corruptione Chriftum concepit, & peperit. Sed fi vera funt Acta fextæ Synodi, quæ nunc habemus, hæc omnia falfa funt. Ex his enim conftat nullam in ea fancitam legem adverfus Azyma, ut fcribit Nicetas: nifi forte alludat ad Canonem undecimum Trullanum, quo Judæorum Azyma profcripta funt, fextam cum Trullana imperite confundens: nec ex his comprobatur Legatum in Azymis Conftantinopoli celebraffe. Ait quidem Anaftafius in vita Agathonis oblatum a Legato Sacrificium Latino more, & fermone; fed de Azymis nihil dicit.

Octavi feculi teftimonia item obfcura, ac proinde non concludentia.

Octavum feculum Venerabilem Bedam protulit, qui in cap. 22. Lucæ favere Azymis cenfetur fic loquens. *Quia nos in Chrifto, & in nobis Chriftum manere oportet, vinum Dominici Calicis aqua mifcetur. Et*

neque

neque aquam solam, neque solum vinum; sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione, & confectione in panem, *cuique licet offerre, ne talis videlicet oblatio quasi caput a membris secernendum esse significet*. At in his verbis quid pro usu Azymorum lateat ego non video. An quia Fermentum expresse non nominat, ideo excludit? Conjectura hæc est nullius momenti, ut quisque vel clausis oculis videt, & nos satis superque antea ostendimus. Alterum hujus seculi testem adducit Mabillonius Egbertum Eboracensem Episcopum, qui suarum Exceptionum cap. 98. hunc Canonem laudat, & probat: *Sacerdotes Dei diligenter procurent, ut panis & vinum, & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura, & munda fiant*. Ubi panis puri nomine Azymum intelligi putat, & confirmat ex Auctoribus Canonum, qui sub Eadgaro Rege anno 967. collecti sunt vigente usu Azymorum, ubi Can. 39. eodem vocabulo Panem Eucharisticum explicant statuentes ne quis Missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia, *scilicet Oblationem puram, vinum purum, & aquam puram*. Sed ego cum Grammaticis, & Philologis panem purum dici puto, quem siligineum, & primarium vocant ex purissima, & purgatissima farina compactum, omni prorsus excreto sursure, sine macula, sine sorde; quemadmodum vasa pura olim dicta legimus, quorum usus erat in Sacrificiis. Amphitruo apud Plautum Act. 3. sc. 2. *Jube vasa pura adornari mihi, ut quæ vota vovi exsolvam*. Hac significatione etiam Græci, qui Fermentato utuntur, Panem Eucharisticum purum vocant. Ita Gregorius Hieromonachus in Synopsi dogmatum Ecclesiasticorum apud Leonem Allatium lib. 3. de Ecclesiæ Orient. & Occid. consens. cap. 18. num. 6. *Necesse est*, inquit, *ut credamus Sanctissimum hoc Mysterium fieri ex materia quæ est panis purus*: Græce καθαρός, idest purus, mundus, purgatus. Purus itaque panis dicitur, qui omni sursure, & macula caret, sive Azymus sit, sive Fermentatus.

§. X.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Testimonia Scriptorum noni seculi pro Azymis asseruntur, & examinantur.

Sic spatio octo seculorum emenso neminem virum doctum, & in his studiis versatum futurum reor, qui non ingenue fateatur nullum testimonium hucusque productum esse, quod perpetuæ, & in omnibus Ecclesiis Occidentalibus usitatæ Azymorum consuetudini clare, & legitime suffragetur. Ex solis conjecturis, & suspicionibus ducuntur argumenta, quæ hactenus allata sunt. Nunc autem sequitur seculum nonum, quod certiores probationes clarissimorum virorum auctoritate suppeditare videtur. Occurrit primo loco Alcuinus Caroli Magni præceptor, qui Epist. 69. ad Lugdunenses, errores quosdam tunc per Hispaniam disseminatos redarguens ait: *audivimus quoque aliquos in illis partibus adfirmare salem esse in Sacrificium Corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas*. Et paulo post: *panis, qui in Corpus Christi consecratur, absque Fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquæ, purgatissimum; ex aqua, & farina panis sit, qui consecratur in Corpus Christi*. Consentit Alcuino Rabanus Maurus, discipulus Magistro: nam *lib.* 1. *de Institut.*

Alcuini, & Rhabani Testimonia noni seculi non adeo firma, & evidentia pro perpetuo Azymorum usu.

Inſtitut. Clericorum cap. 31. poſtquam dixit non licere in Sacramentis aliud offerri, niſi quod Dominus ipſe conſtituit, & ſuo exemplo facere nos docuit; hanc concluſionem inde elicit, *ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſanctificari oportet*: cujus conſequentiæ rationem reddens ait, *Quod autem panem Sacrificii ſine Fermento eſſe oporteat, teſtatur liber Leviticus, ubi commemoratur Dominum per Moyſen filiis Iſrael ita præcepiſſe: omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque Fermento fiat*. His teſtibus præcipue innituntur Azymorum propugnatores, ut eorum uſum ante Photii diſſidium in Occidente viguiſſe demonſtrent. Verumtamen hæc teſtimonia non adeo firma, & evidentia ſunt, ut nulla poſſint exceptione ſubmoveri. Nam ſi quid probat Alcuinus, ad Angliam reſtringi debet, in qua natus eſt; & ad Galliam, in qua diu vixit. Uſus vero Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ, de quo loquitur, ad ſalem ſpectat, non ad Fermentum. Licet enim Græci eodem fere calore pro ſale, ac pro Fermento certaverint, aſſerentes utrumque requiri, ut panis verus, & perfectus fit: certum nihilominus eſt nihil pani deeſſe, etſi Azymus cum ſale, Fermentatus ſine ſale conficiatur. Quod vero ait debere panem conſecrandum mundiſſimum eſſe, *abſque Fermento ullius alterius infectionis*, intelligi debet, niſi mea me fallit opinio, non de Fermento proprie dicto, quod ex aqua & farina fit, quæ poſtquam ſubacta fuerit, conſervatur donec aceſcat: ſed de Fermento alterius infectionis, ut verba ſonant, quod non fit ex intrita farinacea, ſed ex aliis ſpeciebus, de quibus agit Plinius lib. 18. Hiſt. natur. initio cap. 11. nempe ex milio, ſive ex furfuribus tritici muſto ſubactis: ex aqua & hordeo, & ex farina Erviliæ, aut cicerculæ: ex ſpuma item ſiceræ, ſive cervifiæ, & ex lacte corrupto: quæ omnia abſque dubio panem inficerent, atque ideo indecens eſſet, ut ad Sacrificium panis ſic Fermentatus adhiberetur. Hæc igitur fermenta, quibus etiam nunc fermentari ſolet panis in quibuſdam regionibus, forſitan excluſit Alcuinus, quæ merito *alterius infectionis* ab eo dicta ſunt. Clarius loquutus eſt Rabanus Maurus, cum dixit oportere panem infermentatum ſanctificari, in quam ſententiam cum primo incidiſſem, animadvertens eo vivente nullam de Azymo, & Fermentato controverſiam extitiſſe, ſuſpicatus ſum librum ab aliquo recentiore interpolatum fuiſſe ex ritu ſui temporis. De qua re ut certior fierem, ad Codices MSS. confugiendum eſſe exiſtimavi, unumque reperi in Bibliotheca Vaticana num. 1149. ſic inſcriptum, *Rabani Mauri liber de Officiis Eccleſiaſticis*: & ſic incipientem, *Qualiter ad Divinum Officium inſtrui oportet ſanctiſſimum Ordinem, Clericorum inſtitutio Eccleſiaſtica narratione declarat multimoda*. Eſt autem liber tertius citati Operis *de Inſtitutione Clericorum*, iſque in multis ab edito diverſus, & hinc crevit mea ſuſpicio. Vir tamen ſummæ fidei, & eruditionis Joannes Mabillonius ſe duo exemplaria Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi, unum fere ſexcentorum, alterum octingentorum annorum conſuluiſſe teſtatur, quæ cum editis omnino conveniunt. Sublata itaque ſuſpicione interpolationis, alii remanent ſcrupuli, quos perito Lectori expendendos propono. Nam primo cum dicit oportere panem infermentatum eſſe, nimis probat: hoc ſiquidem nec ad Sacramenti validitatem requiritur, nec ullum extat Chriſti præceptum, quo teneatur Eccleſia in Azymo conſecrare, alioquin uſus Fermenti Orientalibus interdiceretur; Deinde non aſſerit Azymorum uſum ubique tunc viguiſſe: aliud eſt enim dicere, quod oporteat aliquid fieri, aliud quod fiat. Et hic fortaſſis erat mos peculiaris Eccleſiæ ſuæ Moguntinæ: licet enim in fine cap. 33. ejuſdem libri primi aſſerat ſe Ordinem Miſſæ

Et quidem Alcuinus ad particulares Eccleſias Angliæ, in qua natus eſt, & Galliæ, ubi diu vixit, reſtringi debet.

Rabanus vero nimis probat, & Azymi uſum ubique obtinuiſſe non aſſerit.

Missæ descripsisse, quem ab Apostolis, & Apostolicis viris traditum Romana tenebat Ecclesia, & per totum fere Occidentem omnes Ecclesiæ servabant; hinc tamen inferri non potest, ut putat Mabillonius, Azymos non tantum in Germania, sed etiam in Romana Ecclesia, ac per totum pene Occidentem in usu tunc fuisse; quia in citato capite Ordinem dumtaxat, & seriem Missæ in orationibus, & lectionibus describit, de Azymis autem silet. Potuit quoque Rabanus testis esse temporis, quo ipse vixit, non seculorum quæ præcesserunt; moris item suæ regionis non aliarum, quas non vidit. Denique non arbitror probandas esse a Theologis rationes, quibus astruere conatur oportere Panem Eucharisticum expertem Fermenti esse: nam Christi exemplum non continere præceptum extra controversiam est, Lex vero per Moysen in Levitico lata Azymorum usum Judaicum, & cæremonialem continet, qui promulgato Evangelio abrogatus, & ab Ecclesia vetitus est. Porro hæc dicta sunt, non ut penitus supra posita testimonia convellam; sed ut omnibus notum sit nullo irrefragabili argumento evinci quod hoc seculo nono solus usus Azymorum ubique receptus, & usitatus fuerit. Ejusdem notæ sunt alia indicia, quibus putat Mabillonius Azymorum usum probari. Contingit in fine hujus seculi anno 895. meritis S. Wandregisili Abbatis miraculum, quod in fine libri de miraculis ipsius refert auctor Anonymus ab eodem Mabillonio editus seculo secundo Benedictino: nam mulier quædam sanctimonialis, cum in vigilia Dominicæ Nativitatis sorores suas rogasset, ut oblatas formarent, quas Domino in crastinum oblatura erat, & minime impetrasset, accessit ipsa ad ignem, ferrumque arripuit, quo imprimendæ, & decoquendæ erant. *Ex quo patet*, ait Mabillonius, *oblatas tum coctas fuisse intra ferramentum characteratum, ac proinde Fermenti expertes fuisse. Neque enim unquam Fermentum adhibetur in panibus illis, qui hoc modo formantur*. Hæc ille probabiliter, sed non video cur necessario debuerint oblatæ illæ ferro concoquendæ sine Fermento esse: ajunt enim Pistores etiam panem cum Fermento in hujusmodi ferramentis concoqui posse, cum præsertim eo tempore crassiores essent oblatæ, & spissiores. Imo Chaldæi, & Syri panem suum Eucharisticum formis characteratis conficiunt, ut ex illarum gentium Presbyteris nuper didici: & dum hæc scribo adest Romæ Archiepiscopus Mesopotamiæ, quæ nunc Diarbech nuncupatur, ex secta Nestorii ad fidem Orthodoxam conversus, qui ritu Chaldæo sacrum celebrat in Oratorio sacræ Congregationis de Propaganda fide; hostias autem Fermentatas coquit eodem ferro, quo nos utimur ad Azymas coquendas; nostrisque similes evadunt, nisi quod crassiores sunt. Verum esto absque Fermento fuerint, nihil ex consuetudine ejus Monasterii certo concludi potest pro solo & universali Azymorum usu. Hoc ipso seculo floruit Paschasius Ratbertus Abbas, qui libro de Corpore, & Sanguine Domini cap. 20. Panem Eucharisticum conspersionem vocat, & enumerans partes quibus constat, farinæ tantum, aquæ, & coctionis meminit. Conspersio enim est farina per aquam conglutinata sine Fermento, ut quidam Lexicographus docet. At vero Paschasium tropologice ibidem loqui & solum Fermentum malitiæ a Sacramento excludere ejus verba legenti persuasissimum erit. *Hæc est vera, & nova conspersio*, ait ille, *sinceritatis, & veritatis, ut simus Azymi sine Fermento malitiæ, & nequitiæ. Nam in Calice nihil aliud bibimus, quam Christi Sanguinem, ubi & nos per aquam admixti, couniti sumus. In pane vero nihil præter Corpus, ubi nos per Christi conspersionem ejus jam membra sumus. Quæ nimirum conspersio per aquam Spiritus Sancti fit. Hæc igitur conspersio de multis*

Ejusdem notæ sunt alia indicia, quibus perpetuum Azymorum usum probari putat Mabillonius.

Demum Paschasius Ratbertus, qui eodem nono seculo floruit pro dicto Azymorum usu allatus tropologice, & mystice, non autem in proprio sensu literali loquitur.

granis fecit unum corpus, corpus, inquam, finceritatis, & veritatis, fi tamen fumus Azymi, ideft abfque Fermento malitiæ, & nequitiæ, ut digne hunc panem de hac aqua confperfum accipere poffimus. Idcirco o homo ferva confperfionem gratiæ; quia licet triticum fis, nifi doctrina, & virtute Spiritus Sancti ad hanc unitatem, & confperfionem fueris bene in farina attenuatus, deinde confperfus gratia, & igne charitatis excoctus, non poteris ad foliditatem Fidei firmari. Propterea fit tibi femper mola inferior timoris, & fuperior perfectæ charitatis: quibus duobus bene attenuatus poffis Spiritus Sancti gratia in Chrifti Corpore uniri. Patet igitur quod hæc myftica funt. Quod fi hæc myftica funt, & ad mores inftituendos a Pafchafio confcripta, ut nimirum Fideles per confperfionem gratiæ, & per ignem charitatis membrum Chrifti in unitate Fidei inveniantur, ficut ex multis tritici granis unus fit panis, patet hic Fermentum non literaliter, fed myftice accipi, ficut fæpius accipitur a Sanctis Patribus Græcis, & Latinis, cum locum Apoftoli explicant, 1. Cor. 5. *Expurgate vetus Fermentum, ut fitis nova confperfio.* Sive enim maffa, aut confperfio careat Fermento, five fermentata fit, femper vim fuam habet pro pofita tropologia; cum præfertim Fermentum, ut communiter fit, ex fola aqua, & farina conftet, tumque fermentandi virtutem accipiat, cum acefcit.

§. XI.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Expenditur, & exploditur nuper edita revelatio Eldephonfi Epifcopi Hifpani pro ufu Azymi. Decimo feculo lis de Azymis orta eft.

Eldefonfi Toletani revelatio cum Fl. Dextri, Maximi, Juliani, & aliorum hujufmodi notæ fcriptis computanda.

AD hoc feculum denique fpectat revelatio Eldephonfi Epifcopi Hifpanienfis, quæ facta effe dicitur anno 845. Extat in Bibliotheca Vaticana Cod. M. S. 1341. quam accurate tranfcribi curavi, ut Joanni Mabillonio mitterem, & ab ipfo edita eft in calce fuæ Differtationis. Quid de ea fentiendum fit, qui legerint, judicabunt. Ego interim valde dubito, ne cum Flavii Dextri, Maximi, Juliani, & aliorum ejufdem notæ fuppofititiis fcriptis fit recenfenda. Exemplar Vaticanum infpicienti patet ad oculum characterem non effe feculi noni, fed undecimi, vel duodecimi, ftylus quoque rudis, impolitus, fibique parum cohærens nullam conciliat Scriptori auctoritatem. Quæ autem de pondere, & de numero hoftiarum diverfo pro diverfis feftivitatibus ex eo fenfu depromit, portenta potius, & fomnia delufæ imaginationis credenda funt, quam doctrina divinitus revelata. Nam quis unquam aliquid fimile reperit in libris ritualibus, aut in tractatibus Scriptorum Ecclefiafticorum? Vetus Ecclefiæ mos fuit multiplicare hoftias pro numero communicantium, non autem in honorem folemnitatum. Inauditum hoc eft, ut diebus feftis quinque hoftiæ, in Pafchate quadraginta quinque, in Afcenfione, & Pentecofte decem, & feptem, in feriis unica præfinito numero offerantur, idque omnino tanquam alienum a moribus Ecclefiæ, ac veluti fuperftitiofum explodi debet. Deinde quis fuerit ifte Eldephonfus, & cujus Sedis Epifcopus, ignoramus: & fi Hifpanus fuit, cur præter morem ufitatiffimum illius regionis in affignando revelationis anno non utitur æra Hifpanica, quæ Epocham Chriftianam fuperat annis XXXVIII.? Ea fane ufus eft hoc ipfo feculo Eulogius Martyr Cordubenfis in Præfatione libri, quem *Memoriale Sanctorum* infcripfit, ubi Martyrium Ifaac Monachi referens ait illum contigiffe æra 889., a qua fubductis annis 38. fit annus Domini 851. Feftum

quoque

quoque Transfigurationis celebrari ait VI. Kalendas Augusti, cum tamen antiquissima, & universalis consuetudo sit ipsum celebrandi VIII. Idus ejusdem mensis, ut in notis ad Martyrologium refert Baronius. Omitto geometricam hostiarum dispositionem, & numeri earum, ac ponderis insulsas rationes, aliaque nonnulla, ob quæ non dubito hanc revelationem omnino rejiciendam.

Decimo seculo exorta de Azymis Controversia.

Decimum seculum sequitur incultum, & horridum, ac multa barbarie obsitum, in quo sicut Scriptores, ita & testes desunt, qui de Azymis testimonium perhibeant: sed neque his indigemus: nemo enim dubitare potest, quin prope finem hujus, & initio sequentis usus Azymorum in Ecclesiis Occidentalibus viguerit, quandoquidem id satis superque manifestant exortæ hac de causa inter Græcos, & Latinos acerrimæ contentiones. Constat igitur ex dictis quæ, & qualia sint argumenta, quæ ad probandum usum Azymorum, octo præsertim prioribus seculis, afferri solent. Nono autem, quo vivebat Photius, in quibusdam Ecclesiis Occidentalibus, eorum usum viguisse ex allatis attestationibus probabiliter deducitur, & nos ultro fatemur: an vero hic mos universalis fuerit, non liquet. Nescimus etiam an semper in Occidente Fermentum a Pane Eucharistico exclusum fuerit: an potius Latini solo Fermentato communiter usi sint per aliquot secula, ut Sirmondus asseruit: an quod ego probabilius puto, utrumque indifferenter sive Azymum, sive Fermentatum pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis adhibuerint. Et hæc est secunda pars controversiæ, ad cujus disquisitionem nunc deveniendum est.

§. XII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Incipit Disquisitio de usu Fermentati apud Latinos. Testes nonnulli pro eo producuntur.

ILlud autem initio præmittendum, quoniam de veteri usu Fermentati nullam habemus evidentiam, ex indiciis, & conjecturis, atque ab antiquorum Scriptorum testimoniis judicandam rem esse: nam materia probationis sunt facta incerta, de quibus dubitatur; certa vero & quæ omnibus nota sunt, nulla indigent demonstratione. In factis autem longævis leviores sufficere probationes omnes consentiunt; sed verbum illud consideratissimum *arbitror* in his astruendis adhibitum est. Si enim illo utebantur Romani, ut ait Cicero Orat. pro M. Fontejo, cum ea jurati dicebant, quæ comperta habebant, quæ ipsi viderant; multo magis ea circumspectione nos uti debemus in iis affirmandis, quæ ipsi non vidimus, quæ a nostris temporibus remotissima sunt. Lectoris autem prudentis, & ab omni præoccupatione immunis erit allatas rationes suis momentis ponderare, & juste decernere quænam opinio, nostrane, an contraria, probabilior videatur. Omnis fere multitudo solum, & perpetuum Azymorum usum propugnat, sed ponderandæ sententiæ sunt, non numerandæ: nec semper verior est ea pars, quæ major est, nisi numero accedat rationum pondus, & auctoritas. Quod aliquando in Ecclesia Latina panis Fermentatus oblatus, & consecratus sit, censuerunt primo Scholasticorum Principes Alexander Halensis, S. Thomas, Scotus, & alii supra citati §. 5. quamvis enim eorum opinio rejecta a nobis sit, ipsi tamen veram esse crediderunt, & non obstante Christi exemplo, qui in Azymo Sacramentum

Quod aliquando in Ecclesia Latina panis fermentatus fuerit adhibitus in Sacrificio censuerunt quamplures.

tum inftituit, arbitrio Ecclefiæ relictum effe exiftimarunt uti Azymo, vel Fermentato. Eidem fententiæ Joannes Gerfon adhæfit vir pietate, & doctrina celeberrimus; nam prima parte fuorum Operum tract. de Communione fub utraqne fpecie, ait Laicos aliquando fub utraque communicaffe, *ficut aliquando fiebat confecratio in Fermento, ne judaizare videretur Ecclefia*. Et paulo poft: *Attamen dum fiebat a Laicis*, communio fcilicet fub utraque fpecie, *præcipiente, vel permittente, vel confulente Ecclefia bene fiebat, ficut dum conficiebant Sacerdotes in Fermentato*. De hac ipfa re Tractatum edidit Jacobus Sirmondus, quem Lupus, & Mabillonius impugnant: fed ifte exclufit Azymum, ego non excludo. Noviffime autem Antonius Godeau Epifcopus Vencienfis lib. I. Hift. Ecclefiafticæ §. 10. pag. 151. poftquam dixit Chriftum in Azymis Euchariftiam inftituiffe, fubdit. *Ecclefia Latina his hodie utitur in fuo Sacrificio; fed viri docti exiftimant, & merito quidem, ut mihi videtur, hunc ufum recentiorem effe; & hanc opinionem, quæ communem convellit, fe probare credunt auctoritate veterum Canonum, & Patrum per plura fecula. Examen hujus controverfiæ non eft hujus loci, & mutatio, quæ paulo ante Leonem IX. facta eft, nihil prorfus officit huic veritati; nec propter hoc Ecclefia Latina a Græca feparata eft: non enim agitur de dogmate effentiali, fed de ritu cæremoniali, ob quem non debet unitas fcindi.*

Antonius Godeau Epifc. Vencienfis Azymorum ufum recentiorem effe cum aliis affirmat.

§. XIII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

A Confuetudine, qua populus panem offerebat, probatur ufus Fermentati.

Quod igitur vetus Ecclefia pane Fermentato in partibus quoque Occidentalibus ufa fit, probari primitus poteft ex more offerendi, qui olim vigebat. Mos enim antiquiffimus in Ecclefia fuit, ut qui ad Miffas conveniebant, fuam unufquifque Sacrificii partem adferret. Cujus confuetudinis apud prifcos Antiftites tanta fuit religio, ut hanc fæpius Synodicis decretis, ne obfolefceret, fanciendam putarint. Ita enim decrevit Concilium Matifconenfe II. Can. 4. *Refidentibus nobis in Sacro Concilio cognovimus quofdam Chriftianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviaffe, ita ut nullus eorum legitimo obfecundationis parere velit officio Deitatis, dum Sacris Altaribus nullam admovent hoftiam; Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini, ut per has immolationes, & peccatorum fuorum fafcibus careant, & cum Abel, vel cæteris jufte offerentibus promereantur effe confortes*. Ad hunc item morem refpexit Concilium Nannetenfe Can. 9., quo Presbytero mandat, ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & confecrationi fuperfunt, partes incifas habeat in vafe nitido, quas poft Miffam illis diftribuat, qui non communicarunt. Liber Sacramentorum S. Gregorii editus a Pamelio, poftquam præcepit cantari offertorium, ait: *Et offeruntur a populo oblationes, & vinum, e quibus in Altari ponuntur, ut facientur*. Confonat Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens oblatas ponit tantas fuper Altare, quantæ poffunt populo fufficere*. Ejufdem oblationis a Fidelibus factæ illuftria habemus exempla in Theodofio Imperatore, celebrante Ambrofio, & in Valente, celebrante Bafilio, ut narrat Theodoretus lib. 4. Hift. Ecclef. cap. 17., & lib. 5. cap. item 17. Adeo autem

Antiqua confuetudo offerendi panem, & vinum ad Miffæ facrificium jam pene obfoleta feculo fexto per Conc. Matifconenfe II. reftituta.

Prifca ejufdem oblationis quamplura afferuntur exempla.

tem

tem initio Ecclesiæ mos iste invaluerat, ut digni reprehensione haberentur, qui nihil offerentes alienæ oblationis partem sumebant. Quo nomine Cyprianus divitem fœminam increpans, lib. de Opere, & Eleemosynis: *Locuples*, inquit, *& dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Idem urget Augustinus, seu quisquis est auctor sermonis 215. de Tempore dicens: *Oblationes, quæ in Altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Et Eligius Noviomensis Tract. de Rectitudine Catholicæ conversat. Tom. IX. Augustini. *Ille bonus Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentius venit, & oblationem, quæ offeratur Deo, in Altari exhibet*. Item Augustinus Epist. 122. ad Victorianum de quibusdam Virginibus captivis ait, *Nec istæ possunt ferre oblationem ad Altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo*. Hoc ipsum confirmant verba Sacerdotis suum in Missæ precibus, & populi Sacrificium, atque hostias commemorantis. *Orate*, ait, *Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum*. Et infra: *Memento Domine omnium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*. Item: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, ut placatus accipias.* Et in orationibus, quæ secretæ dicuntur: *Suscipe preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Suscipe munera populorum tuorum*. Et clarius Dominica V. post Pentecosten: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.*

Hinc si Sacerdos oblatum a Fidelibus panem consecrabat, non alius is erat, quam de more fermentatus.

Sunt & alia ejusdem generis multa, quæ priscum illud tempus respiciunt, (1) quo populi oblationes consecrabantur. Quod si Sacerdos oblatum a Fidelibus panem pro sua, & illorum communione consecrabat, non alium sane, quam communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qui singulis tam divitibus, quam pauperibus semper in promptu esset: cum præsertim primis Ecclesiæ seculis propter metum persecutorum sæpe in cryptis, & in carceribus Sacrum occulte, & ex occasione celebrari oporteret, pane procul dubio communi, quia Azymum nec ubique conficere, nec semper paratum habere poterant (2). Respondet Mabillonius *cap.* 10. *suæ Dissertationis* nullius roboris esse hoc argumentum, facile enim Fidelibus erat ex consuetudine Ecclesiæ offerre panes sine Fermento: sed nos de primis Ecclesiæ seculis agimus, exempla autem, & testimonia, quæ ipse affert, recentioris ævi sunt. Scio etiam virum doctissimum Albaspinæum *lib.* 1. *observat.* 5. *& sequentibus*, ea, quæ de oblationibus allata sunt, aliter interpretari: sed singularis ejus sententia est, & contra communem Doctorum sensum. Ait ille has oblutiones, de quibus Cyprianus, & alii loquuntur, nihil ad Eucharistiam pertinere; neque partem ex iis decerptam, ut consecraretur, sed referendas esse ad Eulogias, sive ad panem in fine Missæ distribuendum. Nam panis, inquit, qui offerebatur, fermentatus erat, Eucharistia vero ex pane sine Fermento conficiebatur: quod genus argumenti quanti sit ponderis, nemo non videt. Imo quia panis Fermentatus offerri solebat, consequens est, ut & idem consecraretur: nec ullo modo ad Eulogias trahi potest quod Cyprianus scribit arguens mulierem, quæ partem sumebat de Sacrificio, quod pauper obtulerat. Unde enim probare poterit, quod nomen Sacrificii Eulogiis unquam tributum sit? Adhuc mos perseverat, ut in quibusdam solemnitatibus integer panis, atque is Fermentatus, simul cum vino ab his, quorum interest, offeratur, ut cum Episcopi consecrantur;

Respondetur in id Albaspinæi, & Mabillonii objectionibus.

cum

cum Reges coronantur, cum aliquis in numerum Sanctorum adscribitur: ex quo veluti per rimulas antiqua panis Fermentati offerendi consuetudo perspicitur: & olim quidem ipsemet panis, qui oblatus erat, consecrari solebat; at nunc remanente sola, & nuda oblatione in his celebritatibus, quæ raro accidunt, in reliquis disciplina mutata est. Sed pergo, & Fermentatum in usu fuisse apud Latinos aliis argumentis ostendo.

Priscis temporibus nemo sine munere ad Synaxim veniebat.

(1) *Quæ priscum illud tempus respiciunt, quo &c.*) Nemo plane priscis temporibus sine munere ad sacram Synaxim veniebat, sed panem, & vinum secum omnes adferebant, ut videlicet incruenti Sacrificii futuri participes, essent pariter expensarum, & oblationum consortes, illudque implerent, quod erat in veteri lege præscriptum Exodi 23. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Hujus autem, sive legis, sive consuetudinis tanta religio erat, ut hac veluti nota boni a malis Christianis secernerentur, ut nemo, quamquam adversæ fortunæ, ab ea se vellet exemptum, sed ipsi etiam pauperes ad Sacrificium pro modulo contribuerent, Viduam Evangelicam imitati, quæ inter egestatis angustias duo, quæ sola supererant, minuta æra in gazophylacium misit, ob idque divitibus magni pretii munera, ex his, quæ sibi abundabant, offerentibus a Christo Domino prælata est. Lucæ 21. 2. quam inrem Tertullianus in Apolog. cap. 39. loquens de Conventibus Christianorum, & sacra apud ipsos Synaxi: *Modicam*, inquit, *unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, etsi modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert*.]

(2) *Nec semper paratum habere poterant*) Hinc, ut cæteros hujus assertionis testes omittam, unum profero, qui etsi non adeo antiquus sit; hujusmodi tamen fuisse traditionem indicat. Is est Bonizo Sutrinus primum, dein Placentinus Episcopus seculi XI. Scriptor in suo Libello de Sacramentis, quem hucusque ineditum nuper vulgavit Muratorius in suis Antiquit. medii Ævi Tom. III. col. 601. ait itaque ibi: *In Actibus Apostolorum legimus Apostolos fregisse panes in domibus &c.* Deinde hos fuisse communes, & vulgares, quos inveniebant, subdit: *Nec multopere curabant utrum panis esset Azymus, vel Fermentatus*.

§. XIV.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Aliis argumentis Fermentati usus confirmatur.

Fractio panis sæpe in Actis Apostolorum descripta, communiter pro perceptione Eucharistiæ sumpta.

INitio Ecclesiæ, ut in Actis Apostolorum legimus cap. 2. *Erant Fideles perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis: quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem*; qualem nimirum in domibus Fidelium reperiebant, *sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum*, quod licet aliqui de communi pane interpretentur, communis tamen sententia est ibidem agi de perceptione Eucharistiæ: qua percepta ad modestum convivium accedebant, quod Agapen nuncupabant. Et cap. 20. refert S. Lucas, quod una Sabbati, idest die Dominica conveniebant ad frangendum panem, panem nimirum Eucharisticum, ut explicat Augustinus Epist. 86. ad Casulanum: *Eadem nocte*, inquit, *fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata* rursus congregatos alloqueretur. Hunc autem panem communem fuisse certum videtur, quia clanculo, & ex occasione in domibus conveniebant, & pane ibi reperto utebantur. Ernulfus Episcopus Roffensis Epist. ad Lambertum de variis quæstionibus edita Tom. II. Spicilegii Lucæ Dacherii, ostendens aliquos Ecclesiæ ritus alio modo cœpisse, & alio modo per ejus incrementa cucurrisse, *Patet*, ait, *Sacramenta Altaris, quæ jejuni modo accipimus, Discipulos Domini cœnatos accepisse. Illi panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panem accipimus*. Quæ verba referens Lupus cap. 10. suæ Dissertationis ait, *loquitur ex communi sui temporis sensu, adeoque Ecclesia tunc non censebat Azymum esse traditionem Apostolicam*. Sed nec etiam

Quæ ex usuali oblato pane, ac proinde Fermentato confecta, probatur pluribus veterum testimoniis.

nunc

nunc id censet, alioquin non permitteret Orientalibus Fermentum. Accedit alia conjectura, quia cum Ethnici Christianos a Judæis non distinguerent, eo quod utrique idola execrabantur, verisimile est Apostolos, & Apostolicos Viros, qui Christum gentibus prædicarunt, ab Azymis, aliisque Judaicis cæremoniis abstinuisse, ne viderentur eorum ritibus consentire, & eamdem religionem sectari, quam gentes summopere abominari, ac detestari non ignorabant. Quod si veteres Patres percurrere, & omnem evolvere antiquitatem libeat, inveniemus procul dubio sic a tempore Apostolorum, & deinceps de Pane Eucharistico omnes loqui, ut nonnisi de communi, & Fermentato commode intelligi, & explicari queant. Tertullianus ad uxorem lib. 2. cap. 5. *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes. Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur.* Scivisset autem, aut saltem aliquid suspicatus esset, si panis ille a communi diversus fuisset (1). Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Eodem modo de hoc pane loquuntur Justinus, Irenæus, Gregorius Nyssenus, & alii, quorum verba retulimus supra §. VII. Narrat Joannes Diaconus in Vita Gregorii Magni *lib.* 2. *cap.* 41. Sancto Pontifici celebranti mulierem quamdam solitum panem obtulisse, cui tempore communionis mysteria traditurus cum diceret, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*, risit mulier. At ille dextram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici Corporis super Altare deposuit. Expletis vero Missarum solemniis, matronam coram populo inquisivit, quam ob rem Corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa ait, quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus Dominicum esse dicebas. Tum Gregorius, facta oratione pro mulieris incredulitate, particulam panis in carnem, & ipsam carnem rursus in panem convertit. Porro hæc mulier panem communem, & usitatum obtulit, quem ipsa fecerat pro domo sua; si enim Azymum fecisset, & obtulisset, quo uti tunc in Sacrificio mos foret, non potuisset ignorare, cui fini panis ille inusitatus destinatus esset, nec indicia, sive incredulitatis, sive ignorantiæ ridendo præbuisset *. Patres etiam Concilii XVI. Toletani, quod æra Hispanica 731. anno scilicet Christi 693. actum fuit, illustre pro Fermentato testimonium perhibent can. 6. *Ad Conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & studio præparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia uspiam gestum perpenditur.* Et paucis interjectis, quibus ex Evangelio ostendunt Christum non particulam panis, sed integrum panem accepisse, & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas particulatim Discipulis tribuit, subdunt: *Unde temeritatis ejus, atque nescientiæ cupientes terminum ponere id unanimitatis nostræ delegit Conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat: cujus reliquiæ, aut ad conservandum modico loculo absque aliqua injuria conserventur, aut si ad con-*

(1)

* *Vide Edit. Rom. §. VI.*

ſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius, qui ſumpſerit, gravis farciminis onere premat, ſed animam alimonia ſpirituali reficiat. Quid clarius hoc Canone ad id, quod intendimus aſtruendum? Si enim debuiſſent illi Sacerdotes Azymum panem conſecrare, de hoc ante omnia redarguti fuiſſent, quod non Azymum, prout mos ferebat, ſed panem uſitatum, & communem, & conſequenter Fermentatum conſecrarent: atqui de hoc Synodus tacuit, & eo tantum nomine illos caſtigat, quod panes non erant nitidi, & ad illud miniſterium, ſicut par erat, peculiari ſtudio præparati, atque fortuito, & indecenter de communi menſa accepti, fruſtulo ex pane communi decerpto (2). Chriſtianus Lupus (2) *cap.* 8. *ſuæ Diſſertationis* ex hoc Canone agnoſcit, & fatetur uſum Fermentati tunc in Hiſpania viguiſſe, ſed illum ſolius Hiſpaniæ errorem, & lapſum fuiſſe ait, quem Jacobus Sirmondus peſſime, inquit, in omnem Latinam Eccleſiam tranſcribit. Sed quidquid ſit de Sirmondo, ego non ſemel proteſtatus ſum meæ intentionis nunquam fuiſſe, cum diu perſtitiſſe uſum Fermentati oſtendo, Azymum ab omni Eccleſia Latina prorſus excludere: nam veterum Patrum, & Hiſtoricorum teſtimonia, quæ profero, nonniſi pro ſuis Eccleſiis, & Provinciis, & temporibus probant. E contrario contendit Mabillonius hunc ipſum Canonem nonniſi de Azymo poſſe explicari, idque concludit aliquot argumentis, quæ breviter perſtringam. Primo, quia veteres Mozarabes, teſte Jacobo de Vitriaco, Azymis utebantur. Secundo, quia centum annis poſt hoc Concilium omnes Hiſpani cum aliis Latinis in Azymo conveniebant, ut docet Alcuinus. Tertio, quia Azymis uſam Hiſpaniam aſſerit Eldephonſus. Denique id pervincunt verba Concilii dilucide affirmantia Panem Euchariſticum debuiſſe diverſum eſſe ab uſitato, qui menſæ communi paratus erat: deinde panem mundum, & nitidum offerendum eſſe dicunt; nitidus autem, & mundus eſt, qui caret Fermento. Tum præcipiunt, ut ſit ſtudio præparatus, & non ſit grande aliquid, ſed modica oblata; hæc autem ſoli Azymo conveniunt, ut ille credit. At ego Peritorum judicio diſcutiendum relinquo, utrum hæc argumenta Concilii Toletani decretum ad probandum Azymi uſum pertrahere queant. Certiſſimum eſt enim, ut his aliquid reponam, Jacobum Vitriacum, qui ſeculo decimotertio vivebat, non eſſe idoneum teſtem rei geſtæ in Hiſpania ſub finem ſeculi ſeptimi, cum præſertim ſolus ſit. Alcuinus quoque, qui initio ſeculi noni migravit e vita, teſtis illegitimus, ac ſingularis eſt, & ſecundæ notæ, ut loquitur Seneca lib. 4. quæſt. natur. cap. 3. qui ea, de quibus ſcribit, non vidit, ſed audivit. Tum ſicut ſupra dictum eſt, de ſolo ſale teſtimonium perhibet, quem Hiſpani ſui temporis pani conſecrando immittebant. Eldephonſo quæ fides habenda ſit, conſtat ex dictis. Ipſum autem Concilium arguit Sacerdotes, non quod panem communem ſuis uſibus præparatum offerrent, ſed quod cruſtulam ab eo abſcinderent, ut in Altari conſecrarent; mox præcipiunt, ut panis integer, ſtudioſe præparatus, & mundus, ac nitidus offeratur. At vero integritas panis, ejuſque ſtudioſa præparatio, & munditıes, ac nitor æque conveniunt Azymo, & Fermentato. Nec puto verum eſſe, quod nitidi nomenclatura ſoli Azymo applicari poſſit; panis ſiquidem nitidus dicitur, qui ex puriſſima farina conficitur, quem Plinius *lib.* 22. *cap.* 25., & Gregorius Nazianzenus *Orat.* 19. *in laudem Patris* candidum, Juvenalis niveum, vulgus album vocant; cujus nitori nihil officit Fermentum. Nihil etiam repugnat, quin ex pane Fermentato modica oblata fieri poſſit, ut per ſe patet. Porro

Concilii XVI. Toletani Canonem 6. ſunt qui pro Fermentato, ſunt qui pro Azymo explicandum ſentiunt.

Verum hocce Synodale Decretum ad probandum Azymi uſum pertrahi non poſſe probatur.

Porro ad Decretum Toletani Concilii sancientis, ne panis crustula offeratur, accedit Calchutense in Anglia an. 787., dum c. 10. præcipit oblationes Fidelium tales fieri, ut panis sit, non crusta;. His autem obiter adnotatis ad reliqua progrediamur.

Item ex eodem Tertulliano Card. sententia confirmatur.

(1) *A communi diversus fuisset*) Idem Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3. *Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur*; quia nimium ex eo pane conficiebatur Eucharistia; aut igitur non curabat Septimius fragmentorum aliquid ex Fermentato dejici, quod absonum, aut Fermentatum materiam Eucharistiæ conficiendæ præbuit. Magistrum audivimus, aures præbeamus discipulo, & quidem meliori. Cyprianus divites, qui nil ad conficiendam Eucharistiam offerebant, sic alloquitur lib. de Oper. & Eleemos. *In Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Sacrificium ex pane est, quem Christiani ad Altare consecrandum deferebant. Panis vero e Fidelium penu suppeditatum Azymus profecto non fuit, sed Fermentatus, qui priscis Azymus nunquam vocatur. Sed & ante Tertullianum Justinus Martyr Apolog. 2. p. 97. *Ei, qui fratribus præest*, inquit, *offertur panis, & poculum aquæ, & vini*. Vox autem *panis*, simpliciter posita Azymum profecto non significat, quod si voluisset Justinus, dixisset utique *offertur panis Azymus*, quomodo de Ebionitis, quibus Azyma placebant, panes Azymos in Mysteriis suis adhibuisse scribit Epiphanius. Ita etiam Irenæus, & reliqui Patres supra ab Emin. citati, & quidem magnum est in Irenæo momentum, quod Lugdunensi præfuerit Ecclesiæ, cujus ritus a Romana Sede profluxerunt.

Insuper ex S. Cypriano.

Et Mabillonii exceptionibus respondetur.

At Cypriani textui allegato opponit Mabillonius Differt. de Azymo cap. 10. quod quia Panis Eucharisticus religiosis quibusdam ritibus, ac studio præparatus esse debebat, hinc facile contingere potuit, ut divites incuria parandi ejusmodi panis, non haberent aliquando, quem offerrent, communicarentque ex pane, quem pauperes offerebant. Verum hoc illi probandum, quod nempe Cypriani ætate, & persecutionum tempore jam inde religiosis quibusdam ritibus Panis Eucharisticus præpararetur, quod postea, uti probat ex Ordine Romano, sequiori ævo salubriter institutum est; si ita tunc fuisset, faciliori quidem negotio id facere divites potuissent, non pauperes, cum illi istis commodius, & panem pro Eucharistia præparatum, & communem pro suo usu habere poterant. Alia porro argumenta nobis suppeditat Sanctus Gregorius Magnus Dialogorum plerisque in locis. Et quidem lib. 2. cap. 23. non Azymus panis erat ille, quem S. Pater Benedictus pro Virginibus excommunicatis offerendum dedit; Panes enim, vel pauperibus destinati, vel pro munere dati Monachis, ut ad se venientibus offerri possent, *oblationes* nuncupabantur, sic Mannæ solitario per hebdomadam unusquisque oblationes transmittebat teste eodem Gregorio Dialog. lib. 3. cap. 26. ex oblationibus ejusmodi, quæ Fermento conditæ erant, utpote alendo corpori destinatæ Benedictus jussit Saceificinm offerri: *manu sua protinus oblationem dedit dicens: ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & ulterius excommunicatæ non erunt*: item Gregorius ibid. lib. 4. cap. 55. quod Presbyter ad balnea iturus duas secum oblationum coronas detulit dandas homini, qui inter lavandum ministrabat: *at ille mærens, afflictusque respondet, mihi ista quare das, Pater, iste Panis Sanctus est, ergo hunc manducare non possum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, & pro peccatis pro me intervenias*. Est ne credibile Azymos Panes a Presbytero datos esse gratulandi caussa? Panes igitur erant cibo destinati, atque ita fermento conditi.

Alia argumenta in Cardinalis opinionem roborandam ex Gregorio Magno.

(2) *Frustulo ex pane communi decerpto*) Idem postea an. 787. confirmavit Hadrianus Papa I. per Legatos suos, *quos* (inquit Annalista Mailrosensis ad dictum annum apud Thomam Galæum Hist. Anglic. Script. Tom. 1. pag. 132.) *in Britanniam direxit, ut fidem Catholicam innovarent, & confirmarent*: in Synodo itaque Calchutensi Regni Merciorum per ipsos congregata can. 10. Anglis præceptum est, ne crustam panis, sed panem ad Altare offerrent. Vide de hac Synodo Spelmanni Concil. Britan. Tom. 1. pag. 219. & Labbei Conc. Tom. VI. col. 1861.

§. XV.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Cur Photius Azyma Latinis non objecerit. Aliquot de hoc silentio conjecturæ. An olim Azymi, vel Fermentati indifferens usus fuerit.

SEdente Nicolao I. Pontifice Maximo Græcorum Schisma adversus Latinos exortum est, curante Photio viro improbo & turbulento, qui Sancto Ignatio e Sede Patriarchali injuste deposito thronum Constantinopolitanum invaserat. Hoc autem divortium ne temere, & absque consilio fecisse videretur, magno ardore Latinos insectatus est, & illis tanquam gravissima cri-

 mina

Varia Photii in Latinos objecta enarrantur, inter quæ Azyma non recensentur.

mina objecit quæcumque in eorum ritibus, & disciplina a moribus Græcorum discrepabant. Eos itaque reprehendere cœpit, quod Sabbatis jejunarent, quod uxores Presbyteris prohiberent, quod iisdem Presbyteris non permitterent Chrismate baptizatos linire, quod Clerici barbas raderent, quod octo hebdomadas ante Pascha non observarent, quod agnum Judæorum ritu in Altari offerrent, & benedicerent, quanquam id falso objiceret, & si quæ sunt alia ejusdem generis, quæ Michael & Basilius Imperatores ad Nicolaum Papam, hic ad Hincmarum, & ad alios Galliæ Antistites misit discutienda, & refellenda: de qua re extat ejusdem Hincmari Epistola ad Odonem Episcopum Bellovacensem *edita Tom. II. Operum ejus pag.* 809. De Azymis autem nec verbum quidem, cujus silentii quænam sit causa non satis liquet. Quidam putant vivente Photio nondum in Ecclesia Latina Azymi usum viguisse, alioquin hanc objectionem non omisisset, qui & leviora Latinis objecit, & falsa etiam crimina per calumniam imposuit. Quod si quis contendat ex Photii silentio nihil concludi, cum sit argumentum pure negativum; respondeo me nolle hoc loco de vi hujus argumenti odiosam texere disputationem; sed summopere optarem, ut causa mihi assignaretur motæ postea de Azymis controversiæ. Non enim video cur Michael Cerularius Photii post duo secula Successor tanta acerbitate ea de causa in Latinos invectus sit. Alii qui Græcos Fermentato uti cœpisse autumant, cum a Latinis recesserunt, se ab hac difficultate citius expediunt: ajunt enim non potuisse Photium Azyma impugnare, quibus tam Orientales, quam Occidentales tunc utebantur. At nos hujusmodi opinionem §. VII. explosimus, ubi evidenter ostendimus communem fuisse apud Græcos usum Fermentati, cum Photius ab Ecclesia Romana defecit. Alii denique existimant noluisse Photium de Azymis cum Latinis contendere, quia omnino indifferens credidit aut Azymo, aut Fermentato uti, cum uterque panis sit. Et hæc quidem probabilis ratio est; sed an revera silentium Photii ex ea ortum sit, divinare non possumus. Ipso vivente aliquot Ecclesias Occidentales Azymum panem obtulisse, ex his quæ pro seculo nono allata a nobis sunt, credibilibus indiciis palam fit, de usu autem universali non constat: quapropter fieri potuit, ut hanc criminationem adversus Latinos prætermiserit, aut quia ab illis ea consuetudo nondum ubique recepta erat; aut quia in usu Azymi nullum inconveniens agnovit, cum sit verus, & perfectus panis. Nihil igitur certi ex silentio Photii concludi potest. Cur vero tacente ipso Romanæ Ecclesiæ hoste, & impiæ perduellionis Auctore, tanto deinde strepitu Michael Cerularius vociferatus sit, totque tragœdias excitavit, adeo ut Latinos hæreticos azymitas nuncuparit, nemo nos docet. Nec ullus veterum Patrum occurrit, qui de mutatione Fermentati in Azymum, aut Azymi in Fermentatum disserat, & originem diversæ consuetudinis sedulo inquirat. Nullum item Decretum, nulla lex reperitur, quæ vel Azymum, vel Fermentatum præcipiat. Ex quo valde probabile, & credibile fit majores nostros, octo saltem, vel novem prioribus seculis, nullum posuisse discrimen inter Azymum, & Fermentatum; sed pro diversa locorum, & temporum occasione alterutrum indifferenter obtulisse: Hanc vero indifferentiam comprobare mihi videtur prisca consuetudo, quæ diu viguit in Ecclesia: nam ut supra tradidi cap. 18. §. 9. Episcopo sive Presbytero solemniter celebranti omnes qui aderant Episcopi, & Presbyteri simul celebrabant, & ejusdem Sacrificii participes erant, sicut nunc fit, cum novi Sacerdotes consecrantur. Idemque honoris gratia, ac in signum Catholicæ Communionis servari solebat, cum Græci apud Latinos, Latini apud Græ-

Neque obstat quod ex hoc Photii silentio de Azymis nihil concludi videatur.

Cur enim id tacuerit incompertum est, & cur longo post ipsum tempore tam dire insurrexerit Michael Cerularius nemo docet.

Quare concludendum quod olim sive in Azymo, sive in Fermentato celebratum fuerit, indifferens fuisse.

Græcos veluti hospites & advenæ diversabantur, cujus rei multa profert exempla Christianus Lupus in Dissertatione de actis Leonis IX. cap. 14. Quo posito dicendum est, aut nullum olim fuisse panis discrimen in Ecclesia: aut Græcos apud Latinos in Azymis, & Latinos apud Græcos in Fermentato indifferenter communicasse, ut Lupus ibidem observat. Latinos ritus detestari cœperunt Græci post Cerularii Schisma, at Ecclesia Romana ab odio in Græcos Orthodoxos semper aliena fuit, & Summus Pontifex etiam hodie eos fovet, & diligit, eosdemque Romæ in Fermentato consecrare permittit.

§. XVI.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

De Fermento, quod olim Pontifices ad Ecclesias Urbis mittebant, fuisse revera Sacramentum, & cur Fermentum diceretur.

Referuntur Decreta Pontificum Melchiadis, Siricii & Innocentii de Fermento ad Ecclesias misso, de quo variæ eruditorum sententiæ.

SEd revertor ad Fermentatum, ad quod comprobandum præteriri non debent Romanorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii decreta. De Melchiade, hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.* De Siricio hæc scripta sunt. *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum.* Innocentius vero Epist. ad Decentium cap. 5. sic scribit: *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam.* Hæc Innocentius, clarius explicans quæ a Siricio, & Melchiade statuta sunt. Ad statutum autem Melchiadis hæc in scholiis suis ineditis addit Petrus Episcopus Urbevetanus. *Diebus enim Dominicis mittebat Romanus Pontifex per titulos Urbis Fermentum confectum ab ipso per suos Acolythos, ut a communione ejus plebs non putaret se separatam, quia recipiebat Corpus Christi de Fermento ab ipso consecrato. Ad Ecclesias autem cœmeteriorum extra Urbem positas non mittebatur, quia Sacramenta longe deferri non possunt.* Hunc vero morem non deferendi in cœmeteria quidam putant fuisse postea abrogatum; quia in Vitis Pontificum a Joanne III. constitutum legunt, ut oblationes, & amulæ, vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Et Gregorius III. disposuisse dicitur, ut in cœmeteriis circumquaque positis luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas. At hi Pontifices nullam consecrationis mentionem faciunt, nomen autem oblationis pani oblato ad usum Sacrificii tribui quoque solebat, antequam a Sacerdote consecraretur.

Fermentum sic dictum Eucharistiam fuisse, & non Eulogias, probatur.

Fermentum vero Melchiadis, & Siricii Eucharistiam fuisse, & non Eulogias, ut vult Baronius, ex ipsorum verbis manifeste deducitur; loquuntur siquidem de pane consecrato, non de Eulogiis, quibus consecrationis nomen aptari nequit. Et Innocentius rationem reddens, ob quam illud Fermentum non mittebatur extra Urbem, *quia*, inquit,

non longe portanda sunt Sacramenta (1). Neque obstat quod nomen Sacramenti aliquando ad Sacramentalia extendatur, nam ex scopo hujus missionis, & ex aliis circumstantiis liquido constat Sacramenti nomen hoc loco non metaphorice, aut in laxiori significatione, sed proprie, & in strictiori sensu esse sumendum: Eulogias enim longe deferri nullum erat inconveniens. Ideo de Eucharistia hoc statutum intellexerunt Claudius Espencæus lib. 2. de Adorat. Euch. cap. 4. Lupus, & Mabillonius in suis Dissertationibus, ille cap. 9. hic 10. Mittebant Pontifices Sacramentum ad Ecclesias Urbis in signum unitatis, & mutuæ communionis; unitas enim tessera est Orthodoxæ fidei, propter quam in Symbolo unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam nos credere profitemur. Baronius anno 313. agens de rebus Melchiadis nunquam ait se potuisse adduci, ut crederet Fermenti nomen tributum aliquando Eucharistiæ, *quia*, inquit, *notissimum est Romanam, ac simul Occidentalem omnem Ecclesiam nonnisi in Azymo pane consuevisse Eucharistiam conficere*. At nos satis evidenter ostendimus non solum hoc notissimum non esse, sed e contrario multis indiciis haud contemnendis probavimus usum Fermentati diu in Occidente viguisse: ideoque credimus Fermenti nomen a prædictis Pontificibus Eucharistiæ tributum, quia in pane Fermentato conficiebatur. Narrat ibidem Baronius viros eruditos in hac re elucidanda admodum laborasse, & inter alios Latinum Latinium, a cujus sententia ait se dissentire. Optavi sane, cum primum hæc scriberem, Latinii de hoc Fermento Dissertationem, si forte extaret, videre; sperabam enim me aliquid in ea reperturum, quo res obscurissima utcumque posset elucidari. Cumque aliquando de hoc colloquerer cum viro humanissimo, rerumque omnium præsertim Ecclesiasticarum notitia maxime imbuto Francisco Maria Brancatio S. R. E. Cardinali, & Episcopo Viterbiensi, se prælo paratam habere dixit secundam partem Epistolarum ipsius Latinii ex suæ Ecclesiæ Bibliotheca mox edendam studio Dominici Macri ejusdem Canonici, & Theologi notæ eruditionis, inter quas erant Latinii, & Antonii Augustini de Fermento opiniones duabus Epistolis alterius ad alterum expressæ, quas protinus ad me mitti curavit. Et Latinius quidem ad ipsum Augustinum tunc Episcopum Ilerdensem scribens putat Fermentum, de quo agitur, verum Sacramentum Eucharistiæ omnino fuisse, quod cum legissem gavisus sum me in eam sententiam venisse, quæ dudum homini doctissimo placuerat, eique propterea firmius adhæsi. Cur vero Fermenti nomen ipsi Sacramento tributum sit, expendens Latinius duas causas comminiscitur, quæ pace tanti viri mihi prorsus absurdæ, & a moribus illorum temporum ex toto alienæ visæ sunt. *Appellabatur autem Fermentum*, inquit, *non quia aliquid haberet commune cum Fermento, quo utimur ad panem Fermentandum, sed ea fortasse ratione, vel quia velut massa, & conspersio esset utriusque partis Sacramenti, Corporis videlicet & Sanguinis ita mixta, ut nullo modo separari posset. Vel quia eadem ipsa massa proprie Fermenti vicem obtineret in alia majori massa Fermentanda, quæ satis esse posset ad populum cujusque tituli communicandum*. Hanc vero mixtionem eo consilio factam arbitratur, ut Manichæi, qui a vino abhorrebant, detegerentur: nam mittens Pontifex illud Fermentum Presbyteris præcipiebat, si Latinio credimus; *ut per eosdem Presbyteros plebi universæ astanti diligentissime declararetur Fermentum illud a Summo Pontifice confectum & consecratum cum admixtione utriusque speciei eo consilio fuisse, ut qui cum Catholica Ecclesia sentirent, & in ejus communione manere vellent, dum illud sumerent, profiterentur se sub specie panis & vini simul mixta Eucharistiam accipere, & tam panis, quam* vini

Ita & senserunt Cl. Espencæus, Lupus, & Mabillonius.

Atque ideo sic dicta Eucharistia, quia in Fermentato pane conficiebatur.

Latini Latinii de fermenti vocis expositione sententia Cardinali Bonæ non admodum accepta.

vini Creatorem Deum agnoscere, & non Principem tenebrarum, ut de vino in Creatoris omnium injuriam Manichæi blasphemi asserebant. At missum ex hoc motivo Fermentum, nec ex Actis Melchiadis & Siricii, nec ex Epistola Innocentii ulla ratione colligi potest. Nulla item assertæ mixtionis utriusque speciei apparet necessitas ad detegendos Manichæos; cum enim tunc sub utraque specie fideles communicarent, multo facilius deprehendi poterant, si a Sanguinis poculo per Diaconum porrecto abstinerent; quo indicio sub Leone Magno eos proditos *ex ejus sermone* 4. *de Quadrag.* constat. Nihil etiam legimus in Scriptoribus illorum temporum, quo Latinii conjectura inniti queat. Deinde mixtio Corporis, & Sanguinis tunc inaudita fuit, & a moribus ac ritibus Ecclesiæ omnino per illa tempora dissidebat, ut Lib. II. palam fiet, cum de communione intincta disseremus. Porro ad Latinii Epistolam breviter respondens vir solidæ doctrinæ & eruditionis Ant. Augustinus, suamque de hoc Fermento opinionem exponens, missum a prædictis Pontificibus panem consecratum asserit, cum negari non possit quod illi clarissime dicunt; sed ex præconcepta sententia de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina putat *Fermenti appellationem non veram esse, sed usurpatam, & qua vulgus uteretur pro Azymis illis sinceritatis & veritatis; inde fortasse appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua læti omnes participes fierent sacræ mensæ post longam quadraginta dierum inediam, eadem verba de Fermento audirent, & pro Græco Azymorum verbo, Latino uterentur contrariæ significationis.* At hinc videre licet magnos quoque viros errori obnoxios esse, cum alicui opinioni ab infantia adhærentes antiquos ritus ad illam expendunt & accommodant.

Ita etiam Antonii Augustini confimilis opinio.

Nam quid magis alienum a communi usu loquendi, quam quod nomen Fermenti pro Azymis accipiatur? Quia nimirum in die Paschatis audiebant fideles, *epulamini non in Fermento malitiæ & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis;* idcirco Eucharistiam contraria significatione vocabant Fermentum. Neminem futurum credo, cui hoc suaderi possit. Cæterum Epistolæ Latinii & Augustini editæ jam sunt *parte* 2. *Epistolarum ipsius Latinii pag.* 166. *& sequentibus* (2). Diversa ab his est Sirmondi (2)
sententia, qui Eucharistiam ex eo Fermentum a prædictis Pontificibus dictam existimat, non quod ex pane Fermentato esset, sed quod ipsa, quocunque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur, Fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut Fermentum massæ, cui commiscetur. At nihil vetat, quin utrumque verum sit, & Eucharistiam Fermentum dictam, quia revera ex Fermento erat: & symbolice etiam Fermentum nuncupatam, quod signum sit unitatis, & vinculum charitatis (3). (3)

(1) *Non longe portanda sunt Sacramenta*) Vide de hoc superius in §. VIII. Editionis Romanæ Notam I. ante medium.

Alii Authores qui hanc Fermenti vocem non Eucharistiam, sed Eulogias significari volunt.

(2) *Pag. 166. & sequentibus*) Non pauci, & alii ante, & post Baronium hanc sententiam amplexati sunt, arbitrantes *Fermentum* illud non Eucharistiam, sed Eulogias, seu panem benedictum fuisse, de quibus infra in fine hujus Capitis, & alibi. In his Anselmus Episcopus Havelbergensis, qui lib. 3. Dialogor. cap. 15. ait: *Constitutum hoc Romanorum Pontificum Melchiadis, & Siricii non de fermentata hostia, sed de Eulogiis potius intelligendum videri, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesias distribui jubentur.* Ita etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus Epist. 7. ad Bohemos. Hi ante Baronium; post ipsum vero Severinus Binius in Notis ad Melchiadis, & Innocentii Epistolas, Theophylus Raynaudus in suo Candelabro Sancto Divinæ Mensæ Sect. 4. cap. 2. §. 3. num. 22. Operum Tom. VI. pag. 153. Franciscus Macedo Disquis. Theolog. de Ritu Azymi, & Fermentati cap. 11. Antonius Dadinus Altaserra in Notis ad Anastasii Vitas Pontificum, ubi de Melchiade, & Siricio. Et Joannes Cabassutius in sua Notitia Ecclesiast. Sec. II. Dissert. 12.

(3) *Et vinculum Charitatis*) Novam porro interpretationem hujus vocis *Fermenti* affert Honoratus a S. Maria Tom. II. Animad. in regulas, & usum critices lib. 4. Dissert. 4. art. 3. ubi dicit Fermenti nomine non-

Eucha-

Notatur etiam nova Cl. Honorati a S. Maria de eadem fermenti voce sententia.

Euchariſtiam, ſed potius Euchariſtiæ materiam intelligendam eſſe, panem ſcilicet, & vinum, ac luminaria, quæ neceſſaria ſunt ad Miſſæ celebrationem. Ducit hanc ſuam conjecturam ex Decretis ſupra allatis Joannis III., & Gregorii III. At non video, quomodo hæc conjectura ſubſiſtere poſſit; nulla enim in his relatio, aut connexio cum ſtatutis Melchiadis, Siricii, & Innocentii, in quorum primo *Oblationes conſecratæ* dicuntur; in ſecundo *Fermentum* ab Epiſcopo miſſum *conſecratum* dicitur, & in tertio *Sacramenti* nomine nuncupatur. Joannes vero, & Gregorius in ſuis Conſtitutis nullam hujuſmodi conſecrationis mentionem faciunt, nec etiam has oblationes Fermenti nomine donant. Præterea, ut optime notat Emin. Author, Oblationis nomen pani ad uſum Sacrificii a Fidelibus oblato tribui quoque ſolebat, antequam a Sacerdote conſecraretur. Quare certo certius conſtat Fermenti nomine ipſam Euchariſtiam, non ejuſdem materiam, uti perperam Pater Honoratus arbitratur, intelligendam eſſe, quidquid cum ipſo mox relati Authores contrarium ſentiant; nobis enim nedum graviora ſavent rationum pondera, ſed & emunctioris critices viri, ut vidimus, ſuis votis ſuffragantur.

§. XVII.

Utpote concordans in omnibus, & per omnia cum §. IX. Edit. Romanæ, omittitur.

§. XVIII.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Solutio controverſiæ de Azymo, & Fermentato arbitrio Lectoris remittitur. Nihil in ea certi, nihil de fide eſſe. Si uſus Azymorum perpetuus non fuit, quando, & qua occaſione introductus ſit. De panis Euchariſtici forma, & figura.

QUæcunque vero hactenus in hoc capitulo ſcripta ſunt, obſecro, ut attento animo, & a præjudiciis opinionum libero expendat Lector, & quænam verior, ac potior opinio ſit, judicet pro ſuo arbitrio.

Hæc controverſia de Azymo, ac Fermentato conſimilis illi de jejunio Sabbati inter Græcos & Latinos olim agitata.

Similis controverſia inter Græcos, & Latinos diu agitata eſt de jejunio Sabbati, contendentibus Latinis oportere Sabbato jejunare, Græcis autem negantibus, quorum in hoc conſuetudini Eccleſia Mediolanenſis adhærebat. Diſſerit hac de re docte, & prolixe Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum, cujus profunda ſapientia in ejuſdem quæſtionis ſolutione mirabiliter elucet. *Quod ſi*, inquit, *reſpondetur hoc docuiſſe Jacobum Hieroſolymis, Epheſi Joannem, cæteroſque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, idest ut Sabbato jejunetur; ſed ab hac doctrina terras cæteras deviaſſe, atque in ea Romam ſtetiſſe: & e contrario refertur Occidentis potius aliqua loca, in quibus Roma eſt, non ſervaſſe quod Apoſtoli tradiderunt; Orientis vero terras, unde cœpit ipſum Evangelium prædicari; in eo quod ab omnibus ſimul cum ipſo Petro Apoſtolis traditum eſt, ne Sabbato jejunetur, ſine aliqua varietate manſiſſe; interminabilis eſt iſta contentio generans lites, non finiens quæſtiones. Sit ergo una fides univerſa, quæ ubique dilatatur, Eccleſiæ tanquam intus in membris; etiamſi ipſa fidei unitas quibuſdam diverſis obſervationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum eſt, impeditur.* Et paucis interjectis: *ſi autem de hac re ſententiam meam quæris, ego in Evangelicis, & Apoſtolicis literis, totoque inſtrumento, quod appellatur teſtamentum novum, animo id revolvens video præceptum eſſe jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum non invenio definitum. Ac per hoc ſentio ad ſignificandam requiem ſempiternam; ubi verum eſt Sabbatum, relaxationem, quam conſtrictionem jejunii aptius convenire. Veruntamen in hujus Sabbati jejunio, ſive prandio nihil mihi videtur tutius, pacatiuſque ſervari, quam ut qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui*

non

non manducat, manducantem non judicet: custodita scilicet eorum, inter quos vivimus, in his rebus inoffensa societate. Hactenus Augustinus, cujus verbis nihil aptius ad controversiam de Azymo, & Fermentato dirimendam, si ad hanc referantur, ut referri optime possunt, quæ de jejunio Sabbati ille scripsit. Par utriusque ratio, par causa est, nihil enim in his de fide, nihil contra fidem: neutra pars certa, neutra falsa dici potest, neutra censuræ obnoxia est. Quid hodie servandum sit, omnes sciunt: quid olim actum fuerit, incertum est. Sed sive Azymum, sive Fermentatum, sive utrumque oblatum sit, res facti est, ad ritum spectans, non ad fidem, ut satis superque ex dictis in hac disquisitione omnibus persuasissimum esse non dubito. Cæterum si usus Azymorum in Romano Patriarchatu perpetuus fuit, nihil ulterius quærendum: si vero perpetuus, & ubique receptus ab initio non fuit, inquirendum videtur quo tempore, & qua occasione introductus sit. Et quidem quod ad tempus attinet, non est improbabile ad illud referri posse, quod inter Photium, & Cerularium intercessit. Licet enim vivente Photio jam in quibusdam Latinis Ecclesiis Azymi usus vigeret; ab omnibus tamen & ubique receptum fuisse non constat, nisi cum illis tanquam crimen a Græcis Schismaticis opponi cœpit. Occasionem vero non sine manifestis indiciis inde natam arbitror, quod cum paulatim Fidelium sacro assistentium, imo & Clericorum communio desierit; sufficeretque modicus panis pro Celebrantis & Ministrorum in Missis solemnibus communione; in privatis vero pro solo Sacerdote; cumque populus alicubi vel panem non offerret, vel minus aptum ad Sacrificium, sensim factum est, ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur, ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes & Clericos pertineret: & quia Azymus facilius parabatur, nec ullo Canone vetitus erat, hic Fermentato substitui cœpit, & per omnes Ecclesias paulatim propagari. Sed hæc clariora evadent, si altius perscrutemur, quænam olim panis consecrandi forma seu figura fuerit, & quomodo ad eam, qua nunc utimur, deventum sit. A primis autem Ecclesiæ seculis sumpto principio, cum dira persecutione per illa tempora vexaretur Ecclesia, integros ac solidos panes quales vel præ manibus erant, vel a fidelibus offerebantur, cujuscunque formæ seu figuræ forent, in altari poni, & consecrari, atque in partes comminui, & communicaturis distribui consuevisse, ex re ipsa exploratissimum est. Reddita vero pace servatam figuram rotundam sive orbicularem insinuant Patres Græci, & Latini. Epiphanius *in Ancorato num.* 57. loquens de pane, qui in Corpus Christi convertitur, agnoscit in eo rotunditatem. Cæsarius Nazianzeni frater *Dialogo* 3. *de Fide Cathol. interrog.* 169. comparans Corpus Christi inter nos degentis cum eodem in Sacramento sub specie panis existente, illud ait esse artubus compositum, hoc rotundum. Severus Alexandrinus in *ordine Missæ* hostiam circulum appellat. Eamdem rotunditatem astruunt Patres Concilii XVI. Toletani supra citati. Gregorius *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 55. refert Presbyterum quemdam duas secum oblationum coronas detulisse. Oblationibus autem coronæ nomen inditum a rotunditate notat Petrus Urbevetanus in Scholiis ad vitam Zephirini Papæ, qui ibidem constituisse dicitur, ut coronam consecratam de manu Episcopi acciperet Presbyter tradendam populo. Iso Monachus de miraculis S. Othmari Abbatis cap. 3. rotulas panis vocat Oblatas, quæ in ejus sepulchro mirabiliter repertæ sunt. Hanc ipsam figuram confirmant picturæ, quæ in antiquis Codicibus MSS. & in parietibus veterum Ecclesiarum non alia forma, quam circulari easdem Oblatas repræsentant. Cruce quoque ac nomine Jesu Christi Salvatoris nostri signatas fuisse testantur Goar *in Notis* ad

Par etenim utriusque ratio, & causa; nihil in his de fide, nihil contra fidem, neutra pars certa, neutra censuræ obnoxia.

Panis Eucharistici consecrandi forma & figura olim rotunda sive orbicularis, sicuti etiamnunc, observata.

ad Euchologium pag. 117. Arcudius *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 38. & Sirmondus *de Azymo cap.* 4. earumque formas æri incifas exhibent. Diverfos vero fuiffe in diverfis Ecclefiis Oblatarum characteres, ex Concilio Arelatenfi V. difcimus, quod anno 554. celebratum fuit; nam c. 1. ftatuit, *ut oblatæ, quæ in facro offeruntur Altario, a Comprovincialibus Epifcopis ad formam Arelatenfis offerantur Ecclefiæ*: non pro cujufque arbitrio fignatæ, feu formatæ. At progreffu temporis pro figno Crucis, & Jefu nomine aliæ effigies inductæ funt, in Azymis præfertim, quibus hodie utimur, Chrifti fcilicet Crucifixi, vel ad columnam alligati, vel e fepulchro emergentis, & refurgentis, quas ex diverfis partibus Orbis fibi transmiffas Aloyfius Novarinus profert in Agno Euchariftico *cap.* 69. Quo vero tempore cœperint hoftiæ ea forma cudi, quæ nunc paffim viget in omnibus Ecclefiis Occidentalibus, ex Scriptoribus, qui poft annum Chrifti millefimum floruerunt, inveftigandum eft.

§§. XIX. & XX.

EX EDITIONE PARISIENSI BILLAINEANA.

Cum in omnibus, & per omnia §§. XI. & XII. Editionis Romanæ una fimul refpondeant; omittuntur.

CAP. XXIV.

De Sacris indumentis Sacerdotum, Pontificum, & Miniftrorum. Peculiares veftes, eafque pretiofas Sacrum agentibus in ufu femper fuiffe. Quis olim earum color. Locus, in quo condebantur, ejufque nomina. Diaconicon, Scevophylacion, Paftophorion, Veftiarium, Salutatorium. De fingulis veftimentis feorfum agitur.

§. I.

De facris indumentis Sacerdotum, Pontificum, & Miniftrorum. Peculiares veftes, eafque pretiofas Sacrum agentibus in ufu femper fuiffe. Quis olim earum color.

Sacrarum veftium ufus in divino Altaris minifterio ex veteri Teftamento ab Ecclefia defumptus.

SAcerdotem Sacris operaturum non communi, & quotidiano habitu, fed alio peculiari, & auguftiore uti oportere, notiffimum eft, quem ritum Catholica Ecclefia ab Apoftolis acceptum ufque ad noftram tranfmifit ætatem, quamvis in veftium numero, & forma aliquid fuerit fucceffu temporis immutatum. Præcefferat hujus rei typus in veteri Teftamento, nam Sacerdotibus, & Levitis fpecialia veftimenta certis ritibus, & cæremoniis confecrata in ufu erant, cum legales Deo victimas immolabant; quorum antitypum in Ecclefia reperiri congruum fuit, ut habeant legales umbræ aliquid fibi refpondens non folum in cœleftibus exemplaribus, ad quæ juffit Deus omnia fieri; fed etiam in rebus noftris, quæ, ut ait Dionyfius in Ecclefiaftica Hierarchia, partim funt typi cœleftium, partim Mofaicarum umbrarum corpora, teftante Apoftolo *ad Hebr.* 10. quod habuerit lex umbram futurorum. Imo etiam in lege naturæ propria fuiffe Sacerdotibus indumenta, cum Sacrificia Deo offerrent, Auctores graves afseverant: & Rupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitienfis cap.* 16. poftquam dixit juri primogeniti annexam fuiffe Sacer-

Sacerdotii dignitatem, ad ipsum spectasse putat vestes Esau valde bonas, quibus Rebecca induit Jacob, cum simulans fratris personam benedictionem ei surripuit. Huc autem pertinet Penula a Paulo Troade relicta, quam fuisse vestem sacerdotalem suo loco indicabo. Huc lamina, seu Mitra Episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus auctor est apud Eusebium *lib.* 3. *hist. cap.* 31. (1) (1)
Huc infulæ, quarum meminit Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* 12. Huc querelæ Optati Milevitani de profanatis a Donatistis Ecclesiæ ornamentis. Huc Stephani I. Decretum, qui, ut ait Anastasius, Sacerdotes, & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi tantum in Ecclesia, constituit. Huc tunica, qua Presbyter Nepotianus in ministerio Christi utebatur, quam sibi relictam Hieronymus scribit *in Epist. de ejus morte ad Heliodorum*. Huc ejusdem Hieronymi testimonium in cap. 44. Ezechielis, ubi ait: *Religio Divina alterum habitum habet in ministerio Altaris, alterum in usu, vitaque communi*. Huc denique exempla Divinæ ultionis referenda adversus eos, qui sacris vestibus abusi sunt, qualia legimus *lib.* 1. *Wandalicæ persecutionis*, apud Victorem de Proculo, qui cum Divina ministeria, & Ecclesiæ ornamenta profanasset, sibi linguam frustatim comedens turpissima morte consumptus est: & apud Theodoretum *lib.* 2. *hist. Eccl. cap.* 27. de Thymelico saltatore, qui vestem sacram in theatro gestans expiravit (2). Serica autem, atque (2)
Serica autem, atque auro, argentoque contexta hæc indumenta sacra ut plurimum fuisse.
auro, argentoque contexta hæc indumenta ut plurimum fuisse, præsertim post Constantinum, ex Vitis summorum Pontificum apud Anastasium, qui eorum donaria recenset, & ex aliis Scriptoribus haud obscure colligimus: neque enim credimus aliquid vile, aut indecorum Divini Sacrificii usibus adhibuisse Fideles, qui omnia ad ipsum spectantia summa, & incredibili veneratione prosequebantur. De colore nihil memini me legisse, nisi quod candidi in festis Paschalibus mentio fit a Gregorio Turonensi in vita Sancti Nicetii Lugdunensis Episcopi: & nigri a Theodoro Lectore, qui *lib.* 1. *Collectan.* refert Acatium Constantinopolitanum seipsum, & Sedem, & Altare nigro amictu operuisse in signum mœstitiæ ob impium Edictum adversus Synodum Chalcedonensem a Basilisco Imperatore anno 476. promulgatum (3). Hieronymus quoque *lib.* 1. *ad-* (3)
versus Pelagianos candidæ vestis usum commemorat dicens, *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus in administratione Sacramentorum candida veste processerint?* Fidelium vero tanta fuit, ut dixi, erga ipsas vestes, & pallas Altaris reverentia, ut mulieribus eas contingere vetitum sit c. 37. Concilii Antissiodorensis, imo nec ingredi quidem in Secretarium, in quo illæ conservabantur, nisi soli Ministri sacrati poterant, sicut præcipit canon 66. Concilii Agathensis. Et ne quis auderet in proprios usus eas transferre, aut aliis vendere, vel donare, idque sub pœna excommunicationis prohibuit Concilium III. Braccarense *can.* 2.

(1) *Polycrates Ephesi Episcopus* (in Epistola ad Victorem I. Papam) *author est apud Eusebium lib.* 3. *Hist. cap.* 31.) Et lib. 5. cap. 24. Hieronymus in lib. de Script. Eccl. Epiphanius in Hæresi Nazaræorum, & ad Her. 78. de S. Jacobo Hierosol. Episcopo; Rufinus, aliique observati a Valesio in notis ad Eusebium, qui etiam addit idem de S. Marco Evangelista fuisse traditum a Scriptore passionis ejusdem; verba ejus hæc sunt: *quem quidem B. Marcum juxta ritum carnalis Sacrificii Pontificalis apicis petalum in populo gestasse Judæorum, illustrium virorum Syngraphæ declarant: ex quo manifeste datur intelligi de stirpe eum Levitica, imo Pontificis Aaron sacræ successionis originem habuisse.* Et quidem Petavio, & Valesio post Baronium probabile videtur primos illos Christianorum Pontifices,

tifices, Judaicorum Pontificum exemplo hoc honoris insigne gestasse. Basnagius tamen Calvinianæ Sectæ Minister in Annal. Polit. Eccl. ad annum Christi 33. n. 189. Epiphanii testimonium tamquam solitarium respuit; & Polycratem de spirituali, ac mystica bractea, nimirum pro Joannis & fide auro pretiosiore, & virtutibus, quibus veluti diademate redimitus Sanctus ille Apostolus fuit, intelligendum esse contendit, existimans Apostolos, Episcoposque auream non gestasse bracteam, quæ a conditione, & eorum paupertate maxime fuisset aliena; quin etiam, inquit, aurea hæc bractea, quæ sacrum Jacobi Caput coronasset, multo majori cura, ac veneratione a Hierosolymitanis Christifidelibus custodita fuisset, quam lignea sedes, cui Divinus ille vir insederat, quæ permagni æstimabatur, ac veluti pretiosum tanti Apostoli monumentum exhibebatur: addit Apostolos non nescisse Summi Judæorum Sacerdotis coronam a Deo fuisse Pontificalibus appositam ornamentis, ut Christi Pontificis nostri dignitatem adumbraret, utpote Regiam simul, & Sacerdotalem; quas præsente corpore figuras evanescere oportuit, ut non magis similes suo capiti imponere coronas debuerint Apostoli, quam aurea gestare granata Rationale. Accedit, quod si aureæ coronæ principio rerum Christianarum Apostolis, Episcopisque usui fuissent, eorum utique Successores ornatum hujusmodi retinuissent, quod nullo vestigio antiquorum monumentis reperimus: ad hæc cum Christiani non ignorarent, Ethnicos Sacerdotes aureas gestasse coronas, quod Tertulliano, Svetonio, Herodiano, aliisque memoriæ proditum est, laminam utique auream, quæ coronæ speciem induebat, prorsus repudiassent, vel ea sola ratione, quod dæmonum Sacerdotes coronis aureis uterentur. Hæc Calvinianus Scriptor.

Sudiose quidem ista, sed non satis apposite congessit eruditus Annalista, cui præivisse non sine admiratione scimus Clar. Hugonem Menardum in Notis ad Sacramentariū Gregorii. Epiphanii testimonium, ut solitarium, inique rejicitur; nam id ante Epiphanium Eusebius Cæsariensis lib. 5. cap. 24. Hist. Eccl. & Clemens Alexandrinus tradiderunt, si Epiphanio fidem habemus: *sed & bracteam* (inquit, *hær.* 29. *n.* 4.) *eidem in capite gestare licuisse, quos proxime nominavi, idonei Scriptores commentariis suis testatum reliquerunt*. Nec credibile videtur hujusmodi Scriptores a doctissimo Patre mala fide citatos. Non sane dissimulandum est in Eusebii, ac Clementis Operibus nihil de Jacobi bractea reperiri; Eusebius quippe laminæ tantum Joannis Evangelistæ meminit. *Sed perierunt certe*, (inquit Sausayus Panopl. Episc. lib. 1. cap. 3.) *nonnulli Eusebii libri, quos ipsemet in iis, quæ supersunt, ejus commentariis a se conscriptos memorat*: Clementis vero majorem Operum partem excidisse, minimamque superesse, facile ex ipso Eusebio, & Hieronymo colligi potest; item etiam ex Photio, Codice 109. & 111. difficultatem ab Apostolorum inopia petitam non moror, quam egregie dissolvit Card. noster supra cap. 5. Jacobi bracteam a Hierosolymitanis non fuisse cum lignea ejusdem sede pari cura, ac studio custoditam, palam inficiamur; siquidem Theodosius Hierosolymorum Patriarcha S. Jacobi Apostoli mitram, superhumerale, ac stolam Ignatio Constantinopolitano Patriarchæ donavit, ut discimus ex illius Epistola, quæ legitur Act. 1. Concil. VIII. generalis, & nos alias meminimus. Illud etiam necessarium non fuit, ut post Christi adventum omnes figuræ veteris Legis evanescerent; quis enim nesciat Apostolos, eorumque Successores multa a Judæis, plura ab Ethnicis esse mutuatos? Quidni etiam Pontificum veteris legis exemplo laminas aureas gestare potuerunt? At Menardus Tertulliani testimonium opponit scribentis libro de Corona milit. cap. 9. *Quis denique Patriarches, quis Prophetes, quis Levites, aut Sacerdos, aut Archon, quis vel postea Apostolus, aut Evangelizator, aut Episcopus invenitur coronatus*; Atqui hæc de Coronis Gentilium more compositis intelligenda veniunt, quorum ibi superstitiones enarrat, ac redarguit. Cæterum tam antiquus doctor ignorabat ne Aaronem pontificiam gestasse coronam, seu laminam auream?

Hugo Menardus cum Basnagio sentiens in hac parte observatus.

Porro Eminentissimus Annalium Parens, ut probaret, Successores Apostolorum mitra usos fuisse, profert Ammiani Marcellini testimonium referentis lib. 29. Histor. Firmum Maurum Africæ Tyrannum, qui pacem, ac veniam a Theodosio Romani exercitus Duce Magni Theodosii Patre impetraverat: militaria signa, & coronam Sacerdotalem cum cæteris, quæ intercæperat, nihil cunctatum restituisse: Baronio ad an. 34. num. 298. sane assentiri non possumus hæc pro mitræ voce producenti; Menardo tamen, & Basnagio non damus Marcellini verba de Sacerdotali Ethnicorum corona esse capienda; nam, ut recte Sausayus præfatus advertit, corona, quam Maurus ille Tyrannus cum Africam deprædaretur, rapuerat, restituta ab eo fuit, & missa Valentiniano Imperatori ejus jussu: *Militaria signa*, inquit Ammianus; *& coronam Sacerdotalem cum cæteris, quæ intercæperat; nihil cunctatus restituit, ut præceptum est*. At vero estne verisimile coronæ idololatræ Sacerdotis recuperandæ cupidum ita fuisse Theodosium, piissimum, & Catholicum Ducem, ac Valentinianum præfatum Imperatorem follicitum, ut antequam spem Mauro veniæ faceret, ad se remittendam omnibus modis præciperet? tantique fecisset impietatis Ethnicæ, quam ubique abolitam volebat, ac contendebat penitus excidere, sacrilegum monumentum; ut hoc fere singulari munere placatus barbarum venia omni indignum benigne habuerit? Videsis apud eumdem Sausayum alias rationes, quibus ostendit Sacerdotalem eam coronam fuisse Antistitis Christiani, sed de Mitra Episcopali latius infra §. XIV.

Card. Baronius item emendatus.

(2) *In theatro gestans expiravit*) Simile miraculum narrat Beda lib. 1. Histor. Anglicanæ cap. 29.

(3) *Anno 476. promulgatum*) Etsi pauca hic ab Eminentissimo Authore de Sacrarum vestium

ftium colore commemorata fufficiant ad indicandum illius ufum,& antiquitatem in Ecclefia; attamen nonnulla fubdere operæ pretium erit, tum ad majorem dictorum illuftrationem, tum ad retundendam impii Calviniftæ Dallæi audaciam, qui & in eumdem Ecclefiæ ritum procaciter invehitur in fuo maleparto Opere *De cultibus Latinorum religiofis* lib. 8. cap. 14., ubi hanc facram varietatis colorum obfervationem, *amœnam quidem, fed antiquis Chriftianis ignotiffimam effe*, impudenter affirmat, & folitis fuis putidis interrogatiunculis Catholicæ Ecclefiæ illudere audet temere perfcrutando de illius ufus antiquitate: *An illum,* ait, *quintuplicem pro colorum fcilicet diverfitate Miffarum ordinem notum, folemnemque habuerint Apoftoli? An Apoftolici viri? An Sanctiffimi ad Conftantini Imperium Martyres? An Græcæ, Latinæque poft illum Auguftum Ecclefiæ? An veri ad feculum decimum nepotes? Adverfarii nulla ipfi antiqua hujus documenta proferunt, neque (quod equidem animadverterim) ulla revera extant. Eft ergo* (audi magnum, & impudentem Ariftarchum) *& hæc colorum difciplina una ex Latinorum novitatibus.* Ita Blateronum omnium maximus irridens Cardinalem Bellarminum, quod antiquiffimos Authores ea de re non producat.

Joannes Dallæus Calviniſta confutatus.

Sed in anteceffum, & pro præliminari, numquid ignorare poterat procaciffimus in Catholicos Scriptor ifte, quod legitur in veteri Teftamento, feu Mofaica Lege, (quæ, ut optime obfervat Cardinalis nofter, Paulo Apoftolo teftante Epift. ad Hebræos cap. 10. habuit umbram futurorum in Lege gratiæ, Evangelica) cum Exodi 28. hæc habeantur de facris Sacerdotalibus veftimentis, eorumque colore, quæ Deus ipfe filiis Ifrael facienda mandaverat? *Facient veftimenta fancta fratri tuo Aaron, & filiis ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi; accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byffum*: atque toto capite, & alibi idem fæpe commemorat. Quodnam vero antiquius exemplar hujus rei produci poteft, dum fic a veteri Lege teftimonium habet Ecclefia, quæ ficut illa in facris fuorum Sacerdotum, & Levitarum indumentis byffi, purpuræ, & hyacinthi, & cocci colores habebat, ita & ifta confimiles quatuor colores principales, albi fcilicet, rubei, viridis, & violacei, feu nigri, quem cum dicto violaceo Innocentius III. de Myfteriis Miffæ lib. 1. cap. 65. confundere videtur, in fuis Altaris novi Teftamenti Miniftrorum veftibus, adhiberet.

Præterea quoniam cœcus eft, & cœcorum dux, in primis oculorum fide refellendus erit, deinde veterum teftimoniis: poffem eorum plura ex mufivis antiquis operibus proferre; fed ne nimius his immorer, unum palmare pro omnibus fufficiat. Ad facram Ædiculam S. Venantii prope fontem Baptifterii Lateranenfis, quem Joannes Papa IV. circa an. Domini 641. extruxit, ac Reliquias ejufdem S. Venantii, Anaftafii, Mauri, & aliorum Martyrum, quas de *Dalmatia, & Iftria adduci præceperat*, uti narrat Liber Pontificalis in ejus Vita §. 2. in ea recondidit, accedamus. Ædis abfidam, ac utrumque eidem latus conjunctum teffelato opere exornare Joannes cœperat; at morte præreptus non abfolvit, inchoatumque opus perfecit, qui in ejus locum fuffectus eft, Theodorus Papa. Itaque in hemicyclo abfidæ ad aquilonem primus occurrit ipfemet Joannes IV. ædiculam manibus fuftinens Pontificalibus indumentis ornatus, cujus planeta coloris cærulei eft, quæ violacei fubobfcuri colorem refert, pallium fuper planetam habet cum unica tantum cruce rubei coloris. Sequitur S. Venantius, qui item indutus eft cafula cærulei coloris, fupra quam oberrat ftola, five orarium albi coloris cum cruce rubra. In extrema autem hemicycli parte duæ item figuræ funt, quarum una S. Theodorus Papa creditur, alia vero, ut fert infcriptio, eft S. Domnio, utraque habet cafulam cærulei pariter coloris, five violacei fubobfcuri. Ad lævum abfidæ arcum teffelatæ figuræ confpiciuntur Sanctorum Pauliniani, Telii, Afterii, & Anaftafii. Ex his Afterius, utpote Presbyter, indutus vifitur cafula punicei coloris, feu rubri fupra albam. Cæteri veftes laicales, five militares habent. In alio latere quatuor item mufivæ imagines extant SS. Mauri, Septimii, Antiochiani, & Gajani. S. Maurus punicei, ut fupra, coloris cafulam geftat, fupra quam orarium album cum cruce rubei coloris intexta. Sanctus Septimius Dalmaticam talarem defert albi coloris lineis verficoloribus intertextam cum latis manicis; cæteri, & forma capillorum, & a veftibus ab iis diftinguuntur. De his omnibus vide Ciampinum vet. monum. Parte 2. cap. 15. pag. 105.

Defcribuntur ex veteribus monumentis varii facrarum veftium colores.

Sed & ampliora ad Dallæi petulantiam confodiendam proferamus; Honorii Papæ I. qui feculo VII. ineunte Petri Cathedram tenuit, alteriufque Pontificis Imagines mufivæ, quæ in hemicyclo abfidæ S. Agnetis extra Urbem via Nomentana adhuc vifuntur, planetas fufci coloris habent cum pallio fuperpofito ab humeris pendente, in cujus fafcia anteriori Crux nigra confpicitur. Uterque Pontifex Dalmatica talari albi coloris cum latis manicis indutus eft. Aurei porro coloris eft Planeta Pafchalis Papæ I., cujus imago mufiva confpicitur in abfida Ecclefiarum S. Cæciliæ, S. Praxedis, & S. Mariæ in Domnica; S. Gregorii Magni Imago in abfidula S. Andreæ ad Clivum Scauri, prout a Joanne Diacono ejus vitæ Scriptore exaratur lib. 4. cap. 84. delineata erat *cum planeta fuper Dalmaticam coloris caftanei*. Planeta etiam Gordiani, dicti S. Gregorii Patris caftanei coloris erat, ut ex eodem Joanne Diacono liquet lib. 4. cap. 83. S. Auguftinus Anglorum Apoftolus S. Livino difcipulo fuo Sacerdotio initiato circa an. Domini 600. ut refert Gofcelinus Monachus in ejus vita cap. 5. num. 48. apud Bolland. Maii Tom. 6. pag. 393. & Mabillon. fecul. Bened. pag. 455. num. 14. *Dedit in ipfa dilecti Difcipuli fui ordinatione dulciffimum pignus, & memoriale perpetuum dilectionis fuæ, cafulam videlicet purpuream gloriofi Martyrii præfagam, auro, & gemmis inftar meritorum prætextam*: vides rubrum colorem, feu purpureum veftibus facris, & in Martyrum folemnitatibus olim adhibitum

Plures referuntur antiquæ Imagines veterum Pontificum, & Sacerdotum, ac Diaconorum, qui a fexto feculo floruerunt, Planetis, & Dalmaticis varii coloris depictæ.

in

in Ecclesia? Chronographus Fontanellensis in vita S. Ansegisi Abbatis apud Mabillonium sec. IV. Bened. parte I. pag. 634. narrat ipsum S. Abbatem dicto suo Fontanellensi Cœnobio donasse circa an. 809. vestimenta Ecclesiastica *planetas*; *casulas quatuor*, *casulas item ex cindato indici coloris tres*, *viridis coloris ex cindato item tres*, *item rubei*, *sive sanguinei coloris ex cindato unam*, *blatteam*, *idest purpuream*, *item clasulam unam*. Ast quid in his colorum varietatibus recensendis immoror? Legendus hac de re Clar. Dominicus Georgius in sua Liturgia Rom. Pont. lib. 2. cap. 9. 10. 11. 12. & 13. ubi fuse de his, atque eloquentissime disserit.

Quibus sacris venerandæ antiquitatis ruderibus, nisi vetera omnia respuant, non habent quid reponant Sectarii.

Interim ad pauca, quæ raptim ex eodem, aliisque delibavimus, quibus adjungimus casulam S. Martini Episcopi Turonensis, quæ violacei coloris est in Codice Rabani Mauri Vaticano, seculo nono scripti, de quo infra uberius verba faciemus, & casulam aureis fimbriis exornatam S. Callisti Papæ, quæ item violacei coloris visitur musivo opere depicta in apside Basilicæ Transtiberinæ; quid reponet Dallæus, quid oggerent ejus asseclæ sacrorum omnium rerum irrisores? Nullane documenta antiqua de colorum varietate in sacris vestibus adhibita proferuntur? seculine decimi monumenta sunt, quæ de eadem hactenus produximus? Ignotine fuere varii hujusmodi colores Græcæ, Latinæque Ecclesiæ? Cum de Latina satis superque dixerimus, de Græca præter ea, quæ indicat hoc loci Eminentissimus Author, supradicti SS. Martyres in ædicula S. Venantii prope fontem Lateranensis Baptisterii, quos jam memoravimus, plenam fidem facient: cum Græci ipsi fuerint, & in Dalmatia obierint. Græci item Joannes IV. Papa natione scilicet Dalmata, & Theodorus item Papa, qui eamdem ædiculam exornarunt; neque vero aliis indumentis, aut eorum coloribus illos musivo opere exprimi curassent, nisi in Græcia usitatis; ut inde etiam illius nationis, & gentis eosdem fuisse dignosceretur. Præterea Justinus Imperator Græcus Joanne II. Romano Pontifice obtulit dona Beato Petro, inter quæ pallia olovera auro texta quatuor. Oloveræ vestes purpureæ dictæ sunt, quod ex mera purpura, & puro murice nulla alterius coloris mixtione inficiebantur; blatteæ de ea purpuræ specie dicebantur, quæ a colore concreti sanguinis, seu nigredine sanguinea ita appellabatur, minorisque pretii, ac quæ de purpura Tyria erant, uti notant Ezechiel Spanhemius Observ. ad Juliani Imp. Orat. I. pag. 307. & Gothofredus Comment. ad Cod. Theodos. lib. 10. tit. 20. ad Leg. 13. & 17. Item Basilius Macedo, & Leo Imperatores datis litteris plura dona Adriano Papæ II. circa an. 870. miserunt, *inter quæ vestimenta diaspra tria*, *Esphorum dicitrinum cancellatum* ...... *pro casula facienda* ...... *Item planetilia castanea duo*; uti apud Baron. ad an. 871. & Labbeum Concil. Tom. 8. col. 1171. Diasprus color, albus est, & dicitrinus albo proximus.

Neque apud Latinos tantum, verum & apud Græcos id olim in usu quoad sacras Altaris Ministrorum vestes.

Respondetur novis Sectariorum objectionibus.

Sed reponunt Misoliturgi Nebulones hanc in vestibus Ecclesiasticis colorum varietatem non ex mysterio, sed ex donantium, seu etiam pictorum placito fluxisse, ac proinde novitatem Latinorum esse, antiquis penitus ignotam. Verum quid oggerunt ridiculi isti pugiles, & fatui mirmillones? An forte antiquis ignotum dicent Ecclesiam militantem a triumphante derivari, ut exemplari, cum id perspicue asserant sancti Patres, Dionysius in Hierarchia Eccles. cap. 6. *Nostra enim*, ait, *Hierarchia a Deo traditis ordinibus sancte disposita*, *Sanctis*, *& Cœlestibus Hierarchiis conformis est*: Gregorius Magnus in illud Job 38. *Numquid nosti Ordinem Cœli*, *& pones rationem ejus in terra*? Ita inquit, *Ordo quidem Cœli in terra ponitur*, *hoc est in militante Ecclesia*, *cum a triumphantis Ecclesiæ exemplari militans disponitur*. Cui doctrinæ alludens Mellifluus Pater Bernardus lib. 3. de Consid. ad Eugenium concludit. *Non vilem reputes formam hanc*, *quæ in terris*, *formam habet in Cœlo*. *Vidit hoc*, *qui dicebat*: *vidi Civitatem &c.* At quamnam colorum formam, & varietatem Ecclesia militans ab Ecclesia triumphante in Cœlis derivatam deprehendit, ut eamdem adhibeat, & in terris servet? Candidas vestes gloriam, majestatem, & puritatem significare nos docent, primo Christus Dominus gloriose transfiguratus in Monte Thabor, *cujus vestimenta facta sunt alba sicut nix*. Angeli deinde, quos vidit Maria Magdalene in albis sedentes in Christi Domini sepulchrum Joan. 20. & ii, quos in vestibus albis astitisse viderunt Apostoli, dum euntem in Cœlum Dominum intuerentur; Act. 1. Seniores viginti quatuor, quos circa Thronum Dei sedentes vidit Joannes in Apocalypsi, & hi erant *circumamicti vestimentis albis*; item turba magna ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, quos idem Joannes vidit stantes ante Thronum, & in conspectu agni amictos stolis albis, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni; ut enim antea dixit cap. 3. ii sunt, *qui non inquinaverunt vestimenta sua*, idest, ut explicat cap. 14. 4. *qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, *Virgines enim sunt*, *& ambulabunt mecum in albis*, *quia digni sunt*; *& qui vicerit sic*, *vestietur vestimentis albis*.

Ecclesiam militantem a triumphante derivari, ut exemplari asserunt Sancti Patres,

Describuntur singuli sacrarum vestium colores, eorumque mysteria. Et primo color albus.

Hæc de albo colore, qui idcirco frequentissime a sacris Ecclesiæ ministris usurpatur in re divina facienda, quod eos omnium maxime puris, & candidis mentibus, non secus ac Angeli, & Sancti in Cœlis, qui amicti stolis albis assistunt ante Dominum, esse oporteat. *Ita ergo*, (inquit Alcuinus de Div. Off. lib. 2. de Celebr. Missæ) *qui Corpus Christi in se recipere desiderat*, *per multos bonorum operum labores*, *& per castitatem mentis*, *& corporis*, *debet se reddere mundum & candidum &c.* Hinc passim in sacris color albus memoratus, hinc albis vestibus Neophyti post baptismum vel ab ipsis vagientis Ecclesiæ primordiis induebantur, quo candor innocentiæ per baptismum collatæ ostenderetur; qua de re videnda Acta Martyrum genuina, præcipue sancti Genesii, apud Ruinartium, item apud Martene de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 1. art. 15. §. 5. Hinc est, quod ex antiqua consuetudine ab Ecclesia Romana

Quare hic color albus frequentissime a sacris Ecclesiæ Ministris in re divina facienda adhibeatur.

mana recepta de colore albo statis diebus, ac festivitatibus adhibendo Innocentius III. scripsit lib. 1. Myster. Missæ cap. 65. utendum esse albo colore in Festivitatibus Confessorum, & Virginum, in Festo Purificationis ob Deiparæ puritatem, in Cœna Domini propter confectionem Chrismatis, in Resurrectione Domini propter Angelum testem, & nuncium Resurrectionis, in Ascensione propter nubem candidam; ad Episcopum consecrandum, & in Dedicatione Ecclesiæ, quæ omnia repetit Durandus in Rationali lib. 3. cap. 18. n. 2. Hæc autem candida vestimenta usurpantur in Ecclesia non alia profecto ratione, nisi quia ipsa illa sit Christi Sponsa, Uxor Agni, quam descendentem de Cœlo a Deo paratam habentem claritatem Dei vidit Joannes in Apocalypsi cap. 21. 10. & paulo ante cap. 19. 7. *illi datum est, ut cooperiat se byssino splendenti, ac candido; byssinum enim justificationes sunt Sanctorum*; deinde non multo post: *& exercitus qui sunt in Cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.*

De colore rubeo; quibus in solemnitatibus iste adhibeatur.

Nunc ad colorem rubeum procedamus. Color iste ab eodem Innocentio III. loco supra citato Solemnitatibus Apostolorum, & Martyrum affigitur; Festivitati sanctæ Crucis, cui etiam color albus convenit, in celebritate Pentecostes, & quibusdam in locis die Commemorationis omnium Sanctorum, & in festo Innocentium color rubeus in usu fuerat; sed illo die Romana Ecclesia albo, & in festo Innocentium violaceo, ut nunc fit, utebatur. Rubeus color seu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem; humano sanguini similis est, igneam refert naturam, atque ideo in dictis solemnitatibus adhibetur, videlicet in festo Pentecostes propter Sancti Spiritus fervorem, qui in forma ignis descendit, & propter potestatis plenitudinem in igne significatam, & Apostolis datam. Item in festis S. Crucis, eo quod Sanguine Christi Domini consecrata fuit, & Passionem illius indicet idem rubeus color. Itidem in Festis Virginum, & Martyrum, quia martyrium præfertur Virginitati.

Quibus diebus viridi colore Ecclesia in sacris conficiendis utatur.

Viridi colore utitur Ecclesia plerisque diebus a Gavanto indicatis par. 1. tit. 18.. Viridis color medius inter colores est, ut ait laudatus Innoc. III. loco cit. adeoque hoc utimur in diebus ferialibus, & communibus, inquit ille: cujusmodi sunt dies ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, & ab octava Pentecostes, usque ad Adventum in Officio de tempore. Dies etiam Dominici minus solemnes sunt his temporibus; & communes vocantur ab Innocentio comparative ad alias Dominicas, & Solemnitates anni.

Violaceo porro colore uti (inquit Durandus Mimatensis in Pontificali MSS. apud Edmundum Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 12. pag. 583.) in diebus, in quibus est usus nigri coloris, inconveniens non est; unde Romana Ecclesia utitur violaceo colore a Dominica prima Adventus usque ad Missam vigiliæ Natalis Domini inclusive, a Dominica Septuagesima usque ad Officium vigiliæ Paschæ exclusive, quandocumque in ipsis temporibus fit officium de tempore, excepta feria quinta Cœnæ Domini, in qua albo, & feria sexta in Parasceve, in qua nigro colore utitur. Sed nec in festivitatibus Sanctorum, quæ in dictis temporibus veniunt, nigris, vel violaceis utendum est. Et sciendum quod in Sabbato Sancto in toto officio, quod agitur ante Missam, utendum est nigro, vel violaceo colore, hoc excepto, quod Diaconus Cereum benedicens, & Subdiaconus sibi ministrans albo colore utuntur: qua benedictione completa, Diaconus remota Dalmatica planetam nigri, vel violacei coloris assumit, & tenet usquedum Missæ officium inchoetur; Subdiaconus vero vestes non mutat. Nonnulli etiam in Dominica Palmarum albis utuntur in processione in Ramorum benedictione, dum Evangelium legitur, dum *Gloria laus* cantatur. Ecclesia tamen Romana tunc semper violaceo colore utitur. Quidam in festo Ypapantis in processione, quæ fit ante Missam, utuntur violaceo, vel nigro colore. Romana quoque Ecclesia violaceo colore utitur: In quatuor temporibus Septembris; in vigiliis SS. in quibus est jejunium, quando Missa de vigilia, in diebus Rogationum, in Missa quæ dicitur in die S. Marci de officio letaniæ &c.

Ultimus inter colores Ecclesiasticos usitatus in diebus mœstitiæ, & abstinentiæ color niger.

Ultimum inter colores sacros locum sibi vindicat color niger propriissimus mortis color apud omnes ex eodem Innocentio III. cap. 65. atque inde ab Ecclesia Romana, & olim ab Orientali diebus mœstitiæ, & abstinentiæ usitatus. Sane quidem in Ecclesia Romana statis diebus sacras vestes fusci, & nigri coloris adhibitas fuisse legimus, cujus rei testem damus Alcuinum, ubi de officio Feriæ VI. in Parasceve secundum Romanæ Ecclesiæ Ritum verba facit, Diaconos ea die Planetis fusci coloris indui consuevisse perhibet: *Pontifex autem*, inquit, *seu Clerus, atque populus procedunt ad Ecclesiam. Interim vero egreditur Archidiaconus cum aliis Diaconibus de sacrario indutis scilicet Planetis fuscis &c.* Verum ne putemus atri coloris usum in divinis Officiis, ævo tantum Alcuini invectum esse, ejusque solo testimonio nos fulciri; Musivi operis figuræ adhuc superstites in alma Urbe omnium matre Alcuino vetustiores hujus coloris antiquitatem oculis subjiciunt. Fusci coloris sunt Planetæ in musivis imaginibus Honorii I. Romani Pontificis, ac alterius item Romani Pontificis, quæ in hemicyclo absidæ in D. Agnetis Ecclesia extra urbem via Nomentana, ut jam diximus, adhuc visuntur.

Earum utraque superpositum pallium habet, ab humeris dependens, in cujus fascia anteriori Crux nigri coloris conspicitur. Uterque Pontifex Dalmatica talari albi coloris, cum latis manicis indutus est, uterque sandalia nigri coloris gestat: quæ ideo commemoramus, ne quis fortasse putet, Planetam eorumdem Pontificum, commune potius, quam sacrum indumentum esse; Negent enim oportet qui ita sentiunt, inter sacra ornamenta minime referendum esse pallium, & Dalmaticam, quod utique insanum esset. Uterque Pontifex demum nihil ferme barbæ habet, præter quam parumper succrescentis

ad

ad mentum, qualis eorum esse solet, qui aliquot diebus barbam minime raserunt. Hæc eo etiam dicta volo, ut dispiciamus, adamussim non fuisse expressa capita ipsorum Pontificum a Jo. Ciampino, in cujus tabulis effingitur Honorius, atque alius Pontifex a sinistris B. Agnetis cum barba aliquanto longiori, quam revera sit. Porro optime colorum varietates, illorumque significationes describit, Emblemate 56. lib. 2. Cl. Andreas Alciatus.

Index mæstitiæ est pullus color, utimur omnes
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias;
At sinceri animi, & mentis stola candida puræ,
Hinc Sindon sacris, linea sacra viris.
Nos sperare docet viridis, spes dicitur esse,
In viridi, quoties irrita retro cadit.

Reliqua vide ibidem.

Vestium sacrarum forma olim non alia a vestibus profanis, nisi quod sacræ nitidiores erant, & pretiosiores.

Cæterum non alia fuit olim Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris vestium sacrarum forma, a vestibus profanis, nisi quod ad sacra vestes nitidiores, & pretiosiores adhibebantur. Ut jam exinde alia forma sit, hinc factum est quod Ecclesia veterem indumentorum formam retinuerit in Sacris, quamvis in usu quotidiano novum vestium genus sensim introductum, & si quæ accidit mutatio in sacrarum vestium forma, alia profecto illa fuit ab ea quæ usu venit in quotidianis vestimentis, hinc sicut in his, ita & in illis, ac cæteris similibus rebus Episcoporum arbitrio relictis, juxta diversam Regionum ac Provinciarum in moribus consuetudinem varius est variarum Ecclesiarum Ritus. Quod autem deceat veterem hanc vestium formam in Sacris peragendis retineri, aliasque esse vestes sacras a profanis diversas, præter hucusque dicta, hæc subdere ad Dallæi, suorumque gregalium duritiem confringendam, si superis placet, visum esto. Quidni autem id deceat? numquid sane & Magistratus ad Jus dicendum, Doctores, ac publici Professores in Academiis, ac Scholis ad disputandum, Reges ipsi, Principes, Urbium primates, ac proceres, Equites item, virique nobiles ad solemnium cæremoniarum apparatum peculiares vestes adhibent forma varias prorsus a quotidianis? Et quidem ad sacrarum etiam normam, ut de reliquis taceam, Christianissimi Galliarum Reges, (ut scribit Honoratus Tournelly Prælect. Theol. Tom. 8. de Sacram. Euchar. art. 13.) qua die solemniter inaugurantur, dalmaticam gestant; quin & Fœciales, aut Caduceatores belli, pacisque internuntii cum pacem, vel bellum publice denuntiant, quadam dalmaticæ specie induti procedunt. Itaque sicuti Reges, ac mundi Principes, vel Reipublicæ Ministri, Magistratus, aliique memorati secularium Ordinum Magnates, studiorum Rectores, Præsides & Senatusconsulti in publicis actionibus non vulgari utuntur habitu, sed alio augustiori induuntur certis etiam insignibus prætiosis inter se distinctis ornato, quo & major reverentia ipsis concilietur, simulque ipsorum imperium, & potestas repræsentetur; sic etiam omnino conveniens esse ut in hac publica totius Ecclesiæ actione Sacerdos, & reliqui Altaris ministri illi inservientes sacro, ac peculiari habitu a profanis distincto utentur, nemo sanæ mentis negabit, tum ad mysterii reverentiam, religionis decorem, tum ad ipsam Christi passionem ampliori cultu repræsentandam.

Quod ad sacra ministeria peragenda vestes peculiares adhiberi deceat, probatur.

Jure igitur hunc ritum Sanctissimum ab Apostolis traditum, acceptumque Catholica mater Ecclesia ad nostram transmisit ætatem, ut post Cardinalem nostrum eximie probat Ludov. Thomassinus in vet. & nova Eccl. Discipl. parte 1. lib. 2. cap. 45. num. 1. ubi sic ait: „ Dico Ecclesiæ sua semper ornamenta propria, propria vestimenta fuisse, „ tum in Altaris ministerio, tum in Officiis „ divinis: etsi ea maxima ex parte communium vestium simillima essent, nec ad eam, „ qua nunc abundamus, & diversitatem, & „ multitudinem, nisi annis plurimis, & seculis volventibus deventum sit: quod fuse probat integro hocce capite, in quo agit de sacris vestibus in ministerio Altaris prioribus quinque seculis adhibitis. Quæ omnia cum per se tam clara & perspicua sint, ut vel ipsis sacrorum Rituum ignaris hæc legentibus lumen ingerant, concludendum profecto erit, quod cur in pluribus locis Protestantes easdem sacras vestes Catholicis ad Altaris ministerium illis utentibus subsannantes, ipsas Ministris suis sustulerint, non alia sane ratio sit, quam quod fixum, ratumque habeant non solum ab Ecclesiæ Romanæ Orthodoxæ fide, sed & a moribus, ritibusque illius discedere voluisse; quamquam & in majori Britannia, aliisque regionibus nonnullis vetus ille mos etiamnum retentus sit ab iis, qui ab eadem Ecclesia desciverunt. Quod vero alii, veluti Dallæus præfatus, & reliqui Calvinistæ id antiqui Ecclesiæ moris reprehendant, & irridendum nobis objurgent; certe non video, nisi quod, ut ex aliis pluribus rebus constat, illi in ipsa luce meridiana caligant, & cæcutiunt, uti optime notat Clar. Franc. Amatus Pouget Congr. Oratorii Gallicani Presb. & Sac. Facultatis Parif. Doctor Instit. Cath. ad modum Catech. Tom. 2. Parte 3. sect. 2. cap. 7. §. 17. Celebriores porro Authores qui de hujusmodi Ecclesiasticis coloribus disserunt, sunt Innocentius III. supra toties memoratus de mysteriis Missæ lib. 1. cap. 65., Jo. Burcardus in Ordine Missæ, Gullielmus Durandus in Rationali Div. Offic. lib. 3. cap. 18. §. 6. Joseph Vicecomes de Missæ apparatu lib. 1. cap. 12. Andreas Saussayus in sua Panoplia Clericali par. 2. lib. 4. cap. 6. art. 4. §. 1. & 2. Joannes Gaspar Krausen an. 1707. in Disert. Wittembergæ impressa, Abbas Dominicus Georgius in lib. Italice scripto, cui titulus *Degl' Abiti Sagri del Sommo Pontefice &c.* ac de Liturgia Romani Pontificis Tom. 1. Lib. 2. cap. 3. & seqq. usque ad finem. Bartholomæus Piazza in suo Tractatu pariter Italice exarato sub hoc titulo *L'Iride Sagra*. Atque hæc de sacrarum Vestium colore dicta sunto.

Indicantur nonnulli Authores, qui de Vestium sacrarum coloribus scripserunt.

§. II.

§. II.

Locus in quo sacræ Vestes, & Ministerii vasa condebantur, ejusque nomina. Diaconicon, Scevophylacion, Pastophorion, Vestiarium, Salutatorium. De singulis vestimentis seorsum agitur.

Locus, in quo indumenta, & vasa sacra reconduntur, a Græcis *Diaconicon*, *Scevophylacion*, *Pastophorion*, a Latinis *Vestiarium*, *Secretarium*, *Sacrarium*, & barbara voce *Sacristia* nuncupatur. Diaconici nomen passim hoc sensu reperitur in Euchologio: & Simeon Thessalonicensis describens Episcopi sacris vestibus induti comitatum usque ad Altare, *Educitur*, inquit, *e Diaconico*, *& Diacono ipsum præcedente*, *& deducentibus Presbyteris duobus per portam Templi dexteram & soleam*, *iter agit usque ad sanctum Bema*, id est Altare. Scevophylacii & Scevophylacis, id est Custodis sacræ suppellectilis mentio est apud Balsamonem in Nomocanonem Photii *tit.* 2. *cap.* 2. apud eumdem Simeonem Thessalonicensem *lib. de Templo*, & apud illos qui de dignitatibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ disserunt. At hodie Græci non in Diaconico, sed in ipso Bemate sacris vestibus ad peragenda divina Officia induuntur: nec ullum habent Scevophylacion junctum Ecclesiæ, quia sacra vasa, & vestimenta in propriis ædibus, vel in loco tutiori conservant, ut Leo Allatius observat in Dissertatione *de Templo Græcorum recentiorum*. Pastophorium legimus 1. *Machab. cap.* 4. *&* 3. *Esdræ cap.* 8. Radevicus Frisingensis lib. 4. de gestis Friderici cap. 13. *Vulpes*, inquit, *& Lepores Pastophoria Ecclesiæ* (1) *officinas Canonicorum ingressæ*. De Vestiario hæc habentur in ritu antiquo Missæ apud Menardum pag. 273. *Sacerdos in vestiario*, *cæterique Ministri sanctis vestibus juxta Ordinem induantur*. Et in restitutione Ebbonis Remensis ibidem in notis: *Ductus est Ebbo Episcopus in vestiarium*, *& indutus Episcopalibus vestimentis; similiter & alii Episcopi processerunt cum eo ad celebrationem Missæ*. Secretarii vox passim occurrit in vitis Pontificum, ex quibus aliqui sepulti dicuntur prope Secretarium. Fortunatus in vita S. Radegundis. *Intrans in Secretarium Monachæ veste induitur*. Sacrarium sic definitur ab Ulpiano lib. 1. Digestorum tit. 8. *Est locus*, *in quo sacra reponuntur*. Sumitur aliquando pro Presbyterio, quod solis olim Sacerdotibus, sacrisque Ordinibus initiatis pervium, secularibus inaccessum erat: Appellatur & Receptorium a Sidonio Apollinari *lib.* 5. *Epist.* 17. *Et nuntiatum est progredi Episcopum de Receptorio*, ad sacrum scilicet faciendum. In Concilio Matisconensi I. cap. 2. Salutatorium vocatur. Et Gregorius Magnus *lib.* 4 *Epist.* 54. usum Pallii præscribens Mariniano Ravennæ Archiepiscopo, *quo non aliter*, ait, *uti memineris*, *nisi in propria tuæ Civitatis Ecclesia*, *dimissis jam filiis procedens a Salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda*: *peractis vero Missis idem in Salutatorio curabis deponere*. Ex eo autem quod dicit, *dimissis jam filiis*, illorum temporum consuetudinem intelligimus. Solebant enim Episcopi ante Missarum celebrationem in ipso loco sedere, & salutationes fidelium excipere, qui se illorum orationibus commendabant, aut aliquod negotium ipsis communicabant: quibus dimissis, sacris vestibus induti ad Altare procedebant; atque hinc factum est, ut idem locus Salutatorium diceretur. Hoc & Presbyteri faciebant, teste Severo Sulpitio *lib.* 2. *Dialog. cap.* 1. ubi ait sedisse Presbyteros in Secretario, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupatos, dum interim S. Martinus eo munere fungi detrectans sibi soli vacaret. Ejusdem Salutatorii meminit Gregorius Turonensis *lib.* 2. *Hist. Franc. cap.* 21. &

Sacrarium, in quo sacra reponebantur, sumptum aliquando pro Presbyterio.

(1)

Græci Sacerdotes quoties rem divinam acturi sacra sumunt indumenta, ea benedicunt, & osculantur.

& lib. 7. cap. 22. in utroque loco indicans Episcopos, ac Presbyteros interdum in eo mansionem habuisse. Græci Sacerdotes, quoties rem Divinam acturi sacra sumunt indumenta, ea solent benedicere, & osculari, ut ex Ordine Liturgiæ S. Joannis Chrysostomi constat: nec in eorum Euchologio ulla extat oratio ad ipsa semel, & universim cultui Divino dedicanda. At vero Latini, postquam ea præscriptis verbis benedixerunt, benedictionem non repetunt; sed amictum dumtaxat, manipulum, & stolam in medio, ubi crux assuta, vel texta est, osculantur. In Missa tamen veteri, quam ex codice Ratoldi Abbatis Corbejensis Libro Sacramentorum *S.* Gregorii addidit Menardus, Episcopus sacris operaturus singula indumenta benedicit, deferente ea ministro, & ante singula rogante, ut ipsa benedicat, sicut fert Græcorum mos. His præmissis ad omnia singillatim enucleanda transeundum est, eo ordine, quo indui solent, a sacerdotalibus ducto principio, quæ sunt sex, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta (2). (2)

Card. Bellarminus observatur quoad Pastophorii notionem.

(1) *Pastophoria Ecclesiæ*) Cardinalis Bellarminus de Eucharistia lib. 4. cap. 4. ita de Pastophoriis sentit: *Apostoli* (ait) *vas illud, in quo Sacramentum asservandum recondebatur, Pastophorium dixerunt, quod in eo Sacramento vere Christus sit, qui est verus templi Præpositus.* Verum si aliter, quam tropologice loquatur Emin. hic Controversiarum Theol. Scriptor, falso niti videtur fundamento; Hæbreis etenim, & Græcis *cubiculum*, seu *cella* pastophoria sunt. Esdras lib. 1. cap. 10. *cum autem surrexisset Esdras ex aula templi, abiit in pastophorium Jonæ filii Eliasib.* Id etiam vocabuli adhibuit Josephus de bello Judaico lib. 5. cap. 9. *quarta vero Turris supra verticem pastophoriorum condita erat.* Hieronymus in Ezechielem cap. 42. *inductus autem est in Gazophilacium, sive ut Symmachus, & Septuaginta transtulerunt, exedram, vel ut Theodotio, pastophorion, quod in thalamum vertitur, quod erat contra separatum ædificium.* Eadem notione nos informat Clemens in Constit. Apostol. lib. 2. eap. 57. *Sit ædes oblonga . . . . . utrinque Pastophoria in Orientem:* Quæ sic explicat Joannes Carolus Bovius Ostunensis Episcopus: *Pastophoria*, inquit, *existimo fuisse tabernacula quædam, quasi armaria in fronte templi, utrinque posita, in quibus Eucharistia, vestes, & vasa sacra condebantur.*

Pastophorion quid vere sit, sive de Secretariis, Salutatorio, aliisque similibus locis.

Pastophorium igitur illud est, quod Latinis Secretarium. Videatur Vossius in Ethymologico. De S. Martino Severus Sulpitius Epist. 1. Mansionem *ei in Secretario Ecclesiæ paraverunt.* Gemina vero fuisse pluribus saltem in Ecclesiis secretaria, quemadmodum Græcis Diaconica, testis est idem Severus Dialog. 2. eap. 1. *Secretarium ingressus, cum solus, ut erat consuetudo, resideret . . . . cum quidem in alio Secretario Presbyteri sederent &c.* Secretariorum & locum, & officium indicat Paulinus Epist. ad Severum 12. uti supra dictum est ad cap. XX. §. 7. Nota 12. pag. 106. col. 2. circa finem.

Porro de hoc salutatorio, quod memorant Sulpitius, & Paulinus, idemque Secretarii nuncupatione donant, habetur mentio apud Teeodoritum lib. 5. cap. 18. *Accedit Theodosius ad Ambrosium, qui in salutatorio residebat.* Sane Pontificem sacra facturum antequam ad Altare procederet, a Diaconis salutari, observare est ex Ord. Rom. *Cum vero Ecclesiam introierit, Pontifex non ascendit continuo ad Altare, sed prius intrat in secretarium . . . . . ubi cum intraverit, sedet in sella sua, & Diaconi, salutato Pontifice, egrediuntur de secretario.* Salutabantur & fortasse ibi Episcopi a Presbyteris diœcesanis suis, uti conjicitur ex Can. 55. Concilii Nicæni Arabicæ versionis, ubi statuitur, *ut Chorepiscopus bis per annum congreget Presbyteros ad salutandum Episcopum, & tradendum se ei, & communionem cum eo habendam &c.* Quemadmodum autem Episcopi in secretariis salutationibus vacabant, ita & olim Abbatissæ; in Regula quippe S. Cæsarii cap. 36., & Regula S. Donati cap. 57. hæc habentur: *Observandum est, ne Abbatissa ad salutationes ad Salutatorium sine digno honore suo, hoc est sine duabus, aut tribus sororibus, procedat.* Et in recapitulatione Regulæ dicti S. Cæsarii cap. 8. uti & Regula S. Aureliani Episc. cap. 1. præcipitur: *ut quæcumque ad conversionem venerit, Regula ei in Salutatorio legatur.* Cui præscripto consentanea habentur eap. 14. quibus in locis Salutatorium idem pariter est, ae Secretarium, aut Diaconicum. Sed & ante hæc veterum testimonia de Secretario meminit Concilium Laodicenum can. 21., ubi sancitur, ut Subdiaconis in illud ingredi non liceret. Tanta autem fuit hujus loci reverentia apud Orientales, neque tantum apud ipsos, verum & apud Occidentales; Concilii enim Laodiceni sanctionem in Galliam Narbonensem transtulit Concilium Agathense an. 506. eadem ferme verba illius Canonis usurpans can. 66. *Quoniam*, inquit, *non oportet in sacratos Ministros licentiam habere in Secretarium, quod Græci Diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa dominica.* Dudum etiam, anno nempe 452. Concilium Arelatense II. can. 15. edixerat, ne Diacono liceret inter Presbyteros in Seeretario sedere. Verum Agathensis Concilii canon in Galliis ipsis negligi subinde cœpit; nam Sanctus Cæsarius Arelatensis, qui eidem Concilio præfuerat, hom. 8. conqueritur multos ex Laicis, atque etiam

De Salutatorio, seu Secretario, quanta hujus loci fuerit reverentia.

ex

ex Clericis, dum Missarum solemnia agerentur, inertes, & otiosos in porticibus Ecclesiarum, vel in Secretariis constitisse: *Quanti*, inquit, *in porticibus Basilicarum, vel in secretariis detractionibus, vel otiosis sermonibus occupantur, inter quos non parvus solet etiam esse numerus Clericorum*. Magna certe veneratione priscorum Fidelium pietas Ecclesiarum secretaria prosequebatur, quod in iis ministeria divina (hoc enim nomine Majores nostri Ecclesiasticam Supellectilem appellabant) servarentur, ibidemque sacras vestes Sacrificium celebraturi sumerent, quo tempore Laicis in eadem ingredi nefas erat. In eodem etiam loco sacræ fiebant lectiones; publice enim ibi finita Liturgia sacri libri perlegebantur, uti laudatus innuere videtur Paulinus submemorata Epistola ad Severum, ubi de hac Camera loquens, (majori scilicet Sacristia Latinis dicta) *Altera*, inquit, *post Sacrificium capaci sinu receptat orantes*. Peracto namque Sacrificio, eo secedebant Sacerdotes, & Diaconi, ac sacrorum, ut diximus, librorum lectioni operam dabant. Quod ex iis, quæ scribit Codinus lib. de Off. magnæ Eccl. Constantinopolitanæ cap. 15. nu. 4., ubi ait Imperatorem juxta Concham, quæ Diaconicon vocabatur, secedere, ibique Magni Basilii precationes a Patriarcha prælectas exaudire, apprime constat; inde in Liturgiis S. Marci, & S. Jacobi in Diaconico preces exacto Sacrificio peragi dicuntur, ita etiam in Liturgia Chrysostomi, in Scevophylacio, quod idem est ac Sacristia. Hac propterea ratione, & quia in Diaconico, seu Secretario, quod etiam Græcis in Euchologio Metatorium, seu Ministratorium dicitur, ubi vasa sacra, vestes, ac ministeria divina asservabantur (Latinis hic locus Sacristia nuncupatur) ideo ejusdem diversorii, seu ædis custodia Diaconorum curæ, ac sollicitudini incumbebat. Ita Isidorus lib. 11. de Eccl. offic. cap. 9. *Custodes Sacrarii*, inquit, *Levitæ sunt; ipsis enim jussum est custodire tabernaculum, & omnia vasa Templi*: quod etiam habetur apud Cyrillum Alexandr. lib. 3. de adorat. Inde illis eadem sacra vasa manu contingere, non autem Subdiaconis licebat, uti supra ex Concilio Laodiceno. Porro de Secretario, variaque ejusdem nomenclatura apud antiquos legendus Dominicus Georgius in Liturgia Romani Pontificis lib. 1. cap. 7. nu. 4. & seqq., ubi fuse, & more suo eruditissime disserit, ut nihil hac de re intactum relinquat.

In Secretario, seu Sacristia sacræ olim lectiones factæ.

(2) *Quæ sunt sex, Amictus, Alba, Cingulum &c.*) De his in Panoplia Sacerdotali parte I. Andreas Saussajus præ cæteris copiose, & erudite scripsit. Hoc autem loco Emin. Cardinalis plura adjecit, quæ ille prætermisit.

§. III.

De Amictu, ejusque usu, & nominibus. Dictus olim Anaboladium.

PRima vestis, quam Sacerdos sumit, est Amictus, qui (1) primum capiti, deinde humeris injicitur. Antiquus Scriptor de Ritibus veteris Ecclesiæ sub nomine Caroli Magni, *Post sandalia in Ecclesiæ vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo*. Amalarius lib. 2. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus*. Rupertus Abbas lib. 1. de Div. off. cap. 19. *Sacerdos in officio Altaris Amictu caput suum obnubit* (2). Gemma animæ lib. 1. cap. 201. *Hinc humerale, quod in lege* Ephod, *apud nos Amictus dicitur, sibi imponit, & illo caput, & collum, & humeros, unde & humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duabus vittis ad mammillas cingit*. Sunt quidam, qui Amictui ex holoserico, vel aurea textura plagulam assuunt colori, & opificio casulæ, sive stolæ consimilem; sed hujus assumenti nullum vestigium reperio apud antiquos Scriptores (3). Ambrosiani tertio loco Amictum sumunt post Albam, & Cingulum (4). Varia ei nomina tribuuntur; nam sicut vidimus, Humerale vocatur, & per analogiam ad legalium Sacerdotum indumenta *Ephod*, quia ut Hieronymus docet *Epist.* 128. *ad Fabiolam*, ubicumque in Exodo, seu in Levitico Superhumerale legitur, apud Hebræos *Ephod* appellatur. An vero Amictus noster idem prorsus sit cum Ephod veteris legis, quæstio anceps est, quam (5) tractat Saussajus *Panopliæ Sacerdotalis parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. In Ordine Romano *Ambolagium*, rectius autem Anabolagium, sive *Anaboladium* nuncupatur: Anabole enim græce idem est, ac latine Amictus, Isidorus lib. 19. Orig. cap. 25. *Anaboladium*, inquit, *amictorium lineum fœminarum, quo humeri operiuntur*. Eadem voce utitur Ambrosius *lib.*

(1) (2) (3) (4) (5)

de benedictionibus Patriarcharum, nam ubi nos legimus Gen. 49. *Lavabit in sanguine uvæ pallium suum*, ipse legit *Anaboladium suum*. S. Columba Virgo, cujus vita breviter recensetur in Martyrologio Gallicano *die ultima Decembris*, ut a satellitibus spatium orandi ante Martyrium impetraret, dedit eis Anabolarium suum, quod pallii serici genus Saussajus interpretatur.

Amictus pœnitentiali sacco suffectus.

(1) *Amictus, qui &c.*) Petrus Le-Brun Tom. 1. Explicat. Missæ pag. 42. notat amictum sequiori ævo in plerisque Ecclesiis tanquam ornatum pœnitentiali sacco suffectum consideratum fuisse. Et quidem id videntur indicare, quæ leguntur in Missa Illyrici: *cum* (Sacerdos) *se exuerit quotidianis vestibus, dicat: conscinde Domine saccum meum, & circumda me lætitia salutari*. Idem legitur in antiquo Missali Ecclesiæ Bellovacensis apud Martene Tom. 1. pag. 343. quod & veterum Patrum sententiæ consonat, qui vestes homini post lapsum datas inspicientes, has nonnisi pœnitentiam significare existimant; quare & in aliis diversis Missalibus Sacerdos communem vestem deponens, & amictum sumens hæc dicit: *exue me Domine veterem hominem &c.* Neque aliter intendit Ecclesia, nisi quod Sacerdos usuales vestes exuens una simul veterem hominem exuat cum actibus suis, & sacras induens novum item induat hominem in justitia, & sanctitate veritatis, uti ex Apostolo ad Ephes. 4. 24. *Vestes enim sacerdotales* (inquit Innocentius III. Myster. Miss. lib. 1. cap. 10.) *virtutes significant, quibus debent Sacerdotes ornari secundum illud propheticum: Sacerdotes tui induantur justitia, & Sancti tui exultent*. Ritu, ut fertur, seculo octavo inducto amictus inter Ecclesiasticas vestes cooptatus fuit, ad caput, collum, & circa humeros declinandus, uti laudati ab Emin. Scriptores notant.

Quid per amictum in Sacerdote illum sumente intendat Ecclesia.

Hinc fortasse apud nonnullos Sacerdotes quondam usus, seu potius abusus invaluit Missas celebrare cooperto capite, amictu scilicet supra caput posito, nec declinato, sicut moris esse in Ecclesia Parisiensi hyberno tempore scribit Honoratus Tournely in suis doctissimis Prælectionibus Theologicis de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento pag. 441. edit. Ven. de qua tamen controversia librum singularem edidit Joannes de Tour Doctor Parisiensis Archidiaconus, & Canonicus Suessoniensis, in quo demonstrare ostendit, ex præcepto Apostoli 1. ad Cor. 11. nusquam viris licitum cooperto capite orare in Ecclesia, multo minus Sacerdotibus offerre sacrificium amictu super caput obducto, qui illud tegat. Collum utique, quod dicto seculo nudum gestabatur, amictu obtegendum erat; minus etenim decens, ac decorum Ecclesiæ Prælatis visum fuit, si Sacerdos nudo, & detecto collo ad Altare celebraturus accederet.

Notatur quorumdam Sacerdotum abusus, qui hyemali tempore cooperto capite celebrant.

Huic rationi ex convenientia, & decore petita accessit & altera sanitatis, & commodi ad conservandam scilicet vocem divinis laudibus exprimendis, ac recitandis destinatam, ita Amalarius dicto lib. 2. cap. 17. *In isto*, inquit, *primo vestimento admonetur castigatio vocis*: quoniam per collum, in quo vox est, usus loquendi exprimitur, illud cooperitur, ne forte etiam ex eodem denudato raucedinem contrahat celebrans, sicque libera voce Dei laudes personare non valeat. Mirum quantum ex hac litterali, ac physica interpretatione ex Amalario deducta exultet Duvertius, qui sacros Ecclesiæ ritus fere omnes perperam ad hujusmodi sensum traducit. At ignorare non debuisset huic, etsi litterali, ac physicæ rationi symbolicam, & mysticam significationem ab Ecclesia additam fuisse; neque eam tantum, quam mox innuimus, verum etiam quod ideo collum operitur, & stringitur, ne ad linguam mendacium transire valeat; pectus item, seu cor eodem amictu tegitur, quia cum de corde exeant cogitationes malæ, Sacerdotis animus ad ea, quæ illi incumbunt, totus intentus esse debet, nec tunc ad alia, quam quæ Dei sunt, dissolvi, aut distrahi; quare in Missa Illyrici cum Sacerdos amictum induit, hæc orans dicit: *humeros meos, ac pectus meum Spiritus Sancti gratia tege Domine &c.*

Claudius Deveri notatus quoad significationem amictus.

Amictus itaque, cui primum originem dedit vel decentia, necessitas, aut commoditas, subinde in ornamentum transiit Ecclesiasticum, ac destinatus ad significandum 1. deposito pœnitentiæ sacco succedere gaudium, & lætitiam, ut diximus ex laudata Missa Illyrici juxta illud Psalmi 29. *convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia*. 2. Amictus velut spiritualis galea capiti imposita respicitur ad propulsandos diabolicos incursus, ita in Missali Romano ait Sacerdos amictum induens: *impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos omnes diabolicos incursus*: idque apposite juxta Apostoli monitum ad Ephes. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*: & vers. 16. ac 17. *In omnibus sumentes scutum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi extinguere, & galeam salutis assumite*: figuratæ procul dubio, ac symbolicæ sunt apud Apostolum voces istæ *armatura, scutum, galea*, quibus vim animi, robur, ac firmitatem designat ad omnes dæmonis impetus repellendos necessariam. Ut quid ergo Duvertius tam moleste sustinet Ecclesiam in sacris Ministrorum vestibus, & ornamentis, mysticum aliquid, ac spirituale semper agnoscere?

Amictus est ad plura significandum mystice ab Ecclesia destinatus.

Per amictum denique symbolice sacri admonentur Ministri, ut ponant ori suo custodiam, ac voce sua potissimum utantur ad sacra pertractanda Mysteria, divinasque laudes decantandas, quem finem apprime exponit oratio, quæ in antiquo Missali Cameraceni an. 1527., & 1542. apud Petrum le Brun Tom. 1. pag. 44. refertur recitanda a Sacer-

Quippe amictum sacri Ministri admonentur.

a Sacerdote his verbis: *ad amictum, per quem admonetur castigatio vocis*: dicat, *castiget, & moderetur vocem meam custodia tua, Deus, ut non delinquam in lingua mea, sed loqui merear, quæ tibi sunt accepta*. Pariter in Missali Sancti Martini Tornacensis seculo XIII. hæc legitur Oratio: *Pone Domine custodiam ori meo. &c.* Idem pariter orare intendit Sacerdos ritu Romano, poni scilicet custodiam ori suo, dum accipiens amictum osculatur eum in medio, ubi est Crux; signaculum enim orationis est osculum sanctum, & maxime Crucis, ut tradunt Tertullianus de Orat. cap. 14. & Origenes in Epist. ad Rom. cap. 16., & quidem Cruces in vestimentis Sacerdotalibus adhibitas esse a tempore S. Marci Papæ tradit Card. Baronius ad an. 336. Sic itaque amictus ab Ecclesia adhibitus fuit, ut illum Episcopus, aut Sacerdos celebraturus imponat primum capiti, in eodem per aliquam morulam solitam orationem recitans retineat, mox declinet, illo collum tegat, & circum hinc inde coaptet. Obtinuit aliquando consuetudo, ut idem amictus declinaretur tantum, & statim post indutam casulam eidem velut fascia circumponeretur: verum quia ritus ille, vel antiquus non erat, aut incommodus, aut minus decens, illum non præscripsit S. Pius V. non restituit, nec Ecclesia retinuit. Porro duodecim tropologicas, & mysticas amictus significationes refert Gavantus apud Meratum Tom. I. parte 1. pag. 335., & 336. edit. Rom. quas utique considerare debuerat Duvertius.

(2) *Amictu caput suum obnubit.*) Quemadmodum hodie fit a plerisque Regularium Ordinibus, nec fortasse sine mysterio; integrum propterea Ruperti textum adferre non pigeat: *Sacerdos*, inquit, *in officio altaris capitis sui, scilicet Christi, cujus membrum est, personam gerit, Amictu caput suum obnubit, donec super os casulæ illum revolvat, & velut caput, aut coronam illum coaptet*: Ubi vides per hanc syndonem, qua Sacerdos caput obducit, Christi Domini incarnationem, per quam Divinitatem suam abscondit in carne, significari. Sed de hujuscemodi sacrorum indumentorum mysteriis Dissertationem eruditissimam nuperrime edidit an. 1734. Clariss. Præsul. Hieronymus Crispi Archiepiscopus Ravennæ, nunc Ferrariensis, qua eadem, & totius sacræ Liturgiæ ordinem, etsi breviter, pie tamen explicat.

(3) *Nullum vestigium reperio apud antiquos Scriptores*) Amictum quidem in medio cruce insignitum esse, & ex veteri more institutum docet Joseph Vicecomes de Missæ appar. lib. 1. cap. 14. idque demonstrat ex quodam Venantii Fortunati Epigrammate lib. 2. Epigr. 3. in quo præ cæteris de sacro Amictu hi versus leguntur.

Scrica, quæ niveis agnava est blattea telis,
Et textis crucibus magnificatur opus.
Sic cito Pontifici dedit hæc devota voluntas,
Atque dicata cruci candida vela placent.

Nil porro frequentius apud Anastasium, aliosque Ecclesiasticarum rerum Scriptores, quam veteres stauraceæ, idest signo Crucis variegatæ; Ea propter ex Missali Romano de ritu servando in celebr. Miss. itemque ex Cæremoniali Episc. lib. 2. cap. 14. Sacerdos amictum osculatur in medio, ubi est designata parva crux. Plura de Amictu, ejusque variis nominibus differit Laudatus Dominicus Georgius Tom. 1. de Liturgia Rom. Pontif. cap. 15.

(4) *Post Albam, & Cingulum*) In Ecclesia Occidentali præter Ambrosianos ex Missa jussu Sancti Caroli anno 1560. edita, ubi post cingulum amictus sumi præcipitur; id etiam in usu adhuc est apud Canonicos Lugdunenses. In Orientali id adhuc & Maronitæ observant, & quondam Græci, qui nunc non amplius utuntur amictu. Sane quod antiquitus vigeret usus Amictum accipiendi post albam, colligitur ex Ordine Romano V. ex vulgatis Mabillonio Muf. Ital. Tom. 2. etenim §. 1. de vestimentis Pontificalibus sic scribit: *In primis Camisia, & cingitur supra, deinde linea cum cottis, serica, & cingulum, post hæc mittitur anagolai*, qui ex primo, & secundo Ordine Rom. dicitur amictus, & §. 2. *Presbyter Romanus similiter . . . . in primis camisia, & supra cingulum, postea tunica, deinde anagolagi*. Missale item plenarium Vaticanum annorum supra 700. quod refert memoratus Dominicus Georgius loco citato, præscribit pariter Amictum sumendum post albam, & cingulum, adjecta peculiari oratione ibi relata. Verum Missale Vallicellanum Romanum seculi XI. accipiendum Amictum ante albam indicat; quare inde dignoscitur ante id temporis in Romana Ecclesia hunc morem invaluisse Amictum sumendi ante albam, & aliam quamcumque vestem Sacerdotalem. Observandum præterea, ex Dominico Macro Hierolex. verbo *Amictus*, quod olim in Romana Ecclesia Amictus Diaconi Cardinalis strictior erat amictu Card. Presbyteri, ut ex Davantriæ Cæremoniali MSS. qui vixerat ann. 1325.

Amictus in aliquibus Ecclesiis post albam & cingulum sumptus.

(5) *Quæstio anceps est, quam &c.*) Et Joannes Steph. Durantus de Rit. Eccl. Cathol. lib. 2. cap. 9. in missa Illyrici, quam infra edidit Eminentissimus Author, *Amictus*, & Ephod dicitur; nam precationis ad eum sumendum hic est titulus: *ad induendum Ephod, vel Amictum*. In missa Ratoldi *superhumerale*, quod idem est, ac Ephod apud Hebræos nuncupatur; ita pariter apud Alcuinum de Div. Offic. cap. 39. Rhabanum de Instit. Cler. lib. 1. cap. 15. S. Brunonem Signiensem Episc. de Sacram. Eccl. Mysteriis &c. atque alios passim. Hæc de Amictu prima veste, quam Sacerdos sumit, adnotata sufficiant; Qui plura desiderat, & uberiora, legat quæ fusiori calamo exaravit Joseph Vicecomes de Missæ apparatu lib. 2. cap. 3. & seqq. ubi agit de nominibus variis, quibus hæc vestis appellata fuit, item de materia, forma, vario usu, necnon de veteri more amictum adhibendi in sacris Christianorum ministeriis; Legi item poterunt quæ de eodem amictu tradidit Andreas Saussajus in Panoplia Sacerdotali Lib. 1. pag. 1. usque ad 8. Antonius Bellotte in suis Observ. ad Ritus Ec-

Indicantur nonnulli, qui de Amictu, ejus nominibus, ac vario usu scripserunt.

clesiæ Laudunensis pag. 240. & Lazarus Andreas Bocquillot in Tract. Hist. de Liturgiis cap. 7. num. 4. præter jam supra recensitos Authores, aliosque.

§. IV.

De Alba, & Cingulo. Albæ nomen unde. Dicta etiam Camisia. Lineæ tunicæ usus apud Ethnicos.

Linea tunica talaris erat prima vestis Sacerdotalis in veteri Testamento, quæ nobis secunda est. Græce *poderis* dicitur, quia descendit usque ad pedes, quos illi podas vocant. Paulinus Tyriorum Episcopus Orat. habitam in Templi dedicatione apud Eusebium *lib.* 10. *cap.*4. sic exorditur. *Amici & Sacerdotes Dei, qui podere induti estis*, sacra scilicet tunica talari, ut Latinus interpres loquitur. A Scriptoribus Ecclesiasticis Alba a colore nuncupatur: cujus nominis mentio fit in Concilio Carthaginensi sub Anastasio I. *can.* 41. quo præcipitur ut Diaconus tempore tantum oblationis, vel lectionis Alba utatur. (1) Et in (1)
Narbonensi sub Pelagio II. ubi decernitur, ne Diaconus aut Subdiaconus, vel Lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumat exuere. Legitur quoque in Ordine Romano, & in tractatu de Ritibus Ecclesiæ, quem sub nomine Caroli Magni edidit Wolfangus Lazius. (2) (2)
Alii Camisiam vocant. (3) Amalarius lib. 2. cap. 18. *Postea Camisiam* (3)
induimus, quam Albam vocamus. Isidorus lib. 19. Originum cap. 21. *Poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori astricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgo Camisia vocatur*. Et cap. sequenti, *Camisias*, inquit, *vocamus, quod in his dormimus in Camis, id est in stratis nostris*. Camisiæ igitur nomen ei tributum, quia similis est tunicæ lineæ interiori, qua utimur in Camis, id est in lectulis nostris. Camas enim dixerunt Græci strata humilia, & terræ propiora. Anastasius in Vita Benedicti III. inter donaria, quæ Rex Saxonum misit Ecclesiæ S. Petri, enumerat *Camisias Albas sigillatas holosericas cum crysoclavo*. (4) Camisias autem auro clavatas non ad ornatum Templi, ut credidit Casaubonus, sed ad usum (4)
Sacerdotum Sacrificantium comparatas observavit Ferrarius *lib.* 3. *de re vestiaria cap.* 5. Neque enim hic agitur de tunicis lineis interioribus, in quibus aurum mitti Alexander apud Lampridium dementiam judicabat propter auri rigorem & asperitatem; sed de Camisiis, quæ super alias vestes injiciuntur, in quibus auri rigor, & asperitas gestantibus non est incommoda. Ordo Romanus, ubi loquitur de Episcopi consecratione, *lineam* sine addito vocat dicens, *Induunt eum lineam & cingulum*. (5) (5)
Lineam vero tunicam etiam ab Ethnicis in sacris adhibitam testatur Apulejus in Apologia, *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta non modo indutui, & amictui Sanctissimis Aegyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur*. Idem *fabulæ Milesiæ lib.* 2. Sacerdotes describit lineæ vestis candore puro luminosos. De Sacerdotibus Isidis nota sunt Ovidii carmina:

Alba, vestis linea, seu camisia dicta.

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim
Quæsieris.

Et alibi:

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Pythagorici quoque lineis vestibus utebantur, ut docet *Schefferus lib. de Italica Philosophia cap.* 14. de cujus rei causa interrogatus Apollonius apud Philostratum *lib.* 8. respondit, *Quia me terra quæ alit, etiam vestit*. Et paulo post. *Vestem quam a morticinis plerique ferunt, non puram esse*

ratus

ratus Pythagoras, linea veste usus est. (6) Porro Alba ne defluat, (7) (6)
& gressum impediat, cingulo stringitur, quod in lege baltheus, a Græcis (7)
Zona dicitur. De ejus profano usu multa congerunt Saussajus *lib.* 3. *citatæ Panopliæ*, & Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria*. Varias autem cingulorum formas describit Isidorus *lib.* 19. *Originum cap.* 33.

(1) *Alba utatur.*) In Formulario apud Reginonem legitur de Sacerdotibus: *Si absque alba, aut cum illa alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.* Item ibidem in Baluzii Append. ad Reginonem, atque in Constit. Synod. Episcoporum ad Parochos præscribitur: *ut nullus in alba, qua in suos usus utitur, præsumat cantare Missam.* Quod & Leo IV. decrevit apud Baronium ad an. 855. *Nullus in alba, qua in suo usu utitur, præsumat Missas cantare.*

De Alba, seu linea & candida veste Sacr. Ecclesiæ Ministrorum variæ Patrum authoritates.

(2) *Quem sub nomine Caroli Magni edidit VVolfangus Lazius*) De Candida, seu Linea veste, qua universus Ecclesiasticus Ordo in Sacrificiorum celebratione utebatur, diserte meminit S. Hieronymus Dialogo I. adversus Pelagianos, ubi hæc habet: *quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus in administrationem Sacramentorum candida veste processerint?*

Item Anthor Homiliarum in Matthæum sub S. Joannis Chrysostomi nomine Homil. 83. cap. 6. ita Sacros Ministros admonet: *Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona, non quia tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis.* Item Gregorius Turonensis pluribus in locis, tum in Historia Francorum lib. 4. cap. 44.; tum in Vita S. Aredii Abbatis cap. 8., & lib. de Gloria Confess. cap. 20. tum denique ibidem cap. 41. Albæ vestis Sacerdotum, & Diaconorum mentionem facit.

(3) *Camisiam vocant*) Hieronymus in Epist. 128. ad Fabiolam: *volo*, inquit, *pro legentis facilitate abuti vulgato sermone: Solent militantes habere lineas, quas Camisias vocant, sic aptas membris, & adstrictas corporibus, ut expediti sint, vel ad cursum, vel ad prælia dirigere jacula, tenere clypeum, ensem vibrare, & quocumque necessitas traxerit*: Hinc concludit: *Ergo & Sacerdotes parati in Ministerium Dei utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudinem vestimentorum nudorum celeritate discurrant*: Hæc Hieronymus, ex quo Amalarius ab Eminentissimo allatus, qui ulterius scite observat album vestimentum, cujus Hieronymus meminit, in hoc differre ab Ecclesiastico indumento, quo hodie utimur, quod illud strictum fuerit, Ecclesiasticum vero largum, illud ad crura tantum, istud ad pedes descendat, cujus discriminis rationem reddit, quam etiam attingit Innocentius III. lib. I. Myster. Missæ cap. 2. *Hæc vestis*, inquit, *in veteri Sacerdotio stricta fuisse describitur, in Novo larga est propter spiritum adoptionis in libertate.* Subdit autem Innocentius hanc vestem aurifrisiatam, gemmisque, & variis operibus ad decorem ornatam fuisse, quod & fuse, ac docte ostendit Dominicus Georgi de Liturgia Rom. Pont. lib. 1. cap. 16.

Album Vestimentum, cujus meminit Hieronymus, ab hodierno diversum, quod illud strictum, istud largum.

Antiquitus Albæ, vestes Ecclesiasticæ aureis limbis, seu fasciis exornatæ.

(4) *Cum Chrysoclavo*) Et quidem antiquitus Alba, seu Camisia dicta aureis limbis, seu fasciis solebat exornari: S. Angilbertus Abbas Centulensis, uti narrat Hariulfus in ejus Vita apud Mabillonium sec. IV. Bened. parte I. pag. 116. donavit Ecclesiæ ejusdem Monasterii Centulensis anno Domini 800. *Albas Romanas cum amictis suis auro paratas sex*: Leo Ostiensis narrat in Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 74. Victorem III. Papam jam moriturum anno 1087. reliquisse Monasterio Cassinensi varia ornamenta sacra, inter quæ Camisi magni deaurati cum amictis suis duo, & alii de serico septem. Hinc colligitur, ut scite observant Macri fratres in Hierolexico verbo *Alba*, quod videlicet antiquitus adsuerentur textilia frusta in manicis, pectore, humeris, & fimbriis, quem usum, inquiunt, adhuc retinent Regularium Ecclesiæ, & Pontificia Capella, quod etiam ponitur in amictu a Regularibus S. Bonifacii Ferentinatis Episcopi Alba in Cathedrali Viterbiensi adservata, habet hæc frusta attalica, atque etiam in ejusdem Amictu Gothicis litteris, minutisque margaritis pulchre *Tetragrammaton* efformatur, scilicet nomen illud Dei ineffabile, alludens ad id, quod in fronte summus Judæorum Sacerdos gerebat. Quare uberius refellitur Casaubonus infra ab Eminentissimo notatus; Albæ enim cum amictis suis, non templorum ornamenta sunt, ut ipse falso autumat, sed Ecclesiæ Ministrorum. Camisiæ porro nomen a Liturgicis Scriptoribus Albæ donatum sensim in vernaculam linguam deflexit levi facta mutatione; nam ab Italis *Camice* hodie etiam appellatur, de quo Octavius Ferrarius in Orig. Linguæ Italicæ verbo *Camice* predicto.

Hæc de Alba, seu Camisia quoad Latinos; Græci vero hujusmodi sacrum indumentum habent quidem, sed ex serico vario colore, & quasi cælesti, eodem utuntur, præsertim Episcopi, idque Sticharium vocant, quod candidi coloris esse debet juxta Symeonem Thessalonicensem, qui lib. de Divino Templo, etsi Latinorum infensus hostis, Græcorumque suorum acerrimus vindex, hæc ait: *Sticharium lucidi vestitus Angelorum imitamen induit; sæpe enim in veste fulgenti Angelos apparuisse novimus, ut & illum in monumento Salvatoris coopertum Stola candida; propterea purum, & ab omni inquinamento liberum Sacerdotale sticharium esse oportet.* Quare est manifestus Græcorum abusus (subdunt laudati fratres Macri loco cit. verbo *Sticharium*) Albam indui variorum colorum. Idem adstruit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus

tanus

tanus in Theoria Rerum Eccl. ubi de Sacris Vestibus ait: *Ac primum Tunica, quæ Alba est, divinitatis splendorem indicat, & Sacerdotis splendidam conversationem*. Cæterum Alba, seu tunica talaris linea, cujus item meminere Concilium Carthaginense sub Anastasio I. Can. 12. & Narbonense sub Pelagio II. quam Amalarius, & alii, ut supra Camisiam vocant, a Sinagogæ Sacerdotibus ad Sacros Ecclesiæ Ministros transiit; Vestem Albam significat, qua Herodes Christum Dominum illusit, uti id observant Innocentius III. & D. Thomas, ille lib. 1. de Myst. Missæ, cap. 51. iste 3. par. quæst. 40. art. 7. ac Durandus Mimatensis in Rationali Div. Off. lib. 3. cap. 2.

Cinguli varia nomina, & varii quondam coloris, atque auro, vel argento ornata erant hujusmodi sacra cinctoria.

(5) *Cingulum*) Inter sacra vestimenta frequentius nominatur cingulum, etsi idem etiam quandoque Zona, & Baltheus appelletur, de quo item meminit Hieronymus Epist. 128. ad Fabiolam: *Tertium genus est vestimenti, quod illi* (Hebræi scilicet) *appellant Abner, nos cingulum, vel Baltheum, vel Zonam possumus dicere*: Similiter Alcuinus de Div. Offic. Cap. 39. *Deinde sequitur Zona, quæ dicitur Cingulum*. Restringitur Alba, seu poderis, ne laxe per pedes diffluat: quibus consonant Amalarius, Rhabanus, Honorius Augustodunensis, Hugo Victorinus, Innocentius III., & Guillelmus Durandus, cæterique, qui de sacris vestimentis scripserunt. Varii quondam coloris fuere hujusmodi cinguli, Zonæ, aut Balthei, & auro quandoque ornati, uti colligitur ex Riculfi Helenensis Episc. Testamento apud Baluzium Append. ad Reginonem pag. 626. ubi legitur eumdem legasse Ecclesiæ suæ anno 916. *Zonas quinque, unam cum auro, & gemmis pretiosis, alias quatuor cum auro*: Item ex Ughellio Tom. 7. Italiæ sacræ pag. 1275. Falco Vigiliensis Judex, inter cætera donasse legitur Ecclesiæ S. Margaritæ *Unam Zonam de seta rubea*. Porro de Alba, & Cingulo legendus Cl. Vir toties laudatus Dominicus Georgius de Liturgia Romani Pontif. Cap. 16., & 17., ubi fuse, & eruditissime de iis differit.

Ut autem perspiciatur, quam antiquus in Romana Ecclesia sit sacræ hujus vestis, seu cinguli usus; Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni lib. 4. cap. 80. narrat fideles magna veneratione solitos prosequi fuisse ejusdem S. Pontificis Phylacteria: *Sed & ejus Baltheum*, inquit, *consuetudinaliter osculatos esse*. Pariter & in veteri Lege cinguli mentio habetur Exodi cap. 12. *Renes vestros accingetis*. Job. cap. 13. *Præcinge fune renes eorum*; item Isaiæ cap. 12. *& erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*. Hinc nedum apud Judæos, sed & apud Romanos, qui laxis, & solutis vestibus incedebant, vecordes, pigri, ac luxuriosi homines habebantur; Econtra viro forti dicitur Job. cap. 38. v. 3. *Accinge ut vir lumbos tuos*: quare non sine mystica significatione, quidquid aliter sentiat Du-Vertius, lumbos cingulo præcingunt sacri Ecclesiæ Ministri ex Christi Domini præcepto Lucæ cap. 12., ubi ait: *Sint lumbi vestri præcincti*, quod Divinum mandatum licet ad Christianos omnes pertineat, præcipue tamen Sacerdotes spectat, sicut & illud Apostoli: *state succincti lumbos vestros in veritate*, ut admoneantur restringendos omnes cupiditatis motus, ut in ipsis maneat virtus continentiæ, & castitatis, quemadmodum in oratione propria exprimitur, quod & S. Gregorius Magnus hom. 13. in Evangelia declarat dicens: *Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*.

Olim etiam apud Judæos, & Romanos, qui solutis, & non cinctis vestibus incedebant, pigri, ac vecordes habebantur.

(6) *Linea veste usus est*) De lineis Sacerdotum Gentilium vestibus vide quæ supra adnotavimus Lib. I. par. I. ad cap. 5. §. 2. nota 1. pag. 71.

(7) *Porro alba ne defluat*) Ne tunica linea defluat, & gressum impediat, inquit Beda, ne laxe per pedes diffluat, ait Alcuinus; ne defluendo incessum impediat, inquit Durandus, & post eum Innocentius III. lib. 1. de Myst. Missæ cap. 15. ac Lugdunesis Ecclesia in suo Missali anno 1620. Honorius item Augustodunensis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 203. Stephanus Æduensis de Sacram. Altaris cap. 10. & Rabanus Maurus lib. 1. Instit. Cler. cap. 13. aliique.

§. V.

De Manipulo, olim Mappula, Sudarium, Fanon. Ejus forma, & usus.

MAnipulus posterioris ævi additamentum est, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec a priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon, sive Mappula (1) brachio sinistro (1)
alligata, qua sudor & sordes abstergebantur, ut illi passim testantur, qui de Divinis Officiis tractatus ediderunt. Alcuinus, *Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur*. Amalarius lib. 2. cap. 24. *Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris*. (2) Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. Clericorum cap. 18. (2)
Quar-

Quartum Sacerdotis indumentum Mappula sive mantile est, quod vulgo Fanonem vocant. (3) Est autem Fano vox Saxonica, quæ expansum vel (3)
extensum significat, ut docet Vossius *lib.* 2. *de vitiis serm. cap.* 7. In Ordine Romano qualiter Missa celebretur: *Deinde Subdiaconus regionarius ponit Mappulam in sinistro brachio Pontificis super planetam.* Tempore Gregorii Magni soli Clerici Romanæ Ecclesiæ Mappulis utebantur: Sic enim ille loquitur *lib.* 2. *Epist.* 54. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem. *Illud autem, quod pro utendis a Clero vestro Mappulis scripsistis, a nostris est Clericis fortiter obviatum dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiæ concessum fuisse. Sed nos servantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti Cleri nostri, primis Diaconibus vestris in obsequio duntaxat tuo Mappulis uti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissime prohibemus.*

Manipulus non ad tergendas sordes, ut olim Mappula, sed ad ornatum suffectus circa seculum X.

Duravit autem hic Mappulæ, sive sudarii lintei usus, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est,
(4) qui propterea ejus materiæ & texturæ est, ex qua Stola, & Pla- (4)
neta fieri solent. Hanc vero mutationem Mappulæ in Manipulum seculo decimo factam conjicio; nam Alcuinus, & Amalarius, qui seculo nono
vixerunt, Mappulis usum tunc viguisse ostendunt. (5) Manipuli autem (5)
mentio fit in veteri Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbejensis apud
Menardum, qui Ratoldus vixit anno 980. (6) Olim, ut apparet ex anti- (6)
quis picturis, ejus forma longior erat & strictior, vix duos pollices excedens, quemadmodum & stola, & linea utrinque æquali a summo ad imum limbum defluebat: nec erat extrema pars latior, sicut nunc est.
(7) Quod vero Manipulus proprium Subdiaconi indumentum, ut Scho- (7)
lastici existimant, veteri usu non fuerit, argumento esse inter cætera potest, quod illo uterentur, qui nullo ordine initiati erant. Testis est Lanfrancus Cantuariensis *Epist.* 13. dicens, *In Cœnobiis Monachorum etiam Laici cum Albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre Manipulum.* Verum hæc consuetudo, ut in notis ad eandem Epistolam vir eruditus Lucas Dacherius observat, abrogata postmodum fuit in Conci-

Ipsique nonnisi Subdiacono postea concessus.

lio Pictaviensi secundo sub Paschali II. c. 5. *Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, nisi fuerit Subdiaconus.* (8) Manipulo nostro res- (8)
pondet apud Græcos *Epimanicion*, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam *n.* 12. Cum Planeta totum corpus ambiret, ut mox videbimus, ea super brachia duplicata, & triplicata, ut Gemma animæ, ait *lib.* 1. *cap.* 207. & 208. Manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur: qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peracta confessione a Ministris imponitur, quia
prisco more post confessionem casula elevari solebat (9). (9)

(1) *Lintea Syndon, sive Mappula*) In Charta Falconis Imperialis Judicis Vigiliarum anni 1197., quam exhibet Ughellius Tom. 7. Italiæ sacræ Col. 1275. vocatur Manulum, *unam stolam de catasfittulo, unum manulum de catasfittulo.* Eadem fere appellatione donatur in Chronico Fossæ novæ, an. 1196. manibus suis posuit super altare pulchram stolam cum manulo. Monet Dufresne in Glossario fortasse legendum esse manipulum, sed cum Ughellius chartam ex autographo descripserit, locus non videtur esse corruptus.

(2) *Pati superflui humoris*) His consonant Alcuinus, Ivo Carnotensis Serm. de signif. indum. Sacerd. Hugo Victorinus de Offic. Eccl. lib. 1. cap. 51. aliique Rituum Ecclesiasticorum Scriptores, qui circa seculum decimum floruerunt. Hinc hujusmodi manipuli usum, ac litteralem illius significationem avidius arripit more suo Du-Vertius quacumque rejecta illius symbolica significatione, verum aberrat ille non satis tempora distinguens, ut optime observat Illustrissimus Languet Archiep. Senonensis in suo peculiari Tractatu contra eumdem Du-Vert. §. 34. Manipulus etenim, qui olim usque ad seculum octavum, ut infra ostendemus, ad necessitatem, & munditiem fuit, in ornamentum deinde transiit; *Manipulus*, inquit Willelmus Brito in Vocabulario, *est ornamentum*

Du-Vertius notatur quoad Manipuli usus ætatem.

Manipulus olim ad munditiem indutus, postea in ornamentum transiit.

manus: quod & confirmat Petrus Brunus Cærem. Missæ Tom. 1. pag. 47. Quare jam a nono seculo cum ornari manipuli cœpissent, atque inde ex auro, vel opere phrygio decorari, pristino usui ad abstergendas sordes paullatim inservire desierunt, idque undecimo seculo, uti scribit Hugo Victorinus memoratus, qui eo tempore floruit, loco mox indicato, ubi hæc ait: *olim* (per manipulum) *sudor, & narium sordes extergebantur*. Si *olim*, ergo jam diu ante Hugonem usus ille manipuli desierat, merumque Ministrorum Ecclesiæ ornamentum evaserat. Accessit item ad hoc ornamentum & symbolica, seu mystica significatio, doloris scilicet, & fletus, qui hac in vita sustinendus est, & manipulo quasi detergendus, quo certe tendit oratio, cum manipulus ex Missali Romano a Sacerdote ad lævam sumitur; *merear Domine portare manipulum fletus, & doloris &c.* quæ etiam consonat cum oratione, quam refert Edm. Martene ex antiquo Missali Ecclesiæ Narbonensis Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. pag. 344., ubi & alias mysticas manipuli significationes ex aliis vetustis Missalibus libris depromit. Utrumque porro usum, & necessitatis, & religionis conjungunt Stephanus Eduensis Episc. sec. XII. Scriptor lib. de Sacram. Altaris cap. 10. *Mappula*, inquit, *qua solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum*; & Innocentius Papa III. Myster. Missæ lib. 1. cap. 59. *In sinistra manu*, ait, *quædam ponitur mappula, quæ manipulus, vel sudarium appellatur, quo sudorem mentis abstergat, & soporem cordis excutiat, ut depulso tædio, vel torpore, bonis operibus diligenter invigilet*.

(3) *Quod vulgo Fanonem vocant*) Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 208. *Sacerdos Fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & mappula, & sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur*.

Nonnullarum particularium Ecclesiarum statuta circa syndonem, seu sudariolum ad tergendas oris, & narium sordes destinatum.

(4) *Sed ad ornatum suffectus est*) Hic observare juvat quod postquam manipulus in Ecclesiasticum ornamentum evasit, statuerunt plures Ecclesiæ, ut quilibet Sacerdos syndonem, seu manutergium haberet pendens circa Missale ad tergendas oris, & narium sordes. Id diserte præcipiunt Statuta Synodalia Ecclesiæ Leodiensis anni 1287. edita ex Martene Tom. V. Anecdotorum pag. 838. „Missale semper involutum camisia linea, & „munda altari imponatur, & habeat sudariolum, seu manutergium dependens, „quo Presbyteri nares, os, & faciem detergant „ Statuta Synodalia Ecclesiæ Meldensis apud eumdem Martene pag. 900. „districte præcipitur, ut quilibet Sacerdos habeat in celebratione Missæ propter munditiam vestimentorum servandam circa „altare unum manutergium pendens ad Missale, ad tergendum & nares, si fuerit necesse „ quod statutum ad verbum desumptum esse videtur ex Statutis Odonis Episc. Parisiensis in Synodo habita circa an. 1200. Idem statutum in Synodo Parisiensi an. 1254. observat laudatus Petrus Le-Brun Explic. litt. Missæ Tom. 1. pag. 49. Vide etiam Concilium Coloniense an. 1280. Durandum in Ration. lib. 9. cap. 16. Statuta Synodalia Ecclesiæ Constantiensis circa tempora Concilii Lateranensis edita, & ab eodem Martene vulgata pag. 811. „juxta altare ad minus tria manutergia habeantur, unum ad „primam ablutionem, secundum post Evangelium, tertium post susceptionem Sacramenti, aliud sit pendens circa Missale ad „tergendum os, & nares Sacerdotis, si „opus fuerit „ Hinc suspicor repetendam originem deferendi syndonem super Missale, quem morem alicubi servatum vidi, quamquam nunc ea syndone Sacerdotes, non ad narium sordes, sed ad manus post primam ablutionem tergendas utantur.

(5) *Mappulis usum tunc viguisse ostendunt*) Ex editis antiquitatis monumentis postquam Emin. Cardinalis fato functus est, ut scite observat Cl. Vir Dominicus Georgius in Liturgia Rom. Pontificis lib. 1. cap. 30. n. 3. manipuli nomen in ministerio altaris seculo X. antiquius esse constat; nam in Codice Monasterii S. Dionysii in Francia sub Caroli Magni tempora scripto inter preces ad sacra indumenta accipienda habetur oratio ad manipulum, uti videre est apud Martenium de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 12. Tom. 1. pag. 514. Item Wifredus Comes Barchinonensis, & Widiniles Comitissa an. Domini 888. in Kal. Maii, quo die dedicata est a Godemaro Episcopo Ausonensi Ecclesia S. Mariæ Rivipullensis, *tradiderunt eidem Ecclesiæ Pontifici . . . . Calicem, & Patenam de auro, Missalem, Lectionarium, Planetam, Albam, Stolam, & Manipulum*. Ita in Baluzii Append. ad Marcam Hispanicam n. 45. pag. 817. En igitur manipuli nomen inter sacras vestes seculo nono, immo & seculo octavo. Nam Joannes Mabillonius in Annal. Ord. S. Bened. lib. 25. §. 33. ad an. 781. donationem quamdam Aldegiastri Monasterio Obonensi apud Astures factam refert, in qua inter vestimenta sacra memoratos leges, *tres mantos, seu casulas, sex stolas, & quinque manipulos*, ex quibus omnibus constat & a seculo VIII. rem, ac manipuli nomen inter sacras vestes fuisse.

Manipuli nomen seculo X. antiquius, & quidem a seculo VIII.

(6) *Qui Ratoldus vixit anno 980.*) Item in Missæ fragmento infra suo loco descripto ex MSS. Codice Chisiano, quod ejusdem ævi fuisse dictum est, manipuli nomen habetur, & ad ipsum sumendum peculiaris oratio.

(7) *Sicut nunc est*) Id præ cæteris videre est in Codice Bibliorum a Metensibus Monachis Carolo Calvo Francorum Regi donato, ubi habetur pictura, quam æri incidendam curavit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia Regum Franc. Tom. 2. col. 1276. Visitur ibi Vivianus Monachus S. Martini Metensis eumdem Bibliorum Codicem dicto Carolo Regi offerens, Monachi sacris vestibus induti, ex iis tres manu dextera inter pollicem, & indicem manipulum tenent, tres vero in sinistra, unus in brachio dextro; manipuli in extremitatibus fimbrias auro textas præferunt: duos, seu tres circiter digitos lati sunt, & circa extremitates paulisper latiores; non agnoscitur, ex qua mate-

Confirmatur manipuli antiquitas ut supra a seculo VIII.

materia confecti sint, an ex lino, lana, vel serico, coloris tamen albi esse videntur. Hujusmodi manipulorum figuræ spectantur & in Codice Rhabani Mauri nunc Vaticano, de quo Codice dictum supra ab Em. Aut. ad cap. 23. §. 7. pag. 161. Edit. Ro. & §. 10. pag. 194. Edit. Par.

Olim etiam non Subdiaconi, apud Monachos maxime, manipulis utebantur.

(8) *Nisi fuerit Subdiaconus.*) Post Pictaviensis Concilii Statutum non destiterunt Monachi Cluniacenses etiam Laici fratres Conversi uti manipulis, quod illis exprobrat Auctor Dialogi inter Monachos duos, Cluniacensem unum, & Cistercienſem alterum apud Martene Tom. V. Anecdotorum col. 1610. *Quidquid expenditis, inquit, non necessario, sed superfluo usu rapina pauperum est. V. G. sicut sunt albæ, & manipuli, quibus a minimo usque ad supremum, tam Conversi vestri, quam Monachi . . . . . in festis diebus induuntur, quid sunt ista nisi rapina pauperum?* Hactenus Monachus ille Cisterciensis, qui si Cluniacensem mitiori censura vexasset, rem non indignam religiosa, & christiana pietate fecisset, præsertim cum laici prædicti Cluniacenses albis, & manipulis non sacratis uterentur, ut ipsemet Dialogi Auctor agnoscit.

Recentioris ævi consuetudo est, ut Episcopi ad altare manipulum sumant.

(9) *Post confessionem casula elevari solebat*) Ad hunc locum scite observat laudatus Dominicus Georgius Liturgiæ Rom. Pontif. loco citato n. 9. priscum equidem morem fuisse sumendi manipulum post alias sacras vestes; at etiam liquet ex Ordine Romano I. n. 7. II. n. 2. & III. n. item 7. apud Mabillonium antiquitus manipulum Episcopis exhibitum statim ac Planetam, aut Pallium celebraturi sumpserant, ante egressum e secretario, non ad altare expleta confessione, nisi velimus solemnius duxisse sacrorum Rituum Interpretes, ut sentit Vicecomes, Episcopos, postquam ad aram anteactæ vitæ noxas damnassent, manipulum, quo bona opera juxta S. Brunonem Signiensem, Hildebertum Cenomanensem, aliosque mundæ cogitationes significantur, tunc accipere. Hæc ille. Quibus item constat recentioris ævi consuetudinem esse, ut Episcopi ad altare manipulum sumant.

§. VI.

De Stola. Quid fuerit apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos. Cur nostræ hoc nomen tributum. De palla linostima.

Stolæ nomen apud profanos Scriptores muliebrem vestem significat.

STolæ nomen apud profanos Scriptores tam Græcos, a quibus fluxit, quam Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Unde Cicero mores effœminatos Marci Antonii redarguens *Philip.* 2. ait, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*. Erat autem proprie matronarum vestimentum, ut docet Ferrarius *de re vestiaria lib.* 3. *cap.* 17. (1) adeo ut impudicæ mulieris nota foret (1)
brevior tunica, & Tertullianus *lib. de Pallio cap.* 4. inter signa ejuratæ pudicitiæ recenset, matronam in publico sine stola (2). Interdum tamen (2)
sumptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, & Privatorum. Nam *Genes.* 41. cum Pharao constituit Joseph super universam terram Ægypti, vestivit eum stola byssina: & ipse Joseph *Genes.* 45. singulis fratribus suis proferri jussit binas stolas; Beniamin vero dedit quinque stolas optimas. In libro quoque Esther *cap.* 6. cum dixisset Aman eum, quem Rex honorare vellet, debere indui vestibus regiis: tum sequitur tulisse stolam, & induisse Mardochæum. Filium item prodigum ad se revertentem jussit Pater indui stola prima, eximia scilicet, & omnium, quæ domi erant, pretiosissima (3). Zozimus *lib.* 4. (3)
ait Julianum concessisse Procopio, ut regiam stolam haberet: & Diodorus Siculus *lib.* 2. narrat Arbacem, qui primus ex Medis Assyriorum imperium, defuncto Sardanapalo, occupavit, indutum regia stola Regem appellatum fuisse. De stola Summi Sacerdotis in lege veteri agit Josephus *lib.* 15. *Antiquit. cap.* 14. & *lib.* 18. *cap.* 6. Sacerdotes item stantes ante Altare cum stolis Sacerdotalibus commemorat lib. 2. Machabæorum cap. 3. Zozimus *lib.* 4. loquens de titulo Pontificis Maximi Imperatoribus olim tributo, ait, *simul ac summum Imperium quisque consequebatur, stola Sacerdotalis ei offerebatur a Pontificibus, & continuo Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur*: tum refert Gratianum eam stolam sibi oblatam aversatum fuisse, quod illicitum existimaret Christianum eo habitu uti. Stolæ formam exprimit Xenophon *lib.* 8. *Cyripæd.* his verbis. *Elegit itaque stolam Medorum & ipse ferre, & ut familiares eo induerentur*

Stola antiqua totum corpus tegebat.

tur persuasit. Hæc enim visa est ei occultare, si quis defectum aliquem habere beret in corpore: quia nimirum totum corpus tegebat præter caput, & collum. (Herodianus etiam *Hist. Rom. lib.* 5. stolæ Sacerdotalis apud Ethnicos meminit, cum refert Antoninum Eliogabalum sacra stola se ornasse, ut Sacerdotis munia obire videretur.) Simili modo describit stolam Sacerdotalem S. Germanus Constantinopolit. *in Theoria Liturgiæ*, quam esse ait ignicolorem, demissam usque ad pedes instar poderis Aaron. Nec dubito, quin talis fuerit stola illa auro contexta, quam scribit Theodoretus *lib.* 2. *hist. cap.* 27. a Constantino Magno donatam Macario Episcopo Hierosolymitano, [ut ea indutus Divini Baptismatis ministerium perficeret, a Cyrillo autem venditam, ut illi adversarii objiciebant. Et hæc quidem erat stolæ forma apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos: at nunc stola nostra non vestis, sed veluti torques est a collo per humeros ad pectus pendens, & usque ad genua protensus. Quod sane ornamentum, quando cœperit a Sacerdotibus in Sacris adhiberi, & cur ei stolæ nomen tributum sit, solerti indiget disquisitione. Quidam ævo Apostolorum cœpisse scribunt, eo quod legerint stolam S. Jacobi Apostoli Missam fuisse a Theodosio Hierosolymorum Episcopo ad S. Ignatium Constantinopolitanum; & stolam S. Stephani Protomartyris a Macario item Hierosolymitano datam Helenæ Augustæ, & ab ea Vesontionem transmissam (4). Sed hos Scriptores vocis æquivocatione deceptos (4)
evidens est; stola enim illorum temporum, ut ex dictis constat, vestis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum stola hodierna præter nomen. Durandus in Rationali *lib.* 3. *cap.* 5. stolæ initium ad illud tempus refert, quo Alba deferri cœpit. *Notandum*, inquit, *quod antiquitus stola erat vestis candida pertingens usque ad vestigia, qua Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cum benedictionem Patris acciperent, induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant. Sed postquam Alba cœpit portari, mutata est in torquem* (5). Hæc ta- (5)
men levis conjectura est, & nos certiora hujus rei indicia dabimus ex Conciliis mox referendis. Unde autem nomen stolæ huic ornamento?

Stolæ hodiernæ Ecclesiasticæ nomenclatura a fascia, quæ olim in limbo vestis antiquæ assuta erat, deducta.

An quia successit veteri stolæ, ut innuit Durandus? An potius deducta est nomenclatura a fascia, quæ in limbo ejus vestis assuta erat, quæ olim stola dicebatur, retento totius vestis nomine in parte quadam illius? Ita conjicit, & mea quidem sententia probabiliter, Vincentius Riccardus *in Commentariis ad orationem sextam Sancti Procli* (6). In extrema nam- (6)
que parte antiquæ stolæ, ut observat Bayfius *de re vestiaria cap.* 17. assuta erat fasciola, seu limbus ipsam vestem ambiens, cui cum sit valde similis hodierna stola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum sit. In Actis Sancti Silvestri, quæ Damaso adscribuntur, ab eo constitutum legimus, ut Diaconi Dalmaticis in Ecclesia uterentur, & palla linostima læva eorum tegeretur: Zozimus item constitutum fecisse dicitur, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis; ubi forte legendum linostema, idest ex lino, & lana contexta, quæ, ut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. dicta est linostima, quia in stamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ nihil commodius intelligi potest, quam sto'a Diaconalis, quæ in humero sinistro ab ipsis defertur ad differentiam Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis (7). Stolæ item mentio fit sub (7)
nomine Orarii, in Concilio Laodiceno tempore ejusdem Silvestri habito

Ejusdem stolæ usus in Ecclesia a seculo quarto.

cap. 22. & 23. quibus Subdiaconis, & Lectoribus prohibetur, ne Orariis utantur. Ex quo duplici testimonio infertur ante annos mille, & trecentos usum stolæ in Ecclesia invaluisse (8). (8)

(1) *De*

(1) *De re vestiaria lib. 3. cap. 17.*) Et Bayfius item de eodem argumento lib. 1. pariter cap. 17.

(2) *Matronam in publico sine stola*) Atque ex ipso dictum a S. Isidoro Hispalensi Episcopo in lib. 19. Originum cap. 25.

(3) *Quæ domi erant pretiosissima*) Hinc Nonius Marcellus in lib. de proprietate serm. cap. 14. observavit stolam veteres nominasse, non honestam vestem solum, sed etiam omnem, quæ corpus tegeret.

(4) *Ab ea Vesontionem transmissam*) Vide notas nostras supra ad cap. 5. §. 2. pag. 71.

(5) *Mutata est in torquem*) Durando succinit Sicardus Cremonensis Episcopus in suo Mitrali, Cod. Vat. 4975. Ad hæc optime ait Guillelmus Burius in suo Onomastico etymologico verbo *Stola*, quod sicut quidam Canonici Ord. S. Augustini pro integra hujusmodi alba veste, torquem candidam tantum, seu fasciam lineam gestant, instar parvi scapularis; ita etiam Stola, quæ quondam integra vestis erat, nunc tantum est fascia e sacri Ministri collo hinc inde pendens, Sacerdotis scilicet, & Diaconi, quorum munus est prædicare verbum Dei; & quidem a Diaconis Stola defertur super uno tantum humero sinistro sub axillam dextram connexa ad distinctionem Sacerdotum, qui utroque humero eamdem portant a collo ante pectus in modum crucis cingulo adstrictam, cum celebrant; solutam vero, quando ab ipsis sacrum aliquod ministerium exercetur, atque item hoc modo ab Episcopis, sive Abbatibus usum Pontificalium habentibus, uti ex recentibus Missalis Romani rubricis ob rationem, quia ante pectus parvam crucem gestant.

(6) *Ad orationem sextam S. Procli.*) Quibus etiam adstipulatur Dominicus Georgius de Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 20. n. 6. pag. 165.

(7) *A collo ante pectus pendentis*) Gavantus in Rubricas Missalis, & post ipsum mox laudatus Dominicus Georgius loco citato lib. 1. cap. 20. nu. 13. Pallam hanc linostimam, quam Liber Pontificalis tradit a S. Silvestro Diaconis concessam, non stolam, sed manipulum volunt intelligi, seu sudarium ex lino, & lana confectum; at Eminentissimum nostrum in hac contraria sententia, stolam scilicet, non manipulum significari, præcessit Joseph Vicecomes lib. 2. de Missæ apparatu cap. 19. Quibus adstipulantur Macri fratres in Hierolexico, Mortierius, Thiersius de stola Archid. cap. 17. & novissime Joseph Catalanus de Cod. S. Evang. lib. 2. cap. 10. pag. 60. Et quidem, quod illi gratis negant, sed non probant, id asserendum, & probabilius esse, ratio ipsa suadet, ac plurium confirmat auctoritas; manipulus enim, quem ipsi Diaconis concessum esse contendunt, posterioris ævi additamentum est; ut supra optime notat Eminentissimus Author, cujus originem a Gregorio Magno discimus, & solis Clericis Romanæ

Gavantus, & Dom. Georgius quoad Pallam linostimam a Silvestro I. Papa Diaconis concessam, notati.

Ecclesiæ permissum; præterea si & Subdiaconis communis, non erat quid Diaconis singulare. Hæc insuper roboratur assertio verbis Rodulphi Tungrensis Prop. 23. ubi de hoc Silvestri Decreto agens, inquit, *ut Diaconi Dalmatica uterentur in Ecclesia, & Palla linostima eorum læva tegeretur*; ergo Stola est, quæ ad lævam antiquitus, tanquam in parte nobiliori pendebat. Denique prædicta confirmantur ex relatis infra sequenti §. ab Eminentissimo Authore Hispanorum Conciliorum decretis. Quemadmodum intumescebant Diaconi tempore Concilii IV. Toletani, & duo Oraria, seu Stolas gestare ambiebant; e contra tempore primi Braccarensis Concilii eosdem pudebat patenter Orarium deferre, & ideo sub tunica abscondebant, ita ut nihil differre a Subdiaconis viderentur; quare dictum Concilium statuit, *ut de cætero supposito scapulæ, sicut decet, utantur Orario*. Ex quo duo item subeunt momenta, quibus pro palla linostima, non manipulus, sed stola intelligi debet; etenim quomodo manipulum sub tunicam abscondere poterant ii Diaconi, cum manipulus sinistro brachio alligandus esset, ad sudores, & sordes abstergendas usu antiquo? Præterea si sic contecto sub tunicam Orario nihil differre a Subdiaconis videbantur, ut ab ipsis distinguerentur, non manipulus, qui necdum inter sacra indumenta computabatur, sed stola sinistro humero supposita id facere debebat, ad differentiam etiam Sacerdotis, qui eamdem stolam utroque humero in modum crucis circumligatam defert. Pro complemento autem, ac majori prædictorum confirmatione præstat advertere ad Laodiceni Concilii statuta cap. 22. & 23. mox ab Eminentissimo allata, quibus Subdiaconis, & Lectoribus indicitur, ne Orariis utantur; utique non alia ratione, nisi quia Stola, seu Orarium erat indumentum sacrum Diaconis a Silvestro concessum, cujus tempore idem Concilium habitum fuit. Posset etiam conjectari, quod Palla linostima Orarium, seu Stola fuisse videatur; nam vestem illam talarem Medorum, quam Herodotus lib. 6. Xenophon supra ab Eminentissimo citatus, Plutarchus in Alexandro, Arrianus lib. 4. & 6. Stolam vocant, Quintus Curtius Pallam appellat, & Horatius Satyr. 2. lib. 1. Pallam pro fascia sumpsit dicens:

Conciliorum Toletani IV. & Braccarensis I. Decreta quoad Orarium a Diaconis gestandum.

Indictum Subdiaconis, & Lectoribus ne Orariis utantur.

Ad talos Stola demissa, & circumdata Palla.

Ut & Seneca in Troade 25.

Cingat tunicas Palla solutas.

His ita perpensis miror eruditissimum virum Dominicum Georgium supra laudatum tam facile Gavanto in adversa hujusmodi sententia adhæsisse, & ab Eminentissimo nostro, aliisque memoratis recessisse.

(8) *Usum Stolæ in Ecclesia invaluisse*) Etiam de Stola Romanorum Vide Wolphangum Lazium de Republica Romana lib. 8. cap. 1. & seqq.

§. VII.

§. VII.

Stola olim Orarium. Quædam de hoc, ejusque usu sacro, & profano.

Orarium idem, ac stola.

PORro nomine Orarii Stolam, qua nunc utimur, intelligi, omnes Ecclesiastici Scriptores testificantur. Gemma animæ lib. 1. cap. 204. *Deinde circumdat collum suum Stola, quæ & Orarium dicitur.* Rabanus Maurus lib. 1. cap. 19. *Quintum est quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent.* Alcuinus de Div. Off. cap. 39. *Sequitur Orarium, idest Stola.* Ordo Romanus, *Subdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta, alius Orarium, alius Planetam.* Anastasius in vita Agathonis, *ea hora S. Synodus una cum Principe ejus Orarium auferri jusserunt a collo ejus*, Macarii scilicet Antiocheni. Adstipulantur veterum Conciliorum Patres, a quibus multa de usu Orarii sancita sunt, quæ satis superque constat ad Stolam pertinere. Concilium Laodicenum jam supra citatum tempore S. Silvestri: Braccarense I. anno 563. cap. 27. *Placuit, quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diacones absconsis infra tunicam utuntur Orariis, itaut nihil differre a Subdiacono videantur, ut de cætero supposito scapulæ, sicut decet, utantur Orario*: Toletanum quartum sub Honorio c. 27. *Episcopus recipiat Orarium, anulum, & baculum: Presbyter Orarium, & Planetam: Diaconus Orarium, & Albam.* Et cap. 39. *Orariis duobus nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero uti; quanto magis Diacono, qui minister eorum est? Unum igitur Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, idest prædicat; dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodo Levita gemino uti Orario, sed uno tantum, & puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.* Braccarense III. (1) sub Adeodato c. 3. *Cum Sacerdos ad solemnia Missarum* (1)
accedit, aut pro se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, itaut de uno eodemque Orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens signum in suo pectore præferat crucis (2). Moguntinum sub Leone III. c. 28. *Presbyteri sine in-* (2)
termissione utantur Orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis, quando scilicet ministeria sui ordinis obeunt: nisi forte hoc loco præter solitum sumatur Orarium improprie pro veste talari, qua revera sine intermissione uti debent Sacerdotes. Quo item sensu interpretantur nonnulli canonem, quem Gratianus 17. *qu.* 4. *c.* 25. & Ivo *p.* 10. *c.* 139. tribuunt Concilio Triburiensi, *Ut Presbyteri non vadant nisi Stola, vel Orario induti. Et si in itinere spolientur, vel vulnerantur, aut occiduntur non Stola vestiti, simplici emendatione sua solvantur, si autem cum Stola, triplici.* Minor enim pœna infligitur illi, qui injuriam irrogat Sacerdoti sine habitu incedenti, cum possit se ignorantiæ exceptione excusare. Ex quo patet Orarium hic accipi pro communi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret a seculari (3). Quod si primam (3)
hujus vocis originem inspiciamus, profana est, & ab eo sensu diversa, quo nunc usurpatur. Antiquis enim Scriptoribus tam Ethnicis, quam Christianis Orarium nihil aliud est, quam sudarium, strophium, linteolum, quo facies abstergitur. Flavius Vopiscus in Aureliano, ipsum primum, ait donasse Oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem. Quia videlicet in altum sublatis Orariis favoris signum obtendere, & Regem venerari censebantur. Ambrosius Orat. quam habuit in obitu Satyri fratris

Orarium interdum antiquitus pro communi vestimento, seu talari veste Sacerdotum propria, & a seculari distincta.

ſratris, deſcribens tempeſtatem, qua jactabatur, *Divinum*, inquit, *Fidelium Sacramentum ligari fecit in Orario, & Orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare*. Quo loco Orarium non Stolam, ut quidam arbitrati ſunt, ſed vulgare linteum ſignificat; nam Satyrus Laicus erat, ad quem Stola ſacra nullo pacto poterat pertinere. Ambroſius iterum *Epiſt.* 54. de miraculis Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, *Quanta Oraria jactitantur? & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur?* Similiter Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Oculum lapſum ligavit orario, nec niſi poſt ſeptem dies putavit eſſe ſolvendum*. Pontius in vita S. Cypriani, *Fratres lintea-mina, & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluus abſorberetur a terra*. Erat autem Orarium magis longum, quam latum, inſtar faſciæ, ut ex loco citato Ambroſii de Satyro fratre oſtendit Caſaubonus in notis ad Vopiſcum. Favet Gregorius Turon. *lib.* 3. *hiſtor. cap.* 5. ubi refert Sigiſmundum Burgundionum Regem filium ſuum dormientem juſſiſſe occidi: *Dormienti*, ait, *orarium ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris, ſuffocatus eſt*. Ex hac autem orarii forma oblonga ſuſpicor translatum hoc vocabulum in Eccleſiam, & ſacræ Stolæ tributum, cui ſuſpicioni robur aliquod addit ſupra relatum Silveſtri decretum de palla linoſtima ex lino, ſicut & ſudarium, contexta.

Idem quandoque pro linteo vulgari, ſeu ſtrophio ſumptum.

Ejus vero etymon ab ora deductum (4) non adeo inveriſimile eſt, ut (4)
quidam ſcribunt, nam ora veſtis facies tergi ſolebat, antequam linteola in uſu eſſent. Plautus in Mercatore act. 1. ſc. 2. *Sume laciniam*, partem ſcilicet extremam veſtimenti, *atque abſterge ſudorem tibi* (5). Ab ore ta- (5)
men probabilius ſumitur, quia orario os tergitur, quam notationem ſequi videtur Prudentius *hym.* 1. *de coronis*, hoc verſu:

Plures item Orarii derivationes referuntur.

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, Orarium.

Alii ab orando derivant, eo quod ſacris Prædicatoribus, ſive Oratoribus detur, ut ajunt Alcuinus, & Rabanus Maurus, quibus conſentit Beda in Collectaneis de ſeptem Ordinibus, *Bene Oratoribus convenit orarium, conveniens veſtimentum officio* (6). Sitne græca, an latina vox, ambiguum (6)
eſt: crederem tamen a Latinis ad Græcos deveniſſe, nam Suidas homo Græcus, & Auctor veteris Etymologici latinum vocabulum eſſe teſtatur. Qui vero græcum eſſe contendunt, triplicem ejus afferunt etymologiam. Balſamon *in can. cit. Concilii Laodiceni*, & Matth. Blaſtares *in Synopſi canonum* a verbo oro, quod Græcis idem eſt, ac obſervo, ſive cuſtodio, deducunt, eo quod diligenter obſervent in myſteriis quæ agenda ſunt, eaque orario ſignificent Diaconis, qui ſunt in Ambone. Simeon Theſſalonicen. derivat ab ora, quæ Heſichio eſt pulchritudo, ſeu venuſtas, quia Diaconum gratiæ venuſtate ornat, & divino decore illuſtrem reddit. Arcudius *lib.* 6. *cap.* 10. ab hora, ſive tempore, quia Diaconus accepta extremitate ſtolæ tribus digitis invitat populum ad orandum, Cantores ad pſallendum, oſtenditque horas, & tempus, quo aliquid eſt faciendum: quæ conſuetudo etiam hodie viget in Græcia. Quamvis autem Orarium commune ſit Diaconis, & Presbyteris, a Græcis tamen Diacono proprie tribuitur, Stolam vero ſacerdotalem Epitrachelion vocant (7), quod latius eſt (7)
Orario, nec ullis literarum notis exaratum, ſicut Orarium Diaconorum, cui ter inſcriptum eſt verbum *Agios*, ideſt *Sanctus* (8). Claudo hanc de Orario (8)
tractationem Iſidori ſententia in Regula Monachorum *cap.* 12. ubi ait non licere Monacho orario uti, quod ante ipſum vetuerat Concilium Aurelianenſe primum cap. 21. Sed hic orarium juxta primam vocabuli originem pro linteo accipitur ad tergendam faciem; nam poſt pauca ait Iſidorus, non debere Monachum vultus curam gerere, ne laſciviæ, & petulantiæ crimen incurrat.

(1) *Brac-*

(1) *Braccarense III.*) Legendum IV. can. 4. Hoc quippe Concilium sub Adeodato Papa celebratum fuit anno 675. Tertium vero multo ante, anno scilicet 672.

Stola a Sacerdotibus ante pectus in modum Crucis aptanda.

(2) *Signum in suo pectore præferat Crucis*) Notandum ex initio hujus Canonis, quod ex antiqua Ecclesiæ consuetudine Stola, seu orarium in modum Crucis ante pectus aptari solet; hujus siquidem ritus antiquitatem ita testatur ibi: *Cum antiqua Ecclesiastica noverimus institutione præfixum, ut omnis Sacerdos, cum ordinatur, Orario utroque humero ambiatur &c.* Quod etiam antiqua Missalia, & veteres picturæ confirmant. Hæc observatio non parvi facienda videbitur ad revincendos nonnullos hac ætate rituum studiosos, qui hanc Ecclesiæ praxim tamquam recentiorem temere damnant, eamque immutare privata authoritate non verentur; licet autem id Innocentii Papæ III. tempore observatum non fuisse videatur, uti ipse de hoc Concili Braecarensis decreto loquens lib. 1. Myster. Missæ cap. 54. sic indicat dicens in fine: *Nisi forte quis dixerit hoc decretum per contrariam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem abrogatum*: observandum est, quod ibi loquitur de Stola Pontificali, non simplici Sacerdotali; siquidem a cap. 48. usque ad finem libri agit de Pontificalibus indumentis, cumque ex propria hujusmodi Prælatorum dignitate, ut diximus, Episcopi, & Abbates, qui similibus insigniis gaudent, juxta Cæremoniale Episcoporum Crucem pectoralem deferant, eapropter stolam a collo tantum pendentem, & solutam habent ad distinctionem aliorum Sacerdotum, qui stolam in modum Crucis gestare debent.

Iterum Clar. Dom. Georgi, & Joseph Catalanus quoad stolæ, sive orarii significationem nottati, & primo Domin. Georgi.

(3) *Ut eum discerneret a seculari*) Hoc loci nobis iterum cum Dominico Georgio, ac Josepho Catalano supra laudatis disceptandum occurrit, qui Emin. nostro adversantur, & putant prædictos Conciliorum Canones de stola, sive orario a Sacerdotibus gestando, debere intelligi, non vero pro veste talari, seu communi vestimento sumi oportere, ut optime autumat Eminentissimus Scriptor. Horum primus citato lib. 1. de Liturgia Rom. Pontif. cap. 20. n. 10. ita inquit, *singula hæc Emin. Bona intelligit de talari Sacerdotum habitu, minime vero de stola, sed mihi magis placet, ut de stola intelligantur*; neque ulterius aliqua ratione opinionem suam firmat. Ast non video, quomodo Clarissimus vir, qui infra lib. 2. cap. 5. merito invehitur in Octavium Ferrarium, & Lazarum Andream Bocquillotium sentientes vestium sacrarum usum olim promiscue adhibitum, & contra ipsos optime ostendit Sacerdotalia, & Clericalia indumenta antiquitus etiam a vulgaribus, & laicalibus distincta fuisse in Galliis, Germania, Hispaniis, & Anglia, Concilii præsertim Triburiensis, ut volunt antiqui Canonum Collectores, statutum proferens, quo cavetur, *ut Presbyteri non vadant nisi stola, aut orario induti, & si in itinere spoliantur &c. non stola vestiti, simplici emendatione absolvantur; si autem cum stola, triplici*; id de stola, ut vestimento sacro interpretari possit, cum hic, & alibi stola, vel orarium sine intermissione a Sacerdotibus, & in itinere delata dicatur; illic vestes sacras nusquam, nisi in sacro ministerio abhibitas ipse luculenter evincat. Ut autem sibi contradicere non videatur, hisce in locis stolam, sive orarium pro veste talari, seu communi Sacerdotum habitu debere accipi fateatur, necesse est.

Deinde Joseph Catalanus, cujus exceptionibus in Card. nostrum respondetur.

Pressius urget Joseph Catalanus loco citato lib. 2. cap. 10. pag. 62., & quærens an olim extra Ecclesiam, atque divina officia Presbyteri, ac Diaconi eum orario, seu stola incederent „ Nonnulli, inquit, merito id „ affirmant, quibus nos libenti animo adhæ„ remus, aperte enim de hac re Concilia, „ ac prisci Scriptores passim loquuntur: „ deinde Synodi Moguntinæ, ac Triburiensis Concilii sanctiones easdem, quas Emin. & ipse refert, mox subdit: „ Joannes Bona „ Cardinalis lib. 1. Rer. Liturg. cap. 24. n. 6. „ putat his locis, orarium, seu stolam im„ proprie sumi debere, scilicet pro veste „ talari, quam revera sine intermissione de„ ferre tenentur Sacerdotes: sed dixerim „ pace tanti viri (ait) an & hæc explica„ tio locum habere possit in Canone Con„ cilii Bracarensis primi anno 563. coacti „ Joanne III. Summo Pontifice, ubi ma„ nifestissime patet orarium, vel stolam om„ nino a veste talari distingui; sic enim „ Can. 9. *Item placuit, ut quia in aliquan„ tis hujus Provinciæ Ecclesiis Diaconi abscon„ sis infra tunicam utuntur orariis; ita ut ni„ hil differre a Subdiacono videantur; de cete„ ro &c.* „ Hæc ille, sed antequam ad reliqua, quæ sequuntur a Catalano objecta respondeamus, quoad hujus Canonis Bracarensis interpretationem; nullus video quomodo manifestissime pateat, ut ipse ait, orarium, aut stolam omnino a veste talari distingui; cum nullatenus communem habitum, sed sacram vestem, ibi expressam ipsius Canonis verba aperte indicent: quid enim aliud innuunt illa præcipue: *in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diaconi absconsis infra tunicam utuntur orariis &c.*? Ubi vides Concilium non de habitu usuali Diaconorum extra Ecclesiam, sed de eorum sacro indumento in Ecclesiis ad altaris ministerium adhibito loqui.

Exponitur Concili Bracarensis Decretum quoad Orarium a Diaconis deferendum.

Neque obstant postrema illa verba, *absconsis infra tunicam utuntur orariis*, quasi tunica hoc loci vestem talarem communem exprimat; notum est enim Eruditis tunicæ nomine antiquitus Diaconis Dalmaticam passim designari, quæ tunica dicebatur; sicuti & nunc *tunicella* dicitur, uti diserte ostendit Card. Baronius ad an. 261. n. 40. idque confirmant, quæ subsequuntur: *ita ut nihil differre a Subdiacono videantur*: siquidem differentia Diaconi a Subdiacono, sicuti & Presbyteri ab ipsis, ea erat in Ecclesiæ ministerio sacro tantum; nam extra Ecclesiam primis seculis Clericos omnes nec coma, nec veste a Laicis discretos fuisse nos docet Cælestini Papæ I. celebris Epistola 2. ad Viennensis, & Narbonensis Provinciarum Episcopos Concil. Labbei Tom. 2. col. 1611. ubi inter cætera ait: *discernendi a plebe, vel cæteris sumus doctrina, non veste, mentis puritate,*

non

non cultu: quibus, aliisque verbis reprehendit Pontifex Clericos, qui in vestitu novum usum induxerant, incedentes amicti pallio, & lumbos præcincti, quos jubet, illum, quem a majoribus accepissent, habitum retinere, quod præstaret moribus magis, quam indumentis sacerdotalem præseferre decorem. Idem & pluribus ostendit Thomassinus vet. & nov. Discipl. Part. 1. lib. 2. cap. 43. His itaque explicatis firmior stat Emin. Authoris sententia, orarii nempe nomine stolam, qua nunc utimur, a prædictis Conciliis Bracarensi I. Toletano IV. & Bracarensi III. intelligi; de ea namque in ministerio sacro adhibenda expresse loquuntur; a Moguntino vero, & Triburiensi stolæ, seu orarii nomine sine intermissione a Presbyteris utendi, atque etiam in itinere gestandi non intelligi sacram vestem, sed pro communi accipi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret a seculari; hæc enim duo Concilia de veste extra Ecclesiam, & sacrum ministerium a Sacerdotibus deferenda satis intelligi dantur. Atque id est, quod sentit Emin. Author, quem meo judicio non ita bene perceperunt laudati Viri Georgius, & Catalanus locis citatis, dum priorum trium Synodorum Canones de veste sacra, cum duobus sequentibus de veste talari confundunt, quos ille optime distinguit.

Alia Catalani Objectio, & ad eamdem nonnulliarum accessio.

At urget Catalanus, & Sanctum Maurum Abbatem, uti testatur ipsius vitæ Author, recepto suo seculi more Diaconalem Stolam primo suæ Ordinationis anno extra rem sacram detulisse exhibet; qui ritus (subjungit) si ab aliis Diaconis usurpabatur, certe non alio consilio, aliove fine, ut etiam inquit Thyersius in erudita sua Dissertatione de Stola in Archidiaconorum Visitatione a Parochis gestanda, quam ut ordinis sui dignitatem in oculis haberent semper, atque a Subdiaconis discriminarentur, ex laudato Braccarensi Concilio: hæc Catalanus. Sancti Mauri exemplo possent addi duo Sanctorum Martini Turonensis, & Fulgentii Ruspensis Episcoporum, qui ipsum præcesserant, quorum primus cum pauperem propria tunica vestierit, vili, & communi veste Missarum solemnia celebravit, uti asserunt Severus Sulpitius, & Venantius Fortunatus ejus vitæ Scriptores. Alter, ut Ferrandus narrat in vita cap. 18. *suæ continentiæ Deo teste fiduciam gerens in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat*, Idem de S. Thoma Cantuariensi legitur in ejus vita per Joannem Salisberiensem.

Dictis exceptionibus respondetur.

At singularia hæc Sanctorum exempla priscum ritum induendi sacra vestimenta ad Missarum solemnia celebranda loco movere non possunt. Atque ut ab antiquiori exordiamur, peculiaris etiam fuit S. Martino consuetudo, ut solus in Secretario antequam ad altare accederet, amotis Clericis oraret, & tamen sacrorum Canonum sanctionibus firmatum erat, ut Episcopi celebraturi una cum Clero in Secretario consisterent: quemadmodum eximie probat Dominicus Georgius ibid. lib. 1. cap. 7. S. Hieronymus iisdem, quibus Martinus floruit, temporibus, & ipse in cap. 45. Ezechielis docuit sacros Ministros *non quotidianis, & quibuslibet pro usu vitæ communis ingredi debere in Sancta Sanctorum, sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta*. Quod & perhibet Chrysostomus Hom. 83. in Matth. cap. 26. Oper. Tom. 1. pag. 871. Singularis item Fulgentii consuetudo, cujus testis erat Deus, ut vestem communem in sacrificando non mutaret, hac ipsa sua exceptione firmat regulam, ex qua sequitur aliorum Sacerdotum morem fuisse, ut in conficiendo Missæ sacrificio, vestem communem mutarent, aliamque nitidiorem, ac mundiorem induerent. Eadem pariter ratione, quod S. Maurus Stolam Diaconalem per annum gestaverit, non obstat aliorum receptæ consuetudini, cum in Decretis Canonum, & in Regula S. Benedicti nulla istius ritus deferendæ stolæ mentio fiat, neque aliud simile de Diaconis, præterquam in vita S. Mauri legatur; quinimmo Can. 41. Concilii Carthaginensis IV. statutum est, ut *Diaconus, tempore oblationis tantum, vel lectionis alba utatur*. Dandum est itaque id cum Sancti Martini charitati, tum Fulgentii singulari humilitati, tum denique S. Mauri devotioni, & obedientiæ, quarum virtutum exercendarum desiderio motus, sic Leviticam Stolam ferebat, ut Diaconalis sui gradus dignitatem semper ob oculos haberet, qua etiam a Subdiaconis distingueretur. Id plane indicant versus illi Vitæ metricæ ejusdem Sancti Abbatis MSS. apud Cangium in Glossario verbo *Stola*, n. 2.

. . . . . Stolam quam toto tempore charam
Anni portabat, quam sic vehementer amabat,
Quod sublimatus, quod erat Levita creatus..

Hæc porro exempla, uti observat Thomassinus loco citato cap. 45. §. 16. errorem contrarium arguunt; nam evincitur apud cæteros consuetum, ut in sacrificio vestes communes deponerent, & sacras induerent.

Iterum confutatur Clar. Joseph Catalanus.

Neque audiendus Catalanus adhuc reponens argumenta in suæ sententiæ contrarium adducta, quamvis non contemnenda, non habere locum quoties Episcopus, Presbyter, aut Diaconus cunctis vestibus ordini suo congruentibus indutus procederet; nequaquam vero si una sola in signum suæ dignitatis sine intermissione uteretur; eadem quippe ratio est de uno sacro indumento, ac de omnibus; etenim Braccarense Concilium IV. an. 675. celebratum can. 3. *anathematis*, seu *depositionis* pœnam infligit iis, *qui Ecclesiastica ornamenta, vel quælibet alia indumenta . . . . . faciendo in suos usus transtulerint*. Præterquamquod quæ de dictis tribus Sanctis leguntur, peculiaria sunt; nec adducenda in exemplum, cum ea de aliis non legantur. Idque ulterius confirmatur ex ipso Ratherii Veronensis, quod pro se allegat, constituto; in eo enim, si bene percepisset, non stola sacra, sed sub stolæ nomine veterum more vestis talaris ab omnibus Ecclesiæ Ministris deferenda præcipitur. Constitutum id est *in Epistola Synodica ad Presbyteros, & ordines cæteros forinsecus*, quæ Tom. 2. Spicilegii Dacheriani refertur his verbis: *nullus sine stola in itinere incedat*: ergone Subdiaconi, cæterique Cle-

rici inferiores Stolam sacram & ipsi gestare debebant? Perspicue igitur manifestum, Stolæ nomine antiquitus plerumque vestem talarem, non stolam, qua nunc utimur, significari. Atque ab hoc sensu non recedit laudatus Thomassinus loco citato cap. 50. ubi de hoc Ratherii statuto loquens ita ait: *posset & in mentem venire competens dici hic indumentum stolam, ubi de Presbyteris agitur; in Synodali quippe sua Epistola Ratherius Presbyteros vetat sine stola usquam esse in itinere quidem faciendo.*

(4) *Ejus vero Etymon ab ora deductum*) Vide Casaubonum, & Salmasium in notis ad Vopiscum Comment. in Hist. Aug. Script. Tom. 2. pag. 530. & seqq.

(5) *Atque absterge sudorem tibi*) Huic interpretationi subscribunt Salmasius mox indicatus loco citato, & Thomassinus loco item supra descripto, seu 1. par. lib. 2. cap. 40. & seqq. Brunus Tom. 1. pag. 50. & Vertius Tom. 2. pag. 326.

(6) *Conveniens vestimentum officio*) Quidquid autem sit de nominis origine, stola nostra hodierna in modum institæ, ac fasciæ construitur, quæ dignitatis, ac jurisdictionis symbolum est, unde in Concilio prædicto Moguntino statuitur, ut a Sacerdotibus deferatur: *propter differentiam Sacerdotii dignitatis*: & Bruno Astensis Signiensis Episcopus de vestimentis Episcopalibus in Bibliotheca P.P. Lugdun. Tom. xx. pag. 300. *Orarium*, inquit, *jugum simul, & onus est, jugum Sacerdotibus: onus Diaconibus, unde fit, ut Sacerdotibus circa collum, & Diaconibus super humeros ponatur; ut enim collo portatur jugum, sic & humeris onera feruntur . . . . . Vocatur autem Orarium, quia quamvis sine aliis indumentis Sacerdotalibus baptizare, consignare, & alia multa orando facere; sine Orario tamen, nisi magna necessitate cogente, nihil horum agere licet*: aptatur porro Sacerdotibus circa collum stolla cancellata in modum crucis ante pectus, & quomodo eadem aptanda sit, an casula contegenda, vel in modum, ut crux assuta exterius appareat, dissident Liturgici Scriptores nuperi, de qua re vide Clar. Meratum in suis Observ. ad Gavantum Tom. 1. par. 1. pag. 326. Edit. Rom. Episcopi, & Prælati, qui Pontificalibus gaudent, stolam in modum crucis non complicant, eo quod crucem e collo pendentem gestent, ut antea dictum est. Quod si stola adhibeatur a Sacerdotibus una cum superpelliceo, soluta hinc inde pendebit, quia ligari in modum crucis absque cingulo non potest. Porro circa modum stolam deferendi, observandum est, quod apud Monachos Cluniacenses, eorum Sacerdotes stolam præ manibus tenebant, dum ante Missam confitebantur, eamque facta confessione dumtaxat collo imponebant. Ita apud Cangium in Glossario verbo *Stola*, ubi & ait: Bernard. in Ord. Cluniac. par. 1. cap. 72. hujus moris testis est: *Sacerdos*, inquit, *inter manus tenendo stolam* Confiteor Deo *dicit, respondet socius*, Misereatur vestri, *sed antequam respondeat socio confitenti, ipsam osculando sibi imponit adjungendo* Indulgentiam &c.

Orarii, seu Stolæ, mystica significationes.

(7) *Stolam vero Sacerdotalem Epitrachelion vocant*) Latinis Diaconorum Stola eadem est, ac per omnia similis Stolæ Sacerdotali, varia tantum in modo, quo ab utrisque gestatur, sicuti jam observatum est; apud Græcos vero Diaconalis stola, quam illi orarium vocant, stola Sacerdotali, quam Epitrachelion nuncupant, strictior est, uti etiam notat Goarus in Codini de Off. Constantinop. cap. 9. num. 5. ac diversimode ab utroque defertur; stola quippe Sacerdotalis e collo versus medias tibias defluit, cujus pendulæ hinc inde partes ad invicem sunt colligatæ, Diaconalis vero sinistro humero tantum tunicæ superposita, ac sinistra manu retenta geritur. Epitrachelium porro, non ut nonnulli perperam vertunt, atque intelligunt, *Collare* est, seu *Collarium*, fortasse hallucinati, quod ex ipsa vocis derivatione quidpiam supra collum positum significare videatur, ac proinde collarium, quod circum collum gestatur, illudque ambit, & cingit, intelligi voluerint, sive etiam quod in Actis Sancti Leonis Papæ III. apud Holland. Junii Tom. 2. pag. 588. sub hoc nomine quid simile legatur; at in propria apud Ecclesiasticos Scriptores Græcos notione Epitrachelion stola Sacerdotalis est, & symbolum funis, qua Christus Dominus in passione ligatus fuit, tropologice autem ipsius jugum suave, onus nempe Legis Evangelicæ honorificum, & leve designat. Vide de eodem Epitrachelio, ejusque interpretatione Germanum Patriarcham Constantinopolitanum in Theoria rer. Eccles. Theodorum Balsamonem in Photii Nomocanonem, seu cap. 22. Conc. Laodiceni, & Symeonem Thessalonicensem Commentar. de divino Templo, aliosque.

(8) *Agios, idest Sanctus*) Ita Simeon Thessalonicensis loco mox indicato, cujus hæc verba sunt, *In ipso Orario* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *scriptum est, quo ministratorius Sanctorum Angelorum ordo exprimitur*. Quod autem Orarium a Diacono apud Græcos in sinistro humero feratur, ut memoratum est, id firmant præter mox dictos Scriptores, S. Joannes Chrysostomus in Liturgia: *Diaconus induit tunicam orans* &c. *& osculatus orarium imponit illud sinistro humero*. Matthæus Blastares in Synopsi Concil. *Solis Diaconis concessum est sinistro humero orarium circumponere*. Eodem sæpe utitur Diaconus ad venerationis signum, ibidemque in Græcorum Liturgia crebro dicitur: *Diaconus versus Sacerdotem dicit inclinans caput suum, & orarium in manu tenens* &c. & ante Symbolum fidei: *Diaconus osculatur orarium suum, & venerabundus inclinans se ter dicit* &c. Ex his patet Orarium apud Græcos Diaconi proprium esse, Epitrachelion vero, seu Stolam Sacerdotis; e contra apud Latinos Stolam, & Orarium promiscue accipi, uti eruditissime toto hoc paragrapho ostendit Card. noster. Cæterum *apud antiquos* (ut observat Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 48.) *non Orarium dicebatur Stola, sed Alba*. Et Orarium a Stola distinxisse videtur Author Vitæ S. Livini Episcopi cap. 14. *Eique casulam purpuream, & Stolam cum Orario contradidit*. Hæc de Orario dicta sufficiant; qui de

eodem

eodem plura velit præter supra indicatos veteres consuli, poterunt Rabanus Maurus de Ordine Antiphonarii cap. 19. Honorius Augustodunensis lib. 1. Gemmæ Animæ, seu de Div. Off. cap. 114. item alii, quos longo agmine recenset Clar. Cajetanus Maria Meratus Comment. in Gavantum Tom. 1. Edit. Ven. Parte 2. tit. 1. num. 28. pag. 133. ex quibus Lector satura lance eruditionem suam exercere valebit.

§. VIII.

De Planeta. Penula veterum quid fuerit. Quid Phænolium. Casulæ seu Planetæ diversæ significationes. Ejus in sacris origo, forma, & usus.

POstremum Sacerdotis sacris operaturi indumentum quidam Penulam, alii casulam seu Planetam vocant, quæ voces a profana significatione ad sacram translatæ sunt. Penula quid fuerit apud veteres Græcos, & Latinos, quæ ejus forma, quis usus in communi vestitu, late prosequuntur Bulengerus *lib. de sacris vestibus cap.* 20. Ferrarius *de re vestiaria lib.* 1. *cap.* 36. *& sequentibus*, & Albertus Rubenius *lib. item* 1. *de re vestiaria cap.* 6. An vero Penula, quam Paulus Apostolus 2. *ad Timoth. cap.* 4. se Troade apud Carpum reliquisse scribit, vestis sacra fuerit, an alia communis frigori ac imbribus depellendis, an vero scriniolum, seu theca libris & membranis referta, diversæ sunt sententiæ, quas illius Epistolæ expositorès, & Baronius *anno Christi* 58. *num.* 67. recensent. *Frustra sunt*, ait Gretserus lib. 1. Coment. in Codinum cap. 16. *qui Phænolium latine penulam vertunt, nulli penulæ inter vestes sacras locus est, tametsi non ignorem, quid de penula apud S. Paulum nonnulli philosophentur*. Subscripsit primum huic sententiæ Ferrarius in prima sui tractatus editione, at in secunda *in fine cap.* 37. palinodiam cecinit his verbis. *Hæc olim opinabamur, cum nondum penulæ figuram in antiquis monumentis videre contigisset, decepti etiam clarorum virorum auctoritate, qui penulam vestimentum apertum esse docuerunt. Sed postquam non una penulæ imago in manus venit, mutare opinionem cogimur, vestemque sacrificantium cum Baronio penulam fuisse fatemur* (1). Agit idem de Penulis toto lib. 2. partis secundæ, ubi (1) ejus extat figura admodum similis Planetæ sacerdotali. Meminit Penulæ Pauli Tertullianus *lib. de Oratione cap.* 12. Porro Phænolium, sive Phælonium Græcorum indumentum planetæ nostræ correspondens a Latinis interpretibus penulam dici, nequidquam reclamante Gretsero, aliquot testimoniis probat Baronius *loco citato num.* 69. Nam ut cætera omittam, Nicephorus Constantinopolitanus scribens & dona mittens Leoni III. ex antiqua translatione ait, *misimus fraternæ vestræ beatitudini encolpium aureum, tunicam candidam, & penulam castaneam*. Pro penula autem in textu Græco Phælonium legitur. De casula quoque, sive Planeta pro communi vestitu olim a Latinis usurpata veterum Scriptorum testimonia habemus. Acta S. Fulgentii apud Bollandum die 1. Januarii cap. 18. *casulam pretiosam vel superbi coloris ipse non habuit, nec Monachos suos habere voluit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit*. Regula Macarii cap. 27. inducit Monachum contumacem dicentem, *hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, & ibo ubi voluerit Dominus*. Casula autem hoc loco accipitur pro cuculla Monachali. Theodemarus Abbas in Epist. ad Carolum Magnum, *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus*. Auctor vitæ S. Cæsarii Arelaten. *Ambulans Cæsarius per plateam Civitatis, vidit contra in foro hominem, qui a Dæmonio agebatur, in quem cum attendisset, habens manum sub casula, ut*

De Penula veterum diversæ Auctorum sententiæ.

ut a suis non videretur, *crucem contra eum fecit*. Joannes Diaconus in
Vita S. Gregorii *lib.* 2. *cap.* 45. quendam fuisse Monachum ait, qui a
fratre suo seculari vestem petiit dicens, *Casulam non habeo*, *sed fac cha-*

Casula erat olim quotidianum Ecclesiasticorum vestimentum.

ritatem, *eme mibi*. Erat etiam casula quotidianum Ecclesiasticorum indu-
mentum, nam in Concilio habito apud Liptinas in pago Cameracensi
anno 743. cap. 7. decretum fuit, ut Presbyteri, vel Diaconi non sagis
laicorum more, sed casulis uterentur ritu servorum Dei (2). Pro veste (2)
servili accipitur casula a Procopio lib. 2. de bello Vandalico cap. 26. *Areo-
lindus*, inquit, *magister militiæ a Justiniano missus in Africam ad Gon-
tharin accessit non prætoria*, *nec militari veste indutus*, *sed famulo*, *vel pri-
vato homini propria*, *quam latine casulam vocant Romani*. Pro veste item
seculari Planetæ nomen acceptum ex vita S. Fulgentii *cap.* 29. colligimus,
cujus auctor scribit, eo ambulante tempore imbris, viros nobiles planetis
suis super ipsum expansis imbrem repulisse. Cassianus describens habitum
Monachorum *lib.* 1. *Instit. cap.* 7. ait illos planeticarum, & birrorum pretia
declinasse. Isidorus quoque in Regula Planetas Monachis interdixit. Cum
sit igitur æquivocum casulæ & planetæ vocabulum, quo primum tempore
a profano & promiscuo usu ad sacrum translatum sit, non liquet. Legi-
tur nihilominus casulæ nomen in antiquo Ordine Romano, in libris Al-
cuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum qui de ritibus sacris scripse-
runt: & Concilium quartum Toletanum cap. 27. *Presbytero*, ait, *in sua*

Casula etiam idem ac Planeta.

ordinatione Planeta datur, *quæ idem est ac casula*. Fit etiam casulæ men-
tio in testamento S. Remigii apud Flodoardum *lib.* 1. *cap.* 18. (3) Quod (3)
vero Sacerdotes ante casularum usum Dalmaticis uterentur, quas postea
Diaconis concesserint, cum casulis uti cœpissent, assertio singularis est Wal-
fridi Strabonis *cap.* 24. cui favent Acta S. Silvestri edita a P. Combefis,
in quibus mentio fit Euphrosyni Pamphiliæ Episcopi, qui dum mysteria
perageret, colobium unum habebat, quod magni illius Apostoli ac fratris
Domini Jacobi esse dicebat, quo indutus sacram oblationem explebat.
Hinc factum ut Romani hactenus Sacerdotes colobiis usi sint. Quod ta-
men brachiorum nuditas displiceret, Dalmaticas manicatas potius, quam
colobia placuit appellare. Hæc ille priscus scriptor. Porro casula, teste
Isidoro *lib.* 19. *Origin. cap.* 24. per diminutionem a casa dicitur, quod to-
tum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ vero nomen ex eo de-
ducitur, quia oris errantibus evagatur: & ut ait Gemma animæ *lib.* 1.
cap. 207. limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. In vita
S. Popponis Abbatis apud Bollandum *die* 25. *Januarii num.* 58. Casubula

Græcis Casula Phælonium dicta, eademque qualis olim fuerit, describitur.

nuncupatur, *in celebratione Missarum Casubulam*, *qua induebatur*, *lacry-
mis humectabat* (4). In Ecclesia Orientali Phælonium, sive casula Pon- (4)
tificalis a Presbyterali in hoc differt, quod ista simplex, illa multis cru-
cibus insignita est, & ideo *Polystaurion* dicitur, ac si latine *Multicrucium*
diceremus. Olim casulæ rotundæ (5) prorsus erant, totum ambientes (5)
hominem a collo usque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes,
per quam caput immittebatur: qua de causa necessarium erat, ut Sacer-
dos operari, ac manibus libere uti posset, eas super brachia revolvere &
complicare. Sic indutos Pontifices & Sacerdotes in priscis Ecclesiarum
parietibus cernimus: suntque etiam hodie Græcorum casulæ (sive phæ-
lonia) ejusdem formæ. Latini vero ad vitandum incommodum ex ampli-
tudine & potensione totum corpus cum brachiis circumcludente prove-
niens, eas paulatim a lateribus scindere, & decurtare cœperunt, donec ad
formam, qua hodie utimur, redactæ sunt. In opere musivo, quod olim
erat in Basilica Lateranensi, cujus Ectypon extat in Musæo Barberino,
postea

postea typis cusum a Cæsare Raspono nunc S. R. E. Cardinali *lib.* 1. *de Basilica Lateranen. cap.* 14. expressa est effigies Joannis XII. Papæ, quem ministri induunt planeta ex utroque latere aperta, & tam in parte anteriori, quam in posteriori in acumen desinente, & ultra cubitum protensa, quam certe non erat necessarium in utroque brachio duplicare, aut triplicare, ut Gemma Animæ ait. Factum autem fuit illud opus anno 960.
(6) Testatur Morinus *lib. de sac. Ordinat. par.* 2. *in notis ad Græcorum* (6)
Ordinationes, antiquæ formæ casulas ducentos circiter annos præ se ferentes in multis Ecclesiis asservari (7): ex quo testimonio & ex pictura (7)
supra relata facile conjici potest, quo tempore hujusmodi scissio fieri cœperit, & quomodo sensim propagata fuerit, quam nullo Pontificum seu Synodorum decreto stabilitam invenio (8). Quia vero planeta totum olim (8)
involvebat Sacerdotem, hinc ortus est usus, ut a ministro elevetur, cum Sacerdos hostiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua impedimento esset, adhuc perseverat, tametsi cessante causa superflua sit. Hinc etiam permansit usus, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadragesima, aliisque diebus jejuniorum, quibus Ministri utuntur planetis, complicatæ sint a parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum: sicque paulatim introductum est, ut Diaconus, cujus in Missa potissimum est ministerium, planetam exuat, ejusque loco stolam latiorem accipiat: quod ævi recentioris est (9), nam ordo Romanus non (9)
exui planetam, sed elevari mandat: & *Diaconi*, inquit, *levant Planetas in scapulas*. Usum vero duplicis stolæ, ut ostendimus, cum de stola ageremus, antiqui Canones non permittebant (10). (10)

Sam. Basnagius de Pauli Penula confutatur.

(1) *Penulam fuisse fatemur*) Ad hocce Ferrarii testimonium quid reponet plus æquo rigidus Baronii Censor, Romanæque Ecclesiæ hostis, & Missoliturgorum hyperaspistes Samuel Basnagius in suis annal. Politico-Ecclesiast. ad an. 64. Num. 7. ubi Penulam Pauli communem vestem, hancque hyemalem fuisse contendit, ac propterea Baronium fœde hallucinatum deprædicat; numquid in re veterum vestiaria disquirenda Ferrario, & de utraque Penula, Joanne Baptista Donio, qui in eamdem illustrandam sedulam omnem navarunt operam, diligentiorem nobis obtrudet is Hæreticus, qui dictos illustres, & eruditione præstantes viros nequidem nomine dignatus est, quasi eorum sententiam, utpote Baronio affinem flocci faciendam judicet? Non me quidem præterit Amelotium affirmare opinionem hanc paucos habere e Literatis hominibus Sectatores, ut inquit Honoratus a S. Maria in Animad. in regulas Crit. Tom. 2. lib. 4. Dissert. 6. art. 2. pag. 422.; & Gretserum *lib.* 1. *Comment. in Cod. cap.* 16. contendere *Penulam* nunquam Vestibus sacris annumeratam fuisse. Interea Ferrarius, qui ab hac sententia fuerat in prima editione Operis sui, *de re Vest. lib.* 1. *cap.* 36. *& seq.* palinodiam cecinit in secunda. Alias, inquit, credidimus, Eruditorum authoritate decepti, id, quod *Penulam* vocant, non fuisse sacram vestem; *sed posquam non una Penulæ imago in manus venit, mutare opinionem cogimur; vestemque sacrificantium Penulam fuisse fatemur*. Josephus Vicecomes *Tom.* 4. *Observ. Eccles. lib.* 2. *cap.* 28., Cardinalis Bona, aliique Sapientes multi animadvertunt, quod Græci appellant φαινόλην, aut φελόνην, idem nos *Penulam* nuncupare, vel Casulam, vel Planetam, aut Tunicam. Atque hoc plane sensu verbum hoc Authores non pauci explicarunt. Isidorus Hispalensis *Orig. lib.* 19. *cap.* 24. Rabanus Maurus *de Institut. Cler. lib.* 1. *cap.* 2. Dionysius Carthusianus *serm.* 3. *de Sign. Indumentorum Sacerdot.* aliique plures. Cæsar Bulengerus *de Veste Pontif. Episc. l.* 1. *c.* 28. allatis in medium variis interpretationibus veterum Græcorum, & Latinorum ad vocem *Penula*, addit, hanc vestem sacram fuisse latam & rotundam, totum Sacerdotis corpus a collo ad pedes cooperientem, & propterea vocari *Planetam* a verbò πλάνω. Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus *lib.* 6. *de Sacr. Off. qui habetur Tom. IV. Bibl. SS. PP.* nomen φαινόλιον sumit pro Casula, quæ a Planeta non differt. *Demissam portans Casulam, demissum Phænolium gestans*. Sanctus Nicephorus, hujus nominis I. qui Constantinopolitanam Ecclesiam rexit anno 806. ad Leonem III. Pontificem scribens, *apud Baron. ad ann.* 58. *num.* 6. ait: se quædam ipsi dono mittere, inter quæ *Tunicam candidam, & Penulam castaneam inconsutilem, & semicinctia auro variegata*. Codinus *de Off. Palatii Constantin.* adnotavit, *Penulam* esse Vestem Sacram. Legimus *apud Bolland. Tom. I.* 10. *Januarii* in Vita S. Marciani *cap.* 3. magni Ecclesiæ Byzantinæ administratoris, qui medio circiter Seculo V. floruit, eum pietate erga pauperem commotum, eleemosynam

Penulam Pauli vestem fuisse Sacerdotalem probatur.

ab

ab ipso petentem in Sacrario, secessisse in angulum quendam, ut latenter unico, quo induebatur, habitu se spoliaret: deinde amictum veste sacra, nuditatem suam penitus occulente, hoc pacto ad Altare ascendisse. Animadvertit autem Historicus, *habuisse illum solam vestem Sacerdotalem, & Penulam, quæ corpus contegebat. Ille quidem Penulam similiter contrahebat, & complicabat, cupiens rem latere.*

Historiæ de Vestium Sacrarum antiquitate.

Si vero testimonia hæc, quibus alia multa attexere possem, certo non probant, *Penulam* fuisse habitum sacrum a primis seculis, maximam tamen veritatis speciem habet, cum Divus Paulus Timotheo commendavit; ut id vestimenti genus secum ferret, indicare habitum voluisse, quo in Sanctorum Mysteriorum celebratione utebatur; quamquam eadem fortasse forma elaboratus esset, atque ille, qui apud veteres *Penula* dicebatur. Ac si omnem adhibere possemus fidem quibusdam, quæ narrantur, historiis, haud ægre conficeremus, ab ætate Apostolica obtinuisse morem vestium peculiarium pro Missarum solemniis. In Vita S. Hugonis V. Abbatis Cluniacensis mentio fit cujusdam indumenti S. Petri, Antiochia Parisios delati, & positi in Ecclesia S. Genovefæ, quo idem S. Hugo, *ut notat* Surius 29. Aprilis, *pag.* 355. Tillem. *de D. Petro art.* 38. coram Urbe universa Paraliticum sanavit. Joannes Diaconus narrat in Vita S. Gregorii, *lib.* 3. *cap.* 59. Thomass. *de Discipl. Tom. I. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45. missam fuisse ad Magnum Pontificem hunc Tunicam, sive Vestem Sacram, adhibitam a S. Joanne Evangelista, eandemque summo cultu Romæ servari. P. Combefisius posteritati tradidit Acta S. Silvestri, in quibus memoratur quidam Euphrosinus Episcopus Pamphiliæ, qui ad Altare Tunicam sine manicis adhibebat, adhibitam olim, ut dictitabat, eodem usu a S. Jacobo, Fratre Domini. Auctores pariter recensent alios habitus Sacros, uti Stolam S. Jacobi, aliamque Stephani Protomartyris, quarum primam, inquiunt, S. Theodosium Patriarcham Hierosolymitanum ad S. Ignatium Patriarcham Byzantinum misisse; alteram vero Sanctum Macarium Episcopum Hierosolymitanum dono dedisse S. Helenæ, Matri Constantini Imperatoris. Itaque si Acta S. Sylvestri, aliaque historica Facta a nobis producta, adeo explorata, vel autentica non sunt, ut argumentum certum, & conclusum efficiant: tanti tamen facienda esse videntur, ut verosimillimam traditionem reddant, qua dicuntur Apostoli, rem divinam peregisse singulari veste, atque ab usu communi distincta, uti & alias diximus Tom. I. ad lib. 1. cap. 5. nota 1. Hæc ex Honorato delibata.

Ac proinde Apostolos peculiares vestes in Sacrificiis Missæ adhibuisse.

Sed & præstat Sectarium alterum refellere, videlicet Josephum Binghamum Londinensem, qui imprudenter satis Cardinalem nostrum in hac parte temere reprehendit Orig. Eccles. lib. XIII. cap. 8. §. 1. ubi hæc ait: *Bona Penulam a Paulo Apostolo Troade relictam, vestem fuisse Sacerdotalem satis audacter affirmat.* An id satis audacter affirmet, ex proferendis in contrarium judicet prudens, & æquus Lector. Et primo quidem Tertullianus lib. de Oratione cap. 12. nonnullorum vacuas observationes narrans inter cætera ait: *Ut est quorumdam positis penulis orationem facere, sic enim adeunt ad idola nationes. Quod utique si fieri oportet, Apostoli, qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum penulam suam in oratione penes Carpum reliquisse. Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres Sanctos in Fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris, & tiaris suis exaudivit.* Hæc Tertullianus, qui & lib. de Corona Mil. Pauli penulæ meminit: *plus est* (ait) *quod & Christus vestietur, habebit etiam penulam Paulus.* Fuerunt itaque Tertulliani ævo qui Pauli penulam orationis vestem, seu sacrificalem putarent; non enim in Paulo uti Apostolo, Sacerdote, & Episcopo orationis vestis alia potuisse esse videtur, quam sacrificalis; hæc etenim relicta in oratione, ut innuit idem Septimius: hujusmodi profecto oratio Apostoli non simplex tantum erat, aut privata, in qua penulatum esse non oportebat, quemadmodum in dicto textu non obscure exprimitur, sed publica, sive solemnis, ex iis scilicet, quas sacrificiorum orationes nominat idem Tertullianus paulo post cap. 14. quæ erant cum participatione Corporis Christi; in quibus orationibus Deus, ut verbis ejusdem Africani Scriptoris utar, penulatos Sacerdotes exaudit, qui tres Sanctos in Fornace Babylonii Regis orantes, scilicet seipsos Deo sacrificantes cum sarabaris, & tiaris suis exaudivit; in quibus Christus vestietur, cujus personam gerit Sacerdos, & habebit etiam penulam Paulus, idem videlicet celebrans, cum qua eumdem Deo Patri sacrificet.

Vindicatur Card. noster quoad Pauli Penulam a Josephi Binghami nota illi inflicta.

In id consentit Hoffmannus ipse, heterodoxus alter, non infimæ eruditionis Scriptor, in Lexico verbo *Penula*, ubi non diffitetur remanere etiamnum in Communione Romana, ut ait, veteris Penulæ vestigium in sacrificantium veste; mox Penulam, inquit, Tertullianus de Orat. cap. 12. planetam, seu vestem fuisse, qua Missa celebratur, existimat. Carolus Ducangius in Glossario Græco verbo φαιλόνης τὸ φελόνιον, *Penula*, ex Glossis pluribus MSS. Reg. 930. 1708. & 2062. Item ex Nomicis Vatic. Artemidoro lib. 2. Onirocrit. cap. 3. ubi ait chlamydem idem ac φαινόλην esse, *quia circumquaque corpus continent*, Eustathio ad Od. T. maxime vero sumitur pro indumento proprio Sacerdotum, & Episcoporum, quo cæteri e Clero carent, ut ex variis Auctorum locis colligere est. Theophylactus Simocatta lib. 7. cap. 6. scribit post mortem Joannis Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani nihil inventum aliud in ejus æde, *præter lectum ligneum, & laneum, stragulum nullius pretii, ac deformem penulam.* Simeon Thessalonicensis de sacris Vestibus: *jam vero sacrum Phælonion sublimiorem collatam spiritus virtutem sub quadam effigie monstrat. In primis saccum, quo per ludibrium Salvator indutus est, idcirco & sacci formam habet, nec enim in eo sunt manicæ, manifestius hoc exhibet quo cooptati Episcopi vestiuntur, & saccus dicitur; sed & reliqui Episcopi phælonion plenum*

Pauli Penulam non aliam fuisse quam vestem Sacerdotalem Hoffmannus, aliique non diffitentur.

num, crucibus induti &c. Porro Penulam idem esse ac Phælonium constat apud posteriores Græcos, uti dictus Ducangius asserit ex Methodio Patriarcha Constantinopolitano in miraculis S. Nicolai, aliisque, deinde ait: utitur præterea S. Paulus ad Timoth. 2. cap. 4. Et sane penulam dici vestem sacram apud Græcos Scriptores Christianos sæpius testatum habetur, uti non diffitetur Spondanus ad an. 59. num. 4., sic dictam quod uno interjectu totum ambiret Sacerdotem; sic enim quod apud Nicephorum, & Philotheum Episcopos Constantinopolitanos, itemque apud Metaphrastem græce legitur Φαινόλιον, Interpretes verterunt Penulam, sive Casulam, quod idem est ac Planeta.

Cæsar Bulengerus de Veste Pontificali Episcoporum lib. 1. cap. 20. allatis in medium variis interpretationibus Scriptorum veterum utriusque Ecclesiæ Occid. & Orient. ad vocem *Penula* demum concludit hanc fuisse vestem sacram Sacerdotalem. Prædictis suffragatur Ludovicus de la Cerda Adversf. sac. cap. 36. num. 12. „ Penula, inquit, Ecclesiastico sermone erat vestis sacra, quæ uno injectu totum muniret Sacerdotem, quæ alio nomine vocatur Planeta quasi erratilis, quia circum corpus erret, &c. Sed & Penula dicta quoque est φελόνιον, & φελόνης quasi φαινόλης, quia tota pateat. Codinus de Off. Eccl. Constantinopolitanæ: *ferens consuetam sibi tuniculam, & felonem supra eam.* Finge dicere „ *& penulam super eam*, quod est idem. Germanus de iis, quæ fiunt in Sacrificio Missæ: *felonium ostendit purpuram coccineam*. Ita præfatus De la Cerda. Iisdem porro testimoniis respondendum Lazaro Andreæ Bocquillotio Tract. Hist. de Liturg. lib. 1. cap. 7. pag. 137. ubi ait „ Quidam putarunt Penulam, quam S. Paulus apud Carpum Troade reliquerat, vestimentum fuisse pro Altaris ministerio haud absimile illi, quod Casulam nunc vocamus. Verum quoniam id sine argumentis asserunt, atque in hoc adversantur communi sententiæ præstantissimorum Interpretum cum veterum, tum recentium, qui indumentum illud interpretantur pallium rurale; nos in illis refutandis haud immorabimur „. Atqui si ea omnia, quæ attulimus, ut efficeremus, vocem *Penula* vestitum sacrum significare, quo Apostolus ad Aram uteretur; si hæc, inquam, omnia dicenda sunt, *sine argumentis asserere*, est quidem cur vereamur, paucissima repertum iri facta in Canonici hujus Aballonensis Opere, quæ satis probata censenda sint. Quanquam vero Interpretes sapientissimi vestimentum hoc sumerent pro pallio rurali, vel hyemali, atque hæc esset vulgata sententia, nihil tamen faceret contra nos. Cum etenim apud veteres, ut plane monstravimus, non liqueat de hujus vocis potestate, vel forma vestis; quare non possemus propugnare, etsi indumentum Sancti Pauli eadem fuerit forma, atque aliud *Penula* nuncupatum, potuisse nihilominus vestimentum hoc Altaris ministerio designari? quandoquidem primis illis temporibus, habitus sacri nihil fortassis habebant, in quo

Lazaro item Bocquillotio contrarium sentienti respondetur.

exterius ab aliis cultus civilis vitæ differrent, nisi quod nitidiores iis essent. Demum ii, quibus placuit, vocem *Penula* usurpari posse pro veste alicujus similitudinis cum illa, quam Casulam appellamus, tanti esse videntur, ut mereatur Juris utriusque Doctorem nonnihil in illis refutandis immorari.

Pro coronide accedit, & nostra uberius confirmatur sententia ex iis; quæ profert eruditissimus Scriptor Philippus Bonaroti in diligentissimis suis observationibus super aliquot fragmentis vasorum veterum vitreorum, quæ in Romanis Cœmeteriis reperta sunt; nam in Tabula 16. figura 2. explicans Clar. vir vitrum quoddam, in quo conspiciuntur effigies SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac S. Laurentii, ostendit, communem penulam parvam fuisse vestem ad itinerandum aptam, quæ deinde habitus civilis evasit, & illustrium personarum proprius, qui pertingebat usque ad talos, & astruit Planetas Ecclesiasticas, seu Casulas originem habuisse ab his nobilibus penulis, non vero ab antiquis valde parvis, & pro itinerantibus accommodatis. Tot veterum proinde, recentiumque Scriptorum testimonio, & authoritate perculsi valeant Binghamus, & Bocquillotius cum haud satis probata nobis sententia sua. Hinc si illis ista non arrident, eos & ipse Julianus Apostata confundet. Ethnicus iste Imperator, & impius Catholicæ Religionis desertor sic de suis inanium Deorum Sacerdotibus censebat in Fragm. *Illud vere dicere Sacerdotes arbitror, ut quandiu intra Templi septa sacris operantur, ornatissimam vestem habeant; extra templum communi, neque sumptuosa nimis utantur; non enim rationi congruit, ut iis quæ ad honorem Deorum nobis concessa sunt &c.* Profecto hæc non aliunde quam in Christianorum Ecclesiis e Sacerdotum exemplo, quos ibi sic distinctis sacris vestibus ornatos viderat, sacrilegus iste Princeps desumpsit, cum in iisdem reliquis fidelibus adunatus erat medio quarto seculo, quo vixit, idque nonnisi ex vetustissima Apostolorum traditione deductum esse indubitanter affirmandum creditur. Quare si debitas peculiares vestes profanis Sacerdotibus suis Pagani deferendas adjudicabant, quidni admittendas nostris, qui veri, & unici Dei ministri sunt?

(2) *Sed Casulis uterentur ritu Servorum Dei*) Idest Monachorum; Monachi enim Servi Dei apud antiquos appellabantur; Moniales vero Ancillæ Dei, ut optime notat Mabillonius Præf. in sec. 1. Bened. num. 108.

(3) *Apud Flodoardum lib. 1. cap. 18.*) Sane seculo quinto Casulæ vocem pro veste Sacerdotali Rei divinæ peragendæ destinata ignotam non fuisse ostendit Testamentum S. Perpetui Turonensis Episcopi anno Domini 474. apud Dacherium Spicil. Tom. 5. pag. 106. ubi de ea fit mentio his verbis: *similiter & Amalario ibidem Presbytero* (Ecclesiæ scilicet de Proillio paulo ante nominatæ) *Capsulam* (idest Casulam, ut vere legi debet, atque ita emendat Cangius in Glossario verbo *Capsula*) *unam communem de serica*: Casula communis hic dicitur, quæ Ministris Ecclesiæ, Episcopo, inferioribus inserviebat; Casulæ enim

Casulæ nomen pro veste Sacerdotali & a seculo quinto notum.

enim Episcoporum, præsertim in Missa solemni, ornatiores erant, & in veteribus monumentis Episcopales Casulæ nominantur; ita in Testamento Riculfi Helenensis Episcopi anno 915. apud Baluzium Appendice ad Regin. pag. 606. legitur eumdem Episcopum reliquisse Ecclesiæ suæ *Casulas Episcopales optimas tres*. Casulæ item in Ministerio sacro adhibitæ jam inde a seculo sexto ineunte fit mentio in vita S. Cæsarii Arelatensis, qui sub idem tempus floruit, cap. 19. ibique refertur, quod *Casulam, qua in Processionibus utebatur, & albam Paschalem profert, datque egeno, jubetque, ut vendat uni ex Clero*. Quibus verbis perspicue constat Casulam eam fuisse jam a profano ad sacrum usum translatam. Casulam porro idem esse ac Planetam præter Concilii IV. Toletani authoritatem ab Eminentissimo allatam, testatur Continuator, seu Auctarium Liutprandi lib. 6. cap. 11. apud Baronium an. 964. qui Benedicti V. exauthorationem a Leone VIII. Antipapa factam referens, ita inquit. *Deinde Benedictum in terra sedere præcepit, cui Casulam, quam Planetam vocant, cum stola pariter abstulit*.

(4) *Lacrymis humectabat*) Item in Historia Translationis S. Wandregisili Abbatis ad Montem Blandinium, quæ fuit an. Domini 944. apud Mabillonium sec. V. Bened. pag. 206., & 207. reliquiarum loco ponitur *pars Casubulæ S. Wandregisili, tunica, & pars Casubulæ S. Ansberti, & de Casubula S. Gregorii Papæ, & S. Sibuvini Episcopi*: quod Casubulæ nomen sumpto a Gallis vocabulo, quod & ab ipsis hodie retinetur, ad Casulam significandam passim Scriptoribus medii ævi occurrit. Vide Cangium, in Glossario verbo *Casubula*, & *Casibula* ac Ægidium Menagium in Orig. linguæ Gallicæ verbo *Chassuble*.

(5) *Olim Casulæ rotundæ*) Est autem integra, & undique clausa, (inquit Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 1. de Div. Offic. cap. 21.) ut veritatem vel integritatem veræ fidei demonstret.

(6) *Factum autem fuit illud opus anno 960.*) Casularum figuras, quales in usu erant seculo VI. ex musivo Ravennate Justiniano Imperante in Fornice Aræ maximæ Ecclesiæ Ravennatis S. Vitalis edidere, Hieronymus Rubeus in Patria Ravennate Historia cap. 45. pag. 897. Nicolaus Alemannus in notis ad Procopii Historiam arcanam, & ex eo Octavius Ferrarius in Analectis de re Vestiaria, ac iterum Cangius in historia Byzantina, demum Joannes Ciampinus Vet. Monument. Mus. Tom. 2. cap. 9. Tab. 22. Verum his antiquiorem Casulæ figuram exhibet Dominicus Macrus in Hierolexico verbo *Sellare*, si vere S. Julii Papæ I. est, cujus nomen præfert, in qua idem Pontifex visitur Pontificalibus vestimentis indutus sedens in rudi Sella curuli ad similitudinem veterum urbis Præfectorum.

Casularum figuræ quales seculo VI.

(7) *In multis Ecclesiis asservari*) Pariter Theodoricus Ruinart Oper. Postum. Mabillonii &c. Tom. 3. pag. 477. testatur asservari in Ecclesia Monasterii S. Arnulphi Metensis inter Sacrarii cimelia duas Casulas antiquas, quarum unam a Carolo Magno, alteram a Leone IX. Papa, qui veterem Basilicam dedicaverat, donatam fuisse traditione creditur, utramque vetustæ admodum formæ, id est plane rotundam. In ea, quæ Leoni tribuitur, circa collum acu depictæ sunt undecim figuræ totidem circulis inclusæ auro, & gemmis ornatæ. Duplex est ab ea parte, quæ collo immittitur, ad infimum usque fascia acu pariter facta, una scilicet supra pectus, altera vero in dorso. In anteriori tribus digitis lata, repræsentatur Christus Dominus Throno insidens cum his litteris A. Ω. inferius extat S. Petri figura cum his litteris S. PETRUS. Tum Seraphim, cum hac SERAPHYM. Deinde S. Paulus; & tandem alter Seraphim cum suis inscriptionibus. Posterior fascia uno semidigito strictior est; in suprema ejus parte hæc legitur inscriptio litteris Romanis duas in lineas divisis acu exarata ✠ *S. Ungrorum R. E. Gisla dilecta sibi conjux mittunt hæc munera Domino Apostolico Johanni*. (forte Joanni XIX. qui Leonem IX. præcessit) Infra hanc inscriptionem decem tantum sunt Apostolorum figuræ cum eorum nominibus. Ii sunt SS. Petrus, Paulus, Andreas, Jacobus, Thomas, Thaddæus, Simon, Jacobus, Matthias, & alius cujus nomen legi nequit.

(8) *Decreto stabilitam invenio*) Et sane exploratum est omnibus recentium temporum Liturgicis Scriptoribus antiquam Planetæ formam immutatam fuisse. Planeta autem antiquitus, ut docent Angelus Rocca, aliique, nullam scissuram pro brachiis emittendis habebat, sed tota integra circulatim, & undequaque ad pedes usque demissa totum corpus ita tegebat, & circumibat, ut brachia emitti non possent, nisi limbus, vel fasciola extremitatem casulæ ambiens super scapulas errabunde projiceretur, aut plicis, usque ad easdem scapulas resolveretur, uti supra Eminentissimus Author. Et quidem in Sepulcralibus monumentis S. R. E. Cardinalium, & Episcoporum a XIV. ad XVI. seculum Defunctorum, quæ in multis Urbis Ecclesiis visuntur, plicæ aliquot ad brachia apparent, ex quibus agnoscitur nedum antiquitus planetas fuisse, ut diximus, sed sensim jam ex tunc parumper decurtatas, quod & conqueritur Willelmus Lindanus Panopliæ Evangelicæ lib. 4. cap. 56.: ubi loquens de Planeta suo tempore usitata. *Ita enim decisa est*, inquit, *& decurtata, atque aliam prope in speciem deformata, ut si cum illa sua prisca, unde defluxit, atque degeneravit, componatur, vix suum tueatur nomen*. Quid diceret, si nostri temporis Planetas inspiceret?

Antiquam Planetæ formam sequiori ævo immutatam fuisse recentes Liturgici Scriptores testantur.

(9) *Quod ævi recentioris est*) Id unusquisque facile colliget, concedetque, cum animadverterit antiquitus Diaconum Evangelium lecturum, Planetam suam plicasse. Perspectum istud habemus ex Ordine Romano XIV. inter evulgatos a Mabillonio, ubi num. 54. statuitur, ut Diaconus *quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat Planetam, & Acolythi decenter eam complicent, ut imponant super sinistrum humerum ejus, ac sub dextero brachio ligent eam, ut melius poterunt, ita-*

quod

quod ab humero sinistro descendat ad latus dexterum, sicut Diaconalis Stola descendit, & hoc modo Diaconus Planetam teneat, dum legit Evangelium, & usquequo dicatur ultima Oratio post Communionem. Eadem præscribuntur in Ordine XV. loco mox indicato. Ex quibus perspicuum est stolam, quam latiorem appellamus, Planetæ sic plicatæ locum occupasse. Hujus autem stolæ latioris usum recentissimum esse, vel ex eo constat, quod dictis seculo XIV., & XV. quibus Ordines isti Romani scripti sunt, in usu non erat apud Romanam Ecclesiam, immo seculo ipso XVI. nondum hanc stolam receperat Cappella Pontificia; etenim Marcellus Corcyrensis Sac. Cærem. lib. 2. cap. 1. testatur Planetam plicatam (stolam latiorem silet) imponi solitam Diacono, cum lecturus est Evangelium. Ubi, & quando hujusmodi stolæ latioris usus inceperit, ignoratur, & de hac nullus, quem legerim, Author mentionem facit. Hoc porro Ecclesiastici ornamenti genus stolam rigorose appellari debere non crediderim; nam cum propriam stolam, quam in principio Missæ induit, Diaconus non exuat, sed super istam, dictam illam latiorem accommodet, si hoc etiam indumentum veram stolam esse concedimus, procul dubio refragaremur Concilii Toletani IV. Can. 39. quem supra §. 7. refert Card. noster, in quo cavetur ne Episcopus, Presbyter, ac multo minus Diaconus duplici utantur stola. Licet autem usus stolæ hujusmodi latioris nunc supra stolam ordinariam a Diaconis adhibitæ satis ex prædictis noviter introductus innotescat; Planetarum tamen plicatarum usus antiquiorem redolere videtur ætatem; de his enim Micrologus, seu quivis alius hujus libri de Eccl. Observ. Author, qui seculo XI. vixit cap. 30. hæc habet: *Quidam infra Adventum Domini Casulis pro Dalmaticis utuntur &c.* subdit ad hæc Rupertus Tuitiensis Abbas de iisdem Diaconorum Casulis, seu Planetis plicatis loquens lib. 3. de Div. Offic. cap. 2. *Iis*, inquit, *sane non sic utuntur, ut in ipsis legant, vel ministrent, sed lecturi, aut ministraturi illas exuunt, manifeste profitentes illam suam esse vestem, nec propter suum ordinem sibi debitam, sed propter Dominicæ, vel alicujus festi reverentiam sic accipere accommodatam, ut inopem, atque indecentem consolentur expoliationem*: atque inde universalem Ecclesiæ usum circa has Planetas plicatas emanasse existimaverim. Stolam porro latiorem ad modum fasciæ crispatæ nonnulli describunt, præsertim Claudius De-Vert Tom. 2. Cærem. Missæ pag. 340. cujus uterque limbus sub latere dextro vitta serica ligatur, & nectitur. Atque hæc satis de Planetis plicatis, & stola latiori dicta sint, quoad Diaconum, de Subdiacono mox dicetur.

Planetæ plicatæ loco suffecta in Diacono Stola latior dicta.

(10) *Antiqui Canones non permittebant*) Videlicet Concilium Toletanum IV. præfatum aliique veteres Liturgici Scriptores Subdiaconus etiam in Quadragesima Epistolam lecturus Casulam, seu Planetam exuit juxta veterem morem, quo Lectores etiam dum munus suum exercebant, albis erant induti. Et sane apud Albinum Flaccum, seu Alcuinum de Div. Off. Cap. *quid significent vestimenta*: de Diacono ait: *Diaconus, qui non est indutus Dalmatica, Casula circumcinctus legit, ut expedite possit ministrare*: Ita & apud Amalarium lib. 2. de Eccl. Offic. cap. 21. *de Dalmatica*; sed de Subdiacono nihil utrobique præscribitur.

§. IX.

De vestibus Pontificalibus, ac primum de caligis, & sandaliis, seu compagis, eorumque vario usu.

ET hæc quidem sunt indumenta, quæ singulis Sacerdotibus rem Divinam facturis sunt necessaria: Episcopi autem, cum solemniter celebrant, alia supradictis adjiciunt, nempe Sandalia, & Caligas, Crucem pectoralem, Tunicellam, Dalmaticam, Chirotecas, Anulum, Mitram, Baculum, &, si sit Archiepiscopus, Pallium: de quibus diffuse agunt Saussajus *in Panoplia Episcopali*, & Vicecomes *lib.* 3. *de Missæ apparatu*. Sandalia pedum sunt tegumenta, Caligæ vero hic pro tibialibus usurpantur, quamvis de caliga veterum diversa Eruditorum sententia. Sandalia ab antiquis compaga, sive compagia, rectius compagi nuncupantur, qua voce pro calceo Regio, & Senatorio usi sunt Trebellius Pollio, & Julius Capitolinus. In Ordine Romano accipiuntur Compagi pro caligis, ait enim Tit. de Ordinatione Episcopi, *Induunt electum Compagos, Sandalia*, & reliqua. Eorum usum concessum aliquando Diaconis a Summis Pontificibus Gregorius Magnus docet *lib.* 7. *Epist.* 28. *Indic.* 1. ad Joannem Syracusanum scribens Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos compagis procedere præsumpsisse, quod solis Diaconis Ecclesiæ Messanensis a Prædecessoribus suis concessum fuerat. Alcuinus ait Sandalia esse genus calceamentorum, quo induuntur Ministri Eccle-

Sandalia, Compagi quid.

siæ. Extat etiam Canon insertus Capitolaribus Caroli Magni *lib. 5. cap.* 219. ut omnis Presbyter Missam celebret Ordine Romano cum Sandaliis; Ex Amalario autem *lib. 2. cap.* 25. constat Subdiaconos quoque Sandaliis usos: nam diversa fuisse ait Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum sandalia, quorum mysticam rationem edisserit. Primi enim nostræ religionis Antistites, cum semper studuerint maximam Divinis Mysteriis reverentiam impendere, omnes eorum ministros splendidis vestibus, tantoque ministerio congruis ornari decreverunt, adeo ut nec quidem sordidis & communibus calceis fas illis fuerit ad Altare accedere, multo minus nudis pedibus, quod nec ipsis Acolythis licere Ordo Romanus *tit. de die Parasceves* edixit. Varia ideo Sandaliorum genera pro varietate ministrorum constituerunt, quæ nunc abierunt in desuetudinem, illis solis permanentibus, quibus utuntur Episcopi solemniter celebrantes. Ordo Romanus ad Abbates Sandaliorum usum extendit, agens enim de illorum ordinatione, *Episcopus*, inquit, *dat ei baculum, & pedules*. Sunt autem pedules idem ac Sandalia, quæ Leo Nonus Abbatibus Cassinensibus concessit, teste Leone Ostiensi *lib. 2. Chronici*: idque aliis postea ab Apostolica sede indultum fuit. (1) (1)

(1) *Idque aliis postea ab Apostolica Sede indultum fuit*) Ut autem uberiora quædam de Compagis, seu caligis proferamus, Compagos proprium, & singulare fuisse olim ornamentum Romani Pontificis discimus ex Hypomnestico, seu scholio de Anastasio Apostolicæ Sedis apud Byzantium Apocrisario circa an. Domini 666. in Collectaneis Anastasii Biblioth. editis a Sirmondo an. 1620. pag. 259. ubi legimus ejusdem Anastasii Discipulis, qui Chersonam ad invisendum locum exilii S. Martini Papæ & Martyris se contulerant, inter cætera eis donata fuisse, *unus ex compagis ejus, idest caligis, quos nullus alius inter homines portat, nisi Sanctus Papa Romanus*, cujus figuram exhibet Angelus Rocca Tom. 2. pag. 379. Ibid. paulo ante pag. 92., & 93. in Actis de exilio ejusdem S. Pontificis iidem compagi memorantur: *Cum ergo incidisset Psachnion Beati viri excubitor, & corrigiam Compagiorum ejus &c.* Hinc apud Anastasium in Stephano IV. de Constantini Antipapæ exauthoratione: *Maurianus Subdiaconus orarium de collo ejus abstulit . . . . . & compagos ejus abscidit*. Verum expost, uti refert Cangius in Glossario, ex Concilio Toletano IV. aliis ab Apostolica Sede permissum, atque etiam Diaconis legimus: *Compagis vero calceari absque Apostolica licentia non permittitur Diaconis*. Hic notat Papias Compagos esse *genus calceamenti, quo utebantur Diacones Romani, vel quibus a Pontifice licentia daretur*.

Compagi olim proprium, & singulare Romani Pontificis ornamentum.

Nonnulli Sandalia, & caligas, seu compagos pro eadem re acceperunt, ut observat Rubenius de Re Vestiaria lib. 2. cap. 15. Verum distinguenda omnino sunt, in Missa enim Ratoldi ex Codice Corbejensi apud Martenium de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. Art. 12. pag. 541. exhibetur Ritus de Caligis, & Sandaliis induendis, ubi diversæ etiam pro utrisque precationes sunt: *Primo quidem*, ibi, *Minister deferat Caligas, usque ad genu tendentes, & dicat: Tu Domine &c.* Respondet Episcopus: *indue me Domine calceamentis justitiæ &c.* ubi vides Caligarum nomen a Sandaliis diversum, ac earum formam, quæ ad genua usque protendi debebat. Consonant quoad sandalia Missa vetus ex Codice Card. Chisii, quam infra edidit Eminentissimus Author, ubi hic titulus præmittitur: *In primis Sacerdos dicat orationem ad calceandum se: calcea Domine &c.* Egregium porro de Caligarum, ac Sandaliorum diversitate testimonium est Ivonis Carnotensis Serm. 3. de significationibus Sacerdotalium indumentorum: *Antequam induantur Sandaliis, vestiuntur caligis byssinis, vel lineis usque ad genua protensis, & ibi bene constrictis, per quas significatur &c.* Ivoni consonat Innocentius III. lib. 1. cap. 48. de Misteriis Missæ ubi ait: *Inter hæc* (idest dum Psalmi leguntur) *Pedes Pontificis in præparatione Evangelii pacis caligis, & Sandaliis calceantur*: Et paulo post: *prius autem caligis induitur usque ad genua protensis ibique constrictis &c.*

Sandalia, & Caligæ, seu Compagi inter se diversa.

Cæterum caligas silentio prætereunt Alcuinum, Rhabanus, Honorius Augustodunensis, Rupertus Tuitiensis, & Hugo Victorinus, qui de Divinis Officiis scripserunt, sola Sandaliorum mentione contenti. Fortasse antiquorum nonnullis Scriptoribus Ecclesiasticis adhæsere, quibus promiscue Sandalia pro caligis accepta fuere, uti pluribus docet Angelus Rocca Episcopus Tagastensis Observ. in Imagines S. Gregorii a Johanne Diacono descriptas Oper. Tom. 2. pag. 368. Quidquid antiquitus fuerit, medio sequiori ævo alia ab aliis diversa fuisse jam satis ostendimus. De caligis porro, sandaliis, Compagis, aliisque pedum sacris indumentis, Pontificalibus maxime, & in usum Summi Pontificis fose, distincte, & eruditissime differit Dominicus Georgius in sua Romani Pontificis Liturgia cap. 13., & 14. ex quo nonnulla indicata decerpsimus. Porro de Pontificalibus indumentis, quæ memorat Card. noster Abbatibus Cassinensibus, aliisque ab Apostolica Sede concessis dicemus ad §. XIV. nota 6.

Caligas silentio præteriere Alcuinus, aliique veteres Liturgici Scriptores.

§.X.

§. X.

De Cruce pectorali. A Græcis Encolpion dicitur. Ejus usus recentior.

DE signo Crucis, ejusque veneratione & usu, deque parvis Crucibus, quæ collo appendere instar amuleti ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Fideles consueverunt, a viris doctis ingentia volumina conscripta sunt: de Cruce vero cum Sanctorum Reliquiis, quam nos pectoralem dicimus, quia ante pectus pendet, Græci *Encolpion* vocant, eo quod sinu geratur, silent omnes rituum Ecclesiasticorum Scriptores, Alcuinus, Amalarius, Strabo, & alii etiam recentiores. In Missa Illyrici & in iis quas edidit Menardus, cum omnia indumenta Pontificalia numerentur, nihil tamen de Cruce; ex quo fit, ut hunc ritum non admodum antiquum existimem. (1) Scio huc referri a nonnullis versum Gregorii Nazianzeni Carm. 21. *Namque Crucem in membris, medioque in corpore gesto*. Sed si contextus recte expendatur, nihil hic de Cruce pectori appensa ab Episcopo celebrante: nam Crucem secum ferre, commune erat omnibus Christianis etiam Laicis & mulieribus, quod late probant qui de Cruce commentaria ediderunt. Huc etiam refert Baronius *Tom. 9. anno* 811. Encolpion aureum cum partibus ligni Crucis Leoni III. missum a Nicephoro Constantinopolitano. Putat enim Encolpii nomine Crucem pectoralem significari, de qua sermo nunc est; suæque opinioni confirmandæ octavæ Synodi œcumenicæ testimonium affert, in qua *Act.* 5. Helias Vicarius Sedis Hierosolymitanæ narrans adventum suum in regiam Civitatem, & qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerit, *Imposuit*, inquit, nempe Imperator, *super colla nostra Encolpium suum, & dixit: ecce judicium Ecclesiæ exigat Deus a cervicibus vestris in die judicii*. Ego autem non video, quomodo hinc colligatur Encolpium fuisse insigne Episcoporum: nam qui illud imposuit, fuit Imperator, Helias vero Presbyter erat, non Episcopus, neque hic agitur de Cruce, quam Pontifex sacris operaturus pectori appendit, ut ex contextu manifestum est.

Ritus deferendi Crucem in pectore ab Episcopis usitatus non admodum antiquus.

(1) *Non admodum antiquum existimem*) Ita ante Eminentissimum Authorem sensit Andreas Saussajus in Panoplia Episc. lib. 4. ubi de Cruce pectorali, qui de eadem ibi multis agit, & sedulo exquirit cur Crux hæc pectoralis dicta ex eo, quia ad collum appensa gestabatur, sit peculiare Episcopi insigne, cum de ea, ut optime etiam notat Eminentissimus Author, sileant Liturgici Scriptores omnes. Verum quidem est Rupertum Tuitiensem, qui seculo duodecimo ineunte florebat, lib. 1. de Div. Offic. cap. 26. hæc prodere, postquam de annulo Episcopali disseruit: *Crux igitur aurea lamina sacratius ornamentum. Nec statim occurrant, decus hoc ideo non esse Pontificis, quia cum illo toti quoque commune est plebi; nam illa dignitas* (Episcopalis) *habet in hoc aliquid, quod nec inferioris ordinis Sacerdotibus commune sit*: At an hæc de Cruce pectorali ab Episcopis delata intelligenda sint, non satis conspicitur. Episcopos olim etiam collariam, sive pectoralem Crucem in itinere gestare solitos fuisse, quamplura nos docent exempla apud Gretzerum lib. 2. de Cruce cap. 28. & quidem inter cætera de S. Willibrordo Episcopo Trajectensi leguntur in ejus vita ab Alcuino metrice scripta hi versus de ejus Cruce pectorali furto sublata.

Crux pectoralis proprium nunc Episcoporum insigne.

Tollitur ac sævo quædam Crux aurea furto,
Quam Christi famulus secum portare solebat,
Dum prius egit iter, Christo comitante viator,
Relliquias propter multas, quas condit in illa.

Rothadus Episcopus Suessionensis in Libro Proclamationis, quem de se ipso obtulit anno Domini 863. affirmat se ad Suessionense Concilium accessisse cum Cruce pectorali: *Annui ego, & ad locum, quo me ducebant, transivi Sacerdotalibus vestitus indumentis, Sanctum Evangelium, & lignum Sanctæ Crucis circa mea pectora gerens.*

Eaque Crux ad collum ab iisdem Episcopis deferri solita a seculo octavo, quod & Laicis commune fuisse nonnulli ostendunt.

Gregorius Turonensis, a Saussajo praetermissus, de Gloria Martyr. lib. 1. cap. 11. refert se Crucem auream ad collum gestasse, in qua erant Reliquiae B. M. Virginis, SS. Apostolorum, & B. Martini, cujus ope incendium restinxit, quod aqua mitigari non poterat: *Tunc*, inquit, *extractam a pectore Crucem elevo contra ignem, mox in aspectu Sanctarum Reliquiarum ita cunctus ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus*. De S. Elphego Episcopo Cantuariensi, & Martyre, qui passus est anno 1012. legitur in ejus Vita ab Osbemo scripta apud Mabillonium sec. VI. Bened. parte I, pag. 122. 123. Crucem collo pendentem gestasse; ibi enim n. 3. a Presbytero quodam sublatam, & pertinaciter absconditam collariam Martyris Crucem fuisse narratur. His aliisque pluribus documentis constat Episcopos collo appensas Cruces gestasse, quod & Laicis etiam commune fuisse ostendunt Saussajus, & Gretzerus locis citatis. An autem hujusmodi Cruces inter indumenta Sacra Episcopalia olim adnumerarentur, id est quod negat Eminentissimus Author, eo quia nusquam a Scriptoribus Liturgicis, & antiquis Sacramentariis, ac Ritualibus, *Crux pectoralis* memoretur; idcirco ejus usum recentem esse existimat, cui adstipulatur Angelici Doctoris Authoritas, qui in Commentariis ad libros Sententiarum lib. 4. Dist. 24. Art. 3. dum indumenta Episcopis peculiaria enumerat, de Cruce nullam mentionem facit, sicuti etiam Innocentius III. lib. 1. Myst. Missae cap. 10. Episcoporum item ornamenta enumerans de Cruce pectorali silet. En ejus verba, quae & S. Thomas exscripsit loco citato: *Novem autem sunt ornamenta Pontificum specialia, videlicet Caligae, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirothecae, Annulus, & Baculus*: ubi vides de Cruce pectorali nihil dici.

In hac tamen Crucis gestatione Episcopi a caeteris etiam Laicis distinguebantur, quod eandem Crucem quotidiano usu continuo collo appensam publice gestent, reliqui occultatam deferant.

Fortasse haec inter Pontificalia indumenta adnumerata non erat, quia eamdem quotidiano usu continuo collo appensam gestabant, & omnium publico aspectui expositam, quemadmodum & nunc ita eam gestant Episcopi; prout olim etiam prisco more factitatum vidimus ad differentiam Laicorum, qui ipsam Crucem quidem plerique, ac fere omnes gerebant, sed habitu, seu veste occultatam; adeoque cum eamdem Episcopi non sumerent, quoties solemnibus ornamentis induebantur, quod jam ipsam deferentes haberent, idcirco inter Pontificalia eorum indumenta peculiaria ad Altare sumenda cum celebrant, non computatur, utpote quae eorum quotidianum, & ordinarium insigne ornamentum erat, ut indicare videtur supracitatus Rupertus Tuitiensis.

Ea propter Crux pectoralis inter Pontificalia indumenta non adnumeratur, cum eam habentes semper ab ipsis delatam non sumant ad Altare celebrantes.

Dispiciendum a quo tempore hunc morem Crucem gestare coeperint Episcopi.

Quo autem tempore Crucem hujusmodi pectoralem gestare coeperint Episcopi, certo statui, ac definiri non potest. Ex monumentis Ecclesiae Cathedralis Narniae impressis anno 1710. pag. 230. traditione habetur apud Narnienses firmata S. Juvenalem primum eorum Episcopum Crucem argenteam pectori e collo pendulam gessisse; eadem enim, quae ita creditur, ibi a Fidelibus publicae venerationi exposita colitur, & visitur pluribus Sacris reliquiis munita, uti etiam testatur Marcus Antonius Boldettus in suis Observationibus ad Caemeteria SS. Mart. pag. 732. S. Juvenalis Episcopus Narniensis praefatus sub Damaso floruit seculo scilicet quarto, verum an haec Narniensium traditio, piaque illorum hujusmodi credulitas ea sit, ut dubitationi contrariae locum non admittat, in tanta antiquitatis nube aliis disquirendum relinquo. Seculo sexto id in usu Episcopis fuisse facilius persuasum haberem ex Concilio Braccarensi tertio Can. 6. ubi graviter reprehenduntur quidam Episcopi tantum, quod in solemnitatibus Martyrum *ad Ecclesiam processuri*, cum Reliquias collo suo, ut moris erat, imponerent; se a levitis majoris pompae & ostentationis gratia gestari volebant, *quasi ipsi essent Reliquiarum Arca*, cum nec ipse Summus Pontifex Diaconorum, aut Clericorum humeris, sed Laicorum tantum gestetur, adeoque jubet idem Concilium, ut in capsellis Levitarum humeris portentur, aut certe si Episcopus ipse deferre velit, pedissequus una cum populis processione procedente deferat. Ex quonon obscure dignoscitur Episcopos olim collo appensam Crucem cum Martyrum Reliquiis gestare solitos; & quidem hujusmodi Crucis usum a Romanis Pontificibus adhibitum Joseph Vicecomes lib. 4. de Missae apparatu cap. 30. eruit ex S. Gregorii Vita per Joannem Diaconum scripta, in qua lib. 4. cap. 80. habetur Phylacteria ejusdem Pontificis magna veneratione a Fidelibus habita fuisse.

Videtur jam a seculo sexto hujusmodi consuetudo introducta.

Phylacteria quid?

Insuper Phylacteriorum nomine Crucem auream, vel argenteam filo, & catenulis appendendam, & insertis eidem Cruci Sanctorum reliquiis venire censet ex ipsius S. Gregorii Epistola ad Theodolindam Longobardorum Reginam lib. 12. Epist. 7. ubi ait: *se Adulavaldo Regi transmittere phylacteria, idest Crucem cum ligno Sanctae Crucis Domini*. Ipse quoque Joannes Diaconus Gregorii *Phylacteria* interpretatur loco citato de Cruce ad collum suspendenda; atque in hanc sententiam descendunt Cangius in Glossario Lat. verbo *Phylacterium*, & Dominicus Georgius de Liturgia Rom. Pont. cap. 19. num. 2. Verum tantorum virorum venia ex dictis de codem magno Gregorio non satis probari video ipsum Sanctum Pontificem collariam hujusmodi Crucem ante pectus pendulam gestare solitum; cum ipse Gregorius, ut dictum est, referat, quidem se Phylacteria, seu Crucem sacris ornatam reliquiis Adulavaldo Regi misisse, quemadmodum & similem Recaredo Hispaniarum Regi lib. 7. Epist. 127. & Joannes Diaconus afferat haec collo suspendenda; nullibi tamen nec ille, nec iste hujusmodi Crucem pectoralem a Pontifice gestatam aperte innuat. Praeterea Phylacterii nomen aequivocum Macro, ipsi Cangio, aliisque Lexicographis est, cum plura, videlicet chartulas, ligulas, reliquiaria, item ex Isidoro Pelusiota Epist. 101. lib. 2. a Chrysostomo Hom. 72. in Matthaeum *parva Evangelia* collo suspensa significet; uti

Phylacterii nomen aequivocum varia significans, frequentius Crucem pectoralem.

etiam

etiam ipse Gregorius loco supracitato Adulvaldo Regi, *Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini, & lectionem Sancti Evangelii theca persica inclusam.*

Atque hæc dicta sint, non ut Eruditissimis hisce viris inficiar, sed ut quid opponi posset exprimerem. Utut sit, Episcopos olim Crucem pectori aptatam gestasse jam vidimus, at inter solemnia Pontificum ornamenta adnumeratam non legimus ante Rupertum Tuitiensem supralaudatum, & Innocentium III. de Summo Pontifice loquentem lib. 1. Myst. Missæ cap. 53. quare optime hunc ritum de sumenda pectorali Cruce in Missa solemni ab Episcopis non admodum antiquum existimat Eminentissimus Author. Fuisse tamen in potestate Episcopis eam Crucem pectoralem adhibere, vel non, testatur Durandus Mimatensis in suo Pontificali apud Martenium lib. 1. de antiq. Eccl. rit. cap. 4. art. 12. pag. 577. ubi narrans indumenta Episcopo solemniter celebranti per ordinem necessaria inter eadem ita memoratur *Crux pectoralis, si quis ea uti velit.* Nusquam præterea invenimus Episcopis, dum consecrantur, traditam Crucem pectoralem fuisse; neque demum antiquitus instituta, aut certe, ac lata fuisse videtur precatio, dum Crux ad collum imponeretur. Quare iterum nullus ambigo, quin Episcopi Crucem antiquitus ad Collum gestarint, sed prisco ævo, & media etiam ætate apparet eam non fuisse additam Episcopalibus indumentis. Porro de Encolpio, seu Cruce pectorali Episcoporum vide Ducange ad Annæ Comnenæ Alexiadem pag. 247. & seqq.; ac Marcum Antonium Boldettum Observat. in Cæmeteria pag. 732. qui postquam ibi plura de hujusmodi Cruce pectorali dicta, ab Episcopis gestanda disseruit, præcipue ex laudato Gregorio Turonensi, illius ritus antiquitatem a seculo usque sexto deducens confirmat ejus Vitæ Authoris testimonio apud Surium 17. Novembris, ubi de eodem Gregorio hæc leguntur: *Amicus Sanctorum Reliquias indesinenter collo ferebat:* quæ reliquiæ in Cruce aurea clausæ erant, uti indemmet Gregorius indicat loco supra indicato his verbis: *B. Virginis reliquias cum Sanctorum Apostolorum, vel B. Martini super me in Cruce aurea positas exhibebam.* Mysticam denique rationem, propter quam Episcopus, sive Abbas Pontificalia exercens Crucem collo appendendam sumit, cum solemniter celebraturus est, exhibet Pontificale Romanum in ea oratione ibi præscripta his verbis: *Munire digneris me Domine . . . . . ut sicut hanc Crucem Sanctorum reliquiis refertam ante pectus meum teneo, sic semper mentem retineam & memoriam Passionis, & Sanctorum victorias Martyrum.*

Quam Crucem pectoralem liberum erat Episcopis sumere, ac pendulam ad collum gestare, vel non.

Quare merito dubitatur an eam [illegible] omnes collo appensam gestarint.

§. X I.

De Tunica, & Dalmatica Episcopali, earumque forma, colore, & usu.

DE Tunica & Dalmatica, quatenus Subdiaconi, & Diaconi sunt indumenta, mox agam, cum de Ministrorum vestibus incidet sermo: nunc de illis agendum, quatenus inter sacras Episcoporum vestes recensentur. Ordo Romanus utriusque meminit, cum Episcopalia enumerat indumenta, & unam quidem Dalmaticam minorem, alteram Dalmaticam majorem nuncupat. Tunicam Amalarius *lib.* 2. *cap.* 22. hyacinthini coloris fuisse ait, & subuculam nominari. In Missa Illyrici *subtilis* nomine indicatur, cui suffragatur Gemma Animæ *lib.* 1. *cap.* 229. dicens, *Subdiacono supradictæ vestes conceduntur*, quæ scilicet sunt Ministrorum inferioris gradus, *insuper duæ aliæ, idest* subtile, *& sudarium adduntur. Subtile, quod & stricta tunica dicitur, portat, ut se justitia quasi lorica induat.* Olim Tunica Episcopalis coccinei coloris erat, ut vel ipsæ picturæ veteres ostendunt; Dalmatica vero albi, (1) purum referens & incontaminatum Sacerdotis statum, ut scribit Simeon Thessalonicensis. Usum ejus antiquissimum esse Auctor quæstionum veteris, & novi Testamenti evincit, cujus hæc sunt verba quæst. 46. *Quasi non hodie Diaconi* (2) *Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* Hic autem, sive sit Hilarius Diaconus, ut plerique existimant, sive alius quispiam, (3) se scripsisse testatur *quæst.* 44. trecentis annis post Hierosolymæ excidium, quæ Urbs capta & destructa fuit anno Christi LXXI. Non omnes tamen Episcopos passim Dalmaticis usos credendum est: Sanctus enim Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 113. Aregio Episcopo sic scribit. *Communis filius Petrus Diaconus nobis innotuit, quod fraternitas vestra, tempore*

quo

Dalmaticarum usus Episcopis ab Apostolica Sede concessus.

quo hic fuit, poposcerit, ut sibi & Archidiacono suo utendi Dalmaticis licentiam praeberemus. Et post pauca. *Hujus auctoritatis nostrae serie petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum usu decorandos esse concessimus, easdemque Dalmaticas filio nostro Cyriaco Abbate deferente transmisimus.* Ex cujus concessionis tenore deducitur usum Dalmaticarum Episcopis ab Apostolica Sede tributum fuisse. In Missa Ratoldi apud Menardum inter indumenta Episcopalia unius dumtaxat tunicæ fit mentio, *super hac*, ait, idest accepta stola, *ministretur ei tunica gyris in tintinnabulis* (4) *mirifice refecta*, ad similitudinem (4) scilicet Aaron Sacerdotis. Ut enim observat Stephanus Eduensis *lib. de Sacram. Altaris cap.* 11. quidam Pontifices una, alii duabus tunicis utebantur; quod etiam notavit Durandus *lib.* 3. *cap.* 10. *sui Rationalis*.

Cardinalis Bona a Dominici Georgii nota quoad antiqua n Episcopalem tunicam coccinei coloris vindicatus.

(1) *Dalmatica vero albi*) Domioicus Georgius supralaudatus in sua Liturgia Rom. Pont. lib. 1. cap. 21. num. 3. ad hunc Cardinalis locum hæc habet: *Cardinalis Bona scribit tunicam Episcopalem olim fuisse coccinei coloris, ut veteres, inquit, picturæ ostendunt. Fateor equidem tunicæ colorem coccineum in musivis picturis veteribus me deprehendere non potuisse, quod imagines Romanorum Pontificum, & Episcoporum musivæ, sacris vestibus ornatæ dalmatica talari super indutæ tunicam sub Dalmatica contectam habeant.* Ita Georgius. Verum pace amicissimi Viri Eminentissimum Cardinalem id gratis, nec suo absque fundamento dixisse haudquaquam crediderim, quo veteres picturas saltem aliquot ita portendere, easque abs se hoc colore visas fuisse indubitatum reliquit; dum assertive, & absque hæsitatione idem affirmat. Præterea missis imaginibus antiquis, in quas dispicere meum non est, ad firmandum Eminentissimi assertum vetera non desunt monumenta. Atque ut a Græcis exordiar, quærit in Orientali Jure Græco-Rom. Tom. I. lib. 5. pag. 318. Coostantinus Cabasilas Archiepiscopus Dyrrachenus: *an consentaneum sit in purpureis Pontificalibus vestimentis poni, quemadmodum & in albis, in sticbario quidem flumina; in phænolio autem Cruces, & an purpureus saccus fieri debeat?* Respondet autem ad hæc Demetrius Chomatenus, qui seculo XIII. ineunte, & exeunte XII. floruit, dicens, quod *consuetudo Ecclesiæ Pontificalia purpurea vestimenta simpla vult esse, & sine prædictorum fluminum, crucium que adjectione*: Et post pauca de sacco ita concludit: *Hoc igitur satis plenam fidem facit saccus ut sit purpureus necesse non esse, cum etiam sint luctus insigne purpurea hujusmodi vestimenta.*

Ordinarius color Pontificalium indumentorum purpureus.

Ubi vides Pontificalium indumentorum colorem ordinarium purpureum esse, sive coccineum. Quoad Latinos ille idem Conradus incerte sedis Episcopus, quem refert ipse Georgius loco citato pag. 173. in Chronico Rerum Moguntinarum, ubi sacrarum vestium pretium, & copiam enumerat, ita loquitur: *Erat*, inquit, *in Casulis, Dalmaticis, Subtilibus*, (quæ & tunicæ dicuntur) *& cappis sericeis, & purpureis auro, & gemmis intextis pretiosas, & copiosus thesaurus.* Item video in hoc loco non alium colorem vestium, quam purpureum nominari, quod etsi infra varios alios earum colores describat, dicens: *item multæ tunicæ diversorum colorum, videlicet rubei, viridis, & violacei coloris*: attamen eorum primus rubeus est, utpote magis ordinarius, & ex antiquo usitatus. Crediderim veteres hujusmodi coccineo colore in sacris vestibus præcipue usos fuisse ad significandum purpureum vestimentum, quo Christus Dominus indutus in atrio Pilati illusus fuit.

(2) *Quasi non hodie Diaconi &c.*) Apud Augustinum Append. Tom. 3. Edit. Paris. Mon. S. Mauri, & Editionis Antiquæ Tom. 4. col. 697., ubi & Dalmaticarum usum Episcoporum proprium esse, & a Romanis Diaconis per arrogantiam usurpatum notat.

(3) *Sive sit Hilarius Diaconus, ut plerique existimant*) Videlicet Joannes a Lovanio, Benedictus Justinianus de Epist. Apost. disp. 2. cap. 4. Pagius in Critica Baronii ad an. 362. num. 26. Dupioius in Biblioth. Script. Eccl. Tom. 2. pag. 421. & novissime Ignatius Hiacynthus Graveson Hist. Eccl. Tom. 1. sec. 4. Colloq. 4. aliique. Inter Hæreticos Joannes Dallæus, Andreas Rivetus, Guillelmus Cave in Hist. Liter. Scriptorum Eccles. verbo *Hilarius*. Quisquis autem sit ille, certe Augustino antiquior fuit, & S. Hieronymo cognitus; nam illum citat, & reprehendit in Epistola ad Evagrium de Melchisedech.

Stolæ veteres, manipuli, Tunicæ, ac Dalmaticæ plerumque cum tintinnabulis.

(4) *In Tintinnabulis*) Plerumque occurrit in veteribus monumentis mentio Stolæ, Manipuli, & Tunicæ, ac Dalmaticæ cum Tintinnabulis. Quæ fuerint ea Tintinnabula, recte coojicit sæpe laudatus Dominicus Georgius de Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 20. dicens ipsa nil aliud fuisse, quam filamenta illa argentea stolarum, Manipulorum, ac Tunicarum extremitatibus adsuta campanulæ instar, quæ hodie etiam visuntur in usu; atque in hanc significationem sunt verba illa in testamento Riculfi Episcopi Helenensis apud Baluzium Append. ad Reginonem pag. 626., ubi Ecclesiæ suæ an. 915. inter alia reliquit *Stolas quatuor cum auro, unam ex illis cum Tintinnabulis, & Manipulos sex cum auro, unum ex iis cum Tintinnabulis*: Ita etiam in Vita S. Meinvverci Episc. Panderbonensis apud Bollandianos Junii Tom. 1.

pag.

pag. 549. legitur: donatio ab eodem facta cuidam Monasterio variorum Ecclesiæ ornamentorum, inter quæ Stolæ VII., ex quibus una habuit XXVII. Tintinnabula, alia XXI. Denique Dalmaticæ ambæ in Ordine Romano, quæ ad usum Pontificis, (ut optime advertit Card. noster) aliquando dictæ fuerunt major, & minor, quia una earum latior, altera strictior. Cur autem utraque datur Episcopo? an quia eminenter in eo sunt omnium sacrorum Ordinum gradus, an quia Episcopus duorum Testamentorum custos? Ita ex Hugone Victorino in Speculo Eccl. cap. 6. Durandus in Rationali lib. 3. cap. 10., & 11. Item sicuti ea Dalmatica, quæ in dicto Ordine Romano lanea erat, serica deinde fuit, (uti scribit Stephanus Eduensis de Sacram. Altaris cap. 11.) ita quæ aliquorum erat, omnium postea Episcoporum vestis communis facta est.

§. XII.

De Chirothecis, & earum usu.

Chirothecas Apostolicæ traditionis esse, sed perperam, scribunt nonnulli.

CHirothecas Apostolicæ traditionis esse scripsit Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 215. *Chirothecarum usus*, inquit, *ab Apostolis est traditus: ab Apostolis*, inquam, non *ab Epistolis*, ut perperam in editis legitur. (1) Sed hoc credibile non est, cum per aliquot secula (1)
nullum earum monumentum reperiatur, nec illis unquam usa sit Ecclesia Orientalis. Porro Chirothecas latina voce manicas nuncupant antiqui Scriptores, qua usus est Plinius *lib. 3. Epist. 5. ad Macrum*, quæ de studiis & lucubrationibus Plinii senioris avunculi sui est: *Manus*, ait, *hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet*. Ordo Romanus agens de ordinatione Episcopi hanc orationem dicendam præscribit, quando electus induitur manicis: *Immensam clementiam tuam rogamus Omnipotens Piissime Deus, ut manus istius famuli tui fratris nostri, sicut exterius obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuæ benedictionis*. In Missa Ratoldi apud Menardum manicæ etiam cum aliis Pontificalibus indumentis memorantur. Et in Missa Illyrici extat oratio ad induendas manus. Ex his autem colligitur quanta sit earum vetustas. (2) Usum denique Chiro- (2)
thecarum a Leone IX. concessum Abbatibus Casinensibus Leo Ostiensis supra relatus asserit: & eo antiquior Ordo Romanus in ordinatione Abbatis ex Canone Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690. post datam ei ab Episcopo Regulam ait, *Tunc tradat ei Chirothecas & Baculum*. (3) (3)

(1) *Ut perperam in editis legitur*) Idem scribit Hugo Victorinus de Sacram. lib. 1. cap. 56., quibus etiam consonant Innocentius III. lib. 1. Myster. Missæ cap. 41. ac Durandus in Rationali Div. Off. lib. 3. cap. 12. Joseph Vicecomes lib. 3. de Ritibus Missæ cap. 37. aliique.

(2) *Quanta sit earum vetustas*) Item Ordo Romanus ab Hittorpio editus in Ordinatione Episcopi exhibet pariter orationem particularem ad Chirothecas, seu manicas, quas ita vocant.

Chirothecæ olim etiam Presbyteris communes.

(3) *Tunc tradat ei Chirothecas, & Baculum*) Chirothecas porro antiquitus communes fuisse non solum Episcopis, sed interdum etiam Presbyteris, elicitur ex Anonymi expositione Liturgiæ Gallicanæ apud Martenium Thesaur. Anecdot. Tom. 5. pag. 99. ubi ait: *Manualia vero, idest manicas induere Sacerdotibus mos est, instar Armilicarum, queis regum, vel Sacerdotum brachia constringebantur. Ideo autem ex qualibet pretioso vellere non metalli duritia extant, vel ut omnes communiter Sacerdotes etiam minoris dignitatis in seculo facilius inveniant*. Hinc rudi vocabulo a Gallis petito Chirothecæ Wanti vocantur, quæ vox in nostratium Italorum vernaculam linguam transiit, ac barbara voce nuncupatas Chirothecas legere est in Vita S. Columbani Abbatis cap. 25., & 30. sec. 2. Bened. pag. 15., & in Actis S. Maimbodi Mart. apud Bollandum Act. SS. Januarii Tom. 2. die 22. pag. 543., & 544. Vide Cangium in Glossario verbo *Wantus*. Ornari autem antiquitus Chirothecas auro, vel gemmis consuevisse ex Monastico Anglicano addiscere liquet Tom. 3. pag. 314.; ubi legimus in sacro Cimeliarchio Ecclesiæ S. Pauli Londinensis anno 1295. recenseri *Chirothecas gemmis, & lapidibus pretiosis ornatas*: Item *Wanti castanei auro parati* leguntur in Vita S. Berharii Episc. Carnotensis. Quod & alibi plerisque in locis apud laudatum Cangium, aliosque expressum

Chirothecæ rudi vocabulo Wanti dictæ, ac Pontificales auro, vel gemmis ornatæ.

Chirothecarum nonnullæ mysticæ rationes.

pressum habetur. *Quia vero*, inquit, Innocentius III. loco supra citato cap. 57. *plerique opus bonum quod faciunt, inani favore corrumpunt; statim Episcopus manus operit Chirothecis, ut nesciat sinistra sua quid faciat dextera sua. Per Chirothecas ergo congrue cautela designatur, quæ sic facit opus in publico, quod intentionem continet in occulto*. Hæc doctissimus Pontifex, qui & antea cap. 38. in eumdem sensum ait: *sicut aliquando manus chirothecis velantur, quandoque iis extractis denudantur; sic opera bona interdum propter arrogantiam declinandam celantur, & interdum propter ædificationem proximis monstrantur*: Præterea ut observat Honorius Augustod. in Gemma animæ, seu de antiquis Rit. Missæ lib. 1. cap. 215. *Chirothecæ sunt inconsutiles, quia actiones Pontificis debent rectæ fidei esse concordes*. Hæc autem nec in feria sexta in Parasceve, seu Hebdomadæ majoris, nec in Missis Defunctorum induit Episcopus, uti præscribitur in Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 29. Porro de Chirothecis Pontificalibus, earumque mysticis significationibus præter Andream Saussajum in Panoplia Episcopali, Josephum Vicecomitem lib. 3. de Missæ apparatu, Antonium Bellotte Observ. ad Ritus Eccl. Laudun. aliosque videri potest nuperus Scriptor Joannes Baptista Pacichellus, qui de iisdem Chirothecis Opusculum variis eruditionibus refertum edidit Neapoli anno 1683.

§ XIII.

De Anulo, ejusque antiquitate, & usu.

NON est hujus loci Anulorum originem investigare, sed & superfluum est, nam *Gen.* 38. Judam legimus anulum & armillam gestasse; nec ullus fere liber est in veteri Testamento, in quo ejus mentio non fiat. Usum autem ferendi anulum a Christianis receptum fuisse Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *sui Pædagogi cap.* 11. testis est. At vero Episcopis inter reliqua sui Ordinis insignia traditos Anulos, mille & amplius annorum testimonia habemus tum in Ordine Romano, & aliis Sacramentorum antiquissimis libris, tum apud Surium *die* 3. *Decembris* in Vita S. Birini Dorcestrensis Episcopi, qui vixit anno 640. tum demum in quarto Concilio Toletano c. 27. quo sancitur, ut Episcopo injuste deposito tamquam suæ dignitatis signum Anulus restituatur, qui dudum recepto in Ecclesia ritu in sua ordinatione ipsi dari consueverat. (1) Neque obstat Alcuini, Amalarii, & Rabani de anulo silentium: nam istis tacentibus loquuntur alii, qui eos ducentis & amplius annis antecesserunt, ut ex allatis testimoniis luculenter apparet: & fortassis diversæ fuerunt diversis locis, & temporibus hac de re consuetudines. (1)

Variæ rationes propter quas Annulus Episcopo traditur in ipsius consecratione.

(1) *Ipsi dari consueverat*) Diserte id confirmat S. Isidorus Hispalensis Episcopus lib. 2. de Offic. cap. 5. ubi ait: *Episcopo, dum consecratur, dari Annulum propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum*. His suffragatur Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 216. tradens annuli usum acceptum fuisse ex Evangelio, & Pontificem *annulum gestare, ut se sponsum Ecclesiæ agnoscat, & pro illa animam, si necesse fuerit, sicut Christus ponat*: similia ferme produnt S. Bruno Signiensis de Sacram. Eccl., & Myst. Rupertus Tuitiensis de Div. Offic. lib. 1. cap. 25. Innocentius III., & Durandus, ille lib. 1. Myst. Missæ cap. 46., & 61. iste in Rationali lib. 3. cap. 14., qui ejusdem Mysticas significationes proferunt. Annuli Episcopalis antiquitatem probant Missæ Ratoldi, & Illyrici, item Pontificale annorum 900. Egberti Eboracensis Episc. in quibus impositum Episcopo Annulum in celebratione Missarum perspicue legitur. In testamento quoque Riculfi Helenensis Episc. ann. Domini 915. supra memorato inter sacra ornamenta ab eo legata nominatur: *Annulus aureus unus cum gemmis pretiosis*. Quare his documentis Annuli Pontificalis antiquitate firmata, nihil eidem officit aliquot Scriptorum silentium, ut optime advertit Eminentissimus Author, quod & observavit Menardus in notis ad Sacram. Gregorii pag. 362., qui ex hoc ipsorum silentio pariter arguit diversum olim fuisse ritum pro diversitate locorum, & temporum. Et sane Hugo etiam Victorinus in libris de Sacram. ubi de Pontificalibus ornamentis verba facit, nihil habet de Annulo; ergone Hugonis ætate qui sæculo XII. floruit, Annuli Episcopales in usu non erant? Sed & Annuli Episcopalis antiquitatem non obscure innuunt, quæ Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum dicit his verbis. *Bene revocasti claves ad Petrum, bene subduxisti annulum iis, quibus aperire*

vire non licet ad fontem: ex quibus omnino videtur hic annulus ab Optato designatus sacer ille esse Episcoporum gestatorius, quem ita inter Ecclesiæ dotes idem recenset.

An autem Episcopi Orientales, seu Græci annulos gestaverint, incompertum est.

Hæc quoad Latinos; quo vero ad Græcos, an inter ipsos Episcopi antiquitus annulos gestaverint, incompertum est, immo contrarium scribunt Jacobus a Vitriaco infra citandus, Henricus Canisius Tom. 6. Antiq. lect. & Jacobus Gretzerus in Codini lib. 1. cap. 16. Constat tamen recentiores Græcos Episcopos hunc honorem a Latinis mutuatum non improbasse, dum ipsis etiam idem sacrum manus ornamentum in usu est. De Maronitis ita in Orientalis Ecclesiæ Historia scribit idem Jacobus Cardinalis de Vitriaco cap. 78. *Cum omnes Orientales Prælati, exceptis dumtaxat Latinis, annulis, & mitris Pontificalibus non utantur: Maronitæ in signum obedientiæ* (erga Ecclesiam Latinam) *consuesuetudinem, & ritum observant Latinorum*. Tradit præterea Franciscus Bosquetus Montispessuli Episcopus in Vita Innocentii III.

Eosdem postea hujusmodi consuetudinem annulos gestandi suscepisse ex plerisque monumentis deducitur.

hunc Pontificem Basilio Trinoni Episcopo, quem ad unitatem Romanæ Ecclesiæ venientem in totius Bulgariæ, & Wallachiæ Primatem constituit, misisse pallium, mitram, & annulum, Basilium vero his acceptis summas Innocentio Papæ gratias egisse, uti & idem narrat Pagius junior Brev. Gest. Pontif. in Innocentio num. 34. ex Gestis ejusdem Pontificis a cap. 65. ad 78. Gregorius item Papa IX. ut ex ejus Actis refert Odoricus Rainaldus ad an. 1239. num. 83. Constantino Catholico Armenorum Primati pallium postulanti, mitram etiam, & annulum misit, idque *in signum Apostolicæ dilectionis, & gratiæ, ac in ejus devotionis indicium*. Denique de Episcopis Græcis, quos Imperator Michael Palæologus misit ad Lugdunense Concilium sub Gregorio Papa X. scribit Georgius Pachymeres lib. 5. cap. 21. suæ Historiæ, quod *perhumaniter illos excepit Papa, adeo ut eos honoraverit Mitris, & Annulis, quibus insignibus Episcopos ornari mos illic obtinet*. Unde colligi liquet Græcos Episcopos, aliosque Orientales Prælatos non ante seculum XII. Annuli usum adhibuisse.

Quæ consuetudo deinde circa sec. XII omnibus Græcis communis fuit.

Eodem tempore, medio scilicet sec. XI. Abbatibus, etiam Regularibus idem concessum Privilegium.

Per id temporis, ac medio fere seculo undecimo Abbatibus etiam Regularibus annuli usum concessum lego, & quidem in Vita S. Gosuvini Abbatis Laubiensis lib. 1. cap. 25. apud Mabillonium Præfat. I. in sec. VI. Bened. §. 4. sic de eodem dicitur, quod cum ad illius Monasterii regimen electus fuisset; ipseque huic suæ electioni pro viribus obsisteret, resistanti Magister Werimbaldus præclarus eo tempore Orator exposuit illius Monasterii dignitatem, divititas, potentiam, viros sapientia illustres, addiditque: *Rectorem loci minus quidem Episcopo, sed esse plus Abbate, cujus in Missarum solemniis ornaret annulus manum, sandalia pedes &c.* Expresse Innocentius III. uti ex ejus Regesto lib. 1. Epist. 518. hujusmodi privilegio eodem seculo labente circa an. 1199. Falconem Corbejensem Abbatem ornavit, usu scilicet annuli ipsi impertito, cujus mysteria his verbis aperit, ac illustrat: *Inter cæteros siquidem Sacramentales ornatus Prælatis Ecclesiarum conceditur Annulus, qui est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare Annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam Prælatus ipsius intemerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur.*

Hinc liquido apparet seculo undecimo peculiare quibusdam Abbatibus, aliisque similibus Prælatis hujusmodi privilegium fuisse, quod hisce temporibus jus fere commune evasit. Et quidem quoad nostros Cistercienses jam fere ab Ordinis initio id ipsis Abbatibus, Cistercii scilicet, & quatuor principalium dicti Ordinis Monasteriorum Prælatis delatum constat ex Bulla Innocentii PP. VIII., quam refert Chrysostomus Henriquez in Privileg. Ord. Cister. pag. 190. ubi idem privilegium jam antea ab aliis Pontificibus concessum confirmat, & de novo elargitur anno 1489. inter cætera his verbis *Ac Mitra, & Annulo, & aliis Pontificalibus insigniis uti, nec non &c.* quod & postea reliquis dictis Ordinis Abbatibus extensum fuit. Solis itaque Episcopis, & Abbatibus annulum etiam gemma ornatum gestandi facultas data est; reliquis vero Prælatis inferioribus negatur, uti ex Decretis sacræ Rit. Congreg. 11. Februarii 1623. & 20. Novembris 1628. docet Gavantus in Rubricas Missalis Parte 2. Tit. 1. ad num. 6. Observat tamen Clar. P. D. Cajetanus Maria Meratus in suis Observationibus ad dictum Gavantum Tom. I. pag. 339. num. XXXV. ex alio ejusdem S. Congregationis Rituum decreto posse Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, utpote in dignitate constitutos, uti Annulo aureo, sed sine gemma, aut aliqua effigie, quemadmodum & legitur ibi in Indice decretorum dictæ sac. Congregationis ab ipso coordinato num. 413. pag. 534. Præterea S. R. E. Cardinalibus etiam non Episcopis, aut Abbatibus Annuli usum, sicut & reliqua Pontificalia jam a seculo undecimo concessa fuisse dicemus infra §. sequenti. Cæterum non omittendum, quod Sacerdoti, Diacono, & Subdiacono usus mitræ, annuli, & sandaliorum concessus fuerat a Leone IX. in Ecclesia Vesontionensi ad quædam festa, ut legitur in probationibus Historiæ Tornutiensis pag. 358., & 362. ex Mabillonio in notis ad cap. 9. Tract. S. Bernardi Abb. de moribus, & officio Episcoporum; at hæc antiquata sunt.

Quæ olim Christianis in eorum annulis erant signacula, & quæ præcipue indicarent.

Ne autem pro complemento hujus paragraphi præterire videamur usum ferendi annulum a primis Christianis receptum, quem indicat Card. noster, & cujus testis est Clemens Alexandrinus libro ab eodem Eminentissimo citato cap. XI. ejus verba damus, & hæc sunt, quibus signum, quo Christifidelium annuli sculpendi essent, declarat: *Sint nobis*, inquit, *signacula, columba, piscis, vel navis, quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora, quam insculpebat Seleucus, & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque Idolorum imprimendæ sunt facies, quibus vel solum attendere probibitum est; sed nec ensis, vel arcus iis, qui pacem prosequuntur, nec poculi iis, qui sunt moderati, & temperantes.*

Ita doctissimus Secundi seculi Scriptor. Et sane annulos hujusmodi a Fidelibus gestatos cum anaglypticis relatis Columbæ, Anchoræ, & Navis signis; quin etiam cum Monogrammatis A. & Ω. ☧. ac palmis, testantur ipsorum bene multi, quos e ruderibus, ac subterraneis effossos, æri incisos exhibent Joannes Kirchmannus, Georgius Longus, Fortunius Licetus, ac nuper Michael Angelus Caussæus de la Chausse, qui de annulis veterum scripserunt, novissime vero de iisdem sacris Christianorum siglis Marcus Ant. Boldettus in suis Observationibus ad Cœmeteria Urbis pag. 502. Sed & signo Crucis annulos obsignari solitos a Christianis exemplum habemus de annulo S. Macrinæ Virginis, cujus meminit Gregorius Nyssenus in ejus Vita. Imagine quoque interdum Sanctorum virorum eosdem annulos loco gemmæ exornari solitos & olim fuisse docet S. Joannes Chrysostomus, dum in Oratione habita in laudem Meletii, de Antiochenis tradit ipsos illius imaginem etiam in pala annuli expressam gestare consuevisse. Cum vero in supremæ auctoritatis insigne, dignitatis, ac præeminentiæ non modo in politicis, & civilibus, sed & in sacris apud omnes gentes annuli haberentur, uti hac de re quamplurima testimonia non desunt; Pharao quippe annulum suum e digito extractum Josephi dexteræ inseruit cum illum universæ Ægypti terræ præficeret, Gen. cap. 41. 42. Alexander Magnus annulo suo donavit Perdiccam, in successorem illum Regni denuntians, (Q. Curtius Vitæ Alex. lib. 10. cap. 5.) Augustus morbo, uti rebatur, extremo laborans annulo item suo Agrippam insignivit, ut inter amicos æquissimum. (Xiphilinus in Augusto) demum ut de reliquis taceam S. Jacobus Apost. Epist. Cath. cap. 2. 2. virum dignitate amplissimum distinguit ex annulo aureo, quem in digitis gestat; eapropter Episcopis, & Abbatibus cum solemniter inaugurantur, annulus eis traditur in signum *Pontificalis honoris*, uti quoad Episcopos apud Martene Tom. 2. de antiq. Eccl. Rit. pag. 342., & 368. quoad Abbates Tom. 3. pag. 18. præcipue apud Innocentium III. in Epist. Fulconi Abbati Corbejensi data, ubi quare Ecclesiarum Prælatis Annulus detur, Pontifex eruditissimus exponit, inter cætera quod idcirco illum deferunt in symbolum Ecclesiæ ab ipsis desponsatæ, uti ex plurimis veterum monumentis refert Cangius in Glossario verbo *Annulus*.

§. XIV.

De Mitra, ejusque usu sacro & profano. Quando cœperit ejus usus in Ecclesia. Cur Græci ea non utantur. Quando & a quibus concessa Abbatibus.

Mitra Pontificalis ex veteri Testamento sumpta est, ut recte scribit Honorius *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 214. Ea enim utebantur Sacerdotes, ut Sacræ Literæ indicant *Exodi* 29. & *Levitici* 8. Erat & profanum capitis ornamentum, quo primum Jonios, deinde Ægyptios, Syros, & Lydos usos fuisse Ethnici Scriptores tradiderunt. Olim etiam pro muliebri corona sumebatur, ex qua fasciolæ pendebant, unde Virgilius *redimicula Mitræ* commemorat. Deo quoque sacratis Virginibus mitra præter velamen in Africa imponi solebat, de qua Optatus Milevitanus lib. 2. *Felix*, inquit, *inter crimina sua & facinora nefanda, ab eo comprehensam puellam, cui mitram ipse imposuerat, a quo paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit*. Isidorus lib. 19. Orig. cap. 31 *Mitra est pileum Phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum est, Mitra autem fœminarum*. Ab Alexandro II. concessum Mitræ usum Uratislao Duci Boemiæ in signum intimæ dilectionis, Gregorius VII. testis est *Epist.* 38. *lib.* 1. asserens id Laicis nunquam antea tributum. (1) Brachmanes Sacerdotes (1) Mitra gemmis ornata uti consuevisse refert Philostratus *in vita Apollonii lib.* 2. & 3. Eamdem usurpasse summum Sacerdotem Deæ Syriæ, Lucianus *in Dea Syria* scripsit: idemque tradidit de Pontifice Maximo Ethnicæ superstitionis Prudentius *hym.* 9. *de Coronis* his versibus.

Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis tempora

Nectens,

Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.

Mitræ nomina multa sunt, dicitur enim cidaris, tiara, infula, phrygium, corona sacerdotalis, cuphia, de quibus Lexicographi Græci, & Latini consulendi sunt. De ipsius usu in Ecclesia duæ sunt Eruditorum sententiæ. Quidam enim existimant recentem adinventionem esse, quæ circa annum Christi millesimum incœperit, (2) quam opinionem probant primo ex tabulis & aliis veterum monumentis, in quibus tam Summi Pontifices, quam reliqui Episcopi omnibus quidem Pontificalibus ornamentis induti, sed nudo semper capite delineati apparent. Secundo ex libris Ritualibus ante annos septingentos scriptis, & ex antiquis rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus, qui cum satis accurate omnia indumenta Episcoporum recenseant, de Mitra tamen prorsus silent. Alii e diverso Mitræ usum putant ab ipsis Apostolis fluxisse, idque variis rationibus & testimoniis suadere conantur; contrariam vero sententiam fluxis dumtaxat argutiis niti ajunt, atque omni solido fundamento destitui. Propugnat acriter hanc Mitræ antiquitatem Andreas du Saussay *lib.* 1. *Panopliæ Episcopalis*, omnibus ad hoc argumentum spectantibus diligentissime collectis, quæ apud ipsum legi possunt. Ego autem crediderim utramque opinionem posse facillime conciliari, si dixerimus mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix fuerit in Ecclesia: negari tamen non posse, quin a temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sint. Hoc enim evincere videntur, quæ ad probandam Mitræ antiquitatem Saussajus congessit, præsertim ex Epiphanio, qui in hæresi Antidicomarianitarum affirmat Jacobum Apostolum bracteam seu petalum in capite portasse ex Polycrate *apud Eusebium lib.* 5. *Eccl. Hist. cap.* 24. & ex Hieronymo *de Script. Eccles.* asserentibus Joannem item Apostolum laminam auream in fronte gessisse: (3) ex Gregorio Nazianzeno, qui *Orat.* 5. *post reditum a fuga* loquens de sua ordinatione capiti suo cidarim impositam ait: ex Balsamone & aliis Scriptoribus Græcis, qui fatentur Patriarcham Alexandrinum Phrygio uti, sive Loro, ut Græce scribunt, ex eo quod illud miserit Cyrillo Celestinus Papa, cum eum jussit Ephesino Concilio vice sua præsidere. Qua vero de causa Græci Antistites, dempto Alexandrino, olim Phrygio non uterentur, quæstio anceps est, quam tractat eruditissimus Goar in notis ad Episcopi ordinationem *pag.* 34. Vera ratio illa videtur, quam ipsemet Balsamon, quamvis Schismaticus, insinuat, quia reliqui hanc honoris prærogativam a Romano Pontifice non habuerunt. Quid vero & quale fuerit illud Phrygium, sive Lorum non constat. Aliquos tamen inter Græcos extitisse, qui sibi jus Phrygii usurparint, idem Goar asseverat: communiter vero usque ad hodiernum diem ab hoc ornamento abstinuerunt, nec ullus est in Græcia Mitræ usus. (4) Reliqui Episcopi Orientales Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ Cidari utuntur, quæ ipsorum capiti imponitur, dum ordinantur, ut ex eorum Ritualibus apud Morinum manifestum est. De Mitris vero Sanctorum Silvestri, Augustini, & aliorum Episcoporum, qui in Occidente ante annos mille & amplius floruerunt, ab hodiernis non multum dissimilibus, & inter lipsana quarundam Ecclesiarum asservatis, non est meum ferre judicium. (5) Nonnullis insignium Monasteriorum Abbatibus tam Mitræ quam aliorum Pontificalium ornamentorum usum post annum millesimum concessum probatissima testantur monumenta.

De Mitræ usu duæ Eruditorum sententiæ.

(2
(3)
(4)
(5)

Mitræ uſus, aliorumque Pontificalium ornamentorum Abbatibus poſt ſeculum X. conceſſus.

menta. Alexandrum II. hoc privilegium conceſſiſſe Abbati S. Auguſtini Cantauriæ Guill. Thorne ejus Cœnobii Monachus refert in ſuis Chronicis. In Bullario quoque Caſinenſi extat ejuſdem Pontificis conſtitutio, qua eadem gratia Abbati Cavenſi conceditur. Extat item in Bibliotheca Cluniacenſi ſimile privilegium Urbani II. pro Abbate Cluniacenſi: & Petrus Diaconus *lib.* 4. *Chron. Caſin. cap.* 17. ſcribit eundem Urbanum facultatem dediſſe Abbati Caſinenſi utendi Compagis, Chirothecis, Dalmatica, & Mitra. Recentiora omitto. Privilegium autem Honorii I. & Theodori initio Bullarii Caſinenſis relatum, quo Mitram, & alia inſignia Pontificalia Abbati Monaſterii Bobienſis a S. Columbano fundati largiuntur, aliis examinandum relinquo. Damnant uſum Pontificalium in Abbatibus Bernardus (6) *Epiſt.* 42. *ad Henricum Se-* (6)
nonenſem, & Petrus Bleſenſis *Epiſt.* 90. *ad Guillelmum Abbatem fratrem ſuum:* ille ſpiritu humilitatis, hic zelo zelatus pro Epiſcopis, quibus hæc Abbatum prærogativa diſplicebat, de qua re extat *Epiſt.* 27. *lib.* 2. Goffridi Vindocinenſis. Late tandem propagata eſt mitræ geſtandæ conceſſio, non ſolum ad Abbates, ſed etiam ad quarundam Eccleſiarum ſecularium Præpoſitos, & ad Cathedralium dignitates, & Canonicos, quorum hic catalogum texere ſuſcepti operis inſtitutum non (7)
patitur. (7)

(1) *Aſſerens id Laicis nunquam antea tributum*) Qui & confirmat, quod eidem Anteceſſor ſuus Alexander præſtiterat; ſed & poſtea Mitræ uſus conceſſus eſt Friderico Regi Siciliæ a Lucio II., ut teſtatur Otho Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici Imp. Barbaroſſæ Nepotis ſui cap. 28. pag. 128. Bibl. Ciſterc. atque inter Scriptores Germanicos Chriſt. Urſtitii. *Concordiam* (ait) *inter Siculum, & Papam hujuſmodi eſſe accepimus: Papa conceſſit Siculo Virgam, & Annulum, Dalmaticam, & Mitram, atque Sandalia.* Innocentius III. Mitram Petro Aragoniæ Regi donavit, ut legimus in ejus geſtis apud Franciſcum Boſquetum pag. 135. *Regalia inſignia*, inquit, *univerſa, mantum videlicet, & colobium, ſceptrum, & pannum, coronam, & mitram ad opus tuum non minus pretioſa, quam ſpecioſa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in ſignum gratiæ ſpecialis &c.*

Mitra nonnullis Principibus ab Apoſtolica Sede conceſſa.

An autem hujuſmodi Mitræ eædem, ac Epiſcoporum fuerint, merito dubitaverim; cum enim Mitræ nomen æquivocum ſit, multaſque habeat ſignificationes, uti notat Cardinalis noſter, & apud Lexicographos videre eſt, præfatas Regum, Ducumque Mitras, etſi ad quamdam Mitræ Epiſcopalis ſimilitudinem factas, ab eadem tamen illas plane diverſas fuiſſe abſque hæſitatione exiſtimarem; *Mitra quippe Pontificalis*, (inquit Honorius Auguſtodun. lib. 11. cap. 24.) *ſumpta eſt ex uſu legis. Hæc ex byſſo conficitur & tiara &c.* Conſonant Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 55. & in Speculo Eccl. cap. 6. Innoc. III. Papa lib. 1. de Myſt. Miſſæ cap. 44. & 60. ubi hæc habet: *Mitra Pontificis ſcientiam utriuſque Teſtamenti ſignificat: nam duo cornua duo ſunt Teſtamenta, duæ fimbriæ ſpiritus & littera, circulus aureus, qui anteriorem partem, & poſteriorem complectitur, indicat quod omnis ſcriba doctus in regno Cælorum de theſauro ſuo nova profert, & vetera. Caveat ergo diligenter Epiſcopus &c.* Innocentio ſuccinit Jacobus Card. Cajetanus de Coronatione Bonifacii VIII. apud Bolland. in Actis SS. Maii Tom. 4. pag. 461. ubi de ejus Mitra, quam in ea ſolemnitate geſtabat, ſic metrice ſcribens: ait

Cornua fronte gerit duplicem ſignantia legem;
Legem quippe novam Chriſti, veteremque figuram.

Numquid autem ſublimiorum ſeculi Principum Mitræ eamdem fortaſſe ſignificationem habebunt? Dei quidem omnipotentis Regum Regis, ac dominantium Domini vicem deſuper datam in terris gerunt, quoad temporalia Mundi Principes; at quoad ea, quæ majoris momenti ſunt, ſpiritualia, Divinæ ſcilicet legis jura exponenda, & vindicanda, ſacra ipſius munia obeunda, & quæ ad majorem Dei gloriam, ejuſque cultum pertinent conſtituenda, primarios Eccleſiæ Sacerdotes, atque ab iis ordinatos, *exiſtimet homo Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* (1. ad Cor.) Eapropter admodum differt Sacerdotalis Infula ab Imperiali diademate, vel Regali. Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 224. ſic Cæſaream deſcribit coronam: *Corona Imperatoris eſt circulus orbis. Portat ergo Auguſtus Coronam, qui ſic declarat ſe regere Mundi Monarchiam. Arcus ſuper coronam curvatur, eo quod Oceanus mundum dividere narratur.* Diſtinctius eamdem coronam exprimit Cæremoniale Romanum lib. 1. ſect. 5. cap ult. *Differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea ſub ſe tiaram quamdam habet in modum fere Epiſcopalis Mitræ, humiliorem tamen, magis apertam, & minus acutam, eſtque ejus apertura a fronte,*

non

non ab aure, (sicuti habet Pontificale) & *semicirculum alium habet per ipsam aperturam aureum, in cujus summitate crux parvula eminet*. Reliquæ aliorum Principum coronæ nullam cum Episcoporum infula similitudinem habent. Sed ad hanc redeamus.

Indicantur qui Mitræ usum circa sec. X. incepisse arbitrantur.

(2) *Quæ circa annum Christi millesimum inceperit*) Hos inter Onuphrius Panvinius, qui in explicatione vocum obscurarum Ecclesiasticarum asserit *Mitrarum usum in Ecclesia Romana non ante sexcentos annos esse*: Hugo Menardus Not. in Sacram. Gregorii pag. 352. pronunciare non dubitat *vix ante annum Christi millesimum Mitræ usum in Ecclesia fuisse*; quod de ea in Missa Illyrici, item apud vulgatum Alcuinum, Amalarium, Rhabanum, aliosque altum silentium sit, solumque seculo XI. Mitræ mentio fiat a S. Petro Damiani, & deinceps seculo XII. ac sequentibus ab Honorio, Hugone Victorino, & aliis. Edmundus Martenius de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 1. num. 14. facem ei præbente Mabillonio Præf. in sec. 4. Bened. par. 2. num. 182. existimat usum Mitræ semper in in Ecclesia fuisse, sed non quibusvis Episcopis absque Sedis Apostolicæ concessione licuisse. Nituntur autem præfati Mabillonius, & Martenius privilegio Leonis Papæ IV. Anschario Hamburgensi Episcopo concesso, ubi hic eidem indulget, ut ornaret caput Mitra; Tradunt etiam Trajectenses Episcopos Mitræ gestandæ honorem ab Alexandro III. accepisse; quod certe argumento est, (inquit Martenius) Mitræ usum non cuivis Episcopo citra privilegium licuisse, alioquin inutiles fuissent Pontificiæ illæ concessiones. At hæc sequioris ævi sunt, ex quibus arguitur, quod infra ad conciliandas eruditorum hac de re varias opiniones docet Eminentissimus Author, & nos aliquot monumentis confirmamus, Mitram, qualis est hodie, recentium seculorum ornatum esse; priscis vero temporibus Episcopos, si non omnes, saltem nonnullos aliquod capitis ornamentum gestasse, quod etiam præter jam notata Tom. I. in Append. pag. 411. ex deducendis constabit. Et sane hac de re luculentum, quod ibi omisimus, testimonium nobis suppeditat S. Gregorius Nazianzenus narrans quæ gesta sunt in die inunctionis suæ, ubi *idcirco*, ait, *me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique cidarim imponis*. Quæ profecto clarissime ostendunt ipsum aliquod ad Mitræ similitudinem sacrum capitis ornamentum sibi impositum, & detulisse. Neque officit quod recentiores Græci Mitra, seu infula non utantur in Sacrificio (quemadmodum ex Simeone Thessalonic. notat Jac. Gretzerus lib. 1. Observ. cap. 16. in Codini cap. 1.) sed aperto capite totam Liturgiam perficiant; nam non omnes hunc morem servant, & præ cæteris Patriarcha Alexandrinus, aliique quamplurimi antiqua nixi traditione, qui, sicut Legis Sacerdos, cidarim, quam & Mitram vocabant, in capite gerebant. Quoad Latinos S. Ambrosium Mitram gestare solitum fuisse, etsi non constet qua forma esset, non obscure indicat Ennodius Ticinensis in quodam Epigrammate; ubi hæc de eodem ait:

At Mabillonius, & Martene contrarium existimant, probantque.

Serta redimitus gestabat lucida fronte,
Distincta gemmis: ore parabat opus.

Sed de hoc argumento in sequentibus disserendum obveniet.

(3) *Laminam auream in fronte gessisse*) Id confirmant Eusebii Annotator Valesius in dictum caput 24. & Epiphanii Scholiastes Petavius not. ad ejusdem Hæres. 78. num. 14. Cujus autem formæ fuerit id antiquum capitis operimentum, quo Episcopi ante decimum seculum utebantur, ignotum nobis asserit Laz. Andreas Bocquillot in sua Historia Liturgica lib. 1. cap. 7. Verum Mitræ usum in Occidentali præsertim Ecclesia longe ante millesimum Christi annum obtinuisse comprobatur, tum ex antiqua effigie S. Petri ante annos mille erecta ad portam Ecclesiæ Corbejensis Monasterii, tum ex tabellis, ac imaginibus Summorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ Urbis monumentis æri incisas repræsentant Bollandiani Continuatores in Propylæo ad Acta Sanctorum Mensis Maii, ubi post S. Silvestrum maxima illorum pars cum Mitra oblonga, & rotunda, uti in lapidea S. Petri Corbejensis effigie, cernitur, tum denique ex Carm. Theodulphi Aurelianensis Episcopi, qui initio sec. IX. floruit: sic enim ille de Pontificis ornamentis canit lib. 5. Carmine 3. in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XIV.

Sed ante annos mille, scilicet circa sec VIII. Mitræ usum extitisse pluribus comprobatur.

Illius ergo caput resplendens Mitra tegebat.

Hinc optime concludit Mabillonius loco citato Latinos Episcopos non paucos ante omnem hominum memoriam Mitra usos fuisse, ut testantur veteres non solum imagines, sed & Authores; nam Sanctus Liudgerus Mitra perpetuo usus memoratur, & in Ordine Romano præscribitur, ut dum canitur Evangelium, neque *Coronam*, neque aliud operimentum super capita habeant Episcopi, ubi Coronæ nomine Mitram intelligi verosimillimum est.

Mitra a Clodoveo Francorum Rege Summo Pontifici donata initio seculi VI.

Et sane Anastasius in Hormisda scribit a Clodoveo Francorum Rege in Basilicam Vaticanam venisse *Regnum cum gemmis pretiosis donum Beato Petro Apostolo*. Hujus Regii muneris genuinam notionem assequi conati sunt viri eximii Dadinus Altaserra lib 3. de Ducibus, & Comitibus cap. 2. pag. 210., & Carolus Cointius in Annal. Eccl. Franc. ad an. Domini 508. §. 72. quorum ille *Regnum* pro corona Patriciatus accepit, hic autem non pro corona pensili super Altare, nec pro donario ad confessionem B. Petri affigendo, sed pro Regia corona Pontificis capiti imponenda, cui assentiendum existimo; Hincmarus enim Remensis in vita S. Remigii apud Duchesnium Tom. 1. Histor. Franc. script. pag. 530. adnotat Clodoveum *Coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet, Beato Petro, Remigio suggerente, direxisse*. quo vides Regnum Anastasio idem esse, ac *Coronam*. Eædem Coronæ, seu *Regna* etiam Epanoclistæ dictæ fuerunt, nempe superius clausæ e Græco Ἐπανοκλείστος. Anastasius in Leone III. *fecit autem ibi super Crucem majorem ex auro fulvo nimis*

Summi Pontificis Tiara, qua solemniter celebrans utitur, quia superne clausa Epanoclista dicta.

mis Epanoclistam ornatam gemmis pretiosis : & infra : *Regnum Epanoclistum ex auro purissimo cum cruce in medio pendens super ipsum Altare*. Vide Cangium in Glossario. Ex his colligo simplices ejusmodi coronas superne fuisse vacuas; Regna vero interdum clausa, & ideo *Epanoclista* dicta. His adde quæ erudite digessit V. C. Philippus Bonaroti in præclaro Opere Observationum ad sacra vitra, pag. 134. Porro de Pontificalis Mitræ usu, ejusque antiquitate præter supra laudatos Saussajum, Macrum, & Cangium, plura Martenius de antiq. Eccl. Rit. Tom. I. cap. 4. art. 1. num. 13. & seqq.

Græcis olim nullus Mitræ usus.

(4) *Nec ullus est in Græcia Mitræ usus*) Uti constat ex Simeone Thessalonicensi libro de Templo, ubi ait Episcopos Græcos aperto capite sacris fungi, quod & confirmant supracitati Jacobus a Vitriaco, ac Gretzerus in Codinum lib. 1. cap. 16. De Patriarcha Constantinopolitano scribit Joannes Cantacuzenus lib. 3. cap. 36. suæ Historiæ pag. 467. quod primus ex illius Sedis Patriarchis Joannes item noncupatus, cum Joannem alterum Andronici filium Imperatorio Diademate solemniter coronasset, Mitram suam & ipse auro cœpit ornare, & Christi Domini, Deiparæ, & Præcursoris Baptistæ sacris imaginibus insignire, cum eatenus antecessores sui, nisi Monachi essent, Mitram tantum lineam, alboque linteo vestitam gestassent : *Flammeum*, inquit, *seu tegmen capitis, quod antea Patriarchis, si de Monachis non essent, album ferre mos erat, ipse auro illustravit, Salvatoris nostri, & Deiparæ, ac Joannis Baptistæ depictis iconibus* : Porro lineam tantum fuisse Græcorum Patriarcharum Mitram docet & Glycas Hist. Part. 4. ubi de Methodio Patriarcha.

Cæterum Patriarchæ Alexandrino peculiare Mitræ genus fuisse, quæ Calyptra dicebatur, scribit idem Simeon Thessalonicensis lib. de Templo pag. 221. Hac caput tectus sacra peragere solet, cum cæteri Episcopi, ac Patriarchæ cidarim, seu Mitram communem gestarent. Consimile Mitræ genus, quæ etiam Calyptra appellabatur, antiquitus muliebris Augustarum ornatus proprius erat, qualem videntur habere Theodora Michaelis Palæologi Imperatoris uxor, & Irene Manuelis item Palæologi conjux in iis tabellis, quas in familiis Byzantinis exhibet Ducangius. Calyptram porro describit Nicephorus Gregoras Hist. lib. 5. cap. 7., ubi ait Mitram esse panno, purpura, & auro intextam, quatenus sursum ad pyramidem vergit.

Nonnullæ veterum Pontificum Mitræ ubi asserventur, indicatur.

(5) *Non est meum ferre judicium*) Partem Mitræ S. Silvestri asservari Romæ in Ecclesia S. Martini in Montibus, scribit Gavantus Parte 2. Tit. 1. num. 6. & ante ipsum Angelus Rocca Oper. Tom. 2. pag. 379. ubi ejusdem figuram æri incisam exhibet. Hæc Mitra acutam formam referre dicitur non altiorem palmo communis manus, serico, & auro contexta, coloris cærulei cum imagine B. Virg., & pueruli Jesu inter duos Angelos stantes Diaconali veste indutos, ex qua magnum avitæ pietatis, & religionis Orthodoxæ habemus monumentum contra Iconoclastas, & nostri temporis Hæreticorum latratus. Ejusdem Pontificis aliam Mitram auream, quam Regnum vocabant, & a Constantino Imperatore Romano Pontifici donatam ferebant, atque in Patriarchio Lateranensi asservatam usque ad Innocentii VIII. tempora anno 1485. furto sublatam cum duobus aureis, & magni ponderis Calicibus scribit Alph. Ciacconius in Vitis Pontif. in dicto Innocentio VIII. Mitra S. Augustini Valentiæ quoque ostenditur altioris formæ, & item acutæ; eapropter idem Sanctus Doctor lib. 2. de Civ. Dei cap. 15. eam *apicem* appellavit; serica est, & alba, quam cingit, & a cuspide dividit linea cærulea serico, & auro texta : eamdem ipsius Sancti Hipponensis Episcopi esse testatur Martinus Papa V. in Serm. de S. Monica. Alia consimilis mitra auro, & margaritis ornata, quam dicunt esse Isidori Episcopi, non Hispalensis, ut falso putant nonnulli, sed Italo-Siculi Episcopi, & S. Gregorio Magno coævi, visitur Bononiæ in Ecclesia S. Stephani, in qua sacrum ejusdem Episcopi corpus quiescit. An autem hæ Mitræ Episcopales vere eorum sint, quorum dicuntur, alii judicent, nobis eas indicasse, & antiquam ipsarum formam, de qua iterum infra, descripsisse sufficiat.

Varia veteris Mitræ Pontificalis forma describitur.

Et quidem quod attinet ad Mitræ formam, alia erat, qua Romani Pontifices ante Bonifacium VIII. utebantur, alia, qua cæteri Episcopi. Mitra Pontificum rotunda erat, & oblonga in acumen desinens, ut diximus, & in pluribus eorum tabellis videre est, ac præcipue in lapidea effigie S. Petri ad Portam Basilicæ Corbejensis supra memorata, & in imagine Joannis Papæ XV. apud Ughellum Ital. Sac. Tom. V. col. 1542. Singularis est effigies Callixti Papæ II. ex Codice Vaticano eruta a Constantino Cajetano, quam referunt Bollandiani in Propyl. ad Acta SS. Maii pag. 209. ubi præsentatur cum Mitra obtusa, quæ duas habet fluitantes post cervicem infulas, quarum singulæ crucem in extremitate præferunt, uti Mitræ hodiernæ. At vero Episcopi mitra bicorni, seu bifida, haud paulò quam nunc humiliori ab antiquo usi sunt, qualem præfert effigies S. Germani Parisiensis Episcopi ad majorem portam ejus Basilicæ in Monasterio S. Germani a Pratis cum aliis posita. Ita etiam visitur in æneis valvis Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ variis historiis rudi manu ornatis, quas refert Ciampinus Vet. monum. Mus. Parte 2. tab. 9. pag. 35., & seqq. an. 1150. fusas, uti ipse ex his quæ tradit Pompejus Sarnellius Episcopus Vigiliensis in Commentariis de Episc. & Archiepisc. Beneventanis pag. 95., & 96. autumat, ubi Episcopi, qui expressi sunt, Mitras habent bifidas, & oblongas, nostrorum temporum fere similes. Hæc de Mitræ figura, seu forma; nunc de ejusdem materia disseramus.

Ex qua materia constarent olim, & nunc Mitræ Pontificales, & quotæ essent.

Hanc sua ætate lineam, non vero sericam fuisse tradit Bruno Signiensis Episcopus laudato libro de Sacram. Ecclesiæ mysteriis &c. Honorius Augustodunensis in Gemma Ani-

mæ lib. 1. cap. 214. & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 55. *Mitra*, inquiunt, *ex bysso conficitur, auro, & gemmis ornatur*. Quibus adstipulatur Innocentius III. lib. 1. myst. Missæ cap. 60. ex cujus verbis in Mitra fuisse duo cornua, duas fimbrias, seu infulas, & aureo circulo eamdem ornari consuevisse deducitur. Durandus vero plura de Mitra tradit lib. 3. Ration. Div. Offic. cap. 8. num. 5., ubi Mitram aliquando lineam esse, & albam scribit, deinde memorat quando Mitra auriphrygiata adhibenda sit; Durando succinit Ordo Romanus XIII. jussu Gregorii X. atque adeo vivente adhuc Romæ Durando conscriptus num. 12. pag. 232. apud Mabillonium. Ex his Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 17. tres Mitrarum species statuit ab Episcopis certis temporibus deferendas: *una quæ pretiosa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet, altera auriphrygiata sine gemmis, & sine laminis argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis composita, tertiaque simplex vocatur sine auro, ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta rubeis laciniis, & vittis pendentibus*. Atque hanc simplicem Mitram antiquitus gestare consuevisse Summos Pontifices, quoties ad audientiam quoscumque admittebant, conjicit Card. Baronius ad an. 1137. num. 35. ex eo, quod refert S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hiberniæ Primatis cap. 16. ubi describens quali, & quanta tum benevolentia idem S. Archiepiscopus ab Innocentio Papa II. acceptus fuerit, ita inquit; *Tollens* (Pontifex) *Mitram de capite suo imposuit capiti ejus*: quo forte ornamento ipse S. Malachias ante hoc tempus nondum fuerat insignitus. Quæ Sancti Bernardi verba cum retulisset Baronius, loco citato hæc subdit: *mos namque erat nonnisi Mitratos Romanos Pontifices ad audientiam admittere petentes audiri*.

Tres Mitrarum species certis temporibus deferendæ.

Card. Baronius emendatus.

At tanti Scriptoris venia hæc ipsius conjectura, & assertio non satis firma videtur; fortasse enim Innocentius, vel in Consistorio sedens, uti ex Ord. Romano XIII. apud Mabillonium num. 12. Mitram gestat, aut inter Missarum solemnia, vel statim post, sacris adhuc vestibus Pontificalibus indutus in salutatorio, ubi ad salutandum Pontificem conveniebant Episcopi, aliique Primates Sanctum Archiepiscopum sacra petentem, *novæ scilicet Metropolis constitutionem, & utriusque Sedis pallia sibi dari*, audire censuit, quod & innuunt Melliflui nostri Abbatis verba, quæ subsequuntur ad mox allata: *sed & Stolam cum Manipulo dedit, quibus uti inter offerendum solebat*; quam autem Stolam cum manipulo dedit, nisi eam quam habebat? Notum siquidem, & exploratum habemus ex Anastasio Biblioth. in Vita Constantini Papæ, qui quatuor, aut quinque seculis ante Innocentium II. vixit, jam exinde Romanos Pontifices extra sacra Camelaucio, uti nunc solent, usos fuisse, atque hujusmodi capitis tegumento ornatos ad se pro audientia adventantes excepisse; narrans itaque Anastasius quomodo Constantinus Constantinopolim profectus a Justiniano exceptus fuerit, indeque egressus Tiberius Imperator Justiniani Augusti filius cum Patriciis, & omni Senatu, Cyrusque Patriarcha cum Clero, & populi multitudine, omnes lætantes ei obviam processerint: *Apostolicus*, inquit, *Pontifex cum Camelacio, ut est solitus Romæ procedere, egressus &c.* atque ita indutus Justinianum Imperatorem ad pedum osculum admisit. Denique ipse Innocentius II. Victorem Antipapam suis pedibus provolutum, & a supradicto S. Patre Bernardo ad illius obedientiam redactum, & oblatum noctu excepisse legitur in ejusdem melliflui Doctoris vita ab Ernaldo scripta cap. 7. An dicemus Pontificem nocte etiam Mitratum fuisse? Hæc autem dicta sint, non ut Eminentissimo Historiæ Ecclesiasticæ Principi obversari videar, sed ut antiquorum Rituum veritas magis illucescat.

(6) *Damnant usum Pontificalium in Abbatibus Bernardus Epist. 42. ad Henricum Senonensem &c.*) Quæ Tractatus est de moribus, & officio Episcoporum, quem profecto nonnisi ex magno humilitatis spiritu scripsisse, uti recte observat Cardinalis noster, satis superque illa ipsius melliflui Doctoris verba in Præfatione declarant: *Qui enim nos sumus, ait, ut scribamus Episcopis?* aliaque ibi cap. 9. num. 35. expressa, quibus eamdem sublimem virtutem, qua repletus erat, demississime ostendit. Sed præstat, quæ scribit contra ambitionem, luxum, & externum splendorem Prælatorum, inter quos Abbates enumerat, & quæ in his damnat insignia Pontificalia, quæ utpote ab iis ambita, quæsita, ac labore, pretioque adepta, nonnisi propter eorum quæstum, abusum, fastum, ac pompam reprobare perhibetur, adferre: *Miror quosdam, inquit, in nostro Ordine Monasteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, (quod pejus est) habitu, & tonsura tam superbe sapere, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant Episcopis. Spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se, ne obediant*: Ad hæc ita in notis observant Horstius, & Mabillonius: „ Alibi, ajunt, non improbat Bernardus hujusmodi exemptiones Monasteriorum, quæ specialius ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pertinuerunt, *ex voluntate Fundatorum*, quæ quidem plura esse in diversis Episcopatibus sita non diffitetur Bernardus, *sed aliud est*, inquit, *quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis* „ Lib. 3. de consider. ad Eugenium cap. 4. num. 18. Quod autem luxum, & splendidum Prælatorum apparatum in his unice perstringat Bernardus, id præcipue patet ex cap. XI., & XII. Apologiæ ad Guillelmum Abbatem, ubi de Cluniacensibus loquens, hæc ex reliquis habet: *Quod enim, ut cætera taceam, specimen humilitatis est cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum obsequiis, quatenus duobus*

Exponitur Bernardi sensus circa Abbatum Pontificalia, quæ in ipsis reprehendere videtur.

bus Episcopis unius Abbatis multitudo sufficiat &c.

Congregatio nostra S. Bernardi Ref. Ord. Cisterc. ab Episcoporum jurisdictione soluta declaratur ab Urbano Papa VIII.

Atque ut de reliquis Monastici Ordinis Congregationibus sileam, de quibus videndum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 11., & 20. ubi de earum exemptionibus disseritur; cum inter cæteras nostram S. Bernardi Reformatorum Ordinis Cisterciensis Congregationem ab Episcoporum jurisdictione solutam, ac liberam, *Sanctæque Sedi Apostolicæ immediate subjectam, ab uno Generali juxta regularia ejusdem Ordinis, Constitutiones, & statuta Apostolica authoritate confirmata regendam, & gubernandam cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, favoribus, indulgentiis, aliisque gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus eidem Ordini* (Cisterciensi) *quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodocumque concessis, confirmatis, & innovatis, ac in posterum concedendis, quibus uti, frui, & gaudere libere, ac licite* (eadem Congregatio) *possit*, expresse declaraverit Urbanus Papa VIII. sub Dat. Romæ 22. Maii an. 1630. non est quod in hac parte ex S. Patris Bernardi authoritate nobis officiat. Exemptiones etenim, (inquit Joannes Busæus Soc. Jesu in notis ad Epist. 68. Petri Blesensis) quæ a Summis Pontificibus ob Ecclesiæ utilitatem, & ad religiosæ vitæ tuendam disciplinam, conservandamque factæ sunt, secundum Bernardum, & Petrum Blesensem ab omni reprehensione sunt immunes. Lege de hoc argumento copiosissime disserentem Henricum Henriquez Tom. I. Theolog. Mor. lib. 7. cap. 24., & seqq. Et sane, idem subdit ad Epist. 90. „ Si „ lege Divina Abbates, vel Monachi subje„ cti essent Episcopis, utique non posset „ privilegio suo Romanus Pontifex eos exi„ mere ab Episcoporum obedientia; sed „ quia lege humana tantum olim subjecti „ illis fuere, potest illos Romanus Ponti„ fex, cum causæ justæ suppetunt, ab eo„ rum imperio eximere „; ac proinde (subdam) id scire, idemque sibi tamquam certum persuadere non graventur Episcopi: Monasticas Congregationes plurimas ex Apostolicæ Sedis indulto ab Episcopali jurisdictione immunes, earumque Abbates Pontificalibus privilegiis largiter decoratos existere, ut infra melius ostendetur. Sed neque oberit, quod idem S. Doctor ibidem num. 35. in Abbatibus insignia Pontificalia reprobare videatur, dum de iis illa ambientibus loquens: *Multo labore*, inquir, *ac pretio adeptis privilegiis, per ipsa sibi vindicant insignia Pontificalia, utentes & ipsi more Pontificum Mitra, Anulo, atque Sandaliis*, in quem sensum nonnulla contra eorum ambitionem invehir mellifluus Pater, hos tantum, utpote ambientes damnans, non alios, quibus vel ex munificentia Apostolicæ Sedis donata, vel sic ab iis inventa fuere concessa hujusmodi privilegia. Addam quod Bernardi motus exemplo Thomas Cantipratensis Canonicus primum Regul. Ord. S. Augustini, dein Ord. Prædic. lib. 1. de Apibus

S. Abbas Bernardus ambitionem tantum in Abbatibus, non privilegia, quæ habuerint insectatur.

cap. 1. non omnibus Abbatibus statim ab initio communia fuisse Pontificalia ornamenta scribens, deinde cap. 6. hunc eorum usum in iisdem quasi reprobans, nonnisi *in paucissimis quibusdam Galliæ Monasteriis, ut in Monasterio S. Dionysii, & Cluniacensi* antiquis temporibus inolevisse tradir. Denique Paulus Langius Ord. S. Bened. Monachus inter Scriptores Germanicos Pistorii Tom. I. in Chronico ad an. 1398. indignatur Hermanno sui Monasterii Citizensis Abbatis, ejus nominis secundo, quod hæc insignia a Bonifacio Papa Nono prece, ac pretio sibi, suisque comparaverar, ubi similium Abbatum vanitatem carpit, qui ejusmodi insignia ex ambitione affectabant, *non utentium consuetudinem, aut adinventi, sive concessi privilegii conservationem, sed solum impetrantium curiosam vanitatem* sugillare volens, exemplo S. Bernardi Abb. Petri Blesensis, & Hugonis Card. quos laudat. Quare ubi nihil expostulatum, nihil hoc fine præmissum, nihil donatum, aut pretio adeptum, ubi quæstus, ambitio, aut jactantia non est, sed simplex Apostolicæ Sedis, de potestatis plenitudine, & motu proprio gratis donata largitio, singularis prærogativæ, ac privilegiorum concessa facultas, non est cur aliquis distenta in Abbates nostros tot insignium Scriptorum authoritate, quoad Pontificalium jura illis concessa conturber.

Goffridus Vindocinensis Abbas, & S. Priscæ Card. Pontificalium privilegiorum in Monasticis Abbatibus vindex.

Certe (inquir Gaufridus Vindocinensis Abbas, & S. Priscæ Card. lib. 2. Epist. 27. ad Gaufridum Carnotensem Episcopum) *Non plus in concessione ornamentorum Sacerdotalium ab Apostolica Sede Abbatibus indulgetur, quam illi, qui sine vitæ meritis, & ordinibus sacris Episcopus eligitur. Si cuilibet retractare placet, quod Romanus Pontifex, & in eum, qui soli Cælo innocentiam debet, os ponere præsumis: & illud retractare placeat, quod illum magis intuitu misericordiæ, quam censura justitiæ respexit: Acephali non sumus, quia Christum Salvatorem Caput habemus, & post ipsum Romanum Pontificem.* Item Epist. 30. ad eumdem sic concludit: *Si quis igitur Apostolicæ Sedi, quæ leges Canonum dedit, in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit quicumque est ille, sed despie; & quia suo spiritu loquitur, non cultor, vel expositor Divinæ Legis, sed insidiator, & oppressor indubitanter agnoscitur.* Hæc scite, & prudenter Gauffridus Vindocinensis Abbas, quem in sacris præcipue literis, Canonibusque exercitatum, omnia passim ejus Opera cum singulari pietate testantur, ur inquit Sirmondus in ejus Vita, & virum florentissimæ pietatis, & doctrinæ appellar Cardinalis noster in Indice Authorum, Harmoniæ psallentis Ecclesiæ præfixo. Quod autem in Abbatibus nostris quamdam Episcopalis authoritatis portionem resedisse agnoscant Eruditi, affirmar Clar. Joannes Mabillonius Præf. in sec. IV. Bened. num. 196., & seqq. Item ac fusius Præf. in sec. VI. §. 4. sub titulo: *Pontificalia ornamenta Abbatibus concessa*, idque eos probare ait ex potestate Ecclesiasticam tonsuram conferendi, adeoque inferiores Ordines illis concessa, primum in

Item Joannes Mabillonius, & Edmundus Martene.

Nicena

Nicæna Synodo II. sive VII. Generali act. 8. can. 14. uti etiam notat Edm. Martene Tom. II. de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 8. art. 3. num. 1., & ab Innocentio III. confirmata in Rescripto ad Rotomagensem Archiepisc. quod extat in primo Decret. Libro tit. 14. Cap. *Cum contingat*, quam donatam facultatem pridem exercuerunt Abbates, & hactenus conservarunt, non solum hujus Canonis vigore, sed obtentis insuper ab Apostolica Sede specialibus privilegiis, quibus tonsuram, minoresque Ordines conferendi potestas eis facta est; quæ quidem privilegia integra, & inviolata permanere sanxit Synodus Tridentina loco supra indicato; & antea præcipue sess. 23. de Reform. cap. 10. privilegium istud Abbatum supponit, distincte prohibens, ne in posterum Abbates ipsi, aut alii quomolibet exempti cuiquam, qui non sit regularis sibi subditus, tonsuram, vel minores Ordines conferant, ex quo manifeste patet, & absque ulla contradictione certissimum est, eosdem minores Ordines suis subditis posse conferre.

Item & exteri Scriptores nonnulli insignes, ac celebres.

Hisce Monasticis Scriptoribus suffragantur & exteri non minus insignes. Hos inter Car. Dufresnius in Glossario verbo *Abbates Mitrati*, „ quibus, ait, Episcopalia „ ornamenta, idest Mitram, Sandalia, Chi„ rothecas, & Annulum deferendi a Sum„ mis Pontificibus indidem jura indulta „ sunt „; & post nonnulla: „ Unde, in„ quit, cum offenderentur Episcopi, quod „ in Conciliis, & Synodis Abbates, quibus „ jus Mitræ erat, ab Episcopis non distin„ guerentur, hoc discrimen instituit Cle„ mens IV. circa an. 1265., ut in Synodis „ exempti Mitris auriphrygiatis, sed sine gem„ mis, laminisque aureis, vel argenteis utan„ tur, non exempti simplicibus albis, & „ planis; in aliis vero locis utrisque iis „ uti Mitris liceat, quas Sedis Apostolicæ „ indulta permiserint. Viterbii 19. Kal. Sep„ tembris d. in 2. Descripta Bulla legitur in „ Tabulario Episcop. Ambian. fol. 50. V. „ & in alio fol. 11. „ Cangio adstipulantur Macri Fratres in Hierolex. verbo *Abbas*, ubi postquam disquisierint a quo tempore hujusmodi Pontificalium usus concessus fuerit, cum communi opinione sentientes id privilegium illis jam a seculo X. indultum extitisse, hæc inter cætera de eodem subjungunt: „ Abbates, ajunt, qui habent usum „ Mitræ ex consuetudine a Sancta Sede ap„ probata, ut graves adstruunt Doctores, „ possunt nedum sacras res, in quibus sa„ cra unctio non adhibetur, benedicere, sed „ & Calices, Patenas, & Altaria portatilia „ consecrare. (Illa nempe, ut ex nonnullis, quæ referunt, Sacr. Rituum Congreg. Decretis, nituntur ostendere, quæ propriis eorum Ecclesiis inservire debent) Præterea „ in sacris solemnibus haud debent in Alta„ ri habere septem Candelas accensas, cum „ hoc solum Episcopis concessum sit. Sac. „ Congreg. Rit. 29. Januarii 1628., & 27. „ Septembris coram Alexandro Papa VII. ubi „ minute Pontificaliter celebrandi modus præ„ scriptus fuit pluribus ablatis abusibus. Abbates „ exempti, qui habent usum Mitræ &c. Mitris „ tantum aurifrisiatis, non tamen aureas, vel „ argenteas laminas, aut gemmas habentibus „ uti possunt; Non exempti vero simplicibus, & „ albis planis utantur, *De Priv. in sexto cap. 6.* „ Quoad eorum præcedentiam dicendum est „ eos habere locum post Episcopos, tam in „ sessionibus, quam in subscriptionibus „. Hæc de Abbatibus, eorumque Pontificalibus privilegiis eruditissimi Fratres, qui & ajunt singulare esse Privilegium, de quo mox dicimus.

Singulare, & omnibus præstans, ampliusque Privilegium circa Pontificalia Abbati Cistercii, & quatuor primis Abbatibus concessum.

Amplius porro omnibus, & specialissimum Privilegium illud est, quod Innocentius VIII. anno 1489. 5. Idus Aprilis concessit Joanni Abbati Cistercii Diœc. Cabilonensis, & quatuor primis Abbatibus Monasteriorum, quæ post, & immediate per dictum Monasterium fundata erant, videlicet, de Firmitate, Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo pro tempore existentibus, eorumque Successoribus in perpetuum, præterquamquod habebant, ut ipse Pontifex ibidem exprimit, & confirmat, jampridem a variis Pontificibus indultum, scilicet, Mitra, Anulo, & aliis Pontificibus insigniis utendi, omnes minores Ordines suis subditis personis conferendi, quascumque pallas Altaris, quæcumque Ecclesiastica ornamenta, Corporalia, Vasa ad reponendam Eucharistiam, atque Calices consecrandi, *tam de dicto Ordine, quam si ad eos* (Abbates) *aliunde nonnumquam deferantur*. Item Altaria noviter constructa, translata, restaurata, aut mutata in quibuslibet dicti Ordinis locis consecrandi, aliaque inibi expressa diversa munia Pontificalia, sacrasque Ecclesiasticas Prælatitias functiones exercendi. *Quia*, inquit Pontifex, *ab aliquibus hæsitetur, an tu* (Abbas Cistercii) *& dicti Abbates pallas, & alia ornamenta hujusmodi extra ipsius Ordinis Monasteria, & etiam illa, quæ ad Monasteria, & loca dicti Ordinis non spectarent, & an possint in quibuslibet aliis Monasteriis, & locis dicti Ordinis utriusque sexus benedicere, licet Abbates Prædecessores a tanto tempore citra, cujus contrarii hominum memoria non extitit, præmissa omnia, seu majorem partem facere consueverint; Nos, qui Ordinem ipsum præ cæteris in visceribus gerimus charitatis, & illum intendimus non minoribus gratiis, & privilegiis, quam Prædecessores nostri fecerint, decorare, tuis in hanc parte supplicationibus inclinati, tibi, & successoribus tuis, ac dictis Abbatibus aliorum quatuor prædictorum Monasteriorum nunc, & pro tempore existentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcumque alia vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, Corporalibus, Vasculisque ad reponendam Sacram Eucharistiam, ac imaginibus quibuslibet comprehensis, in locis, & Domibus dicti Ordinis benedicere, & Calices consecrare tam de dicto Ordine, quam si ad vos aliunde nonnunquam deferantur; ac Altaria de novo constructa, seu translata, restaurata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro prius ab aliquo Catholico Antistite recepto, consecrare: & etiam benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia in quibuslibet Monasteriis, Domibus, atque locis dicti Ordinis utriusque*

Primo consecrandi quæcumque vasa sacra, etiam aliunde ad ipsos delata, de quibus antea dubitabatur, an concessa fuissent hujusmodi privilegia, eadem Pontifex confirmat, ac de novo concedit:

Item Altaria quæcumque, sive nova, translata, restaurata, aut mutata &c.

sexus servatis gradibus superioritatis inter vos elargiri. Ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur; tibi, & Successoribus tuis, ut quibuscumque dictis Ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperientis, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre &c. Hæc Innocentius VIII. qui deinde dicta omnia Privilegia iisdem Abbatibus etiam non solenniter ab Episcopo benedictis concessa intendit.

Denique præter minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum suis subditis conferendi, illis facultas conceditur.

Haud ignoro (utar verbis nuperrimi, & Clariss. Scriptoris Fr. Jo. Laurentii Berti Augustiniani Eremitæ Tom. VIII. de Theolog. Discipl., seu lib. 37. cap. 13. Edit. Rom. an. 1745. num. 4. pag. 436., & seqq.) plura adversus hoc singulare privilegium proferri; sunt enim permulti, qui ajunt 1. supposititium illud esse, aut saltim dubiæ auctoritatis; 2. a Navarro lib. 5. Consilior. num. 13. appellari Privilegium exorbitans; 3. hanc Bullam non inveniri in Bullario Romæ edito, nec in publicis monumentis, quibus referuntur Romanorum Pontificum Constitutiones; 4. nec nostra, nec Patrum nostrorum memoria Cistercienses eo Privilegio usos fuisse; 5. nec Abbatem Cistercii facultatem hanc postulasse; inverisimile autem videri non petita Pontificem con^essisse; 6. adversari Tridentino Concilio sess. 23. de Reformat. cap. 10. prohibenti, ne Abbates subditis suis alios Ordines conferant præter quatuor minores; 7. Bullam denique, si germana sit, explicandam esse cum Bensonio de anno Jubil. lib. 2. cap. 23. quod Abbates Cistercienses valeant Monachis suis dare literas dimissorias, quibus ordinari possint a quolibet Episcopo, non habita Provinciarum, & Diœcesum ratione, ut exposuit Congregatio Concilii Tridentini an. 1592. & Clemens VIII. in Bulla Cisterciensibus data. Collegit hæc omnia Honoratus Tournely Quæst. 4. de Sacram. Ordinis art. 2. Concl. 2. in Resp. ad object. Hæc autem & pugnant invicem, & magis privilegium ipsum confirmant: pugnant utique, nam Innocentii VIII. Constitutionem nunc suppositam dicunt, nunc dubiam: nunc exorbitantem; nunc & veram, & justam, sed accipiendam diverso sensu.

Dictum privilegium a plerisque impetitum ex aliorum insignium Scriptorum authoritate vindicatur: & primo a Cl ar. Jo. Laurentio Berti.

Privilegium itaque illud non est fictitium, germanumque putant Major in 4. dist. 7. Navarrus citato in loco, Henriquez in summa addit. ad lib. 10. de Ordine; Isambertus disput. 6. Meratius disput. 8. Morinus Exercit. 4. cap. 3. num. 2. noster Vanroy cap. 4. quæst. 1. Franciscus Henno qu. 6. art. 3. Vasquez vero disput. 243. in 3. p. cap. 4. affirmat privilegium illud asservari in Collegio Complutensium, atque a se quoque fuisse perlectum. Nos Innocentii Bullam legimus, non tantum apud Chrysostomum Henriquez Cisterciensem in Bullario ejusdem Ordinis Tom. I. pag. 190. edit. Antuerpiensis, verum etiam in Collect. Emanuelis Roderici Ordinis Minorum pag. 254. edit. Tournoni. His autem Objectio 1. abunde refellitur. Ad 2. dicimus a Navarro Privilegium illud dici *exorbitans*, quod communia Abbatum jura superexcedat. Ad 3. ostendimus, ubi privilegium, de quo agimus, inveniri possit, & legi. Ad 4. dicimus revera Abbates Cistercienses eodem privilegio hactenus uti, prout affirmat citato in loco Morinus; immo Generalis Cisterciensium anno 1662. ordinavit Monachos suos Diaconos, & Subdiaconos Romæ, sciente, & consentiente Alexandro VII. Pontifice Maximo, & anno 1663. fecit consimiles ordinationes Gandavi. Vide Vanroy Tom. V. pag. 339. & Hennum Tom. II. pag. 489. Ad. 5. respondeo Innocentium VIII. Joanni Cisterciensium Abbati concessisse privilegia ampliora petitis; neque enim ad Cistercium, & quatuor Monasteria antiquiora coarctasset privilegium conferendi minores Ordines; quum id juxta indulta vetustiora concedendum foret etiam Abbatibus reliquis. Ad 6. dico Tridentini Concilii decretum esse universale, in quo non comprehenduntur ii, quibus Romanus Pontifex peculiare privilegium impertiatur: alioqui nec possent non Episcopi auctoritate, & permissione Sedis Apostolicæ ordinare Subdiaconos; quod consensu fere omnium est falsissimum. Ad 7. & ultimam, constat interpretationem Bensonii directe opponi Privilegio Innocentiano, Cisterciensibus illis concesso, ne *extra Claustrum* cogantur discurrere. Constitutio autem Clementis VIII. ad Cistercienses data die 10. Martii anno 1592. quæ incipit: *Ut ea, quæ pro Ecclesiasticarum personarum &c.* & in qua continetur, & confirmatur declaratio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, nullam facit Innocentianæ Bullæ mentionem, & declarat omnes Abbates *Benedictos*, aliosque exemptos, iisdemque privilegiis fruentes, posse ad *Tonsuram*, *& Minores Ordines* promovere Regulares dumtaxat sibi subditos, necnon Monachis jurisdictioni Ordinariorum non subjectis dare literas testimoniales, ut a quibusvis Episcopis ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveantur. Hoc itaque privilegium ad Abbates singulos spectat; nec approbat, neque revocat peculiare alterum ab Innocentio VIII. concessum Abbati Cistercii, & quatuor antiquorum Monasteriorum. Vide citatum Volumen I. Chrysostomi Henriquez Privil. 52. pag. 363.

Qui objectionibus ex adverso contra præfatum privilegium allatis invicto respondet.

Non habemus ergo momentum aliquod, vel minimum, quo possimus id recto jure Cisterciensibus denegare; quinimmo consimile Privilegium concessum Franciscanis in India narrant Henriquez in summa apud Morinum, & Herinx, Tannerus, Vasquez apud Hennum in locis paulo supra laudatis. Hæc de celeberrimo nostri Ordinis Cisterciensis, sive Cistercii, & quatuor priorum Monasteriorum Abbatibus concesso privilegio laudatus Ordinis Augustiniani Sacræ Theologiæ Doctor, cui & alium, licet ante ipsum, recentem tamen etiam Scriptorem, addam, Anonymum scilicet Auctorem de Re Sacramentaria contra Hæreticos

Item Anonymus Author Ord Præd. de Re Sacramentaria contra Hæreticos.

Tom.

Tom. II. seu lib. 8. cap. 2. art. 3. sub hoc
Titulo: *Ostenditur simplicem Presbyterum, Ec-
clesia sic volente, Subdiaconatus, & inferiorum
Ordinum esse Ministrum*, ubi hæc reperiun-
tur: „ Nihil habet assertio ista difficul-
„ tatis. Constat enim Subdiaconatum, &
„ minores Ordines, si formaliter spectentur,
„ nec immediatam Christi institutionem, nec
„ rationem Sacramenti habere: quemadmo-
„ dum itaque potuit eos Ecclesia instituere,
„ sic habuit potestatem eorum administratio-
„ nem pro libito committendi. Huc per-
„ tinent antiqua Ecclesiæ decreta, quibus jus
„ illud Chorepiscopis attributum est: sic Con-
„ cilium Meldense seculo X. celebratum:
„ *Neque Ordines Ecclesiasticos*, inquit, *qui per
„ impositionem manuum tribuuntur, id est, non-
„ nisi usque ad Subdiaconatum conferant Chore-
„ piscopi*. Gelasius Pontifex Maximus sec.
„ V. licentiam hanc simplicibus Presbyteris
„ fieri posse significat: *Nec sibi meminerint*,
„ inquit, Epist. 9. cap. 6. *ulla ratione con-
„ cedi, sine Summo Pontifice, Subdiaconum,
„ aut Acolythum jus habere faciendi*. Ita san-
„ citum in Synodo VII. generali anno 787.
„ Can. 14. ubi *Lectoris manuum impositionem*,
„ inquit, *licentia est unicuique Abbati, in
„ proprio Monasterio solummodo faciendi, dum
„ constet illum esse Presbyterum*. Hujus con-
„ cessionis exempla plurima sunt. Primum
„ est, Abbatum Benedictinorum, quibus id
„ a Summis Pontificibus indultum, a mul-
„ tis refertur. Secundum est, Abbatis Ci-
„ stercienfis, quem hoc privilegio gaudere
„ S. Pius V. Pontifex Maximus, qui ro-
„ gatus ab Abbatibus Præmonstratensibus,
„ ut sibi gratiam faceret Subdiaconatus Re-
„ ligiosis suis conferendi, plane, & abso-
„ lute negavit, & in Diplomate ad eosdem
„ directo, loquens de Privilegio Cistercien-
„ sibus dato, solius Subdiaconatus memi-
„ nit, in hac Bulla insinuat, qua hoc ip-
„ sum jus Abbati Præmonstratensi negavit.
„ Tertium est, aliorum ejusdem instituti
„ Abbatum, quos idem juris ex Summorum
„ Pontificum concessione habere, Theologi
„ multi testantur. Longum fuerit omnia
„ recensere; vix enim regio una, aut pro-
„ vincia est, ubi similia privilegia non ja-
„ ctentur. Privilegium hoc Summorum
„ Pontificum indulgentia latissime pervaga-
„ tum, Concilium Tridentinum expresse
„ declarat sess. 23. Can. 10. his verbis: *Ab-
„ batibus, & aliis quibuscumque, quantumvis
„ exemptis, non liceat in posterum intra fines
„ alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nul-
„ lius Diœcesis, vel exempti esse dicantur,
„ cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit,
„ tonsuram, vel minores Ordines conferre*. Idem
„ infertur ex Decreto Eugenii IV. pro in-
„ structione Armenorum, ubi definitur, Or-
„ dinis Ministrum Ordinarium Episcopum
„ esse; hinc enim videtur consequens, præter
„ Episcopum, posse aliquem cujusdam saltem
„ Ordinis extraordinarium esse Ministrum.
„ Denique communis hæc Theologorum,
„ ipsiusque Sancti Thomæ doctrina est „.

His adjicio Clariss. D. Sebastianum Giri-
baldum ex Cler. Regular. Barnabitis Congr.
S. Pauli in Eccl. Metrop. Bonon. Pœniten-
tiario de septem Ecclesiæ Sacramentis Par. 2.
Tract. 9. de Sacr. Ordinis cap. 3. Dub. 1.
num. 7. pag. 39. ubi hæc ait: „ De
„ Subdiaconatu, & Diaconatu pariter con-
„ stat ex privilegio concesso ab Innocentio
„ VIII. anno Domini 1489. Abbatibus Ci-
„ stercienfibus, ut Monachis sui Ordinis Sub-
„ diaconatum, & Diaconatum conferre pos-
„ sint, quod in Libro Privileg. hujus Or-
„ dinis num. 118. refertur his verbis: *Ut
„ Religiosis, quos ad id idoneos reperietis, Sub-
„ diaconatus, & Diaconatus Ordines rite con-
„ ferre libere, ac licite possitis*; & Bullam
„ vidisse testantur propriis oculis Victoria
„ in *Summa de Sacramentis num.* 237. & Mar-
„ chinus *Tract.* 1. *par.* 2. *cap.* 13. *num.* 9.
„ ejusdemque meminit etiam Navar. *Consil.*
„ 13. *lib.* 5. *de Privilegiis*: cum igitur fa-
„ ctum constet, non videtur de jure dubi-
„ tandum, sed absolute dicendum, posse
„ simplicem Sacerdotem ex speciali commis-
„ sione Summi Pontificis, Subdiaconatus, &
„ Diaconatus Ordines conferre, & ita te-
„ nent Navarrus, Victoria, Filliuccius, Gra-
„ nados, Marchinus, Vasquez, Hurtado,
„ Ochagavia, & alii, quos affert, & se-
„ quitur Leander *qu.* 18. Tambur. *de jure
„ Abbatum disp.* 2. *qu.* 1. Dicastill. *Tract.* 6.
„ *disp.* 1. *dub.* 17. *num.* 242. Palaus *puncto*
„ 14. *num.* 10. Diana *par.* 8. *Tract.* 1. *re-
„ sol.* 34., & *par.* 10. *Tract.* 16. *resol.* 22.
„ Ant. a Spiritu Sancto *disp.* 3. *num.* 45.

Et ex Clericis Regul. Congreg. S. Pauli vulgo Barnabitis Sebastianus Giribaldus.

Denique prædictis adstipulatur novissimus
Scriptor D. Cajetanus Maria de Petio e
Clericis item Regul. qui in recentissimis ad
R. P. Felicis Potestatis Theologiam mora-
lem Additionibus impressis Neapoli an. 1742.
Append. 41. Differt. 5. num. VIII. pag.
218. pro memorati Privilegii Pontifica-
lis ab Apostolica Sede Abbatibus Cister-
ciensis Ordinis Monasteriorum concessi ju-
ribus vindicandis hæc habet, ut sequuntur,
expressa.

Denique Cl. Cajetanus Maria de Petio Cler. Reg.

An de Ordinatione Subdiaconi, ac Dia-
coni sit pari modo dicendum, dubium est:
nec Subdiaconatum a simplici Presbytero
conferri posse, pluribus congestis asserit
Gonetus *disp.* 3. *art.* 1. Silvester, Bellar-
minus, Veranus, Sotus: Alii affirmantes
de Subdiaconatu, de Diaconatu negant;
sic Tournely, Clericatus, Boucat, Simon-
net, Juveninus, Salmanticenses, Hallie-
rius, aliique plures apud ipsos: at etiam
Diaconatum conferri posse, hodie pro-
pugnant, Isambertus Doctor Sorbonicus
in 3. *par.* D. Thomæ *dis.* 6. *art.* 1. Spo-
rerus *de Ordine num.* 44. Henno *disp.* 1.
quæst. 6. *art.* 3. Cardinalis de Laurea *disp.*
8. *num.* 23., Giribaldus *cap.* 3. *num.* 7. &
noster Diana *Tom.* 3. *Tract.* 1. *resol.*, 71. ex
p. 10. *Tract.* 16. *resol.* 22. Navarrus, Vi-
ctoria, Filliuccius, Granados, Marchi-
nus, Vasquez, Hurtado, Leander, Dica-
stillo, Tamburinus, Antonius a Spiritu San-
cto, cum quibus sentiendum puto: siqui-
dem Summus Pontifex Innocentius VIII.
anno 1489. concessit Abbati Cisterciensi,
ejusque Successoribus facultatem Ordines con-
ferendi

ferendi Diaconatus, & Subdiaconatus Monachis sui Ordinis, *ne forte Monachi extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur*: extat hoc privilegium *lib.* 1. privilegiorum ejusdem Ordinis privilegio 118. Eamdem se legisse Bullam testatur Vasquez in 3. *par.* S. Thom. *disp.* 243. *cap.* 4. *num.* 39. in quodam vetusto Codice, cui titulus *Collecta Bullarum Ordinis Cisterciensis*; ac servatur in Collegio Complutensi Soc. Jesu: ejusdem meminit Navarrus lib. 5. de Privilegiis agens *Consilio* 13. addens, Abbates Cistercienses ante Concilium Tridentinum semper hoc privilegio usos fuisse; meminit quoque Isambertus *cit. art.* 1. addens, illud esse in usu Episcopis non repugnantibus, immo & consentientibus: Cardinalis de Lauræa *cit. disp.* 8. *num.* 13. se illud Privilegium propriis oculis legisse dicit in Tomo Privilegiorum ejusdem Ordinis, qui inscribitur *Regula, Constitutiones, Privilegia, &c. pag.* 190. idem pluribus confirmat Morinus *cit. Exercit.* 4. *cap.* 3. *num.* 2. addit Caramuel Theologiæ Regularis *disp.* 129. *Hoc privilegium est in praxi, & hodie supersunt qui ad majores Ordines ab ipsis Abbatibus sunt promoti*; & paulo inferius: *hæc praxis hodie permanet*; addit quoque P. Henno *cit. art.* 3. *conclus.* 3. *id ab ipsis practicari Summi Pontifices certa scientia noverunt, cum Cisterciensium Generalis Romæ ann.* 1662. *sciente, & annuente Alexandro VII., & Gandavi in Flandria anno* 1663. *subditos suos ordinaverit Subdiaconos, ac Diaconos; idque vi concessionis Apostolicæ factæ ab Innocentio VIII. &c.* Possunt ergo Romani Pontifices Diaconi, ac Subdiaconi ordinationem simplici etiam committere Sacerdoti, cum illorum facta jus, ac potestatem faciendi demonstrent. *Et aliquot post verba subdit statim num. IX., & X.* Quidam sunt de concessione talis Privilegii dubitantes, cum P. Victoria solum in Privilegio legerit Subdiaconum; & Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. & 10. nullam illius faciat mentionem; nec talis Bulla in Bullario, vel in aliis publicis inveniatur monumentis; immo & Bullæ partes inter se minime concordent, cum in priori parte supplicatio sit Abbatis pro Tonsura, & minoribus Ordinibus conferendis: & in posteriori parte de conferendis Diaconatu, ac Subdiaconatu concessio habeatur. At minime urgent; cum diversa fuerit Bulla, quam Victoria legit, qui & illam de Diaconatu alios vidisse testatur: de illis tantum Ordinibus Tridentinum agebat, in quorum collatione abusus irrepserant: nempe tonsurandi etiam non subditos, eosque in minoribus ordinandi: nec Bullæ ex quo in editis non sint monumentis, obligare cessant; cum & innumeræ tales sint Romanorum Pontificum Constitutiones. Optime altera pars Bullæ primæ respondet; siquidem Pontifex petita concedit, additque eadem supplicationis causa motus: *ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur: tibi, & successoribus tuis, ut quibuscunque dicti Ordinis Monachis &c. Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordines hujusmodi rite conferre possitis, concedimus*. Allatum privilegium explicare conantur alii de Ordinationibus faciendis non alio modo, quam dando dimissorias; sicque a Sacra Congregatione, & a Clemente VIII. intellectum fuisse, inquit Bensonius *lib.* 2. *de anno Jubilæi cap.* 23. at omnibus ignota sunt quæ dicuntur a Bensonio decisa, adeoque nec audienda, nisi probentur: nec Bulla illam habere potest explicationem, in qua facultas datur Abbatibus ordinandi solum usque ad Diaconatum; cum dimissoriæ ab illis etiam ad Sacerdotium concedi possint: item quæ ad illos Ordines datur in Bulla facultas, non minor est ea, quæ ad Minores datur Ordines; hæc autem vera potestas est Ordinandi, nec solum dandi dimissorias.

Qui & adversantium exceptionibus contra ipsum adductis plene satisfacit.

Revocatum hoc fuisse privilegium a Tridentino tenent alii cum Clericato *decis.* 16. *num.* 32. & nostro Diana *cit. tract.* 1. *resol.* 70., sed adducta Cistercensium Abbatum praxis probat oppositum, testantibus Isamberto, Henno, Caramuele. Dicit Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur; sed de his non loquitur ordinationibus, alias nec ordines minores ab illis Abbatibus conferri possent: dicit *cap.* 10. non permitti Abbatibus, nisi collationem Tonsuræ, & minorum Ordinum suis subditis Regularibus faciendam; cum abusus irrepserat, etiam non subditis minores Ordines conferendi: dicit *cap.* 12. quod non debent ordinari ab Episcopo Regulares, nisi prævio examine, quibuscumque privilegiis penitus exclusis; cum videlicet ordinandi sunt ab Episcopo, alias, ut dictum est, nec minores Ordines a non Episcopo conferri possent. *Abbatibus* (ait Concilium Tridentinum *cit. cap.* 10.) *ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis non liceat imposterum &c. cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre &c. nec litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant &c. non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus*. Abbates alii sunt sæculares, seu qui non Regularem, sed sæcularem Abbatiam habent; alii vero sunt Regulares, & hi alii sunt simpliciter exempti, & alii exempti sunt, simulque omnimodam jurisdictionem Episcopalem in Clerum, & Populum exercent, ac territorium habent separatum. Abbates sæculares neminem ordinare possunt, & nullæ sunt ab illis collatæ Ordinationes, ut a Sacra Congregatione decisum est die 4. Aprilis anno 1637. apud Clericatum *decis.* 15. *num.* 16. Pignatellum, & Fagnanum: quod nec Episcopis licitum est relate ad suas Abbatias sæculares; ut sacra Congregatio decidit die 8. Augusti anno 1621. Abbates vero Regulares, subditos habentes Regulares, ea possunt, quæ sunt in Tridentini *cap.* 10. statuta. Hæc memoratus clariss. Scriptor Cajetanus Maria de Petio Cler. Reg., qui cum reliquis prioribus haud studio partium addictis sincere, & ex animo sententiam, judiciumque suum exprimit.

Possem

Idem privilegium Fuliensibus, & nostris Abbatibus communicatũ, atque concessum a Sixto Papa V.

Possem & alios celebres Authores exteros adferre, qui & idem amplissimum privilegium hujusmodi Abbatibus supradictis Ordinis Cisterciensis invicte vindicant; at hos abunde suffecturos esse crediderim. Quod autem tum Congregatio Fuliensis in Gallia, a qua nostra Reform. S. Bernardi in Italia dimanat, tum hæc ipsa iisdem facultatibus, privilegiis, ac prærogativis præfato Ordini Cisterciensi, ejusque Abbatibus per Apostolicam Sedem elargitis in omnibus, & per omnia tamquam sibi de novo concessa fuissent, potiantur, iisque libere & absque ulla dubitatione uti possint, demonstrandum est. Et primo Sixtus V. in Bulla incipien. *Super specula* sub dat. Romæ an. 1587. Pontif. sui anno tertio, dictam Congregationem Fuliensem, ejusque Superiores, Abbates, Monachos, Religiosos, Monasteria, Domos, loca, res, & bona sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, regimine, subjectione, & obedientia recipit; illis tamen ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, facultatibus, prærogativis, &c. eidem Ordini Cisterciensi, utpote cujus de gremio est, in genere, vel in specie quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, & Apostolicam Sedem sub quacumque forma, & expressione verborum concessis, vel in futurum quomodolibet concedendis; etiamsi talia sint, & forent, quæ specialem ipsorum requirerent mentionem, æque ac alii dicti Ordinis Cisterciensis Monachi & Religiosi sine aliqua prorsus differentia uti, & gaudere ac frui libere & licite possint, valeant, ac debeant, tam conjunctim, quam divisim, non solum ad instar, sed æque principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illis, & eorum cuilibet ab initio specialiter, & expresse concessa extitissent. Dictam Sixti Bullam refert per extensum supra laudatus Chrysostomus Henriquez inter privilegia Ord. Cisterc. pag. 416. qui & 418. aliud recitat Pontificium diploma pene consimile, atque eodem ferme verborum tenore conceptum, Clementis scilicet Papæ VIII. incip. *Pastoralis nostri muneris*, quo sub dat. Romæ an. 1592. Pontificatus anno primo dicta omnia, & singula privilegia Ordini Cisterciensi, ejusque Abbatibus concessa eidem Fuliensi Congregationi *motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, ac certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine* renovat, confirmat, ac de novo elargitur.

Item a Paulo V. qui Sixti V. & Clementis VIII. hujusmodi indulta expressius renovat, confirmat, ac de novo elargitur.

Denique Paulus V. item per Bullam incip. *Divina disponente clementia* sub dat. Romæ 1606. apud laudatum Henriquez p. 424. num. 5. eadem privilegia jam a Sixto V., & Clemente VIII. Prædecessoribus suis præfatæ Congreg. Fuliensi Ord. Cisterciensis concessa, cum dictis verborum formulis confirmat, ac de novo elargitur; deinde hæc addit: *Et insuper, ut Monachi, & Religiosi Congregationis hujusmodi tanto ferventius divinis beneplacitis insistant, quanto majoribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præeminentias, & indulta cujusvis generis existentia, spiritualia & temporalia, qualiacumque illa sint, quæ tam eidem Cisterciensi Ordini, ac Abbati Monasterii Cistercii, ac ejusdem Cisterciensis Ordinis, & Capitulo etiam Generali, ac quibusvis Monasteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis, videlicet de Firmitate, Pontiniaco, Clara-valle, & Morimundo, quam etiam aliis Religionibus Monasticis, eorumque Professoribus, ac utriusque sexus eorum Monasteriis, Ecclesiis, necnon dilectis filiis earumdem Religionum Generalibus, Præsidentibus, & quibusvis Superioribus, Prælatis, & Capitulis, etiam Generalibus, Provincialibus, seu intermediis, eorumque Diffinitoribus, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Monachis, Monialibus, Novitiis, Fratribus, Conversis, Donatis, ac quibusvis eorum, & earum utriusque sexus Regularibus Personis, tam in dicta Urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus consistentibus, & illorum intuitu, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu per Nos, & Successores nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, & concedentur &c.*

Idque etiamsi Abbates tantum triennales sint, & non benedicti.

Quod autem dictis Pontificalium privilegiis Ordini Cisterciensi indultis gaudeant Fulienses, ac nostræ Congregationis Abbates, etiamsi triennales tantum, & benedicti non sint; id constat tum ex diplomate Eugenii IV. Papæ dat. Bononiæ an. 1437. incip. *Etsi pro cunctorum*; tum etiam ex Bulla Julii II. Papæ incip. *Sacræ Religionis* apud memoratum Henriquez pag. 262. num. 14. & 295. num. 7. ubi Abbates Observantiæ in Hispania, licet triennales, & non benedicti, insignibus tamen Abbatialibus, quibus perpetui Abbates utuntur, ipsos uti, potiri & gaudere posse quomodolibet in futurum expresse declaratur. Verba Eugenii, quæ Julius repetit ac confirmat, hæc sunt: *Volentes etiam & decernentes, quod Generalis dictæ Observantiæ Reformator, & etiam quicumque principales Conventuales Prælati præfatorum reformatorum, ac reformandorum Monasteriorum de cætero vocentur, & sint Abbates, ac dicti Conventuales Abbates triennales existant, & per triennium dumtaxat Monasteriis, quibus præficiuntur, præsint, nec munus benedictionis eis impendatur, & alias ipsi, ac dictus Reformator omnibus, & singulis honoribus, præeminentiis, privilegiis, prærogativis, juribus, & insigniis Abbatialibus fungi possint.* Insuper quod hujusmodi Abbates triennales tantum, & non benedicti iisdem gaudeant juribus, & privilegiis ac Abbates perpetui & benedicti, pluribus firmat clar. scriptor D. Thomas Franc. Rotarius Theolog. Moralis Regul. Tom. 3. lib. 2. cap. 2. puncto 4. num. 8. & 9. Eodem pariformiter modo in Constitutionibus nostris, quæ pluries a sancta Sede approbatæ fuere, & eædem propemodum, ac Fuliensium sunt, a quibus in Italia quoad distinctum Superiorum regimen, & Monasteriorum gubernium tantum, per Apostolicum Urbani Papæ VIII. Diploma divulsi sumus, Abbates locales item triennales fore decernuntur, quodve isti nihilominus similibus Pontificalium privilegiis gaudeant, ibidem titulo: De

Quod & exprimunt Constitutiones nostræ pluries a S. Sede approbatæ.

De Abbatibus Titularibus juxta Bullam fel. record. Gregorii XIII. promovendis, manifeste declaratur, ibi enim num. 5. „ Inhibetur Abbatibus quibuscumque, ne gestare possint annulos lapillis ornatos sub pœna Abbatibus „ quidem Titularibus privationis privilegiorum, & Tituli Abbatialis, localibus autem „ sub pœna suspensionis ab officio per tres „ menses, exceptis tamen diebus solemnioribus, *quibus Abbates locales exercere valent* „ *Pontificalia*. Cumque exceptio firmet regulam, plane constat Abbates nostros, si voluerint, absque ullo in contrarium dubitandi fundamento posse aliquando insignia Pontificalia exercere, in præcipuis scilicet per annum festivitatibus. Et sane in supra memorato Urbani Diplomate quoad hujusmodi privilegiorum Ordinis Cisterciensis, ejusque Congregationum communicationem, præter jam hujus Dissertationis initio enunciata, hæc de iisdem clarissime expressa leguntur, quod *iis uti, frui, & gaudere libere, ac licite possint sine aliqua prorsus differentia, perinde ac si eidem Congregationi Sancti Bernardi, ejusque Superioribus, & Personis nominatim, & æque principaliter concessa fuissent, eisdem authoritate, & tenore concedimus, & indulgemus*.

Nonnulla adversus prædicta ex variis Sac. Rit. Congreg. Decret. posterioribus objecta proferuntur.

His tamen non obstantibus, cum posteriora prioribus derogare videantur, opponi possunt maxime quoad Innocentii VIII. indultum circa Vasorum Ecclesiæ, & Altarium consecrationem, etiamsi aliunde illa delata fuerint, de quibus supra (nam de Ordinationibus ultra minores Ordines post Concilium Tridentinum quæstio non est) opponi, inquam, possunt Decreta Sac. Rit. Congr. coram Alexandro Papa VII. emanata sub die 27. Septembris 1659. apud Meratum Comment. in Gavantum edit. Ven. Tom. 1. in Indice Decret. num. 100. 355. & 356., quibus in contrarium propria tantum, non aliena Vasa, Altaria, Calices, Campanas, & similia, in quibus sacra Unctio adhibetur, consecrare Abbatibus permittitur. Item aliud n. 359. quo *Locorum Ordinarii authoritate Sedis Apostolicæ possunt, immo debent Abbates, & Prælatos Episcopis inferiores, qui usu Pontificalium gaudent tum sæculares, tum regulares, quantumvis exemptos, & speciali expressione indigentes etiam per censuras compellere ad omnimodam observantiam rerum præscriptarum circa moderationem Pontificalium*: scilicet quoad omnia in Decretorum hujusmodi Catalogo tunc impresso contenta, & exarata, quæ postea, & nuperrime Sanctissimus Dominus noster feliciter regnans BENEDICTUS Papa XIV. *ne in desuetudinem abirent, & in oblivionem, ut penitus tandem negligantur, præscripsit quod non solum fieret nova dictorum Decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quod ad omnes, & singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur, ad hoc ut exactam eorumdem Decretorum observantiam urgeant & compleant*; *eoque magis quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesiasticam supellectilem benedicere, sacra Congregatio mandavit usque ab anno 1660. tale indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum exhiberi, & interim abstinere, & nunquam hucusque fuit ostensum*. Ita & fusius in Epistola Sacræ Rituum Congregationis ad singulos locorum Ordinarios data sub die 31. Martii 1744., cui tota veneratione, & obsequio obtemperandum censeo.

Quæ nihilominus non obstare perhibentur.

At si, salva iisdem Decretis, quæ par est, reverentia, Cisterciensibus nostris de hoc specialissimo, & vere aliis omnibus Monasticarum Congregationum privilegiis ampliori, ut vix par hactenus Ordo Religiosus ullus sit consecutus (ait Henriquez in præfatione loco citato) sibi ab Apostolica Sede munificentissime collato Indulto gloriari oportet, non expedit quidem; Veniam, haudquaquam contradicendi animo, quod summum, maxime religioso viro, piaculum esset, sed tantum exponendi gratia, ad argumenta, ex quibus ultra probabile, quinimmo tamquam pro certo habendum deduci posset, Sacram eamdem Congregationem dictis Decretis generalibus, quæ Abbates tum Sæculares, tum Regulares afficiunt, Ordinem Cisterciensem, utpote hujusmodi singulari privilegio Apostolico condecoratum unquam comprehendi voluisse, aut intendisse; tale quippe indultum authenticum utique ex Archivio Apostolico desumptum fuisse evincunt supra laudati Authores, inter quos plerique Hispani erga Sedem Apostolicam obsequentissimi, qui idem non fictitium, sed germanum expresse affirmant, cujus exemplar, & quidem optimæ notæ in quodam vetusto Collegii Complutensis codice descriptum se vidisse, & legisse testatur Gabriel Vasquez loco supra indicato; & revera pene incredibile, ac proinde haud censendum videtur tot Cisterciensis Ordinis Superiores in Gallia primum ducentis, & amplius ab hinc annis, qui dictum privilegium typis mandare curarunt, longo postea elapso tempore in Hispania denuo in lucem cum cæteris Ordinis Privilegiis idem Innocentianum Diploma ediderunt Compluti anno 1574., ac denique, & tertio supra memoratus Chrysostomus Henriquez Hortensis Antuerpiæ ex Officina Plantiniana Balthassaris Moreti an. 1630. cum omnia privilegia simul collecta evulgaverit, ibidem Tom. 1. in folio pag. 190. dictum Pontificium Breve per extensum descriptum prælo commisit, adjecta solita ad calcem Theologorum approbatione, & debita Superiorum licentia, ac facultate, pene, inquam, incredibile reputandum existimaverim, tot graves viros universæ literariæ, & Ecclesiasticæ præsertim Reipublicæ voluisse illudere quasi fictitium & proprio marte, ingeniove confectum Apostolicum Breve non reapse emanatum comprobaverint, edendum permiserint, editumq; evulgaverint. Itane de iis asserendum? videant alii, est qui quærat, & judicet.

Sacra namque Rituum Congregatio Cisterciensium privilegiis non derogari decrevit.

Sane sacram Rituum Congregationem, cui id examinandum incumbit, dictum Apostolicum Breve Innocentianum tamquam legitimum recognovisse mihi pro certo ostensum est; vidi namque, ac legi ex Romæ impresso Exemplari typis Rev. Cameræ Apostolicæ descriptam ejusdem Sacr. Congr. declarationem ad favorem Cisterciensium Abbatum emanatam, sedente eodem Pontifice

Alexan-

Alexandro VII. sub die 7. Junii 1660. circa liberum ipsis Pontificalium usum tenoris sequentis: „ Cum a quibusdam timoratæ conscientiæ Cisterciensibus Abbatibus dubitatum „ fuerit an sub decreto per hanc sacram Congregationem emanato die 27. Septembris „ anni proxime præteriti 1659. fuerint comprehensi Abbates Cisterciensis Ordinis, utpote specialibus Summorum Pontificum privilegiis insigniti; Sacra Congregatio ut „ huic occurreret piæ dubietati, instante Abbate D. Hilarione Rancato Ordinis prædicti Procuratore Generali, ac summarium „ privilegiorum, & gratiarum proprio Ordini per diversos summos Pontifices in diversis temporum differentiis concessorum exhibente, declaravit decretum prænominatum alias a se editum non afficere quoad „ eorum Ecclesias, & loca ipsis subjecta, aut „ comprehendere Cistercienses Abbates, tamquam privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, quibus Sacra Congregatio derogare numquam suis decretis intendit &c.

J. EPISC. SABINEN. CARD. SACCHETTUS Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Franc. Maria Phœbæus
Sac. Rit. Cong. Secret.

Ex hoc Decreto plane constat Sacram Congregationem nedum sensum, sed & verba ex Innocentii Papæ VIII. indulto sumpsisse, dum sicut ille Pontifex visis, ac probatis privilegiis, indultisque Apostolicis jam dicto Ordini per Prædecessores suos concessis, quibus inter cætera ipsis Abbatibus indulgebatur pallas Altaris, & omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere, & calices consecrare &c. quorumdam nihilominus hæsitationi an dicti Abbates eadem vasa sacra *extra ipsius Ordinis Monasteria, & etiam illa, quæ ad Monasteria, & Loca dicti Ordinis non spectarent*, consecrare valuerint, occurrere volens idem Papa definivit: *ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcumque alia ornamenta Ecclesiastica, Corporalibus, Vasculisque ad reponendum sacram Eucharistiam . . . . calices consecrare tam de dicto Ordine, quam si aliunde ad eos deferantur, Altaria item ut supra consecrare &c.* possint, & valeant. Ita dicta Sacr. Rit. Congreg. in relato decreto eosdem Cistercienses Abbates, utpote specialiter a Sancta Sede condecoratos, in alio generali edito non comprehendi, neque eorum privilegiis derogari, adeoque in sua possessione manere intendit. Neque obstat Decretum hoc inter alia a Gavanto, & Merato collecta haud reperiri, non enim omnia ipsos collegisse, tamquam ex tripode pronunciandum est; Meratus quippe in Appendice aliorum decretorum, quæ post confectum primum indicem reperta fuerunt, id fateri videtur.

Utpote specialiter a sancta Sede condecoratos.

Quod vero Cassinenses Abbates, omnium licet sub Regula S. P. Benedicti Prælatorum anteriores (uti referunt Gavantus parte IV. tit. XIX. de rubricis Benedictionum num. 22., & Meratus ibidem num. 25.) idipsum, aut consimile privilegium juxta mandatum Sacr. Congreg. coram Alexandro VII. habitæ sub die 20. Julii 1660. hucusque numquam exhibuerint, mirandum profecto non est; singulariter enim Cisterciensis Ordinis Abbatibus id indultum Innocentius VIII. concessit. Et quemadmodum eadem Sacra Congregatio non obstante generali Decreto supra memorato circa restrictionem usus Pontificalium iisdem Cassinensibus, nonnulla, vel ex privilegiorum exhibitione, *vel ab immemorabili tempore* præscripto specialiter indulsit, uti videre est apud Meratum in indice Decretorum a n. 383. usque ad 387. ita etiam idem Cisterciensium Abbatum privilegium præfatum ipsis approbasset, si & iis concessum ostendissent. Quare ex hoc ipso, quod Sacra Congregatio tunc Cassinensibus Monachis asserentibus ex Apostolico indulto eis licitum esse alienam etiam Ecclesiasticam supellectilem benedicere, nihilominus mandaverit hujusmodi privilegium authenticum ostendi, & interim abstinere, neque idipsum Cisterciensibus, qui illud sibi singulariter ab Innocentio VIII. ut supra concessum paullo antea exhibuerunt, præceperit, plane constat istis eamdem Congregationem dictum Indultum, uti legitime productum approbasse. Etenim juxta regulas Juris in pari causa qui de uno negat, de alio concedere videtur. Id porro evenit, factumque est postquam Cistercienses suum Innocentii VIII. indultum præfatum exhibuerunt, & a Sac. Congregatione recognitum, approbatumque fuit, uti ex allatis utrisque decretis conspicitur. Quo manifeste patet tum Sacram eamdem Rit. Congr. coram felicis record. Alexandro Papa VII. habitam, ipsumque tunc etiam Pontificem, tum nuperrime feliciter regnantem BENEDICTUM Papam XIV., qui eadem juxta illius mentem renovavit, confirmavit, & evulgari jussit suis hujusmodi decretis supra expressis, ex Apostolica benignitate ipsis ingenita Prædecessorum suorum indultis, quoties legitime exhibita fuerint, & ostensa, derogari non intendisse. Cæterum hæc quæcumque sint, ea, qua par est, erga Sanctam Sedem veneratione, & obsequio, eidem ac Sacræ Rituum Congregationi ulterius, si opus erit, examinanda relinquo: Interim ignoscas, rogo, benigne Lector, si te in hisce disquisitionibus de Abbatum nostrorum quoad usum Pontificalium privilegiis, quæ tua fortasse non intererunt, tandiu distinui, jussus, fateor, ac tot Doctorum authoritate compulsus, quæ de iis ex jure sentirem, scripsi, an zelo secundum scientiam, viderint alii, quibus meliora promentibus ex animo subscribere non gravabor, dum ad reliqua huc spectantia, tibique exprimenda progredior.

(7) *Suscepti operis institutum non patitur*) Miror Eminentiss. Cardinalem in hoc paragrapho de Mitra, postquam eamdem Episcopis, Abbatibus, aliisque insignium Ecclesiarum Præpositis concessam memoraverit, nullam de hoc Privilegio, quo Cardinales, non solum Presbyteri, sed etiam Diaconi potiuntur, mentionem fecisse. Nonnulla attingit de Cardinalium

Eodem Pontificalium privilegio potiuntur Cardinales etiam Diaconi.

lium mitra Mabillonius Præfat. 2. in sec. IV. Bened. n. 184. patere id scribit ex quadam charta Compendiensi anni 1214., in qua extant tria Cardinalium sigilla, item ex litteris Gerardi Episcopi Sabinensis, & Benedicti S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis datis anno 1290., verum alia ex de re vetustiora profert monumenta Dominicus Georgius de Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 26., ubi quoad mitræ usum Cardinalibus elargitum exhibet Innocentii II. diploma Vindocinensi Monasterio datum, cui ab Alexandro II. concessa fuerat Ecclesia S. Priscæ in Urbe cum *dignitate Cardinalitia ejus Monasterii Abbatibus*, quo iisdem *Sandaliorum usum, Tunicæ, Dalmaticæ, & Annuli, sicut eis utuntur Presbyteri Cardinales, concedit*. In hoc Diplom. Mitra subticetur; at hæc ab Innocentio III. in litteris ad Amelinum Abbatem Vindocinensem hac de re datis memoratur: *Hos vero*, inquit, *volentes honori deferre, de consueta Sedis Apostolicæ benignitate concedimus, ut dignitatem, quam Antecessores tui ex concessione ipsius Ecclesiæ (S. Priscæ) sunt adepti, tu, & successores tui nihilominus habeatis sandaliorum usum, Tunicæ, & Dalmaticæ, Mitræ, & Annuli, sicut eis Presbyteri Cardinales utuntur, vobis in perpetuum Apostolica authoritate confirmamus*: Non solum autem Presbyteri, sed & Diaconi S. R. E. Cardinales mitras olim gestarunt. Ægidius Aureævallis Monachus in Gestis Pontificum Leodiensium cap. 61. narrat Albertum Lovaniensem electum ad Episcopatum Leodiensem, sed dissidiis exortis non confirmatum, Romam advenisse anno 1192. ejusque electionem a Cælestino III. confirmatam, *cui gratiæ*, inquit Ægidius, *ut addatur major, constituit eum supremus Pontifex S. R. E. Cardinalem, & imposita mitra capiti ejus inter Cardinales summos eum fecit considere. In proximo Sabbato . . . . ordinat eum Diaconum Papa Cælestinus &c.*

Cangius in Glossario verbo *Mitra*, cui subscribit Lazarus Andreas Bocquillotius Disquisit. Hist. de sacra Liturg. lib. 1. cap. 7. pag. 167. ait mitram a Cardinalibus fuisse gestatam, quousque pro capitis ornamento rubeus Galerus in Concilio Lugdunensi anno Domini 1245. fuit assignatus, proinde ac si post idem Concilium Cardinales mitras non gestarint. At falluntur viri docti; eas enim gestarunt, & adhuc gestant. Siquidem Paulus II. initio sui Pontificatus teste Joanne Gobelino & Jacobo Card. Papiensi in Commentariis lib. 2. num. 40. *Cardinalibus, qui sacris induti vestibus a Prælatis inferiorum ordinum, præterquam suo, non cognoscebantur, usum mitræ sericæ Damasceni operis, rubraque capitia indulsit*. Lege Andreæ Victorelli additiones ad Ciacconium in Paulo II. Constat ergo Cardinales ante, & post Innocentii IV. tempora mitram gestasse, quoties sacris induti vestibus summo Pontifici inserviebant, & Paulum II. honoris causa mitram eis sericam Damasceni operis concessisse, cum prius simplicis mitræ lineæ tantum usum haberent. Quin etiam posse ab iisdem S. R. E. Cardinalibus non Episcopis minores Ordines conferri, manifestum est ex illorum privilegiis, de quibus Jacobatius, Joannes Andreas, aliique apud Cohellium in Notitia Cardinalatus cap. XVI. Privil. 11.. Atque his satis de mitra Episcopali, Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus, aliisque Prælatis communi dictum esto.

Superest pro coronide observandum, quod Ecclesiasticæ mitræ varia a Scriptoribus vocabula imponuntur. *Mitræ Ecclesiasticæ varia olim, & nunc nomina.* Ab Augustino etenim *Apex* appellatur: *Sertum cum gemmis* ab Ennodio Ticinensi, ubi de mitra S. Ambrosii, *Corona* a S. Hieronymo Epist. ad Augustinum, *Corona Sacerdotalis* ab Ammiano Marcellino, *Corona gloriæ* ab Alcuino, Trithemio in Chron. Spanheim., & Ennodio supradicto in vita S. Epiphanii Ticini Episc. *Cidaris* item ab Alcuino, & Anselmo Lucensi Episc. *Phrygium* a Græcis, Nicephoro, & Balsamone, itemque a Gratiano in Decreto sub titulo *Palea*, ubi & *Diadema* etiam vocatur. Plura de mitra Episcopali Andreas Saussajus in Panopl. Episc. lib. 1. Cæsar Bulengerus de Vestibus Pontif. Episc. lib. 1. cap. 20., Octavius Ferrarius de Re vestiaria, & Albertus Rubenius de eadem. De mitra vero singulari summi Pontificis, quæ Regnum, Corona Pontificalis, ut supra jam diximus, seu mitra Papalis, Phrygium, & Tiara, atque etiam mitra turbinata, scilicet cum corona, quandoque nuncupatur, plura congerit Pagius junior in Breviario Gestorum Pontificum Rom., ubi de Alexandro III. disserit num. 3. & seqq. usq. ad 10. atque ex eodem, aliisque fusius, & erudite Dominicus Georgius de Liturgia Romani Pontificis cap. 26. & 27., ad quos lectorem mitto.

Haud tamen prætereunda erunt nonnulla hoc loco observanda quoad Papalem mitram. *Primo notandum est* (uti habetur in Cæremoniali Romano jussu Gregorii Papæ X. edito num. 12., & Ordinario S. R. E. Authore, ut videtur Jacobo Card. Cajetano apud Mabillonium Musæi Ital. tom. 2. pag. 221.) *quod Dominus Papa tres mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, unam scilicet albam totam; unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, & mitram aurifrisiatam in circulo, & in titulo. Mitra aurifrisiata in circulo, & in titulo utitur in Officiis festivis, & aliis, excepto a Septuagesima usque ad Pascha, & ab Adventu usque ad Natale, & quando cantat pro defunctis. Et est illa ratio, quia coronam repræsentat, & activæ, ac contemplativæ vitæ discursum; mitra vero cum aurifrisio in titulo sine circulo utitur, cum sedet in Consistorio, & judicat: unde coronam regalem repræsentat. Alba utitur diebus Dominicis, & aliis non festivis ab Adventu Domini ad vigiliam Nativitatis Domini in Vesperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur Dominica de Gaudete, in quo die in Laudibus est quinta Antiphona* Juste, *quia tunc Dominus Papa facit quamdam solemnitatem, quæ talis est.* Eadem ferme quoad tres istas Romani Pontificis mitras habet memoratus Card. Cajetanus loco citato n. 78. Mitra porro alba tota non alia est, quam mitra simplex Episcopalis, sicuti aurifrisiata, sive acu picta, ac gemmis ornata

ornata communiter pretiosa nuncupatur.

Mitra Pontificalis Papæ a Regno, seu Phrygio plane diversa.

Summi insuper Romani Pontificis mitram cum Regno, seu Phrygio, quo coronatur, perperam confundunt aliqui, sed Phrygium, seu Regnum a mitra diversum fuisse pluribus ostendit Pagius præfatus. Et quidem Card. Cajetanus in Ordine Rom. XIV. apud Mabillonium, ubi supra pag. 258. loquens de Papa ad S. Petrum procedente: *& sic*, ait, *cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Ecclesiæ, & ibi prior Diaconorum Cardinalium extrahit illi mitram, & ponit ei coronam, quæ vocatur Regnum, &c.* ac post pauca pag. seq. *sic venit processionaliter usque ad Lateranum... ubi cum descendit de equo, deponit Regnum, & assumit mitram*. Idem etiam legitur in Ordine Rom. XIII. Gregorii Papæ X. jussu edito apud dictum Mabillonium pag. 228. & alibi. Mitra itaque diversa erat a Phrygio, seu Regno, quod ex dictis erat corona, seu ut loquitur Anonymus Vaticanus Auctor Actorum Alexandri Papæ III. apud Baronium an. 1159. num. 33. *mitra turbinata, scilicet cum corona.* Ut quid enim Pontifex deposita mitra coronam sumeret, quæ vocatur Regnum, si hæc ab illa diversa non fuisset? Exinde perspicue colligitur Phrygium, seu Regnum, Coronam, seu Mitram turbinatam cum corona eamdem esse ac Tiaram Pontificiam hodiernam, quæ nunc Triregnum dicitur, quia olim ea erat cum unius coronamenti circulo, uti Sugerius Abbas S. Dionysii scribit in vita Ludovici VI. Franc. Regis apud Duchesnium inter Scriptores Francicos tom. 4. pag. 318., ubi dicitur *ornamentum imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum*, cui Bonifacium VIII. secundum coronæ circulum, Urbanum vero V. tertium addidisse observat Nicolaus Alemannus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus Dissert. Hist. de Parietinis Lateranensibus cap. 13. Id autem Alemannum hausisse ex gravi aliquo, ac vetusto ejusdem Bibliothecæ monumento, putat Andreas Victorellus ibidem Latinæ Linguæ Scriptor in Additionibus ad Ciacconium. Quidquid autem sit, id certe deducitur ex antiquis effigiebus Pontificum, quæ Romæ extant, in quibus Tiaræ illorum repræsentantur cum unico diademate, seu coronamento a S. Silvestro ad Bonifacium VIII. ab isto Papa ad Urbanum V. cum duplici, ab hoc vero cum triplici, sicuti nunc visitur.

Ejusdem Papalis Mitræ Antiquitas ostenditur.

Cæterum hujusmodi Tiaram Pontificiam, sive Phrygium, aut Regnum dictam, vel etiam Mitram turbinatam cum corona, non adeo recentem esse, ut & antiquam eamdem dicere non valeamus, id satis indicant Anonymi Acta Vaticana sub Gregorio VII., seu de hujus Sancti Pontificis rebus gestis, de quibus fuse Card. Baronius ad an. 1073. num. 15. & seqq., ubi idem Pontifex in sua solemni inauguratione dicitur indutus *rubea chlamyde* (sicut moris est) *& Papali Mitra insignitus*: per hanc intelligenda profecto videtur Mitra turbinata, quæ a Pandulpho in vita Paschalis II. Papæ, vocatur *Tiara*, ipsique Pontifici impositam a Patribus scribit, dum solemniter inaugurareiur, & *comitante turba cum cantu Lateranum* procederet. Hanc eadem Pontificalem coronam, seu Tiaram, Phrygium vocat Chronographus Mauriniacensis, describens pompam publicæ inthronizationis Ludovici VII. Francorum Regis ab Innocentio II. factæ in Concilio Rhemensi, qui ab eodem *omnibus Romani Pontificis insignibus indutus, atque ut consuetudinis est, in sacris, magnisque festivitatibus Phrygio coronatus* dicitur. Item Sugerius paullo ante memoratus, loquens ibidem de eodem Innocentio, *more Romano*, scribit *capiti ejus Phrygium ornamentum, &c.* impositum fuisse, quo coronatum Pontificem sæpe legimus in Ordinibus Romanis a Mabillonio vulgatis Musæi Ital. tom. 2., & quidem in Ordine Rom. IX. de Leone Papa III. pag. 892. in fine sic habetur: *Accedit Prior Stabuli, & imponit ei in capite Regnum, &c.*. Cum autem Romanus Ordo etiam apud emunctæ naris Criticos octavum seculum plane redoleat, quæsitam antiquitatem circa hujusce Pontificum coronationem habemus a prædictis Scriptoribus seculi XI. illis eorum verbis: *sicut moris est, ut consuetudinis est, more Romano*, confirmatam.

Eaque exemplo summi Sacerdotis Legalis deducitur.

Sed & non pigeat antiquiorem, immo vetustissimam, ac plane divinam hujus Pontificiæ Tiaræ originem deducere. Erat ejusmodi sacrum capitis ornamentum Sacerdotibus Mosaicæ Legis a Deo olim concessum, præceptumque, quod in amplius, ac perfectius Christianæ Legis sacerdotium translatum est. Hæc autem in veteri Testamento, uti & innuit initio hujus paragraphi Card. noster de summi Pontificis, aliorumque Aaronici Ordinis Sacerdotum mitris, leguntur Exodi cap. 28. *facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino, ligabisque eam vita hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis*, ac rursum cap. 29. *Pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus &c.*. Idem pene legitur & cap. 39., atque item in Levitici cap. 8. his verbis: *Cydari quoque texit caput, & super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat Dominus.* Cum vero cæteris Sacerdotibus cydari, seu mitra uti concessum esset, lamina tamen aurea ornari caput, peculiare erat summi Pontificis tantum, quod ornamentum corona etiam in divina Scriptura appellatur, ut cum dicitur Ecclesiastici cap. 45.: *Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis*. Hanc autem Pontificalem mitram, non tantum lamina aurea, sed & aurea corona triplici ordine ducta ornatam fuisse, perspicue scribit Josephus Judaic. antiqu. lib. 3. cap. 8., sic enim ibi ait: *Porro pileo* (ita appellat cydarim, seu mitram cæteris pariter Sacerdotibus communem) *utebatur, quali reliqui Sacerdotes, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus, hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, &c.*, deinde describit qualis fuerit, & eam etiam, qua cæteri Sacerdotes utebantur, quorum mitræ cum essent byssinæ, aliquis tamen adhuc illis ornatus accedebat, in Exodo quippe cap. 39. id legitur: *fecerunt mitras cum coronulis suis ex bysso*. Hæc antiqui Sacerdotes habebant.

Cum autem, sicuti Sanctus Epiphanius

antiquus ex IV. seculi Patribus ad Hæref. 49. juxta Dionysii Petavii versionem Vol. I. Edition. Parisien. 1622. pag. 117. num. 2. loquens de Throno David, cui *jurejurando promisit Dominus de fructu ventris ipsius super Sedem ejus se esse positurum*, num. 3. hæc ait: *Quocirca Thronus ille Davidis, ac regale solium nihil aliud est, quam Ecclesiæ Sanctæ Sacerdotium, quod Regia simul, ac Pontificia dignitate in unum contracta ei Dominus attribuit, ac Davidis æternum illud, neque periturum unquam solium in eandem contulit*. Et post nonnulla: *A carnalis Judæ familia, ac Jerosolymis per Christum Regia est in Ecclesiam transfusa dignitas, cujus Sedes ad omnium perpetuitatem temporum in eadem ipsa constituta ex ambarum dignitatum, Regni videlicet, ac Sacerdotii amplitudine coalescit*; deinde num. 4. item post pauca sic concludit: *Quocirca Sacerdos, uti diximus, Jesus Christus Dominus noster in æternum fuit secundum Ordinem Melchisedech, idemque Rex secundum Superiorem, ac Cælestem Ordinem, ut una cum Lege Sacerdotium transferret . . . . nimirum transferre illum non minus Regni, quam Sacerdotii Ordinem oportuit, quippe cum ejus Regnum minime ex hoc mundo sit, ut Pontio Pilato in Evangelio respondisse fertur:* Regnum meum non est de hoc mundo. *Cum enim Christus sub quibusdam ænigmatum involucris universa compleret, quod hactenus gerebatur, par fuit aliquotenus pervenire. Neque vero ideo venit, ut qui regnasset hactenus imperare porro pergeret, sed iis Regnum, quos constituerat, ipse dilargitus est, ne a minoribus progredi ad majora dici possit; manet quippe Sedes illius, & Regni ejus non erit finis, atque in Davidis solio consedet, propterea quod Davidis Regnum transtulit, idque ipsum una cum Pontificatu servis suis indulsit, hoc est Catholicæ Ecclesiæ Pontificibus*. Cum, inquam, Christus Dominus noster *Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech*, idemque *Rex regum, & Dominus dominantium* (uti legitur 1. ad Timoth. cap. 6. Apocalypf. cap. 17. & 19.) non minus Regni, quam Sacerdotii Ordinem, ipsamque Regiam dignitatem una cum Pontificia in Ecclesiam suam transtulerit, convenientissimum profecto fuit, & est, ut in signum regalis Sacerdotii (sic ipsum appellat Apostolorum Princeps Epist. 1. cap. 2.) quemadmodum ex Josepho didicimus, sicut Aaronici veteris testamenti Sacerdotes, consimile capitis ornamentum gestare consueverint novi fœderis, seu Christianæ Legis Pontifices; inter quos Summus Ecclesiæ Pontifex, & Episcopus Romanus ille est, de quo inquit S. Pater Bernardus Abbas, & Mellifluus ejusdem Ecclesiæ Doctor Epist. 239. ad Eugenium Papam III. *alii multi vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis*. Et lib. 2. de Consid. ad eumdem Eugenium cap. 8. ipsum alloquens, postquam hæc de eodem dixerit: *Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras, videlicet pro tempore, personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex; Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham; ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus . . . . nec modo ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor*, post nonnulla subdit: *Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es; aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt &c.* deinde concludit: *stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis*. Neque ad Eugenium Papam tantum, sed & ad Mediolanenses scribens, qui in obedientia Sanctæ Sedi Apostolicæ præstanda titulare videbantur; sic ait: *Plenitudo potestatis super universas Orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Hæc ex antiqua universali traditione Apis Gallicana Bernardus, quem etsi non ex primi, sed secundi Ordinis Patribus, illum tamen, ejusque Sanctitatem, ac prodigia non est ausus negare Calvinus lib. 4. Institut. cap. 7. §. 22. Et de eodem Calvini assecla Guillelmus Cave, *Vir optimus*, inquit, *plane sinceræ, atque infucatæ pietatis, insigni in Deum amore, ingenti adversus corruptos mores zelo fragrans &c.* Denique Concilium Florentinum OEcumenicum, in quo pro unione cum Latinis Græci cum suo Imperatore & Patriarcha convenerunt an. 1438 sess. 17. & seqq. ubi de Romani Pontificis Primatu in Decreto unionis promulgato communi omnium consensu num. 5. definitum est: *Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorum esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere: & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*. In signum itaque supremi in universum Orbem Primatus, totius Ecclesiæ regiminis, ac plenitudinis potestatis, a Domino nostro Jesu Christo traditæ, sive propter *potentiorem principalitatem*, ut ex S. Irenæo advers. hær. lib. 3. cap. 3. *sive propter Apostolicæ Cathedræ principatum*, ut ex Sancto Augustino Epist. 162. ac *propter Summi Sacerdotii dignitatem*, uti ex Sancto Prospero lib. de vocat. Gent. cap. 6. Romanus Pontifex singularem præ cæteris Mitram adhibet, summi Sacerdotis antiquæ Legis ferme consimilem, quemadmodum supra expressum. Hactenus de Mitra Papali.

In Ecclesia Sacerdotalis, & Regia dignitas.

A Christo Pontificibus indulta.

Mitræ porro Prælatitiæ triplicem speciem statuit Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 17. „ *Mitræ* usus antiquissimus est, & ejus „ triplex est species: una quæ pretiosa di- „ citur, quia gemmis, & lapidibus pretio- „ tiosis

„ tiosis, vel laminis aureis, vel argenteis „ contexta esse solet: Altera auriphrygiata sine gemmis, & sine laminis aureis, „ vel argenteis, sed vel aliquibus margaritis composita, vel ex serico albo aureo „ intermixta, vel ex tela aurea simplici sine „ laminis & margaritis. Tertia quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu franciis, & vittis pendentibus. „ Pretiosa utitur Episcopus in solemnioribus festis, &c.„ De simplicis porro Mitræ usu particularium, insigniumque Ecclesiarum Præpositis, atque Cathedralium aliquot Canonicis, ac Dignitatibus concesso videndus toties supra laudatus Dominicus Georgi de Liturgia Romana Pontif. lib. 2. cap. 1. ubi diserte de iis & eruditissime disputat, ac novissime Joseph Catalanus Congr. Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, Prolegom. in Pontificale Romanum a se illustratum cap. 19.

§. XV.

De Baculo Pastorali, ejusque nominibus, figura, materia, & usu. Quid Subcinctorium, Epigonatium, Orale. Gremiale.

QUod Regibus sceptrum, id Baculus est Episcopis, insigne scilicet auctoritatis, sollicitudinis, & correctionis. Porro baculi Episcopalis mentio fit in Ordine Romano, & in Concilio quarto Toletano ante annos mille celebrato tanquam præcipui & dudum usitati Episcoporum ornamenti (1). Virga Pastoralis dicitur & latina voce Pedum, quod Festo au- (1)
ctore est baculus recurvus, quo Pastores utuntur ad comprehendendas oves vel capras, de quo Virgilius Ecl. 5.

At tu sume pedum, *quod me cum sæpe rogasset,*
Non tulit Antigenes.

Honorius *lib.* 1. *cap.* 217. etiam ferulam vocari ait, quæ a feriendo nomen habet; est enim baculus sive virga, qua puerorum manus feriuntur, unde est illud Juvenalis Sat. 1. *Et nos ergo manum ferulæ subduximus.* In vitis sanctorum Galli, & Magnoaldi Hibernorum *Cambuta* vocatur, quæ significat baculum retortum, ea enim vox Hiberna est, quæ curvum, sive distortum significat. Honorio Capuita, aliis Gambuta, Camboca, vel Cambuca est; pro qua voce apud Durandum *lib.* 3. *Ration. cap.* 5. in omnibus fere editionibus sambuca perperam irrepsit. Budæo dicitur lituus Pontificius, quali olim Augures utebantur, de quo Cicero *lib.* 1. *de Divinatione*, & Gellius *Noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 8. In testamento S. Remigii apud Flodoardum argentea cabuta figurata occurrit, ubi Brissonius legit cambutam. Erant igitur hujusmodi baculi aliquando argentei, nam & Saussaius *lib.* 2. *Panopliæ* ait se vidisse Rhemis Baculum S. Remigii auri laminis coopertum, cælaturisque artificiosis circumquaque exornatum. Fuerunt & cupressini, de quibus testimonium habemus in Epistolis Stephani Tornacensis *Epist.* 233. & *sequenti*. Nam in priori Abbas Sylvæ-Majoris ipsi Stephano scribens ait, *mittimus vestræ carissimæ Paternitati munusculum indignum dignitate vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum*: & in posteriori ad Episcopum Aurelianensem, *munusculum vobis mittimus baculum pastoralem cypressinum* (2), *officio vestro &* (2)
qualitate mysterii congruum, & quantitate ministerii condignum. Abbatibus quoque baculus pastoralis tribuitur in Ordine Romano, qui mos antiquissimus est (3). Apud Græcos item non solum Episcopis, sed præfectis (3)
etiam Monasteriorum baculum tradi in eorum ordinatione ostendit Goar *in notis ad Euchologium pag.* 313. ex Codino, & Simeone Thessalonicensi.

Baculi Pastorales olim etiam argenteis, aureis laminis cooperti, atque cælaturis ornati.

Forma Baculi a Latinis diversa apud Orientales.

Forma tamen baculi apud Orientales diversa est; non est enim in summitate curvus sive retortus, sed summa pars desinit in globum eburneum, vel in signum crucis, vel in lignum transversum ad instar literæ Tau: vel duobus serpentibus ex ebore ornatur, qui reflexis capitibus se mutuo respiciunt.

Epigonatium apud Græcos quid?

In Missa ab Illyrico edita inter Pontificalia indumenta post Cingulum recensetur Præcinctorium, quod ab Honorio *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 206. subcingulum, sive subcinctorium nuncupatur. Sed hodie nemo eo utitur in Ecclesia Latina, nisi solus Romanus Pontifex, cum solemniter celebrat, estque instar parvi cujusdam manipuli e sinistro latere pendens. Huic apud Græcos assimilatur Epigonatium formæ quadrangularis palmi & dimidii ex utroque latere, quod e Zona appensum gestatur, solisque Episcopis &
aliis in dignitate constitutis permittitur. Latine dici potest *supergenuale* (4). (4)
Est & aliud peculiare Summi Pontificis ornamentum, quo utitur solemniter celebrans, estque velum sericum subtilissimum diversis coloribus distinctum & virgatum, quod post Albam & cingulum capiti imponit, &
replicat super humeros & ante pectus (5). Orale olim dicebatur, nunc (5)
fanonem vocant (6). Quidam recentior (7) putat subcinctorium idem esse (6)(7)
ac Gremiale, sed errat; nam Gremiale pannus est, qui in gremio Episcopi celebrantis ponitur, cum sedet, & cum ordines confert; de quo agit Cæremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 11.

Baculi Episcopalis originem, & antiquitatem nonnulli a S. Petro Apostolorum Principe trahunt.

(1) *Porro Baculi Episcopalis &c. dudum usitati Episcoporum ornamenti.*) Baculi Episcopalis originem, & antiquitatem trahunt nonnulli ex S. Petro Apostolorum Principe; ferunt enim a S. Eucherio primo Trevirensium Antistite, baculo, quem a Beato Petro acceperat, ad vitam revocatum S. Maternum ejus socium ad Tribocorum fines ex hac luce sublatum. Testantur hoc miraculum Honorius Augustodunensis Serm. de SS. Petro, & Paulo, ac Petrus Cluniacensis Abbas lib. 1. Epist. 2. Atque hujus rei historiam refert Christophorus Broyverus Annal. Trovir. lib. 2. ad ann. Domini 50. pag. 143. 144. lib. 2. §. 2. & lib. 10. §. 36. ubi *nusquam verius*, inquit, *eamdem historiam, quam ex vetustissima thecæ inscriptione eruas, qua baculus inclusus, hodieque præcipua religione Treviris asservatur*, quam inscriptionem idem ibidem recitat. Hinc Innocentius III. lib. 1. de Myst. Missæ cap. 62. tradit Romanum Pontificem pastorali virga non uti ob hanc ipsam historiam, & tunc S. Petri baculum in dicta Ecclesia Trevirensi fuisse asservatum. Eadem perhibet in Epistola ad Archiepiscopum Trinovitanum Bulgariæ Primatem, quæ in Corpore Juris relata est *de sacra Unctione* cap. unico lib. 1. tit. 15. Innocentio succinit S. Thomas in 4. Sent. dist. 24. quæst. 3. art. 3. ad 8. idemque profert Durandus in Rationali lib. 3. cap. 15. n. 5.

Nihilominus & alii dubitant, an Romani Pontifices aliquando baculo Pastorali usi fuerint.

His tamen non obstantibus nonnulli dubitant, videlicet Macri fratres in Hierolexico verbo *Baculus*, Hallier de sacris Electionibus col. 1005. & Cangius verbo *Ferula*, an Romani Pontifices aliquando baculo pastorali usi fuerint. Id suadent Macri fratres ex historia depositionis Benedicti Antipapæ in Auctario Luitprandi descripta lib. 6. cap. 11. ubi hæc leguntur: *post hæc pallium sibi abstulit* (Benedictus) *quod simul cum Pontificali ferula, quam manu gestabat, Domino Papæ tradidit, quam ferulam idem Papa fregit, & fractam ostendit populo*: item ex antiquis imaginibus, tum S. Gregorii Magni, tum Gelasii II. Summorum Pontificum, quorum figuras exhibent primi dicto verbo *Baculus*, secundi verbo *Mitra*, quique baculos in manibus gestare Pontifices conspiciuntur. Item in vita S. Bernevvardi cap. 24. apud Mabillonium sec. VI. Bened. Part. I. pag. 215. legitur Silvestrum secundum in Synodo Romana anno 1001. ubi acta est causa inter dictum S. Bernevvardum Episcopum Hildesheimensem, & Willegisum Archiepiscopum Moguntinum, ut sublatam investituram S. Bernevvardo restitueret, *tradidisse illi Apostolicam ferulam dicendo &c.* Præterea Paschali II. anno Domini 1099. teste Pandulpho Pisano in ejus vita, ut refert Baronius ad dictum annum, dum ipsius electionis solemnia agerentur, inter alia, quæ illi tradita sunt, data est in manu ferula.

Et quidem ferula, non baculo usos fuisse conspicitur.

Quæ ferula in eorum auguratione tradebatur, non baculus.

Ritum istum traditionis ferulæ in Summorum Pontificum inauguratione perdurasse usq; ad finem seculi XII. testatur Cencius Camerarius in suo Cæremoniali Ord. Rom. XII. n. 79. ob electionem Cælestini III. his verbis: *idem electus sedet ad dexteram in Sede porphyretica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum regiminis, & correctionis, & claves ipsius Basilicæ, & sacri Lateranensis Palatii.*

Eratque hæc quid a baculo diversum.

Verum ex supra recensitis, & hisce postremis Cencii verbis, itemque ex Ordinibus Romanis, ubi ferula quidem, nusquam baculus a Pontifice gestatus legitur, satis superque dignoscitur ferulam aliud quid fuisse a baculo pastorali distinctum: neque pro isto illam esse accipiendam; hæc enim tradebatur, ut vidimus, initio Pontificalis inaugurationis in signum regiminis, & correctionis,

prout

prout etiam claves. Id innuit D. Thomas in 4. Sentent. dist. 24. quæst. 3. ad 8. asserens Romanum Pontificem baculo non uti, *in signum quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat*. Cui succinit Durandus in Rationali lib. 3. cap. 15. n. 5. Et sane imagines supra indicatæ Summorum Pontificum Gregorii Magni, & Gelasii II., quas referunt Macri fratres, baculos quidem rectos repræsentant, non in summitate retortos, & arcuatos, uti communiter Pastorales baculi sunt, quos gerunt Episcopi. Ex quibus omnibus liquido deduci posse conspicitur Papalem ferulam olim a Romanis Pontificibus in suâ inauguratione adhibitam baculum rectum fuisse, a baculo pastorali, quo utebantur Episcopi, distinctum, sive in infima sui parte acutum, in superiori vero Cruce supposita insignitum, ut in dicta S. Gregorii effigie, sive cum globulo tantum in apice, ut in Gelasii icone visitur. Atque hæc de Romanorum Pontificum Ferula.

Baculi Pastoralis varia nomina.

Quo vero ad Baculum Episcoporum, quem etiam ferulæ significatione antiquitus usurpatum legimus in Vita Sancti Oddonis Abbatis Cluniacensis apud Mabillonium sec. Bened. V. pag. 165. hic quoque præter memorata ab Eminentissimo ejusdem vocabula virgæ, pedi, cambutæ, & similium, barbara nuncupatione e Gallis ducta *Crocia* dicebatur. Ita Hariulphus in Chronico Centulensi lib. 4. cap. 28. apud Dacherium Spicil. Tom. 4. *virga Pastoralis, quam vulgus Crociam vocat*. Pedi insuper vocabuli pro Pastorali baculo, quod omisit Eminentissimus Auctor, testimonium habemus ex Vita S. Adalberti Pragensis Episcopi apud Surium die 23. Aprilis ubi hæc Sanctum Episcopum interroganti, cur sine Pastorali virga incederet, respondisse legitur; *vivit Deus*, inquit, *in cujus conspectu sto, facile est portare pedum, sed difficile est reddere rationem &c.* Baculi porro Episcopalis antiquitatem pleraque probant veterum Scriptorum monumenta. Jam a seculo quarto eumdem Episcopis usitatum, ex Sigeberto, & Mariano Scoto testatur Baronius ad an. 504. num. 38. ubi ait, baculum S. Augustini una cum ejus corpore in Sardiniam translatum fuisse.

Baculi Pastoralis antiquitas ex Apostolorum ævo firmatur.

Sed & ante seculum quartum, & Apostolorum ævo Baculi usum extitisse firmat Innocentius III. supra laudatus de Mysteriis Missæ lib. 1. c. 62. & ex ipso Spondanus ad an. Christi 74. ubi ait Baculum, quem S. Petrus Apostolus ad Martialem Episcopum in Galliis transmisit, illum esse, qui hactenus magna religione asservatur Burdigalæ in antiquissima S. Severini Ecclesia, estque firma illius Provinciæ traditio. Idem Inn. III. mentionem facit de alio baculo, de quo supra, ab eodem S. Petro transmisso ad Eucherium primum a se Treverensem Episcopum ordinatum: *quem baculum* (ait) *usque hodie magna veneratione servat Trevirensis Ecclesia*: alter Baculus Neapoli habetur ab eodem Principe Apostolorum Candidæ seniori Matronæ datum, cujus contactu Asprenum gravi morbo decumbentem sanaret, quem postea primum illius Ecclesiæ Episcopum constituit: ac demum in Regali Basilica S. Dionysii apud Parisiensem Urbem duplicem ejusdem Dionysii Baculum, alterum Viatorium, alterum vero Episcopalem servari testatur Germanus Millet illius Cœnobii Benedictinorum Monachus in Thesauro sacro Reliquiarum illius Ecclesiæ Gallice edito an. 1646. Præterea magna veneratione servantur in Ecclesia Cathedrali Septempedana, seu S. Severini in Piceno Mitra, & Baculus Pastoralis ejusdem S. Severini, a quo Civitas nomen ipsum desumpsit, qui floruit seculo Christi sexto. Quorum meminit D. Dionysius Pieragostini Episcopus in Append. suæ Synodi de anno 1733. fol. 94. De Baculo S. Remigii jam supra Eminentissimus, de quo videndus etiam Guillelmus Marlot in sua Metropoli Remensi lib. 3. cap. 9. pag. 335. S. Cæsarii Arelatensis Baculum, & miracula ejus contactu patrata, ac Clerici e Notariorum ordine munus fuisse hunc prægestare, narrat ejus vitæ Author lib. 2. cap. 1. apud Surium 19. Octobris. In Patriarchali Ecclesia Aquilejensi S. Hermagoræ, S. Marci discipuli, & Bononiæ S. Isidori Baculos religiose custodiri testantur Macri fratres in Hierolex., quibus adde & alterum S. Vedasti Atrebatensis Episcopi, qui sub Clodovæo ante annum 509. in humanis agebat, ut tradit Bollandus ad 6. Februarii Tom. I. pag. 792. ubi ejusdem S. Episcopi Baculum Pastoralem inter sacra novæ Ecclesiæ B. M. Cameracensis Lipsana fuisse notat.

Baculos Episcopales olim etiam auro, aut argento, vel alia ex materia ornatos fuisse comprobatur.

Insuper Baculos Episcopales etiam antiquitus auro, vel argento, aliave ex materia pretiosa ornatos, aut illitos plerumque fuisse nos docet ligneus S. Burchardi Witziburgensis Episcopi Baculus, etsi Ecclesia, cui præerat, longe opulentissima fuisset, quapropter ejus vitæ scriptor apud laudatum Surium dicta die 19. Octobris commendandæ ejus modestiæ, & exagitandæ quorumdam Episcoporum pompæ, & fastui ansam arripit: *Virga*, inquit, *sambucea semper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla. Unde constat quanto pretiosior sit coram illo, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, Pastor Burchardus cum sua Pastorali virga modernis Pastoribus, qui pascentes semetipsos vix in ipsis baculis suis aliqua carent pompa*. Hinc S. Petrus Damiani tribus fortasse seculis Burchardo posterior lib. 2. Epist. 2. de quorumdam Episcoporum pretiosis baculis loquens sic ait: *Numquam certe vidisse me memini Pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant, qui ab Asculano, atque Tranensi gestabantur Episcopis, nec eis profecit, quod Pontifices ligneis auratis usi sunt baculis, dum Sacerdotii meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum*. Hæc Damianus. Idem etiam habetur apud Lambertum Schaffnaburgensem ad ann. 1071. sub quo adhuc florebat Damianus; ex quibus colligitur suo etiam tempore, seculo scilicet undecimo perantiquum, & primævis Episcopis acceptissimum usum fuisse baculos ligneos, hosque auratos gerendi.

Antiquissimam certe, & immemorabilem hanc consuetudinem indicat Isidorus Hispalensis

lensis de Eccl. Offic. lib. 2. cap. 5. ubi meminit virgæ pastoralis, quæ in manus dabatur Episcopis, dum ordinarentur: *Huic*, inquit, (Episcopo) *dum consecratur, datur baculus, ut ejus judicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat*. Seculo igitur sexto, quo vixit Isidorus, jam ubique receptum erat ab Episcopis Baculos gestatos esse, quod utique jam multo ante id invaluisse certo certius est; si enim & tunc non ordinabantur Episcopi nisi per Baculum, satis superque hujus antiquitas a primis usque sæculis comprobatur. Abbates etiam ordinabantur per Baculum, sed & de his infra. Superest ut de forma ejusdem Baculi Pastoralis disseramus. Eam breviter attingit Eminentissimus, cui nonnulla adjiciemus. Antiquam Baculi formam describit Anonymus Monachus San-Dionysianus, qui sub Carolo Calvo floruit in libris de Miraculis S. Dionysii Parisiensis Episcopi lib. 1. cap. 3. apud Mabillonium Sæc. 3. Bened. par. 2. pag. 344. ubi narrans apparuisse cuidam rustico S. Dionysium Pontificalibus indumentis ornatum, hæc habet: *Videt interea introire senem Clericum Pontificalibus vestibus exornatum, ferentemque in manu Baculum a capite arcuatum, in ima reflexum, qualibus antiquiores Pontifices usos fuisse, ad memorias eorum suspensi declarant*. Eamdem explicat Hugo Victorinus in Speculo Eccl. cap. 6. *Baculus*, inquit, *pastoralis rectitudine sui rectum regimen* significat; quod autem una pars curva est, & altera acuta, monstrat præesse subjectis, & debellare superbos. Hugoni consonat Honorius Augustodunensis ejusdem seculi XII. Scriptor in Gemma Animæ lib. 1. cap. 219. *Hic baculus*, ait, *ex osse, & ligno efficitur, chrystallina, vel deaurata sphærula conjunguntur, in supremo capite insignitur, in extremo ferro acuitur*; quæ omnia explicantur his quatuor versibus in Glossa cap. *Cum venisset* de sacra unctione relatis:

Jam & ante seculum sextum Episcopo, cum consecraretur, traditus erat baculus.

Antiqua baculi Pastoralis forma descripta.

In Baculi forma, Præsul, datur hæc tibi forma.
Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum;
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes,
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Quæ uno tantum versiculo comprehenduntur in scripto ad Baculum S. Saturnini Episcopi discipuli S. Petri, cujus antiquissima imago marmorea visitur, & colitur Tholosæ in Templo S. Stephani.

Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pungit.

Quod ex Innocentio III. lib. 1. Myst. Missæ cap. 62., item deprehenditur: ibi enim de consecratione Episcopi ita legitur: *Accipe baculum Pastoralis officii, & sis in corrigendis vitiis pie sæviens: judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens*.

Porro nedum in Ecclesia tantum cum Pontificalia exercerent, Baculum olim gestabant Episcopi, verum & cum extra Ecclesiam procederent, aut iter agerent per alium ante se deferri curabant. Quoad Latinos testatur Cyprianus Tolonensis Scriptor Vitæ S. Cæsarii Arelatensis Episcopi lib. 2. num. 17. apud Dacherium, & Mabillonium Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. I. Tom. 1. pag. 673. *Cum ecce*, inquit, *vir Dei* (Cæsarius) *ibidem requisitus ad aliam Ecclesiam pergeret, Clericus, cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat, oblitus est, in quo mysterio inutilis ergo serviebam* &c. Quoad Græcos, hæc de Josepho Patriarcha Constantinopolitano scribit Silvester Sguropolus in Historia Synodi Florentinæ lib. 4. cap. 14. quod Ferrariæ apud Eugenium Papam IV. ingressurus Pedum, quod elevatum famulus ante ejus equum ad Papale Palatium usque portaverat, in manus sumpsit, ac deinde a Papa regressus in thecam gestatoriam recludi jussit. Denique pro coronide hujus Dissertatiunculæ de Baculo notandum superest, quod vox illa *Cambuca*, de qua supra, licet pro ipso Baculo Pastorali passim, ut diximus, accipiatur, in libro tamen Pontificali MS. Ecclesiæ Barensis, qui Romæ apud Patres Sancti Augustini in eorum Bibliotheca Angelica asservatur, non Baculum ipsum, sed Baculi ornamentum significat, ibi enim hæc leguntur: *Ordo ad Ecclesiam fundandam per Episcopum, vel ipsius Capellanum, qui baculum cum cambuca secum habebit &c.*

Baculus Pastoralis ab Episcopis, etiam cum iter agerent, delatus.

Id etiam conjicere liquet ex Visitatione Thesaurariæ ædis S. Pauli Londinensis anno 1295. apud Car. Dufresnium in Glossario voce *Cambuta*, ubi inter alia legitur: *Baculus Ricardi Episcopi tertius; cujus cambuca de argento deaurato &c. Item Baculus ejusdem cum cambuca cornea* &c. Pariter apud Mabillonium Tom. 3. Analectorum vet. pag. 390. in Gestis Gaufredi Episcopi Cenomanensis hæc habentur: *Cambucam argenteam magni ponderis deauratam, & opere decoram cum baculo Pastorali*. Quibus stantibus dicendum videtur Cambucam quidem apud veteres nonnullos a Baculo ipso fuisse distinctam, & ipsius summitatem retortam, aut ornamentum significasse. Atque hæc de Baculo Pastorali dicta sufficiant. De eodem præterea fuse scripserunt Joseph Vicecomes lib. 3. de Appar. Missæ cap. 41. Andreas Saussajus Panopl. Episc. lib. 2. aliique; Nuper autem Joannes Ciampinus Vet. Monument. Part. I. cap. 15. pag. 121. & seqq., ac novissime Dominicus Georgius in sua Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 29. Omnium denique postremus Joseph Catalanus Prolegom. ad Pontif. Rom. cap. 20., item tit. 13. de consecratione electi in Episc. & tit. 15. de benedictione Abbatis.

Baculus Pastoralis quid diversum a Cambuca.

Indicantur Authores, qui de Baculo Pastorali scripserunt.

(2) *Mittimus baculum Pastoralem Cypressinum* &c.) Cur autem ex Cypressino ligno Baculi Pastorales plerumque fierent, non alia ratione id actum fuisse indicat idem Stephanus Tornacensis, nisi ut, qui eodem uterentur Prælati, mortis meminissent. Et sane antiquis Cypressus funesta est arbor, mortisque symbolum præfert; etenim, ut inquit Festus Pompejus lib. 3. *Cypressi mortuorum domibus ponebantur, quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil speratur*: ac proinde antiquis sepulcralis arbor dicta,

Baculi Pastorales olim plerumque ex Cupressino ligno compacti.

hinc

hinc illud Lucani: *luctus teftata cupreffus*.

Abbates etiam, ut Epifcopi, ordinati per baculum ipfis traditum.

(3) *Qui mos antiquiffimus eft*) Abbates etiam antiquitus per Baculum ordinatos, ficut Epifcopi, ut diximus, teftatur primo Ordericus Vitalis Monachus apud Duchefnium inter Scriptores Normannicos, qui lib. 8. Hiftoriæ fuæ fic de Abbatibus, quomodo ordinareotut, fcribit: *Per baculos Paftorales in eo tempore moris erat Cœnobii curam committere*. Ac in Codice quodam antiquo MS. Sancti Victoris Parifienfis apud Caogium in Gloffario verbo *Baculus* cap. 1. ita habetur: *fciendum quoque eft, quod noftra confuetudo Abbatibus noftris baculum nullo modo concedit*: Ex quo, cum exceptio particularis illius Monafterii firmet regulam in aliis, fequitur quod Monafteriorum reliquorum Abbatibus effet recepta confuetudo Baculum concedendi. Occurrit & aliud teftimonium in Chronico Novalicienfi apud dictum Duchefnium Tom. 3. Hift. Franc. lib. 6., ubi de Abbate exauthorato: *deteftabilem*, ait, *Sarabaitam cæpit, baculum fregit, atque fuperbum de fede dejecit*; cui accedit Wigorn. authoritas pag. 656. de Abbatum degradatione: *plurimos Abbates baculis privatos depofuit de Sedibus*: Ex qua Baculorum fractione, dum Abbates exauthorantur, prævia eorum electio per Baculum, hujufque ufus elicitur. Et fane plene conftat ab antiquo etiam Abbati in fua Ordinatione traditum fuiffe Baculum, eoque inveftiri folitum, quod infinitis propemodum comprobari poffet exemplis. Præ cæteris id oftendunt antiqui Rituales de benedictione, feu ordinatione Abbatum, quos refert Edm. Martene Tom. 3. de Antiquis Eccl. Ritibus lib. 2. cap. 1. ubi in omnibus ibi relatis Ordinibus habetur peculiaris beoedictio Baculi Paftoralis Abbati in ejus folemni ioauguratione traditi. Et quidem jam a feculo feptimo; etenim Ord. 7. pag. 33. Capitulum de Ordinatione Abbatis refert ex Canone Theodori Cantuarienfis Epifc. qui eo tempore floruit, ubi pag. 37. memorata benedictio Baculi legitur, poft quam hæc reperiuntur: *Hic tradat* (Pontifex) *baculum dicens*: *Accipe baculum paftoralitatis, quem perferas catervæ tibi commiffæ ad exemplum juftæ feveritatis, & correptionis*.

Subcinctorium quid.

(4) *Latine dici poteft* Supergenuale) Quod hic obfervat Emin. Author, diferte confirmant Macri fratres, & Nicolaus Dumortier in eorum Hierolexico verbo *Cingulum*, Epigonation. Et quidem *fubcingulum, & fubcinctorium*, quo Papa uti folet in Miffa folemni, ita dicitur, ajunt, eftque ad parvi manipuli formam in latus finiftrum appenfum; *Primum Cingulum cum fubcinctorio in parte finiftra pendente*: ex Cærem. Papæ lib. 2. cap. 14. quod tamen non adhibet, fi celebraturus eft in die Parafceve, feu feria fexta hebdomadæ fanctæ. Subcinctorium porro hujufmodi ab Innocentio III. lib. 1. Myft. Miffæ cap. 10. & 52. inter novem fpecialia Pontificum otnamenta recenfetur. Durandus pariter Rationalis lib. 3. cap. 4. *Pontificis*, inquit, *cingulo duplex dependet fubcinctorium*, infra, *Succinctorium, quod alias Perizoma, vel fubcingulum vocant*. Sed de hoc item in fequenti nota.

(5) *Et replicat fuper humeros, & ante pectus*) Philippus Bonannius Societat. Jefu de Eccl. Hierarch. cap. 66. in prifcam hujus Pontificii indumenti otiginem inquirere nititur, nec eam detegere fe poffe ingenue fatetur; dum nullum Innocentio III. antiquiorem invenit, qui de eo meminerit. Et quidem Innocentius lib. 1. Myfter. Miffæ cap. 53. *Romanus autem*, inquit, *Pontifex poft albam, & cingulum affumit Oralem, quod circa caput involvit, & replicat fuper humeros legalis Pontificis ordinem fequens &c.* Innocentio fuccinit Durandus Div. Offic. lib. 3. cap. 9. num. 1. ubi pene eadem repetit.

Fanon peculiare Summi Pontificis ornamentum, cum folemniter celebrat.

(6) *Nunc Fanonem vocant*) Ita Romanus Ordo XIII. apud Mabillonium pag. 225. juffu Gregorii X. ex quo fortaffe ita etiam hoc nomine donarunt Infpectores ornamentorum Pontificalium Bonifacii VIII. quæ ita defcribunt apud Bzovium ad ao. Domini 1303. §. 8. *Habebat Fanonem circa collum, & humeros eo modo, quo hodie Summi Pontifices utuntur; nempe pars fupra Albam, & pars fupram Planetam ex puro ferico velo albo fubtiliffimo fine auro, & aliquo ornamento, involutum pluries, primum circa humeros fuper Albam, deinde inverfum fuper cafulam circa collum. Super Alba duplex magis erat in parte dextera, quam in finiftra*. Orale porro Favonis etiam nomine donatur, uti obfervant Macri Fratres io Hierolexico, licet a Liturgicis Scriptoribus ut plurimum *Fanon*, five Favon pro Manipulo, aut corporali fumatur. Ita de hujufmodi Summi Pontificis Favone nuncupato vulgatum Cæremoniale Rom. per Chriftophorum Marcellum lib. 2. cap. 14. *Tum* (induitur Pontifex) *Cruce pectorali, poftea Favone*, (ideft Fanone) *quem Diaconus fuper caput Papæ imponit replicatum . . . . & ambas oras Favonis dependere facit circa pectus juxta menfuram unius palmi*: Et paulo poft: *extrahitur Favon circa collum, & aptatur &c.*

(7) *Quidam recentior*) Jofeph Vicecomes lib. 3. de Rit. Miffæ cap. 5.



De

§. XVI.

De Pallio Archiepiscopali. Quid sit. Quædam de usu ipsius. Quibus concedi soleat. Ejus origo. De Pallio Græcorum.

POstremum Pontificale ornamentum est Pallium, quod solis Patriarchis, & Archiepiscopis competit. Est autem Pallium fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo alia similis fascia ante pectus; alia deorsum ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis Crucibus sunt insignitæ (1). Ipsum au- (1)
tem Pallium tribus aciculis, sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana Agnorum candidorum sine macula, qui in die Sanctæ Agnetis in ejusdem Ecclesia via Nomentana singulis annis offerri ad Missam solemnem, & benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, & in aliquo Monasterio sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur Pallia, quæ in Basilicam Vaticanam delata super Corpora Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur. Pallio semper, & ubique utitur Romanus Pontifex, cujus est super omnes Ecclesias summum jus, ac plenaria potestas: reliqui eo uti non possunt, nisi intra Ecclesiam certis quibusdam, & designatis diebus, cum Missarum solemnia celebrant, idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Gregorius Magnus *lib.* 2. *Epist.* 54 Joanni Archiepiscopo Ravennati sic scribens; *Illud, Frater carissime, tibi non putavimus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus usum sibi Pallii vindicasse*. Et lib. 4. Epist. 50. Virgilio Arelatensi, *Pallium*, inquit, *transmisimus, quo Fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur* (2). Idem statutum fuit in Synodo Ro- (2)
mana, sub Joanne VIII. edita ab Holstenio c. 3. *Quicumque Metropolitanorum per plateas, vel in Litaniis, uti Pallio præsumpserit, & non tantum in præcipuis festivitatibus, & ab Apostolica Sede indictis temporibus, ad Missarum solummodo solemnia, careat illo honore* (3)
(3). Si tamen verum est, quod Flodoardus scribit in Historia Remensis Ecclesiæ lib. 3. cap. 10. *Hincmarus*, ejus Ecclesiæ Archiepiscopus, *pro suæ sanctitatis, ac sapientiæ reverentia per interventionem Lotharii Imperatoris Pallium ad quotidianum suscepit usum a quarto Leone Papa, a quo jam aliud perceperat in designatis sibi solemitatibus debite fruendum. Quem quotidianum Pallii usum nulli unquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur*. Sed commentitiam esse hujusmodi concessionem ex Epistola 47. Nicolai I. ad ipsum Hincmarum, & ex ejusdem ad Nicolaum responsione manifestum fit. Cum enim memoratus Pontifex sibi valde displicere scripsisset, quod ille Pallio uteretur ultra dies sibi ab Apostolica Sede indultos, respondet Hincmarus *Tomo* 2. *editionis Sirmondi circa finem Epist.* 26. his verbis. *Postremo de Pallio a mea præsumptione non certis temporibus, & juxta morem aliis Metropolitanis definitis uso, unde vestræ Sanctitatis auribus intimatum esse indignitati meæ scripsistis, auctoritati vestræ veraciter fateor, quod & in istis*

Notatur Flodoardus circa suppositum Pallii usum quotidianum ab Hincmaro Remensi contra sibi præscriptos dies usurpatum.

regio-

regionibus per annos, si vobis placuerit, rejicire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici, & in die sancta Resurrectionis ejus, vix in toto anno eodem Pallio utor. Falsa igitur est Flodoardi narratio, ipsomet Hincmaro teste, qui oppositam sibi usurpationem facile potuisset diluere prolato Leonis privilegio, si extitisset. Concessum tamen Brunoni Coloniensi ab Agapito II. ut eo præter consuetudinem uteretur, quoties vellet, scribit Rogerus Monachus in ejus vita *cap.* 23. *apud Surium die* 11. *Octobris*. Milo quoque in vita S. Lanfranci Cantuariensis *cap.* 11. refert Alexandrum II. duo pallia illi dedisse, unum quod de Altari Romano more accepit: alterum quod sua manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solebat, in indicium sui amoris. Posset etiam pro usu quotidiano Pallii afferri Canon 6. Concilii I. Matisconensis, quod anno 582. celebratum fuit, quo præcipitur, ut Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat, nulla facta dierum solemnium, & non solemnium distinctione. Sed tunc forsitan non iidem erant mores; cum præsertim eo tempore solus Arelatensis in Gallia usu Pallii potiretur (4). (4)
Vel certe explicandus est Canon non de quotidiana; sed de solemni dumtaxat celebratione. Quod vero vir doctissimus ex eodem Canone infert, duo tunc fuisse Pallia, unum Romanum, Gallicanum alterum; & hoc quidem usos propria auctoritate Metropolitanos, quoties libuit; illud autem missum a Romano Pontifice pro certis dumtaxat & designatis diebus: hoc inquam accuratius examinandum foret; mihi enim nihil hactenus videre contigit, quo possit hæc conjectura stabiliri.

Pallium non omnibus olim Archiepiscopis concessum, sed insignioribus tantum.

Cæterum non omnibus Archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodo, qui inter ipsos præcipui erant, nemo ignorat, qui in veteri historia versatus sit. Nam in Gallia nemini mittebatur, nisi soli Arelatensi, de qua re extant Epistolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, & Gregorii Magni ad Childebertum Regem Francorum *lib.* 4. *Epist.* 53. In Hispania soli Hispalensi, in Dalmatia Salonitano, in Italia Ravennati (5), in (5)
Sicilia Syracusano, in Sardinia Caralitano, ut ex Epistolis Gregorii liquet: sive hoc fieret intuitu Ecclesiarum, seu Civitatum præ cæteris eminentium: sive ob Vicariatum Apostolicæ Sedis illis Archiepiscopis tributum; quo titulo constat Pallio item a Summis Pontificibus insignitos fuisse Archiepiscopos Corinthi, Thessalonicæ, & primæ Justinianæ. De S. Malachia hæc narrat Bernardus *vita ipsius cap.* 15. visum sibi Romam proficisci, quia Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio Pallii usus, quod est plenitudo honoris.

Idem postea omnibus Metropolitanis indultum, atque etiam nonnullis Episcopis.

Concessum postea fuit omnibus Archiepiscopis, ut hoc ornamento ab Episcopis distinguerentur. Nonnullos quoque Episcopos interdum hoc honore affecerunt Romani Pontifices, vel intuitu meritorum, vel alia justa de causa. A Marco Papa, qui obiit anno 336. concessum Ostiensi Episcopo refert Anastasius. Siagrio Episcopo Augustodunensi (6) à Gregorio Magno, cujus extat hac de re ad (6)
illum Epistola 114. lib. 7. Actardo Nannetensi ab Adriano II. ut ipse testatus est in Epistola ad eum directa his verbis. *Decus tibi Pallii solo miserationis affectu contulimus, ut habeas pro exilio & catena Pallii ornamenta, non ad Ecclesiæ cui incardinandus es perpetuum institutum, sed ad tuum specialem, certique temporis usum.* Idem privilegium habuit Theodulfus Aurelianensis, de quo ipse sic cecinit.

Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu.

Walo item, sive Valenus Metensis Episcopus a Joanne VIII. Pallium suscepit, propter quod orta est controversia inter ipsum & Bertulfum

Trevirensem Archiepiscopum, quam Hincmarus Remensis composuit. Extat Epistola Joannis ad ipsum Uvalonem in supplemento Conciliorum Galliæ *pag.* 295. cui additæ sunt notæ hac de re ex historia Trevirensi. Ipsum quoque Pallium, ut de cæteris sileam, Gregorius VII. Brunoni Veronensi *lib.* 1. *Epist.* 24. pollicitus est, si Romam iret: *quia*, inquit, *Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum*. Nunc eo utuntur perpetuo privilegio Episcopi Lucensis, & Ticinensis in Italia, & Bambergensis in Germania. Origo ejus in utraque Ecclesia Orientis, & Occidentis antiquissima est. A Marco Papa concessum Ostiensi, jam diximus, at Baronius *anno* 336. *num.* 62. Marco antiquiorem putat (7), est autem corrigendus, quod Phrygium (7)
a Celestino missum Cyrillo Alexandrino Pallium esse crediderit, cum proculdubio capitis ornamentum fuerit, ut supra indicavimus. Ejusdem meminit Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *Epist.* 136. fusius differens de ejus usu & mystica ratione. Confirmat ejus vetustatem Liberatus Diaconus Carthaginensis, qui in Breviario *cap.* 18. narrat sententiam (idest chartam) damnationis a Felice Pontifice latam adversus Acacium Constantinopolitanum, quam is recipere noluerat, a quodam Monacho Pallio ejus alligatam fuisse, cum ad sacra celebranda ingrederetur. Posset & Pallii antiquitas astrui ex Rescripto Valentiniani Imperatoris, quo Metropoli Ravennæ anno 432. multas subjicit Civitates, ejusque Archiepiscopo usum Pallii concedit apud Rubeum in Historia Ravennatum. At illud Rescriptum omnino falsum & supposititium esse ostendit Baronius *Tomo* 5. *pag.* 361. *editionis Romanæ* (8). Tum aliis de causis, tum quia non spectabat ad Im- (8)
peratorem Pallii usum largiri; quicquid in contrarium vir doctus scripserit, qui hoc non probat (9). Quod vero spectat ad Canonicas Conciliorum (9)
generalium sanctiones, nihil de eo sancitum legimus ante octavam Synodum adversus Photium, quæ de Pallio agit Can. 27. quia nimirum ejus concessio omnino pendet ab auctoritate Summi Pontificis, a quo etiam constituta fuit forma juramenti, quod Archiepiscopi, antequam illud accipiant, præstare tenentur. Græci *Omophorion*, & *Epomadion* vocant, ut Theodorus Balsamon docet *in respons. ad* 11. *quæst. Marci Alexandrini*. Differentia tamen ingens est inter Pallium Latinorum, & Græcorum Omophorion, sive Humerale, ut Latini interpretes vertunt: nam Latinum jam supra descripsimus, Græcum vero est longa fascia ejusdem cum Latino aut paulo majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum a collo per medium pectus infra genua descendens, Crucibus itidem intertexta (10). (10)
Olim usque ad pedes protendebatur, nam Zonaras (11) in vita Constan- (11)
tini Copronymi ait Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ Omophorion ejus calcasse, ut sic eum moneret, ne properaret. Aliud etiam discrimen inter utrumque reperitur, quod latinum solis Archiepiscopis tribuitur, Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt cum Evangelium legendum est, & reassumunt paulo ante communionem, ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de Templo, & Missa* (12). (12)
Plura de Pallio Franciscus Florens *ad tit. Decretalium de usu, & auctoritate pallii*, (ac ibidem juris Canonici Interpretes): & de Omophorio Græcorum Goar *in notis ad Euchologium pag.* 312. *num.* 8. Habertus *ad partem secundam Liturgiæ ordinum observat.* 3. & Morinus *de sacris ordinat. p.* 2. *in notis ad Græcas ordinat. num.* 19. ubi late ostendit inter Pallium Latinorum & Græcorum Omophorion magnum discrimen intercedere (13). (13)

Pallii Pontificalis Origo antiquissima.

Differentia ingens inter Pallium Latinorum, & Græcorum, quod Omophorion vocant.

(1)

(1) *Purpureis crucibus sunt insignitæ*) Ita Rabanus Maurus, & Innocentius III. Cur autem ita id scripserint Joseph Vicecomes lib. 4. cap. 7. de appar. Missæ, sibi persuadere non potest, cum non modo S. Gregorii Magni, inquit, imago, sed cæteræ omnes nigras cruces præferant; quare existimat Authores mox laudatos de eorum ætate locutos fuisse, cum alias liberum fuerit Cruces, sive nigras, sive purpureas pallio insuere. At Cruces pallii in Imagine S. Gregorii nigras fuisse, nescio, quis ante ipsum dixerit; dum id non prodat Joannes Diaconus in ejus vita. Quoad cæteras Romanorum Pontificum imagines, hallucinatur præclarus Author; etenim inter ipsas pleræque sunt, quæ Cruces rubeas in pallio præferunt, ita in musivo Paschalis Papæ I. ad S. Praxedem, ut ad Sanctam Cæciliam, Cruces pallii rubei coloris sunt, ut quisque videre potest. In musivo Basilicæ S. Mariæ Transtyberim imago Sancti Cornelii Papæ pallium habet cum Crucibus purpureis, quemadmodum & S. Calisti Papæ pallium quinque Crucibus purpureis insignitur. Denique Cruces rubeas pallio infixas antiquitus fuisse illustre testimonium reddit oculatus inspector sacrarum exuviarum S. Leonis Magni anno 1607. apud Bollandum Act. SS. Aprilis Tom. 2. pag. 21. *Remanserat*, inquit, *super humero dextro crux parva rubri coloris, quæ erat pallii Pontificalis*: His documentis constat antiquitus quidem Cruces purpureas fuisse, raro nigras, quæ postmodum receptæ sunt. Sæculo XIII. jam declinante pallii Pontificalis Cruces nigræ passim fuere, ac numero sex, cum quatuor, eæque rubeæ ab Innocentio III. itemque a Durando ejus exscriptore memorentur; etenim Nicolai Papæ IV. pallium in absida Basilicæ Lateranensis, & in alia Liberianæ Cruces nigras habet; nigræ pariter fuere Cruces pallii, quo Bonifacius VIII. sepulcro illatus est apud Bzovium anno 1303. nu. 9. Quare non est, cur nuperus scriptor miretur Eminentissimum nostrum scripsisse pallii fascias purpureis Crucibus insignitas esse; intelligendus enim de veteri, non de hodierno pallio post seculum XII. usitato, quod communiter Cruces nigras præfert.

Joseph Vicecomes notatur quoad Pallii Crucium colorem.

Pallii Archiepiscopalis Cruces antiquitus purpureæ, postea nigræ, uti nunc sunt, a seculo XIII.

(2) *Ad sola Missarum solemnia utatur.*) Hinc fortasse Rodulphus Hospinianus Calvinista argumentum sumpsit Histor. sacram. lib. 3. pag. 191. & 200. quo contendit usum pallii in Missa Pontificali sub Gregorio Magno primum obtinuisse. At mendax sectarius refellitur ex litteris Symmachi Papæ, qui integro seculo Gregorium præcessit, ad Theodorum Laureacensem Antistitem *super usu pallii* Epist. XI. Concil. Tom. 4. col. 1301. in quibus pallii honorem ei concedit in Missarum solemniis; notanda sunt Symmachi verba. *Diebus vitæ tuæ*, inquit, *pallii usum .... ab Apostolica Sede, sicut decuit, poposcisti, quod utpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ majorum more lubenter indulsimus ad ostendendum te &c. Majorum more*, ait, pallium ei concedere, quibus verbis profecto indicat pallii usum, ejusque largitionem non recentis, sed antiquissimi esse instituti. Cæsario item Arelatensi idem Symmachus pallium indulsit, quod neque ipse Basnagius diffitetur, sed ultro affirmat Annal. Politico-Eccles. ad ann. 594. num. 10. Præterea Vigilius Papa ann. 545. pallium Auxanio Arelatensi dedit, ejusque successorem an. 546. eodem pallio donavit. Demum ex toto S. Gregorii Epistolarum Regesto patet Ravennates Antistites, aliosque Metropolitas pallio ante ipsum Gregorium ex Sedis Apostolicæ concessione usos fuisse. Hæc satis ad Hospiniani deliria, quibus patet quam ridicule, quam stulte desipiat.

Pallii usum ante S. Gregorium Magnum obtinuisse contra Rod. Hospinianum ostenditur.

Redeo ad dictam Gregorii Epistolam Joanni Archiepiscopo Ravennati, ubi de pallii usu intra Missarum solemnia tantum, hæc ordinanda sunt. Inter Joannem hunc Romanum dictum, & Sanctum Gregorium Magnum nonnullæ quæstiones super pallii usum intercessere, uti ex Regesto Epistolarum Gregorii discitur. Et quidem Joannes iste non solum intra Missarum solemnia, sed insuper in Litaniis solemnibus quibuscumque extra Ecclesiam, istud Pontificale ornamentum gestare sibi licitum esse contendebat, quod & Marinianus ejus successor sibi competere ex antiqua suæ Ecclesiæ consuetudine affirmabat; cum scilicet ad Ravennæ Ecclesias Clero, populoque sociati procederent orationis causa; unde ea religione ducti, qua quisque honestus vir sui muneris decora, & jura tuetur, conati sunt, quantum quidem licebat, laudatum pallii usum extra Missarum solemnia retinere; S. Gregorius autem, qui difficillimis etiam temporibus Romanæ Ecclesiæ supremam authoritatem tuebatur, cujus Summo Pontifici tantum jus erat pallio semper, & ubique uti, idque agebat, ut una Ecclesiasticæ disciplinæ regula per totum Orbem vigeret; cumque in scriniis ejus rei afferendæ documenta non inveniret, monereturque id nequaquam consuevisse a Sanctæ Sedis responsalibus, impediendum censuit, at ne jus alteri fortasse quæsitum læderetur, multa, gravive moderatione idem Gregorius egit. Quare dicto Joanni (cujus alioquin pietas satis ipsi comperta erat, sicut & Mariniani, quemadmodum ex ipsius litteris constat) non sine cautela scripsit lib. 4. Ep. 11. indulgens, *ut donec subtilius, veriusque aliquid cognoscatur, in Litaniis solemnibus, idest die Natalitio Beati Joannis Baptistæ, & B. Petri Apostoli, & B. Apollinaris Martyris, in Ordinationis Episcopi celebratione pallio utatur. Reliquis festis*, præscribit, *ut in Secretario secundum morem pristinum Susceptis, ac dimissis Ecclesiæ filiis induere pallium debeat*. Atque ut cautius procederet, in alia ad eumdem Joannem Epistola 15. lib. 4. *Hac de re*, inquit, *jam Diacono nostro Constantinopolim scripsi, ut per omnes Metropolitanos, qui sub se etiam tricenos, & quadragenos Episcopos habent, inquirere debeat, & sicubi iste est, ut in litaniis cum Palliis ambulent, absit, ut per me Ravennatis Ecclesiæ honor in aliquo imminui videatur*.

Pallium extra Missarum solemnia ab Archiepiscopis non deferendum, nec extra Ecclesiam.

Quare non ita facile assentior Reverend. P. Abbati Bacchinio, qui in suo Agnelli Ravennatis Pontificali ad vitam hujus Joannis existi-

Cl. Abbas Bacchinius notatus.

existimat vere a Prædecessoribus Episcopis Ravennatibus pallium in Litaniis adhibitum fuisse; sed potius Christiano Lupo de Africanæ Ecclesiæ appellationibus cap. 9. contrarium asserenti, ac Emin. nostri sententiam confirmanti subscribo; quod videlicet Metropolitani veteres nunquam in Litaniis, sed ad Missarum solemnia tantum, & intra solam Ecclesiam pallium adhibuerint; cum S. Gregorius quoad Orientales cæteros non de Patriarchæ Constantinopolitani, quam ipse viderat, dum Constantinopoli S. R. E. Apocrysarius esset, sed de sola aliorum isthic Metropolitarum consuetudine dubitaverit; Et quoad Occidentales in suis adversus Ravennatum Episcoporum vanitatem Decretis constans semper permanserit.

Eadem, & perpetua consuetudo Pallium non extra Ecclesiam deferendi apud Orientales etiam observata.

(3) *Careat illo honore*) Constantem hanc, & perpetuam Ecclesiæ consuetudinem viguisse etiam apud Orientales diserte testatur Simeon Thessalonicensis in suo libro de Ordinationibus, ubi ait: *A principio Missæ, & in exaltatione Divini Panis, & in Ordinationibus, & in aliis sacris Mysteriis Episcopus Pallio semper ab humeris in orbem cingitur.* Porro de pallii, aliorumque ornamentorum forma medio ævo, vide Bollandi Propyl. ad Acta SS. Maii, seu Conatus Chron. Histor. part. 1. pag. 208. item Tom. 7. Maii circa finem in Paralipomenis pag. 94.

Excusantur Card. noster aliique cum eo eruditi quoad usum Pallii in Gallia solius Arelatensis Metropolitæ.

(4) *Solus Arelatensis in Gallia usu Pallii potiretur*) Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. 6. de Concordia Sacerdotii, & Imperii, ut suam de Gallicano pallio sententiam a Romano distincte firmaret, statuit Gregorii Magni temporibus solum Arelatensem Episcopum Pallium in Gallia gessisse. Eidem suffragantur Cardinalis noster, Petrus Cantelius in sua Metropolitanarum Urbium Historia Civili, & Ecclesiastica, aliique eruditi, sed eorum venia ipsis assentiri non possumus; Viennensem enim in Gallia Archiepiscopum pallio decoratum fuisse perspicue nos docet Vita Desiderii Viennensis Episcopi ab Authore coævo conscripta apud Henschenium, & Papebrochium ad diem 23. Maii Tom. 5. Act. SS. pag. 252., quam ipsi Clarissimi Viri videre non potuerunt, cum Tomus iste impressus fuerit an. 1681. post obitum Cardinalis nostri. Ibi hæc diserte leguntur; *quod autem literarum scientia affatim splenduerit, hinc ut prædixi, liquido comprobari potest, quod cum Archiepiscopus fastus ex more Romam misisset pro adipiscendo Sedis Apostolicæ Pallio, præfatus Papa Gregorius directa Epistola eum vehementer redarguit, quod Grammaticam quibusdam exponeret*: Quibus intelligimus Desiderium non primum fuisse Viennensis Urbis Episcopum, qui pallium ab Apostolica Sede petierit.

Etenim Viennensis pariter Archiepisc. Gregorii Magni tempore pallio donatus erat.

In hujus rei firmamentum adducit Christianus Lupus cap. 9. de Africæ appellationibus litteras Joannis III. Papæ ad Desiderii antecessorem Edaldum, in quibus hæc habentur: *venerabilis Pallii usum per Sanctum Presbyterum vestrum Felicem tibi destinavimus, nolentes privari antiquo Beati Petri munere*: extat Epistola apud Joannem a Bosco in Bibliotheca Floriacensi, quam non ignoramus Criticis videri suppositiam, quod firmari posset ipsius Gregorii Testimonio, qui lib. 7. ind. II. Epist. 15. hæc scribit ad eumdem Desiderium: *Fraternitatis vestræ desiderium Joannis Regionarii relatione cognovimus, quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de iis, quæ retulit, informati; inquit enim a vestra sibi relatum dilectione, quod Ecclesiæ vestræ olim quædam privilegia ab Apostolica Sede concessa sint, atque usum Pallii ejus Sacerdotes antiquitus habuisse. Quod quia vobis magnopere poscitis reformari; in Ecclesiæ nostræ scrinio requiri fecimus, & inveniri nihil potuit. Sed quoniam quanto studiosius ista cupitis adipisci, tanto vos arbitramur esse sollicitos in requirendis chartis Ecclesiæ vestræ, vigilantius curam impendite, & si quæ exinde inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ vestræ sit transmittere, nam qui nova concedimus, vetera libentissime reparamus*: Quod si Joannes Desiderii Antecessori Edaldo usum pallii concessisset, id profecto non ignorasset Gregorius; nec enim verosimile est Joannis Epistolam in Archiviis Ecclesiæ Romanæ non fuisse contentam.

Difficultatem abrumperet Lupi sententia, qui relatam Gregorii Epistolam non ad Viennensem, sed ad Thelonensem Desiderium scriptam autumat; at nullo, ni fallimur, fundamento, Thelonensis enim, sive Tholonensis Episcopus inter primos Arelatensis Metropolitæ suffraganeos ab antiquo legitur, nec ullibi eumdem pallio donatum reperisse hucusque obvenit. At vero inverosimile non apparet Joannis Epistolam ignotam fuisse Gregorio, nec eam in Archiviis Ecclesiæ Romanæ servatam; neque enim Gregorius Archiepiscopo Viennensi mandaret, ut inter Ecclesiæ suæ chartas authentica scripta requireret, quibus privilegia ab Apostolica Sede Prædecessoribus concessa probaret, nisi ea reperiri posse autumasset. Videtur autem Desiderius accepta Gregorii Epistola Joannis Literas Pontifici transmisisse; etenim id inquit Gregorius in alia ad eumdem Desiderium Epistola, qua ipsum arguit, quod Grammaticam edoceret, Regesti lib. 5. Epist. 48.

Petrus de Marca a Gravesonio jueremerito confutatus.

Redeo ad Petrum de Marca Parisiensem Antistitem, quem jueremerito percellit Clar. Amat de Graveson Hist. Eccles. Sæc. IX. Tom. 3. Colloquio 6. edit. Ven. pag. 202. „ Metropolitanæ, inquit, dignitatis insigne „ erat Pallium, quod ad Regum commen„ dationem Summi Pontifices ad Metropo„ litanos, & nonnumquam ad simplices Epi„ scopos in præmium meritorum mittere „ solebant. Falso itaque asserit Petrus de „ Marca Romanos Pontifices summam in „ mittendis palliis ad Episcopos Gallicanos „ adhibuisse curam, ut jus Metropoliticum, „ quod ad illos juxta vigorem Canonum „ pertinebat, oriri videretur a Vicariatu Sedis „ Apostolicæ, & ut iis novum jugum, no„ vamque servitutem imponerent, necessi„ tatem nimirum promittendi obedientiam „ Sedi Apostolicæ. Sic enim loquitur præ„ dictus Auctor *libro VI. de Concordia Sa„ cerdotii & Imperii cap. 6. Optabant sane „ olim Summi Pontifices, ut omnes Metropoli„ tani;*

,, *tani, qui ad eorum Patriarchatum pertine-* ,, *bant, aliquod confirmationis genus a Sede* ,, *Apostolica acciperent. Verum, quia ubique* ,, *receptum erat consecrationes fieri posse extra* ,, *Italiam absque eorum consensu, vim ei legi* ,, *palam adferre noluerunt; sed Metropolitanos* ,, *rei cujusdam novæ miraculo velut obstupescere-* ,, *runt, quæ in initio magnifica, paulatim tamen* ,, *antiquam eorum libertatem per cuniculos fre-* ,, *git, & Synodorum Provincialium auctorita-* ,, *tem pessumdedit. De Pallii usu loquor.* Id, ,, inquam, a Petro de Marca falso asseri ,, ex eo maxime liquet, quod tantum abest, ,, ut Summi Pontifices curam in mittendis ,, ad Gallicanos Præsules palliis adhibuerint, ,, ut potius ferventibus Regum precibus & ,, ardentibus Episcoporum votis inducerentur ,, tur ad usum pallii Episcopis concedendum. ,, Quod si Romani Pontifices per usum Pal- ,, lii novam servitutem Episcopis imponere ,, intendissent, omni procul dubio nec Reges ,, in gratiam Metropolitanorum suorum un- ,, quam illud Pallium a Romanis Pontifici- ,, bus postulassent; nec Metropolitani novam ,, & insolitam hanc servitutem sibi imponi ,, passi fuissent, nedum ambiissent. Promit- ,, tebant quidem Metropolitani, & Episcopi, ,, qui pallium obtinebant, obedientiam Ro- ,, mano Pontifici, utpote Christi Vicario, ,, sed nemo dixerit, hanc omni ævo præsti- ,, tam obedientiam appellari debere servitu- ,, tem, cum potius necessarium sit officium, ,, quo Metropolitani, & Episcopi sese juxta ,, sacros Canones exolvere debent, obedien- ,, do Romano Pontifici, ad quem ratione ,, sui Primatus, quem habet ex jure divino, ,, spectat Canones per universum Orbem ,, executioni mandare, eos, dum exigit Ec- ,, clesiæ necessitas, vel utilitas, moderari, ab ,, iis dispensare, eorumque infractores, ac ,, perduelles coercere, punire & in ordinem ,, redigere. Jure merito explodi itaque de- ,, bet hæc nova Petri de Marca Archipræsu- ,, lis Parisiensis opinio, quæ veritati contra- ,, ria est, & Rom. Pontificibus injuriosa. Hæc scite Clar. Ord. Præd. Sorbonicus Doctor, & Casanatensis Theologus, cui & in hac re prævit laudatus Christianus Lupus loco supradicto cap. 8. & seqq.

Memoria lapsus tantisper a vero excessit Card. Bona, non enim solus in Italia Ravennas Archiepiscopus Pallio donatus Gregorii ævo.

(5) *In Italia Ravennati.*) Videtur hoc loco, quod memoria lapsus tantisper a vero excesserit Eminentissimus Author; soli etenim Ravennati Episcopo in Italia pallium ab Apostolica Sede transmissum non fuit Gregorii Magni temporibus, siquidem Mediolanensem Antisthitem item Pallio eodem ævo jam fuisse donatum, docet ipse Gregorius lib. 4. Epist. I. ad Constantium Mediolanensem Episcopum, cui pallium ex more transmisit: *pallium*, inquit, *ad sacra Missarum solemnia utendum ex more transmisimus*: notandum, *ex more*, quod indicat inveteratam consuetudinem; ac proinde non jam seculo sexto, quo S. Gregorius vivebat, sed longe antea tempore pallii usum Mediolanensi Ecclesiæ concessum. Vide quæ in hanc rem scribit eruditus P. Eustachius a Sancto Ubaldo Ordinis S. Augustini Excalceat. in sua Dissertatione peculiari de Metropoli Mediolanensi Sect. III. cap. 13. pag. 265. num. 330. circa finem. Hinc etiam ex supradictis in hac, & antecedenti note patet, quod subindicatus item a Cardinali nostro (Petrus de Marca loco supracit.) Gallicanum pallium a Romano distinguens, nulla conjectura fulciri valeat; cum & Christianus Lupus de Africanæ Ecclesiæ appellationibus cap. 9. pag. 185. & seqq. eam sententiam docte, & erudite refellat.

(6) *Syagrio Episcopo Augustodunensi*) Hujus etiam merita celebrat Epist. 3. & duabus seqq. lib. 7.

Mutata Pallii forma circa seculi decimi initia.

(7) *Marco antiquiorem putat*) Mutatam pallii formam circa seculi decimi initia apud Latinos, qui antea eodem, quo Græci, Omophorio utebantur, satis constat. Baronius veterem pallii figuram sibi haud plene compertam ait ad an. 336. n. 63. ubi pallium vetus cum phrygio, capitis videlicet ornamento confundit; at ex Ravennatis Ecclesiæ monumentis docemur a Theodorici fere temporibus usque ad Gregorii Magni ævum eadem forma pallium perseverasse. Extat Ravennæ in celeberrima Sancti Vitalis Basilica duplex musivum opus, in quorum uno Ecclesius Episcopus cum Basilicæ Ortographia visitur, alterum Maximinianum item Episcopum exprimit Imperatori Justiniano proximum, cum utriusque cultu, vestibusque solemnibus; pallium uterque ejusdem figuræ gerit. Hujus musivi operis exemplar exhibet Doctissimus Abbas Bacchinius sæpe citatus Tom. I. Agnelli Ravenn. pag. 308. Ex his figuris cernitur, quid Dupli nomine intelligat Agnellus, & veteris pallii forma dignoscitur. Duplum Casule est a frequentibus plicis, rugisque ita vocata, eas etenim fieri necesse erat cum Sacerdos manus quoquo modo extrahere, vel movere voluisset. Hinc [illegible], [illegible] in Glossis Græco-Barbaris rugam, plicamque significare sentit Ducangius in Glossario Græcitatis, & eadem ratione dictam putat Bacchinius [illegible], seu lænam, aut potius penulam [illegible] nomine, non quod duplex esset, sed quia plicis, rugisque abundaret cum usui erat. Pallii autem figura in signatis iconibus eadem est, ac ejus, quod Magnum Gregorium gestasse novimus ex Joannis Diaconi descriptione in ejus vita lib. 4. cap. 84. *Utebatur*, inquit, *pallio mediocri, a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine non per medium corporis, sed ex latere, sinistro videlicet, pendet*: Eadem pariter pallii figura conspicitur in Sacello, quod olim a S. Paulo I. Pontifice octavo seculo contructum dicitur ad crepidinem Palatini montis, ubi nonnullæ figuræ visuntur cum pallio ejusdem formæ, quam descripsimus.

Duplum quid apud Agnellum Ravennatem.

Cæterum pallii antiquitatem longe esse certiorem, ac manifestiorem in Orientali Ecclesia, quam in Occidentali affirmat mox commemoratus Lupus cap. 13. de Africanæ Eccl. Romanis Appell. ,, Etenim quod S. Marcus ,, primus Alexandrinorum Patriarcha, inquit, ,, pal-

„ pallium gesserit, ac ipsum suis Successoribus gerendum tradiderit, ac reliquerit, „ supra audivimus a Liberato Diacono; & „ ejus irrefragabilem authoritatem confir- „ mat in litteris ad S. Cyrillum ibidem Pa- „ triacham S. Isidorus Pelusiotes ejusdem „ Ecclesiæ Presbyter, lib. 1. Epist. 370. *Fi-* „ *lius tuus sum, quippe qui magni illius Mar-* „ *ci speciem atque habitum præferas*. Græcus „ textus habet, quod magnum illum Mar- „ cum Schematizes; hoc est, imiteris, ac „ repræsentes per eumdem ejus habitum, „ utique per Episcopale pallium. Æque „ firma testimonia adduxi etiam pro pallio „ S. Jacobi Apostoli primi Episcopi apud Hie- „ rosolymam. Ita Christ. Lupus; at hæc, cum eximii Doctoris venia, allata pro antiquiori præ Latinis Græcorum pallio argumenta non adeo certam fidem, ut ipse autumat, mereri videntur; etenim S. Marci Evangelistæ temporibus, sicuti Patriarchæ, Metropolitæ, & Archiepiscopi vocabula adhuc ignota erant, cum multo post sequiori ævo audiri cœperint, ita & superhumeralis, scilicet Omophorii, Polistaurii, aliorumque hujusmodi sacrorum indumentorum, quibus insigniores Antistites amiciuntur, nomina olim primis tribus Ecclesiæ seculis inaudita fuere, quæ postea Christiano Orbe in pace composito ad majorem religionis decus, & majestatem inducta sunt. Pallii quidem meminit Isidorus Pelusiotes præfatus dicta Epist. ad Herminium, at seculi quinti scriptor est, & quia fusius differit de ejus usu, ac mystica ratione, ex eo ipso haud perperam existimaverim non multo ante illum tempore invectum fuisse. Ejusdem porro pallii usum in Occidente nedum a Sancto Marco Papa, qui illud Episcopo Ostiensi tribuit, sed multo ante cœpisse, sunt qui autumant. Legendus hac de re Joannes Azorius Tom. 2. par. 2. lib. 3. cap. 34. §. *Porro*, Rupertum Abbatem Tuitiensem sequens, quem antiquissimum Authorem oscitanter vocat Nuperus Scriptor defensionis primatus Ecclesiæ Toletanæ, cum sit Author seculi duodecimi, cujus etiam sententiæ hic adhæret: *Rupertus*, inquit, *lib. 1. de Div. Offic. cap. 27. scribit: Maternum a S. Petro missum Trevirensi Ecclesiæ hæreditatem pallii suis Successoribus reliquisse*. Sed id intelligendum de honore postea consequendo, non de jam tunc acquisito, nemo non videt. Alii, inter quos Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium de Vitis Pontificum in S. Clemente I. Papa, & Mart. hunc ipsum Pontificem pallii Archiepiscopalis institutorem pronunciat his verbis: *Romanus Pontifex renuntiatus Historicorum aliquorum testimonio lege sancivit sacrum vestium usum in Missæ Sacrificio, Episcopos Pedo sacro, Amictu, Sandalibus, & Chirothecis ornavit, Archiepiscopos item pallio*. Verum ex quibus antiquis Scriptoribus hæc desumpserit Oldoinus, ipse non profert. Jam satis supra examinatum est qualis, & quantæ antiquitatis sint hæc sacra Pontificum ornamenta, quæ procedente tempore post persecutiones in Ecclesia ad majorem Christiani nominis decorationem introducta sunt. Alii

Pallii usum in Ecclesia Latina ante Marcum Papam cœpisse sunt qui autumant. Variæ hac de re scriptorum sententiæ.

denique pallii prærogativam Silvestro Papæ a Constantino Magno tunc demum concessam volunt; unde ad cæteros Patriarchas, & Archiepiscopos profluxerit. Ea tamen longe probabilior videtur sententia, quæ pallii originem divisioni Provinciarum Ecclesiasticarum asserit, eo maxime tempore, quo Sacerdotes a Diaconis, a Sacerdotibus Episcopi, atque inter ipsos qui primas obtinebant, vestibus distingui cœperunt; neque enim aliud ornamenti genus, præter pallium, occurrere videtur, quo Episcopi inter se discernerentur.

Probabilior eorum sententia, quæ Pallii originem divisioni Provinciarum tribuit.

Ad Summum vero Pontificem solum, ut dictum est, spectat pallium concedere, quod de corpore S. Petri sumi solet; hæc autem disciplina in sequioribus seculis obtinuisse conspicitur. Etenim licet inter decreta Sancto Damaso Papæ tributa illud legatur apud Concil. General. Editores in ordine 5., & ultimum de Metropolitanis, qui pallium expetere negligunt, videlicet: *Quoniam quidem Metropolitanorum &c.*, uti in Labbei Concil. Tom. 2. pag. 885. quod Decretum Damaso quidem ab Anselmo Lucensi lib. 6. cap. 80. Burcardo lib. 1. cap. 25. Gregorio Presbytero in Polycarpi lib. 2. tit. 10., & Panormiæ Authore lib. 3. cap. 11. adscribitur: Ivo tamen Carnot. par. 3. c. 136. ac Gratianus dist. 100. cap. 1. quibus concinit Innocentius III. lib. 1. Epist. 117. ad Bituricensem Episcopum, illud Pelagio attribuunt. Verum neque Damaso, neque Pelagio I. aut II. congruere videtur, utpote quo ostenditur disciplina octavo seculo inducta, uti colligere est ex Concilio Svessionensi, cui S. Bonifacius Episcopus Moguntinus interfuit, & præfuit anno 742., & de quo Epist. 105. ad Cuthbertum in Anglia Episcopum ipse scribit: *Decrevimus nostro Synodali conventu, & confessi sumus Fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus servare, Sancto Petro, & Vicariis ejus velle subjici, Metropolitanos pallia ab ipsa Sede quærere*: Ex quo ulterius roboratur, & confirmatur id, quod optime contra Petrum de Marca lib. 6. de Concordia Sacerd. & Imperii cap. 6. (cui adjungendus ipsius affecla, & propugnator Stephanus Baluzius in Præfat. ad Antonii August. Dialog. de Emend. Gratiani num. 8.) ac Cellotium scribit supra laudatus Doctor Hiacynthus de Gravesom in sua Hist. Eccles. Tom. 3. Edit. Venetæ loco jam indicato; siquidem Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus seculo integro, & amplius præcessit Nicolaum Papam, ex quo illi hoc jugum, ut ajunt, Metropolitanis impositum fluxisse autumant. Hinc melius judicarunt novissimi Editores Gratiani admonentes pro eo quod in fronte memorati decreti obtinet *Pelagius Papa*, in duobus Codicibus Vaticanis haberi Joannes VIII. ex Concil. III. apud Ravennam. Nec quisquam inficias ierit, illud apte convenire in tempora hujus Papæ, quem item Gratianus dicta dist. 100. cap. 4. laudat, ut Wiliberto Episcopo Agrippinensi sic scribentem: *Optatum tibi Pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus*: atque

hic

hic observandum, quod omnes Metropolitani etiam Zachariæ Papæ ævo, antequam pallium obtinerent, prius Apostolicæ Sedi fidem suam exponere consueverint, prout ex ipsius Zachariæ Papæ Epist. 4. ad Bonifacium, in qua sic scribit: *qualiter enim mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi, qui pallio uti conceduntur, eis direximus.*

Valentiniani rescriptum omnino falsū, & suppositituū.

(8) *Baronius tom. 5. Edit. Rom.*) Plura ad explodendum commentitium hoc Valentiniani rescriptum congerit Purpuratus Annalista loco indicato a num. 91. usque ad finem, sed præstat ultimum palmare argumentum præ cæteris selectis adferre „ Quonam „ modo, *inquit*, potuerunt ab eodem Imperatore hoc tempore tot ei (Ravennatensi „ Metropoliticæ Sedi) esse concessæ Ecclesiæ, „ quæ in dicto privilegio nominantur, cum ex „ iis nonnullas etiam sub S. Leone Rom. Pont. „ constet fuisse sub Archiepiscopatu Mediolanensis Ecclesiæ constitutas? Etenim cum „ ex præcepto ejusdem S. Leonis cogeret Eusebius Mediolanensis Archiepiscopus ex sibi „ subjectis Episcopis Provinciale Concilium, „ certum est ad illud convenisse, atque eidem „ subscripsisse inter alios Episcopum Regiensem, Episcopum Placentinum, & Brivillensem, qui in dicto Rescripto nominantur inter Episcopos Ravennati Ecclesiæ addictos. „ Extat quidem de his Epistola Synodalis omnium comprovincialium Episcoporum subscriptionibus consignata, atque typis excussa post numeratas quinquaginta duas ejusdem S. Leonis Epistolas, *& post pauca subdit*: Nihil ob id detractum esse nobilissimæ „ Ecclesiæ Ravennati, si spuriis exsufflatis, „ ipse purus demonstratus est fons primarius, „ unde in eam, ut Archiepiscopali Sede sit insignita, & sacro dotata Pallio, privilegia „ effluxere, nempe ab ipsa Romana Ecclesia, „ a qua & reliqui Metropolitani se id juris „ consecutos esse congaudent. „ Hæc Card. Baronius, cui subscribunt Sirmondus Prorempt. lib. 2. cap. 8. Schelestratius antiq. Eccles. dissert. 4. cap. 5. num. 7. Card. Norisius dissert. hist. de Synodo v. cap. 10., & Christianus Lupus Schol. in Concil. tom. 5. ad Conc. VII. Rom. sub Gregorio VII. pag. 475., cujus hæc verba sunt: *S. Leo* Magnus ad Valentiniani III. *Imperiales preces Ravennam, quod Regia tunc esset Civitas, evehens in Ecclesiasticam Metropolim*, quod & confirmat dissert. de Romana Episcoporum Consecratione p. 808., sed de hac re iterum nota sequenti.

(9) *Vir doctus scripserit, qui hoc non probat*). Contrarium enim evidenter ostendit laudatus Christianus Lupus dissert. 2. de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellat. cap. 7. pag. 445., & toto cap. 8. Sane Commentum hoc, Ravennatem barbarum, ineptumque Scriptorem noni seculi, ac Romanæ dignitatis hostem secutus ebibit, ex quo etiam Blondus, & Sabellicus, aliique mutuati sunt, & Agnello ipso fortasse non lecto, non dubitaverunt asserere eruditorum nonnulli. Petrus de Marca Concord. Sacerd., & Imperii lib. 6. cap. 6. n. 11. Baronio ultro concedens prædictum Valentiniani diploma omnino *suppositititum*, & *egregie confutatum ab Illustrissimo Cardinali, in eo tamen*, inquit, *cogor a Baronio dissentiri, quod enixe contendat Pallium Episcopo tribui non posse ab Imperatore, eo quod indumentum sit Ecclesiasticum*. Concessum insuper Pallium Episcopis ab imperiali potestate, prout quoddam quasi paludamentum, & profanum ornamentum contendunt plerique; Hos inter Marcus Paulus Leo Romanus Soc. Jesu lib. de authoritate, & usu Pallii Pontificii, quem Romæ edidit an. 1649. cap. 1. num. 12. *quod Pallium*, ait, *prout est dignitatis signum, & ornamentum, comprehendat etiam ornamenta profana, observavit Gretserus ad Codinum ex Turcogræcia, dum asserit Pallium fuisse concessum Patriarchis, & Episcopis, ut de Anthimo Constantinopolitano affirmat Liberatus in suo Breviario cap. 21., & Valentinianum III. ad instar Imperatoris concessisse Pallium Ravennati Archiepiscopo asserit Carolus a Sancto Paulo Abbas Fulensis in sua Geographia sacra lib. 9. de Patriarchatu Constantinopolitano.*

Concessum Episcopis pallium ab Imperiali potestate contendunt nonnulli.

His adstipulatur Ferdinandus Ughellus in Episcopis Ravennæ ad S. Joannem cognomento Angeloptum, qui ante, & post suppositium Valentiniani rescriptum eadem, quæ Rubeus dixerat, recantat. Verum quod ex Agnello ab his profertur de collato Pallio per Valentinianum Augustum, & Metropolis erectione, subjectis duodecim Episcopis dicto Joanni Angelopto, commentum esse facile demonstratur; nullo siquidem modo esse potest id, quod de his scripsit ille, si componatur cum narratis in vita S. Petri Chrysologi Joannis prædicti immediati Successoris, qui nutu divino a Pontifice Romano Ravennæ Episcopus consecratus fuit, reluctantibus licet Ravennatum Proceribus, qui alterum elegerant, editoque electionis decreto Romam venerant, confirmationem, & electi consecrationem petentes. Nil hic Agnellus de Valentiniani authoritate, qui si recens Metropolim fundasset, & Pallium Joanni tradidisset, aliquid etiam juris vindicasset sibi in tuenda priori electione, & independenti Petri Chrysologi per Pontificem facta invitis Ravennatibus consecratione, sibi jus quæsitum asseruisset, intercedendo, palliumque novo electo tradendo. Plura alia hujus rei argumenta profert eruditissimus Abbas Bacchinius in præfat. ad Agnelli ejusdem Historiam Pontificalem pag. 20. n. XII. & seq., ac de Ecclesiast. Hierarchiæ originibus parte 3. pag. 378., & seqq., quibus luculentissime ostendit ab Agnello tradita de Pallio per Imperatorem Archiepiscopis concesso purum, putumque commentum, & anilem fabulam esse, quibus abunde confirmantur, quæ ad hunc locum observat Eminentissimus Author.

At nullo fundamento, quod subsistat, id asseri comprobatur.

(10) *Crucibus itidem intertexta.*) Ita illud describunt Simeon Thessalonicen. de Templo cap. 7. apud Morinum, & ipse Morinus in annotationibus ad Græcorum ordinationes num. 19.

(11) *Usque ad pedes protendebatur, nam Zonaras &c.*) Ita ante Eminentissimum nostrum Petrus de Marca Archiepiscopus Paris. in suo Opere de Concordia Sacerd., & Imperii lib. 6. cap. 6., ubi de Pallio, ex quo fortasse hæc & nonnulla antedicta hausisse videtur Eminentissimus

Card. Bona excusatus quod Petro de Marca adhæserit, & non Lupo.

nentiffimus Author. Verum fi amiciffimo fuo Chriftiano Lupo fuperftes, ejus Differtationem de Africanæ Ecclefiæ appellationibus, cum aliis duobus de eadem materia ab ipfo expoft an. 1681. editam videre potuiffet, in qua dictum Archiepifcopum pluribus in locis errantem oftendit: fpeciatim quoad Pallii Græcorum defcriptionem, & Zonaræ interpretationem, eidem utique Lupo lubentius, quam Petro de Marca adhæfiffet. Et primo conftans, ac certum eft, ut fupra Eminentiffimus Author notat, ex Gregorio Magno, & Symeone Theffalonicenfi, tam Occidentis, quam Orientis Ecclefiarum Archiepifcopos *ad Miffarum folummodo folemnia, & intra Ecclefiam*, non extra ipfam Pallio uti. At vero Anaftafius Syncellus S. Germani veftem calcavit extra Ecclefiam, ut optime probat Lupus loco citato teftimonium proferens ex Cedreno, ait ille ibi: *aliquando Germani in regiam euntis ftolæ oram Anaftafius calcavit*: etiam in Græco textu eft Stola, non Omophorion, ftola autem erat veftis manicata talaris, fluens ufque ad terram, uti etiam fupra n. 6. Eminentiffimus nofter oftendit. Ea utuntur etiam hodie Græcorum Epifcopi. Zonaras igitur fcribens Anaftafium calcaffe Sancti Germani Omophorion, vocem large accipit pro quavis vefte humerali; non pro Pallio; unde & Latinus interpres apud dictum Lupum, tranftulit: *cum aliquando Germanum a tergo fequeretur Anaftafius, & veftem ejus pedibus calcaffet*.

Iterum oftenditur pallium non extra Ecclefiam, fed intra, & ad Miffarum folemnia tantum delatum.

(12) *Ut docet Simeon Theffalonicenfis lib. de Templo, & Miffa*). Græcis Epifcopis commune effe Pallium, docet prædictus Simeon Theffalonicenfis ab Eminentiffimo Authore allatus; id autem privilegium a Joanne Papa XI. malis artibus extortum in gratiam Conftantinopolitani Patriarchæ narrat Luitprandus lib. 3. de Rebus Europæ fui temporis cap. 12. apud Duchefnium tom. 3. Hift. Franc. pag. 598., & in Legatione 11. Conftantinopolitana ad Nicephorum Phocam, nomine Othonis I., quæ extat apud Baron. ad ann. 968. num. 85., & inter Scriptores Rerum Italicarum Muratorii tom. 2. pag. 488., ubi hæc habet: „ Cum Romanus Orientis Imperator filium fuum Theophylactum Eunuchum Patriarcham Conftantinopolitanum conftituiffet, miffis ad Albericum Romæ Tyrannum muneribus fatis magnis effecit, ut ille a Joanne Pontifice, quem velut fervum in conclavi detinebat, privilegium extorqueret, quo tum ipfi Theophylacto, tum Succefforibus Patriarchis Conftantinopolitanis abfque Romani Pontificis authoritate Palliis uti liceret, quod antea inauditum. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non folum Patriarchæ, fed etiam Epifcopi totius Græciæ Palliis utantur. Quod quam abfurdum fit, cenfore opus non eft. Hæc Luitprandus, qui eodem fæculo decimo, quo Joannes Papa vixit, ac quæ iis temporibus vidit, & audivit, fcripto tradidit, cui proinde magis credendum, quam Simeoni Theffalonicenfi ineuntis decimiquinti fæculi Scriptori. Hinc videant Græci Epifcopi, quo jure Pallio utantur; quod enim ab initio vitiofum eft, nulla temporis duratione fanatur.

Pallium Græcis omnibus Epifcopis tantum, licet non Archiepifcopis commune.

Quod privilegium ab ipfis extortum afferitur.

(13) *Magnum difcrimen intercedere.*) Poft hos fufe de Pallio fcripferunt Petrus de Marca Archiepifcopus Parifienfis, cujus opus de Concordia Sacerdotii, & Imperii edidit Baluzius, qui & ipfe de Pallio in fuis annotationibus egit; Carolus Dufrefnius in Gloffario, cui & plura in noviffima editione adjecta funt a Monachis Congr. S. Mauri; Joannes Garnerius Soc. Jefu, ac præcipue Nicolaus Brailloneus Cong. Oratorii Presbyter, qui fingularem de Pallio Archiepifcopali tractatum an. 1648. typis edidit. Noviffime Theodoricus Ruinart differt. de Pallio tom. 2. Oper. Pofthum. ejufdem, & Mabillonii. Ex quibus aliifque nonnulla hic delibare liceat, ac myfticas aliquot Pallii fignificationes breviter indicare. Et quidem Amalarius Fortunatus, ac alius Author, qui fub Alcuini nomine vulgo circumfertur, aliique Myftici Scriptores, Pallium appellaverunt *torquem*, quem legitime certantes accipere confueverunt. Addit Amalarius lib. 2. de Ecclefiaftic. Officiis cap. 23. duas lineas Pallii, quæ ante, & retro funt, fignificare doctrinæ decorem, mandatorumque difciplinam, quæ circa Archiepifcopi collum circulo conjunctæ funt, ut non fit alius fermo prædicatoris & aliud opus prædicationis. Rabanus Maurus, qui eodem tempore ac Amalarius floruit, ait lib. 1. de Inftitutione Clericorum cap. 23. in Pallio Crucis fignaculum exprimi purpureo colore, ut ipfo indutus Pontifex a tergo, & pectore crucem habeat, de Paffione Domini cogitet, ac populo hoc ipfum fuæ Redemptionis fignum demonftrare palam valeat. Bruno Signienfis Epifcopus fufior eft in Pallii figura, & materia definienda in Tract. de Sacram. Ecclefiæ, & Myfteriis. Honorius vero Auguftodunenfis ideo ait portari Pallium inter Miffarum folemnia, quia in eo enitent maxime myfteria Paffionis, quæ omnia fufius in fuo libro de Gemma Animæ exponit.

Indicantur Authores, qui de Pallio fcripferunt, & ejufdem Pallii fignificationes.

Familiare infuper apud Græcos fuit ovem errantem, quam Dominus humeris impofitam ad gregem reportavit, per Pallium defignare. Euftachius, qui res geftas Eutychii Conftantinopolitani Patriarchæ fcripfit, ipfum Pallio decoratum exprimit his verbis: *Ovis errantis typum fuper humeros tollit*: prout videre eft apud Baronium Annal. tom. 7. ad ann. 553.. Hanc eamdem myfticam Pallii fignificationem ufurpavit Clemens II. Papa, qui ex lanea Pallii materia, quæ jam ipfius ævo in ufu erat, fic loquitur fcribens Joanni Epifcopo Salernitano apud Baronium ad an. 1047. *Archiepifcopali Pallio noftra Apoftolica manu dilectionem veftram infignivimus .... in quo, quia de vellere ovis eft, intellige te ovium Paftorem, & quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, agnofcas, & undique circumfpicias, ne aliqua erret, & in morfus incidat luporum; quod fi aliquando, quod abfit, contigerit, eam habeas, ad caulam reportare, & priftinæ focietati coadunare.*

Aliæ apud Græcos Pallii myfticæ fignificationes defcribuntur.

Hinc adnotandum eft, quod Archiepifcopi Pallio fepeliri folent, quia ovium fibi fubditarum Animas coram Deo repræfentare debent. Immo & fi quis ex una Metropoli ad aliam fortaffis translatus fuerit, cum utroque Pallio fepelitur, ut fciat fe de utraque Eccle-

Archiepifcopi cum Pallio fepeliri folitı.

sia

sia supremo Judici rationem fore redditurum. Sepeliuntur autem Archiepiscopi cum Pallio, aut Palliis super humeros impositis, si in propria Provincia, subtus autem caput in aliena, ubi nullum debent jurisdictionis signum habere. Denique Innocentius III. vere summus, & maximus Pontifex, ita fuse, ac dilucide omnes Pallii mysticas significationes exposuit, ut necessarium non sit ad aliorum scripta recurrere, & videre est lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 63. Omnium vero, qui de Pallio Pontificali scripserunt, postremus eruditissime disserit Dominicus Georgius de Liturgia Romanorum Pontificum lib. 1. cap. 25. num. 4. & seqq., ubi de ejusdem forma, colore, ac varietate plura congerit.

APPENDIX AD HUNC §. XVI.

Quid sit rationale aliquibus Episcopis ab Apostolica Sede concessum.

Apud nonnullos præter Pallium, de quo hucusque plura diximus, legitur & Rationale aliquibus Episcopis ab Apostolica Sede concessum, vestis scilicet, vel ornamentum, quod ii volunt a Pallio diversum; sed cujusmodi fuerit, hactenus incertum. Menardus ad lib. Sacramentorum Gregorii Magni, ait: *esse ornamentum quoddam pectorale ad similitudinem illius, quo utebantur olim legales Sacerdotes*, sed hæc nihil declarant. Multus est Gretzerus in Observ. ad Philippum Eystetensem c. 16. in disquirendo, quid sit Pontificium Rationale nuperum, eoque ferme concedit, ut quidpiam affine Pallio Archiepiscopali fuisse existimet, cujus usus aliquot Episcopis a summis Pontificibus indultus legitur. Sane diligenter re expensa recte statuit doctissimus Cangius in suo Gloss. verbo *Rationale* hoc nihil aliud fuisse, quam Pallium, atque in hanc sententiam intelligendum esse Ivonem Carnotensem Serm. 3. de Significationibus indumentorum, qui de Sacerdotum veteris Legis Rationali verba faciens, subdit: *Hic ornatus solius erat Pontificis, sicut & nunc est apud eos, quibus eo uti concessum est propter distantiam majorum, & minorum Sacerdotum*, & infra: *Novi quoque Testamenti Sacerdotes non omnibus illis utuntur indumentis, quia nec duabus utuntur tunicis, nec Rationali præter solos Pontifices*. Rationalis usus certis diebus tantum concedebatur. Liquet id ex Diplomate Innocentii II. anno 1136. Adalberoni II. Leodiensi Episcopo, quod refert Joannes Chapeavillus in Gestis Pontif. Leodien. tom. 2. pag. 99. ad cap. 40. Chron. Ægydii Aureæ-Vallis, ubi hæc habentur: *Et quoniam eamquam Aaron ad Pontificalis dignitatis fastigium divina gratia te vocatum esse confidimus, & loco Moysi ad regendum Christianum Populum per Dei providentiam es constitutus, eorum quoque dignitatis te participem constituimus, & usum Rationalis, postquam in Episcopum consecratus fueris, personæ tuæ concedimus, statuentes, ut eodem sacro ornamento infra Ecclesiam dumtaxat his diebus utaris, qui in præsentis scripti serie præscribuntur, idest Cœna Domini, Pascha, Ascensione, &c.*

Aliis quoque Ecclesiis nempe Eystetensi, Salisburgensi apud Canisium Antiq. Lect. Antissiodorensi in Hist. illius Ecclesiæ Episc. cap. 49. Rationalis usus permissus legitur. Lucius porro III. Pallium memorans, *Rationalis* vocabulo utitur, nam in Diplomate dato A. D. 1182. Guillelmo Archiepiscopo Montisregalis in Sicilia super usu Pallii, inter cætera hæc monet apud Hist. Ecclesiæ Montisregalis in Append. *Document. pag.* 42., & apud Margarinum in Bullario Cassinensi Tom. 2. pag. 199. *Fulgeat in pectore tuo Rationale judicii cum Superhumeralis notione conjunctum*. Quæ verba repetuntur a Clemente III. in Diplomate eidem dato A. D. 1188., ac item in Diplomate Innocentii III. A. D. 1198. Clare præterea *Rationale* dicitur in versibus præfixis Chronico Mindensi ab Henrico Meibomio juniore vulgato:

Et hoc Templum consecratur a Leone, & ditatur multis privilegiis.
Nam hic Præsul honoratur Mindensis, qui vocitatur dignitate Pallii.
Quod bene Rationale vocamus, & hoc non male, &c.

Omnium autem Episcoporum fuisse Rationale videtur innuere Missa vetus ex Codice Ratoldi Abbatis Corbejensis de Episcopo sacra facturo die Paschatis: *Postea ministretur ei casula, tandem vero Rationale cohærens junctim superhumerali*: quo spectant ista ex Ivone Carnotensi præfato loco superius expresso, *sunt autem ad invicem concatenata Rationale, & Humerale, quia cohærere sibi invicem debent ratio, & opera*; ex his sane nihil aliud fuisse videtur Rationale istud Episcopale, quam Pallium; Bruno siquidem Signiensis Episcopus de vestibus Episcopalibus inter cætera sic ait: *Restat igitur, ut de Pallio dicamus, per quod simul utrumque & Superhumerale, & Rationale significatur. Quia enim supra utrumque Pontificis humerum jacet, Superhumerale dicitur: quod vero inde descendens in ipso Pontificis pectore jungitur, Rationale dicitur. Habebat enim Aaron Superhumerale, quod quidem usque ad humerum extendebatur: Rationale vero quadrangulum erat, & duplex, sicut & Pallium duplex est. Habebant enim mensuram palmi, tam in latitudine, quæ mensura Pontificis pectori ornando, vel operiendo sufficeret. Habet igitur Pallium eamdem cum Superhumerali, ac Rationali significationem, quamvis eamdem non habeat compositionem*. Habetur in Missa ab Illyrico edita hæc oratio ad *Rationale*, cum scilicet illud induit Episcopus sacra facturus: *Da nobis Domine virtutem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire*.

Rationale ferme unum & idem ac Pallium esse videtur.

Theodoricus Ruinartius in sua Dissertatione de Pallio Archiepiscopali Tom. 2. Oper. posthum. Mabillonii pag. 452. duplex Pallium cum Petro de Marca, de quo supra, & apud Christ. Lupum de Africanæ Eccles. Romanis Appell. cap. 9. distinguens Romanum scilicet & Gallicanum, Pallium hoc Gallicanum idem esse censet cum Rationali, quod post Marlotum Tom. 2. Metrop. Rhemensis lib. 3. sic describit ibidem pag. 454. ex veteri Catalogo ornamentorum Pontificalium Eccl. Rhemensis, ut ex ea descriptione possit quisque advertere quam proxime accedat istud Rationale ad dictum Pallium Archiepiscopale. Duplex itaque hujusmodi Superhumerale Pontificis ornamentum constituit ibi-

dem ex eodem, *Aliud*, inquit, *est unum magnum, & pretiosum Rationale de panno aureo, &c. Item aliud Rationale parvum de auro cum catena aurea &c.* Illud magnum & pretiosum in solis majoribus solemnitatibus adhibitum fuisse eidem Ruinartio certum videtur: aliud vero minoris pretii singulis diebus ab Archiepiscopis sacra facientibus; his enim non erat licitum *sine Pallio Missas dicere* ex Concilio Matisconensi I. an. 582. can. 6. Quare si Rationale istud Gallicanum appellatum vere Pallium non fuit, ut idem observat Ruinartius, ipsum tamen Pallii locum obtinuisse verosimillimum est, utpote quod eodem prorsus modo, ac nunc Pallium, in Missa gerebatur super alia Pontificalia indumenta. Plura item, & alia de hoc Rationali profert ibidem laudatus Ruinartius, quæ apud ipsum videre poterit curiosus Lector. Cæterum Archiepiscopale Pallium cum Rationali comparant etiam Bruno Signiensis lib. de vestibus Episcop., & Scriptor Historiæ Episcoporum Antissiod. cap. 49.

§. XVII.

De Vestibus Ministrorum, ac primum de Cappa, sive Pluviali. (1). (1)

HActenus de vestibus celebrantium, sive in primo, sive in secundo Sacerdotio constituti sint. Quia vero Ministris rem divinam solemni ritu facienti assistentibus, Presbyteris videlicet, Diaconis, Subdiaconis, & Clericis specialia quoque indumenta assignata sunt, de his breviter agendum est. Ordo Romanus agens de ordine Processionis, quando Episcopus celebraturus est, *Duo*, inquit, *Presbyteri, ita ut ad Missam, excepto quod Cappis induti sunt, vestiti ministrent ei*. Est autem Cappa prout sumitur hoc loco, vestis Ecclesiastica a sola parte anteriori aperta, ab humeris usque ad pedes protensa, quam recentiores Pluviale vocant, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius *lib. 1. de re vestiaria cap.* 39. suspicatur. Et hinc forte emanavit, ut a parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod caputium vocamus, cujus quædam forma, seu vestigium in hodiernis Pluvialibus remansit. Silent de hoc indumento veteres rerum Ecclesiasticarum Scriptores; ejus tamen usum antiquitus viguisse Ordo Romanus evincit, cui suffragantur Lanfrancus *epist.* 13. *ad Joannem Normannorum Archiepiscopum*, & alii, quos refert Saussaius *prima parte Panopliæ Sacerdotalis lib.* 7. *cap.* 5. Gulliel-mum Anglorum Regem S. Hugoni Abbati Cluniacensi misisse Cappam pene auream totam, narrat Author miraculorum ejus, in qua vix nisi aurum apparebat, vel margaritarum, & gemmarum textus; inferius autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea pendebant. Latius post annum millesimum extensa est Cappæ significatio ad plures vestes sacras, & profanas, ut ex Glossariis patet. Cappa pro quotidiana Monachi veste utitur Gaufridus Abbas in vita S. Petri Tarantasien. cap. 27. *Tolle tibi cappam hanc manicatam*. Loquitur autem de cuculla monachali. Pro veste communi sæcularium Cæsarius Cisterciensis lib. 1. Dialog. cap. 38. *Videntes illum cappa trita atque vetusta indutum, æstimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt*. Pro habitu summi Pontificis Petrus Damiani *lib.* 1. *ep.* 20. ad Cadolaum Antipapam, *habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam* (2). Sunt & Cappæ Episcoporum & (2)
Canonicorum, quibus induti choro intersunt, de quibus non est hic locus
disserendi (3). (3)

Cappa, seu Pluviale quid?

Cappa multipliciter sumpta juxta variarum personarum ordinem.

(1) *De Cappa, sive Pluviali*) De sacro hujusmodi indumento plurima digessit laudatus Dominicus Georgius in citato opere de Liturgia Romani Pontificis lib. 1. cap. 31., ubi quæ de eodem dici possunt, præ cæteris, quos viderim, fusius, & disertius collegit, ex quo nonnulla ad hujus Paragraphi illustrationem seligimus. Et primo Cappam sancti Martini gestatam fuisse a Francorum Regibus, dum ad prælia procederent, litteris tradiderunt Walafridus Strabo de Reb. Eccl. cap. 31., & Monachus Sangallensis de Ecclesia-

stica

stica cura Caroli Magni lib. 1. cap. 4. An autem hæc Sancti Martini Cappa eadem vestis fuerit ab ipso in sacro ministerio adhibita, aliis discutiendum relinquo: Cappæ speciem quamdam in usu Ecclesiastico memorasse videtur S. Gregorius Turonensis de Vitis Patrum cap. 8. §. 5., ubi loquens de S. Nicetii casulæ parte, quam cucullum dicimus: *Cappa autem hujus indumenti*, inquit, *ita dilatata erat, atque consuta, ut solent in illis candidis fieri, quæ per festa Paschalia Sacerdotum humeris imponuntur*. Clarius Cappæ ministerio divino sacræ mentio fit in testamento Leodebodi Abbatis., & conditoris Monasterii Floriacensis an. 641. apud Duchesnium Histor. Francorum Tom. 4. pag. 60., & Mabillonium Annal. Bened. Tom. I. pag. 380., ubi inter cætera dictus Abbas legat: *Basilicæ Domini Aniani .... Sandalia duo ad Missas, & Oralia ad Mensam cum Cappis, & omni apparatu* &c.. Hujusmodi Cappæ usum fuisse jam ab antiquo in Ecclesia Romana, & quidem a sæculo octavo fidem facit S. Ansegisus Abbas Fontanellensis, qui circa an. 831. Monasterio suo prædicto multa Ecclesiastica vestimenta elargitus est, inter quæ *Cappas Romanas duas, unam videlicet ex rubeo cindato, & fimbriis viridibus in circuitu ornatam, alteram ex cane pontico, quem vulgus Bevurum nuncupat, similiter fimbriis sui coloris decoratam in orbe*. Ita apud dictum Mabillonium sec. 4. Bened. par. 1. pag. 634. Hinc idem Mabillonius de Liturgia Gallicana pag. 186. optime deducit, cum Ritu Romano Pipini ætate Ritum etiam sacrorum vestimentorum ad exemplum Romanæ Ecclesiæ in Gallias invectum fuisse.

Quando cappæ Pluvialis nomen inditum fuerit. Quandonam vero huic sacræ vesti, quam Cappam dictam vides, Pluvialis nomen inditum sit, non tam facile est invenire; primum, quod occurrit testimonium est in vita S. Oddonis Abbatis Cluniacensis, qui obiit an. D. 942. scribit ibi Joannes Monachus ejus discipulus ab Oddone Monachis suis narratum fuisse S. Martinum Episcopum apparuisse cuidam seni, quem ipsum Oddonem fuisse putat Author, Pluviali vestitum: *ferebatque*, ait, *pater noster cuidam vetulæ personæ talem revelatam fuisse visionem; aspiciebat & ecce vir venerabilis canitie decoratus, stolaque splendida indutus, super quam pallio pluviali utebatur, & Episcoporum more ferulam manu gerebat*: S. Henricus I. Imperator valetudine S. P. Benedicti ope recepta, ut in ipsius Diplomate in Bullario Casinensi tom. 1. p. 7. obtulit eidem S. Abbati, seu illius Monasterio Casinensi munera, inter quæ *Pluviale diasprum cum listis auro textis*: quam etiam largitionem in Casinense Chronicon retulit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 43. *Diasprum* pro colore albo interpretatur Angelus a Nuce in notis ad eumdem locum. Consimiles Pluvialis donationes diversas narrat idem Leo Chron. Casin. lib. 2. cap. 3., 75., 98., & lib. 3. cap. 20. Longum est enarrare singula, quæ de Pluvialium usu, eorumque ornatu tradita sunt, cum de iis abunde disceptarint Octavius Ferrarius de Re vestiaria lib. 1. cap. 39. & in Originibus linguæ Italicæ, verbo *Piviale*, Ignatius Braccius Recinetensis apud Gavantum Thesaur. Sacr. Rit. par. 1. tit. 19. aliique.

(2) *Juxta morem Romani Pontificis rubeam Cappam.*) Hinc tradit supra laudatus Dominicus Georgius in suo egregio Opere de Liturgia Summi Pontificis loco citato, quod simul ac quis olim in Romanum Pontificem electus erat, statim purpureis vestibus induebatur, easque variis nominibus a seculi XI. & sequentium Scriptoribus appellari, Cappam scilicet, mantum, chlamydem, & pluviale, multis illorum locis comprobari. Inde etiam Pandulphus Pisanus S. R. E. Subdiaconus in supplemento ad vitas Pontificum Gullielmi Bibliothecarii, & in Paschali II., cujus creationem narrans hæc inter alia commemorat: *Chlamyde coccinea induitur a Patribus, & tiara capiti ejus imposita* &c. Cujus ritus idem Author meminit in Calixto II., & Honorio item II. Post ipsum idem scribit Cencius Camerarius in suo Cæremoniali, ubi de Summi Pontificis inauguratione hæc ait: *Prior Diaconorum ipsum de Pluviali rubeo ammantat, & eidem electo nomen imponit*: plura de his congerit eruditissimus Cangius in Glossario verbo *Pluviale*. Hujus autem Ritus rationem scite reddit Dan. Papebrochius in Propylæo ad acta SS. Maii par. 2. pag. 211. §. 14. *Electus olim in summum Pontificem statim cappa rubea induebatur, quæ variis nominibus appellata erat.*

(3) *De quibus non est locus differendi.*) De hujusmodi habitu Ecclesiastico chorali, ejusque variationis ritu videndus recentissimus Scriptor Petrus Morettus Canonicus Sanctæ Mariæ Transtyberim in sua hac de re disceptatione epistolari conscripta, ubi plura scite, & erudite differit. Item ante ipsum Joannes Grancolas Doctor Sorbonicus in Comment. Hist. ad Brev. Rom. cap. 47.

Videri etiam possunt clar. Ducangius in Glossario, ac Macri fratres in Hierolex. verbo *Almusium*, & *Cappa*.

§. XVIII.

De Veste Diaconorum. Olim Colobium, nunc Dalmatica. Ejus origo, forma, & usus.

Diaconorum proprium indumentum nunc est Dalmatica ex institutione sancti Silvestri (1), qui ut legimus in ejus actis, præcepit ut (1)
Dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea teste Alcuino (2) Colobiis uti (2)
solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant. Dalmaticæ vero

 ma-

manicatæ erant, talares, fericæ, albæ, auro ornatæ, & plagulis, ſeu clavis ex purpura aſſutis diſtinctæ. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatæ ſunt, unde & nomen acceperunt, ſicut ait Iſidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. Clavatas fuiſſe purpura præter Iſidorum ibidem, aſſerunt alii Scriptores Eccleſiaſtici diverſis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus habuiſſe duos tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remanſit itaque in Dalmaticis priſcus mos anguſtorum clavorum, ut ſcribit Rubenius *lib.* 1. *de re veſtiaria cap.* 8. qui ideo exiſtimat datam Diaconis Dalmaticam Anguſticlaviam, ut inferiores Presbyteris cenſerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat veſtis ſenatoria unico clavo purpureo diſtincta, qualia fuiſſe Colobia Monachorum docet Dorotheus *ſerm.* 1. dicens, *ſignum purpureum aſſumimus in Colobium noſtrum, innuentes nos in Chriſti militiam adſcriptos eſſe, & univerſas afflictiones ejus ſuſtinere debere: etenim quando paſſus eſt Dominus noſter, geſtavit purpureum veſtimentum.* Purpura autem etiam clericos quondam uſos patet ex Concilio Narbonenſi apud Baronium *anno* 598. nam uſum purpuræ Clericis interdixit. Hodie duobus anguſtis clavis ornatur Dalmatica nulla habita ratione coloris purpurei, imo aliquando ſine clavis fit. Planeta vero uno lato clavo diſtinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in Crucis figuram formatus, quia ut ait Tertullianus lib. de cor. mil. cap. 13. *Illic purpuræ tuæ ſanguis Domini, & latus clavus in cruce ipſius.* Dalmaticam Romanis in uſu fuiſſe Lampridius teſtis eſt, qui de Commodo, & de Heliogabalo Imperatoribus ſcribit in dedecus, & probrum ipſorum, quod Dalmaticati in publicum proceſſerint: vel quia mollium, & delicatorum veſtis cenſebatur, vel quia exotica, & Romanorum oculis inſueta erat. Ejus fit mentio in actis S. Cypriani, ſed ſacrane an communis illa fuerit, diverſæ ſunt ſententiæ. Ego omnino communem fuiſſe credo: illo enim ævo nondum ad uſum ſacrum tranſlata fuerat. Eutychianus Papa conſtituiſſe dicitur in libro Pontificali, ut quicumque fidelium Martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica, aut Colobio purpurato nullatenus ſepeliret; quod honoris cauſa conſtitutum reor. Sed cum idem honos ſummis Pontificibus, ac ipſis etiam Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat *lib.* 4. *Dialog. cap.* 40. decreto ſuo idem *lib.* 4. *epiſt.* 44. ſancivit, ne feretrum quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, Dalmaticis tegeretur. (3) Diffe- (3)
rit de Dalmatica Baronius *in notis ad Martyrologium die ultima Maii*, cujus in ea deſcribenda lapſus notavit Ferrarius *lib.* 3. *de re veſtiaria cap.* 9. Proprium quoque Diaconorum ornamentum apud omnes nationes orientales, & occidentales eſt ſtola, ſive orarium in humero ſiniſtro, de quo ſupra actum eſt.

Dalmaticarum uſum ante Silveſtrum in Eccleſia introductum nonnulli aſſerunt.

(1) *Ex inſtitutione S. Silveſtri*) Perperam Silveſtro tribui Dalmaticarum uſum contendit Cl Petrus Couſtantius Tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. pag. 299. num. 4., præſertim ſi non tantum de Romanis, ſed de quibuslibet Diaconis intelligatur, ex eo quia in Libro Pontificali Eutychianus Papa ante Silveſtrum conſtituiſſe legatur, *ut quicumque fidelium Martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica, aut Colobio purpurato nullatenus ſepeliret*. Cujus etiam decreti infra mentionem facit noſter Eminent. Author, tum quia Colobii, aut Dalmaticarum voces antiquas eſſe conſtat ex vita S. Cypriani a Pontio ejus diſcipulo ſcripta. Antiquus item Author quæſt. vet., & novi Teſt., de quo ſupra pariter meminit Eminentiſſimus Scriptor, cum Romanis Diaconis ita expoſtulat: *Quaſi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, ſicut Epiſcopi*. Ubi & Dalmaticarum uſum Epiſcoporum proprium eſſe, & a Romanis Diaconis per arrogantiam uſurpatum eſſe notat, (ait Couſtantius) qui & teſtimonium Cypriani Tolonenſis Epiſcopi adducit in vita S. Cæſarii Arelatenſis, eo enim tempore, quo Symmachus Papa Cæſarium *conceſſo ſpecialiter pallii decoravit privilegio, Diaconos quoque ipſius ad Romanæ inſtar Eccleſiæ Dalmaticarum feciſſe habitu præeminere*. Item in Bibliotheca Floriacenſi conſimile indultum legitur Zachariæ Papæ ad Auſtrobertum Epiſcopum Viennenſem

sem, cui ita ille scribit: *Dalmaticam usibus vestris misimus: ut quia Ecclesia vestra ab hac Sede doctrinam fidei percepit, & morem habitus Sacerdotalis, ab illa etiam percipiat decorem honoris*. Inde etiam refellitur, quod alii dicunt, dalmaticarum usum in Ecclesiam primum a Silvestro invectum esse, cum antea colobiis uterentur Sacerdotes, aut quod in Silvestri Vita a Combefisio edita narratur, Eufrosinum scilicet Pamphiliæ Episcopum Romam advenientem colobium S. Jacobi fratris Domini attulisse, & cum eo indutus sacra peregisset, inde quidem factum esse, ut Romani Sacerdotes colobiis uterentur; sed postea nuditatis brachiorum tegendæ gratia colobia in Dalmaticas fuisse commutata, seu quod Anselmus Lucensis a Ducangio in suo Glossario laudatus tradit: *a Sancto Silvestro, & Presbyteris ejus colobiorum usus sumpsit initium, & Marcus, ac Julius, & Liberius ex ordine usi sunt. Post hos autem colobia in Dalmaticas sunt commutata*. Unde sequeretur ut Dalmaticarum usum non Silvester, sed Damasus I. in Ecclesiam invexisse dicendus esset. Hæc Coustantius; Coustantio novissime subscribit Dominicus Georgius in sua Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 22. n. 2. & 3.

At Card. nostri sententiæ alii plures adhærent.

Verum Eminentissimi Cardinalis sententiæ, videlicet ex S. Silvestri institutione Dalmaticarum usum fluxisse, adhærent Octavius Ferrarius de Re vestiaria lib. 3. cap. 9., & Ducangius in Glossario. Andreas Saussajus in Panoplia Episcopali lib. 6. cap. 6. verum quidem esse non abnuit, quod Silvester decretum de Dalmaticarum usu ediderit; at quod eas instituerit prosus assertum esse commentitium dicit, cum Silvester tantum instituerit, ut Dalmaticis in Ecclesia Diaconi uterentur, quæ nimirum extra Ecclesiam a nonnullis perperam gerebantur, aut certe illis tribuit (fixo jure, & vi legis) illud decus, quod antea obtinuerant ex mero dumtaxat usu, quem consuetudo invexerat; at non illa nova, sed ætate jam Silvestri, diuque antea obfirmata, (hæc Saussajus) siquidem inter decreta Sancti Stephani Papæ, & Mart. habetur in lectione 2. sub die 2. Augusti: *instituit, ut Sacerdotes, & Diaconi nusquam sacris vestibus, nisi in Ecclesia uterentur*, ut alias dictum est. An autem tunc illæ sacræ vestes Diaconorum Dalmaticæ fuerint, incertum; probabilius colobia fuisse, uti affirmat Alcuinus. Placet porro ad supradictarum opinionum varietatem conciliandam, id quod ex Micrologo cap. 46. notat Bernardus Bisso in sua Hierurgia sacra Tom. 1. pag. 275., videlicet quod Sanctus Silvester non concessit omnibus Diaconis Dalmaticam, sed eam tantum Diaconis Romanæ Ecclesiæ indulsit pro solis diebus solemnibus in signum lætitiæ, & regula eam assumendi ut plurimum desumebatur *a Gloria in excelsis*, ita ut quotiescumque in Missa esset dicenda, Diaconi Dalmatica uterentur.

Dalmaticarū usus aliarum postea insigniū Ecclesiarum Diaconis concessus.

Et quidem Dalmaticarum usum Diaconis tantum Ecclesiæ Romanæ a Silvestro concessum fuisse, liquido ostendunt posteriora Summorum Pontificum privilegia, quibus aliarum Ecclesiarum Diaconis earumdem Dalmaticarum usum concessere. Symmachus Papa eundem concessit Diaconis Ecclesiæ Arelatensis, ita rogatus a S. Cæsario illius Urbis Episcopo, uti tradit ipsius vitæ Scriptor supra memoratus lib. 1. c. 22., ubi hæc ait: *Papa Symmachus tanta meritorum ejus (Cæsarii) dignitate permotus, non solum verissime cum Metropolitano honore suspexit, sed & concesso specialiter pallii decoravit privilegio. Diaconos ipsius ad Romanæ instar Ecclesiæ Dalmaticarum fecit habitu præeminere*. Idem privilegium S. Gregorius Magnus concessit Archidiacono Ecclesiæ Vapincensis, ut in ejus Epistola ad Aregium illius Ecclesiæ Episcopum lib. 7. Epist. 112. ind. 2. Item Stephanus Papa anno 754. Monachis Sandionysiani Cœnobii, ut iisdem Dalmaticis uterentur, indulsit, apud Mabillonium de Re diplom. n. 41. p. 491.

Idem Dalmaticarum usus in Ecclesia Orientali affe. 4.

In Ecclesia Orientali sub Constantio Constantini Magni filio, & Ammiano Marcellino lib. 14. Maras Diaconus Dalmatica insignis memoratur, videturque criminis postulatus, quod Tunicellam ejusmodi, quæ ad imperiale decus spectaret, ausus esset affectare. Verum cum Constantinus Magnus Constantii Pater communicasset etiam imperii insignia Christiano Sacerdotio, uti ex Balsamone in Nomocan. Photii tit. 8. non erat certe cur ejus filius, & hæres vitio verteret Ecclesiæ ministris, quod Dalmatica uterentur. Hæc autem Tunicula sic a Marcellino nuncupata Diaconalis vestis, & nunc idem nomen retinet, nam Italice *Tonicella* dicitur, licet ipsa non eamdem prorsus formam retineat, etenim quæ olim sine manicis erat, nunc usque ad cubitum manicata gestatur. Porro S. Joannes Chrysostomus sic Diaconos expressim alloquitur Hom. 60. *Ad vos*, inquit, *ministrantes sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis &c. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis. Hæc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc omnis corona; non ut albam, & splendentem tunicam circumeatis induti, &c.* Cæterum Concil. Romanum sub Gelasio Papæ, Acta S. Silvestri Papæ, quæ tunc in Urbe Roma legebantur, & pro antiquo usu multæ secutæ sunt Ecclesiæ, pro veris, & genuinis approbat, quod decretum habetur in Collect. Gratian. dist. 15. cap. *Sancta*. In quibus actis dicitur Silvestrum Diaconis Dalmaticarum usum instituisse.

Dalmaticæ in modum crucis efformatæ.

(2) *Cum antea teste Alcuino*) Alcuinus de Div. Offic. cap. *Quid vestimenta significent*: ubi & ait *Dalmaticam vestimentum esse in modum crucis habens in sinistra parte fimbrias, dextera iis carente, & cum largis manicis*. Dalmaticam etiam in modum crucis factam docet Missa vetus, quam vulgavit Illyricus, ibi enim in Oratione ad Dalmaticam hæc sunt: *Indumento hoc typico priscorum Patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus humiliter postulo, ut ex commemoratione passionis tuæ fiam tibi Domine Jesu Christe jugiter gratiosus. Qui vivis &c.*

Dalmaticis etiam induti Reges, ac supremi mundi Principes, dum inaugurarentur.

(3) *Dalmaticis tegeretur.*) Porro hujusmodi Dalmaticis, seu sacris Diaconorum indumentis usos fuisse Italiæ Reges, dum solemniter coronarentur, pluribus probat Clar. Ludov. Antonius Muratorius Anecdot. tom. 2. Commentar. de Corona ferrea cap. 16. p. 326.

326. & primo Othonis Magni Imp. exemplo ex Landulphi, alias falso sub Dacii populari errore vocati, Historia Mediolanensi, aliisq; monumentis, sed & ante Muratorium Hartmannus Maurus lib. de Coronatione Caroli V. in Germania antiqua illustrata tom. 2. p. 852. inter solemnia illa indumenta, quibus Imperatores in præcipuis festivitatibus, & eorum inaugurationibus induuntur, recenset: *Dalmaticam albam holosericam pretiosis margaritis, gemmisque distinctam*, &c. Quod & Petrus Aragonum Rex in Chronico a se conscripto confirmat lib. 2. cap. 9., ubi de sua coronatione, & lib. 3. cap. 16., ubi de solemni in Urbe Majorica processu. Vide Cangium in Glossario verbo *Dalmatica* in fine. Reges item Franciæ, qua die solemniter inaugurantur, Dalmaticam gestare affirmat Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus de Sacram. Eucharistiæ quæst. 8. art. 13. ubi de Vestibus Diaconorum; quo etiam in loco nonnullas mysticas Dalmaticæ interpretationes ex Brunone Signiensi, aliisque refert, quæ apud ipsum legi possunt. His autem totus contrarius, & alienus Du-Vertius vult Dalmaticam vestem vulgarem fuisse ad usum communem Laicorum, qua etiam & ipsi ministri Ecclesiæ usi sunt. At esto, id fuerit; verum est, quod eadem Ecclesia usu suo, ac destinatione hanc vestem ex profana sacram effecit, sicut & alias fortasse, quas semel adhibitas constanter retinuit iis etiam ipsis temporibus, quibus illæ apud Laicos in desuetudinem abierunt; & ita propriæ, ac singulares sacris Ecclesiæ ministris factæ sunt, ut ab aliis licite usurpari non possint; Quapropter in Actis S. Cypriani Episc., & Mart. legimus eum veste vulgari, qua indutus erat, tortoribus relicta, Diaconis Dalmaticam dedisse: *Cum se Dalmatica*, (inquit Pontius in ejus Vita) *expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit*. Sane sacras vestes ad profanos usus adhiberi absque sacrilegio non posse habetur cap. *ad Nuptiarum* dist. 1. *de Consecratione*, nec ab aliis, nisi sacratis hominibus in Ecclesiasticis tantum officiis ferri debere ex cap. *Vestimenta*.

§. XIX.

De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba utebantur, postea. Tunicam, & Manipulum addiderunt. De Planetis, quæ antiquitus communes erant omnibus Ordinibus.

Subdiaconi olim sola alba induti suo ministerio fungebantur, quibus postea peculiares vestes tributæ sunt.

SUbdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedente in Apostolico throno Gregorio Magno, sola Alba induti suo ministerio fungebantur: quem morem alias Ecclesias ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit *lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum*. (1) Postea, teste Honorio in *Gemma animæ lib. 1. cap. 229.* duæ illis vestes peculiares tributæ sunt, Tunica, quam subtile vocant, quia subtilius contexta; & sudarium sive mappula, cui hodie successit Manipulus. Constat autem ex Ordine Romano magnum olim discrimen inter Dalmaticam Diaconi, & tunicam Subdiaconi extitisse: nam titulo de ordine processionis ante Missam loquens de vestibus Diaconorum stolas, & Dalmaticas recenset; Subdiaconis vero sibi congruas vestes præbendas esse dicit, *quæ apud quosdam*, inquit, *subdiaconales nominantur, & mappulæ in sinistra manu ferendæ:* sed quæ illæ fuerint, nominatim non exprimit (2). Nulla nunc differentia reperitur inter Dalmaticam Diaconi, & tunicam Subdiaconi, nisi quod hujus manicæ strictiores, & breviores sunt: quæ differentia sæpe etiam negligitur. Diebus jejuniorum & in Adventu tam Diaconi, quam Subdiaconi planetis utuntur. Quando autem, & qua occasione hic ritus cœperit, non liquet. Ejus meminit Ordo Romanus, a quo usus Planetæ etiam Acolythis tribuitur. Nam in Ordine Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ, vel qualiter Missa celebratur, *Subdiaconus*, inquit, *tenet Pallium Pontificis in brachio suo super planetam*. Et paulo post: *Subdiaconus regionarius tenens mappullam Pontificis in brachio sinistro super planetam revolutam exiens ad regiam Secretarii dicit*. Item: *Parat Evangelium qui lecturus est reserato sigillo ex præcepto Archidiaconi super planetam Acolythi*. Et infra: *Archidiaconus suscipit amulas, quem sequitur cum scypho super planetam Acolythus*. Consentit Amalarius, qui lib. 2. cap. 19. *Casula*, inquit, *est generale indumentum sacrorum ducum, & pertinet generaliter ad omnes clericos*. Item, *Casula dupla est, post tergum inter humeros, & ante pectus*. Nullum autem tam Ordo Romanus,

quam

quam Amalarius ponunt discrimen inter planetam sive casulam sacerdotum & aliorum ordinum. Cum enim scriberent de re notissima, & eo tempore omnium oculis subjecta, non satis expresserunt an & quomodo hujusmodi planetæ inter se differrent. In aliis autem auctoribus nihil reperio quo hic ritus clarius explicetur. Suspicor itaque Planetæ nomen æquivocum tunc fuisse, & pro veste acceptum, qua sacerdotes, & ministri postremo induebantur, quæcumque illa fuerit: sicut hodie, ut supra notavimus, cappam vocamus latum illud indumentum, quo Cardinales, Episcopi, & Canonici amiciri solent, cum publicas, & Ecclesiasticas functiones obeunt, vel Choro assistunt sacris vestibus non induti: sicut etiam cappæ nomen tribuimus externo amictui multorum Religiosorum, atque etiam sæcularium; licet multum ab invicem discrepent. Quod si displicet hæc conjectura, viderint peritiores quid de hac re statuendum sit; nam easdem fuisse Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, atque Acolythorum planetas non credo, nec conveniens & verisimile videtur.

Olim etiam casulæ, seu planetæ nomē æquivocum, & pro veste communi, qua sacri altaris Ministri induebantur.

(1) *Epist. 64. ad Joannem Syracusanum*). Olim itaque, sicut & nunc apud Græcos Subdiaconi alba tantum induti ministrabant; unde cum in Siciliæ plures contra S. Gregorium Papam tamquam Græcorum Rituum introductorem, & signanter quod Subdiaconos absque tuniculis, & cum solis albis ministrare fecisset, quererentur, sic Sanctus Pontifex dicto Joanni Syracusano scribens, animique sinceritatem ostendens, hæc ait: *Subdiaconos autem ut spoliatos procedere facerem, antiqua Ecclesiæ consuetudo fuit, sed placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent hodie ergo, ut Subdiaconi in lineis tunicis procedant, nisi quia hoc a Matre sua Romana Ecclesia perceperunt?* Ubi etiam objurgat Syracusanos Clericos, quod sub Patriarcha Constantinopolitano constitui præsumerent, eo scilicet tempore, quo Sicilia Imperatori Græco obtemperabat. Qui vero Papa Subdiaconos vestitos procedere fecerit, nonnulli Sanctum Silvestrum putant, alii Zosimum, at utrumque excludere videtur Gregorius, qui Pontificem hujus constitutionis Authorem se nescire ait, idque ipsius loquendi modus per errorem factum indicat, adeoque oblitum hujus ritus institutorem, crediderim nihilominus Subdiaconis non multo post Gregorium, & ante confectum Ordinem Romanum, propriam vestem præter albam; Tunicam scilicet a Diaconali Dalmatica diversam tributam fuisse, seculo circiter septimo; etenim Author vitæ S. Livini Episc. & Mart., qui circa an. 633. claruit, sacrorum Ministrorum vestes describens Subdiaconalis etiam meminisse videtur. Sed de hac re nota sequenti.

(2) *Sed quæ illa fuerit, nominatim non exprimit.*) Et quidem Ordo Romanus V. §. 2. nota 3. apud Mabillonium pag. 65. *Subdiaconi*, inquit, *indumentum camisia, & cingulis, deinde anagolas*, idest amictus, ut supra vidimus, *& tunica alba, orarium, & sestace*, idest sudarium, seu manipulus, *in sinistra manu*: Orarium hoc loco non aliud profecto intelligitur, nisi vestis Subdiaconalis, quæ antiquitus a Diaconi Dalmatica distinguebatur. Et licet iisdem Subdiaconis uti orario vetuerit Synodus Laodicena can. 22. hoc tamen nomine stola Diaconalis intelligebatur; quod autem Orarium aliud quid sacri vestimenti genus a stola diversum fuerit, satis indicat Hugo Victorinus, qui initio sec. 12. floruit, lib. 1. de Sacramentis cap. 48. *apud antiquos*, ait, *non orarium dicebatur stola*. Et quidem mox laudatus Author Vitæ S. Livini Episc. cap. 14. *ei*, inquit, *casulam purpuream . . . . . & stolam cum Orario contradidit*, ubi vides jam a seculo ineunte septimo stolam ab Orario distinctam, eoque tempore orarii nomine nonnisi subdiaconalem tunicam, uti in dicto Ordine Romano, conceptam fuisse, quæ etiam subtile, seu stricta tunica antiquitus dicebatur apud Honorium Augustodunensem tum loco ab Eminentissimo citato, tum lib. 3. cap. 1. & 85. Durandus item Mimatensis in Rationali lib. 3. cap. 11. *Dalmatica*, inquit, *Diaconi ampliores habet manicas, quam tunicella Subdiaconi, quæ alibi Subtile vocatur*. Habetur in Missa ab Illyrico edita hæc oratio ad Subtile, cum scilicet Episcopus sacra solemniter facturus illud induit ante Dalmaticam: *indue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis*. Sed ad Clericorum minorum Ordinum sacras vestes procedamus.

Orarium pro veste subdiaconali sumptum.

§. XX.

§. XX.

De habitu sacro Clericorum. Quid, & quale sit Superpelliceum.

Superpellicei usus variæ ab antiquis vocabulis derivationes.

NUnc Clerici minorum Ordinum, cum sacerdoti celebranti ministrant, Superpelliceis utuntur, quæ vox barbara est, & ante annos sexcentos incognita (1): res autem sub aliis nominibus an fuerit ab antiquis designata, incertum est. Qui a temporibus Apostolorum usum Superpellicei derivant, vetusta ei vocabula tribuunt; nam quidam esse Ephod contendunt, alii phelonium Græcorum, alii lacernum birrum, de quo in actis Cypriani, alii amphibalum, de quo Remigius in testamento ait: *futuro Episcopo successori meo amphibalum album* paschalem relinquo: quæ omnia accuratius examinare proposita mihi brevitas non patitur. Illud sane certum est tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur *lib.* 1. *adv. Pelagianos*, omnem clerum in sacrificii consummatione candidis vestibus ministrasse. Potest etiam hoc confirmari ex Concilio Narbonensi anno 589. acto, quo sancitum fuit, ne Diaconus, Subdiaconus, aut lector, antequam Missa consumetur, Alba se præsumant exuere. Ex quo colligitur etiam Clericos alba indutos sacrificio astitisse. (2) Sicut autem alba talaris est, ita etiam superpelliceum talare olim fuisse Stephanus Tornacensis, qui vivebat anno Christi 1180. testis est *epist.* 123. *ad Albinum Cardinalem*, cui mittit superpelliceum novum, candidum, & talare. Honorius similiter de indumentis Clericorum disserens *lib.* 1. *cap.* 232. vestem esse ait laxam & talarem. Successu vero temporis decurtatam esse Concilium Basileense ostendit *sess.* 21. ubi decernens quomodo divinum officium in Ecclesia celebrandum sit, præcipit Clericis habere tunicas mundas, & superpellicea ultra medias tibias longa. Nunc adeo detruncata sunt, ut vix ad genua pertingant.

Superpellicei nomen seculo XI albæ vesti donatum.

(1) *Ante annos sexcentos incognita*). Hoc superpellicei nomen non ante seculum XI. albæ vesti donatum legere est apud antiquos Scriptores. Et quidem in Eduardi Anglorum Regis legibus anno Christi 1060. editis, ubi agitur de Exequiis Defunctorum, statutum legitur, ut Episcopus *faciat invenire processionem cum Sacerdote induto alba, & manipulo, & stola, & Clericis in superpelliceis cum aqua benedicta*. Item in Regula S. Gilberti pro Monasteriis de Sempringam sub Eugenio Papa III. præcipitur, *ut Ministris Altaris fiant* superpellicea cum caputiis, quæ caput, & colli nuda contegant. De eo aliquid significatum videre est in Actis Archiepiscoporum Rotomagensium a Mabillonio vulgatis Analect. Tom. 2. pag. 453., ubi per lineam superpellicialem ibi expressam nil aliud, quam tunicam talarem., seu albam ex tela confectam venire existimo. Ideo autem superpelliceum dictum, quia ut notant plerique ex Durando lib. 3. cap. 1. Canonicis divinæ Psalmodiæ incubantibus in Regionibus præsertim Aquilonaribus frigoris arcendi causa, pellibus corpus integere mos erat, supra quas lineam tunicam imponebant; quamobrem in Anglicanis veteribus monumentis hoc vocabuli genus passim occurrit. Vide inter leges Anglicas veteres Guillelmi Lombardi p. 151. item in Monastico Anglic. tom. 2. p. 725.

Hinc proprie nunc etiam superpelliceum est vestis illa linea, quam superinduunt Canonici, tum Regulares in quotidiano habitu, tum Seculares in choro.

Seculo autem XII. a Canonicis Regularibus (Præmonstratenses excipe) ac item a Canonicis quarumdam Ecclesiarum superpellicea jugiter gestabantur. De Canonicis Regularibus fidem facit Stephanus Tornacensis infra ab Eminentissimo citatus. At Præmonstratenses superpelliceo utebantur in divinis tantum officiis, ut ex Adami Præmonstratensis Stephano prædicto Tornacensi Synchroni lib. 2. de Ordine, Habitu, & Profess. Canon. Præmonstr. serm. 3. §. 6., ubi aliquot præmissis de quibusdam Canonicorum, sive Sæcularium, sive Regularium consuetudinibus a Præmonstratensium discrepantibus, hæc subdit: *Sic & illi superpellicea pene ubique circumferunt, nos vero in divino solummodo ministerio eis indui solemus*: Et post pauca: *Unde generaliter apud nos statutum est, ut omnes, qui Altari ministrant, numquam ibi sine superpelliceis, vel albis appareant, nec aliquis præsente conventu, nisi superpelliceo, vel alba indutus superiores gradus Altaris præsumat ascendere. Ad communicandum quoque, vel infirmum ungendum Sacerdotes, & Ministri superpelliceis induuntur. Divino itaque cultui superpellicea deputamus, cujus peracto obsequio ea exuimus*. Consonant hæc veterum Pontificum, & Conciliorum decretis; nam S. Leo IV. Papa hom. de cu-

ra

ra Pastorum apud Baron. ad an. 855. n. 22. statuit, *ut vestimenta nitida sint, & ad nullos alios usus. Nullus in alba, qua in suos usus utitur, præsumat Missas cantare*, & an. 889. idem in Synodo Suessionensi cap. 7. decretum fuit: *ne alba illa utantur Sacerdotes in sacris Mysteriis, qua in quotidiano, vel exteriori usu induuntur*. Hinc superpelliceum *alba contracta*, seu *alba parva* dictum, ut ab alba distingueretur, quæ *alba longa* dicebatur. Superpellicei manicæ variis in locis, ut Romæ, ac tota ferme Italia, Remis item, & alibi in Gallia latæ, ac rotundæ sunt, longæ vero, pendentesque Parisiis, atque in pluribus Galliarum Ecclesiis, uti refert Grancolas Comment. Brev. Rom. c. 47. qui & alia adjicit, quem consule, si velis.

Superpelliceo cottæ nomen vulgo appositum sæculo XII.

Eodem sæculo XII. exeunte Tunicæ hujusmodi lineæ, seu Superpelliceo *Cottæ* nomen hucusque adhuc retentum datum legimus; Gregorius enim Antibarensis, qui circa id temporis vixit, testamento legavit Monasterio S. Chrysogoni apud Joderam, ut refert Lucius de Regno Dalmatiæ lib. 2. cap. 14. pag. 92. *Duas Mitras, & Virgam Pastoralem, Planetam, & Pluvialem, Dalmaticam, & Camisum, Stolam, & Manipulum, & Cingulum cum Cotta*. Sub hæc item tempora, nempe anno Domini 1196. Tedelgarius Tarracinensis donavit, & in donationis litteris regulas præscripsit, ac statuit, ut per æstatem Canonici *cum Cottis* Horas Canonicas, & Divina Officia persolverent, uti refert Dominicus Antonius Contator Histor. Tarracinen. lib. 3. cap. 7. pag. 382. Plura de Superpelliceo, seu cotta, Cangius in Glossario, & Macri fratres in Hierolexico, post quos alia profert Dominicus Georgius in Liturgia Rom. Pontif. lib. 2. cap. 2. num. 13. & seqq. ubi etiam docte disserit de alio tunicæ lineæ vocabulo, quæ *Roccbettum* nuncupatur, & quomodo id a Superpelliceo differre cœperit, quæ vox *Roccbettum*, cum non ante sæculum XIV. in Italiam ac Latium pervenerit; in Anglia siquidem hujus vocis mentionem fuisse anno 1298. discimus ex Monastico Anglicano tom. 3. pag. 331., ubi inter ornamenta cujusdam Ecclesiæ numerantur, *duo Roccbetta, & quatuor Superpellicea*: & ex hoc loco refellitur opinio Bartholomæi Gavanti, qui hanc vocem Gallicam putat par. 2. tit. 1., & apud Meratum tom. 1. pag. 315. Utcumque sit, cum recentioris sit ævi, eam lubenter omittimus, & de eadem ad dictos Lectorem amandamus, ubi plura, qui velit erudite discussa repetiet.

Roccbettum quid, & in quo differat a superpelliceo.

Cæterum hujusmodi sacrum lineum indumentum Ecclesiæ Ministris ferme omnibus commune, alba scillicet contracta, sive parva, ut diximus, appellata, pluribus vocabulis distinguitur. *Superpelliceum* dicitur, cum longas, & amplas manicas habet; cui strictæ, & integræ usque ad manus sunt, *Roccbettum*, seu camisia Romana, quod ejus usus potissimum apud Italos sit. Quæ undique per circuitum clauditur, *Cotta* vocatur. *Sarrocium* item Germani appellant eam vestem lineam, quæ ad latera aperta est, & nonnisi ad 4. circiter digitos interne clausa sine manicis colobium referens. De his dictæ vestis lineæ varietatibus, vide Nebridium in Antiquario Monastico, Joannem Buschium in vita Joannis a Kempis Thomæ fratris lib. 1. cap. 23. Lindvvodum ad Provinciale Eccl. Cantuar. lib. 3. tit. 27. Claudium Molinetum de habitibus Canonicorum Regul., ac denique Duvertium in notis ad cap. 2. Cærem. Eccl. tom. 2. pag. 263. & seqq.

(2) *Clericos alba indutos sacrificio astitisse*). Quem ritum adhuc observant Patres Ordinis Prædicatorum, quorum inferiores Ministri Camice, seu alba linea induti altari inserviunt, quam sub caputio deferunt. Alii etiam inter Regulares hanc consuetudinem habent.

Appendix ad hunc §. XX.

De Birreto.

Birretum ultimum Sacerdotis indumentum a quo derivatum.

Birretum ultimum, quo Sacerdotes utuntur indumentum, forte quia recentioris consuetudinis adinventum, ideo inter cætera sacrorum Ministrorum vestimenta recensere omisit Eminentissimus Author. Birretum a birro diminutivum est, & sicuti birrus humerorum simul, & brachiorum tegumentum dicitur, ita birretum capitis tantum. Erasmus Pyrrum, & Pyrretum a Græca voce πῦρ, quæ ignem significat, deducit, quasi coloris ignei, sive rubri: hinc forsan colore rubro adhuc intus contecta sunt birreta. Utut sit de nominis hujus Birreti etymologia, ejusque usus antiquitate, nonnulli non recte judicantes a primis inde Ecclesiæ sæculis traducunt, inter quos Antonius Caracciolus ad Regulam, & Constit. Theatinorum par. 2. cap. 2. §. *Pileus*, ex effigie Tertulliani, quæ cum pileo quadrato, qui & birretum nuncupatur, caput opertum exhibet, cui triplex pillula, seu globulus forte ad Trinitatis divinæ adumbrationem inferitur, quod & refert Theophylus Raynaudus de Pileo, & cæteris capitis tegminibus sect. XIV., qui & addit eumdem fere pileum Romæ conspici in perantiqua pictura S. Silvestri adstante Sacerdote pileato, at quo in loco, seu Ecclesia visitur non indicat, sicut & cujus ævi esse possit Tertulliani effigies, quam fortasse sic eo pileo quadrato ad sequioris ævi normam Sacerdotibus usitato expressit Pictor, ut ita Tertullianum Presbyterum fuisse indicaret. Ut hujusmodi pilei vetustatem adstruant, plura congerunt Panciroilus lib. 1. var. lect. Jur. cap. 21., & laudatus Caracciolus loco citato, at quæ ex antiquis Scriptoribus isti referunt, non ad pileum, sed ad vestem quadrangulam (cujusmodi apud nos Diaconorum est) spectare videntur, quam quidem apud veteres, præcipue apud Persas & Lydos Dynastas in usu fuisse haud dubium; Dionysius enim Halicarnasseus consimile vestimenti genus Lydorum, atque Persarum Reges gestasse scribit lib. 3., cui adstipulatur Hadrianus Junius lib. 1. Animadvers. cap. 1., itemque apud Romanos usurpatum innuit supra Emin. Author §. 18.

Refutantur qui birreti usum a primis Ecclesiæ sæculis traducunt.

Quando Birreti usus cœperit apud Clerum in Ecclesia, & extra ipsam.

Quando autem Birreti, seu quadrati pilei usus apud Clerum in Ecclesia, & extra altare pro communi capitis operimento, itemque apud Ecclesiæ Ministros ad sacrum aliquod exercitium adhiberi cœperit, incompertum est; Sane anno Domini 971. (ut refert Laurentius Landmeter Canonicus Præmonstr. de vetere Clerico, & Monacho par. 1. cap. 5. ex Chronico Leodiensi) Clerici Leodienses pileati ejusmodi birreto incedebant; eosque pileos quadratos fuisse anno Dom. 1146. testatur Joannes Cousin Histor. Tornacensis. tom. 3. cap. 49. ejusdemque coloris fuisse cum habitu clericali, qui mox dicto sæculo decimo pullus, seu niger erat, colligitur ex Anselmo Leodiensi in sua Histor. Episcoporum Leodiensium, quam cum aliis edidit Joannes Chapeavillus, ubi de Eraclio Episcopo, qui sedit anno 960.: *Ipse* (inquit) *inter cætera disciplinarum instituta constituit, ut in Adventu, & a Septuagesima usque ad Pascha Clerus pulla veste amiciatur, eo quod niger color pœnitentiæ, & afflictioni magis conveniat, quam albus*; sensim autem toto anni tempore a Clericis idem color ater in vestibus assumptus est, ut notat Baronius ad an. 393. num. 48. præsertim in iis Ecclesiis, in quibus Monachismus receptus fuerat, & ex Monachis Episcopi creati, a quibus in reliquis hæc etiam consuetudo derivavit. Cum vero pileus, seu birretum vestium colori responderet, ideo niger hucusque retentus est, quin & distincte vetitum in Clementina *Quoniam* de Honest. Clericor. ne Clerici sine rationabili causa infulam, aut pileum lineum, seu album publice portent in capite.

Id fieri captũ probabilius sæculo circiter undecimo.

Ab hujusmodi usu communi ad Ecclesiasticum etiam ministerium birretum in Clericis transire cœpisse crediderim sæculo circiter decimo, seu potius, ac verius undecimo; qui enim usque ad id temporis de sacris Ecclesiæ Ritibus scripserunt, nullam birreti mentiotionem habent; quinimmo Rupertus Tuitiensis Abbas, qui sæculo ineunte duodecimo anno scilicet mdxi. libros suos de Divinis Officiis scripsit lib. 1. cap. 19., inquit: *Sacerdos in officio Altaris amictu caput suum obnubit*. Primam, ut videtur, birreti mentionem fieri conjicio ex statutis Ecclesiæ Aquensis MSS. anno 1260. apud Cangium in Glossario: *Cum Chorum intraverint Canonici, Clerici, & alii Chorum frequentantes amoto caputio Cappæ, almusia, sive merlino, & birreto toto* &c. Ibidem: *Tempore autem illo, quo Cappam portabunt, poterunt portare de subtus birretum, aut almusiam de panno*. Tradunt item Chronicon S. Martialis an. 1317., & Appendix ad Bernardum Guidonem, degradatum fuisse a Joanne XXII. Papa, Hugonem Cadurcensem Episcopum ablatis Pontificalibus insignibus, *videlicet annulo, atque mitra, & cappa cum Romana camisia, & birreto*. Vita S. Henrici Episcopi Upsaliensis num. 5. *Tollens de capite S. Pontificis Birretum, quod gestare consueverat, imposuit capiti suo*. Adde Geminianum in vita B. Tinæ Virg. num. 15. (Acta SS. Maii tom. 1. pag. 779.)

Birretum porro, quod nunc quadratum, ab origine rotundum erat, & laneum ad instar galeri absque gyro alato, quale gerunt Hospitalium pueri. Galli vulgo Bonnetum appellant a panno, ex quo conficitur. Hoc item Clericale capitis tegumentum ex figuris sepulchralibus medii ævi colligitur illius camelaucii, quod tunc in usu erat, formam aliquam retinuisse quidem, sed cum digitis assidue apprehenderetur, quemadmodum nocturnus pileolus apprehendi solet, sensim cornua quædam, seu angulos adeptum est, hinc processu temporis solida tela subsuta illi quatuor anguli in modum crucis sublevati sunt, atque ita e rotundo in quadratum evasit, uti & nunc gestant Clerici Germani, Galli, & Hispani. Soli Itali uno submisso angulo, tres reliquos ad honorem SS. Trinitatis elevant, & nihilominus species ac figura crucis servatur. Hæc quoad birreti formam; quo vero ad ejus colorem, cum antiquitus iste ejusdem esset ac vestis, idemque violaceus ad instar summi Pontificis familiarium in præsenti, uti notant Macri fratres in Hierolexico verbo *Birrus*, *Clericus*, & alibi, tunc & Clericale capitis tegumentum violaceum erat. Fuit postea color niger per Monachos Ordinis S. P. Benedicti, qui atro habitu induti erant, in Clericos seculares introductus, illis nempe seculis, quibus iidem Monachi Apostolicam Petri Cathedram tenuere; quare ex eodem Ordine pene innumerabiles per orbem ad Episcopatus assumpti, nigrumque habitum suæ professionis retinentes, hinc seculares Clerici eorum subditi, ad superiorum suorum similitudinem eumdem colorem nigrum introduxerunt. Card. Baronius ad an. 393. num. 48. cum *vestes*, inquit, *pullas*, & *candidas* Clericis interdicat S. Hieronymus lib. de vita Cler. ac pullæ Monachis propriæ fuerint, ut ex eodem Hieronymo constat in Epitaphio S. Marcellæ, & ex Epist. 22. existimat Clericalium vestium colorem fuisse castaneum, vel violaceum, cujus usum perantiquum fuisse in Ecclesia palam est; irrepsisse autem colorem nigrum in Clerum videri, cum & Monachismus in nonnullis Ecclesiis a Clericis receptus est, & ex Monachis Episcopi creati sunt; quare mox a nobis dicta confirmantur, indeque est quod ad statuendam hujusce habitus Clericalis uniformitatem in plerisque Provincialibus Synodis plura exiere decreta, quæ referre nostri non est instituti, & apud alios videri possunt. Quoad birreta, in nova Gallia Christiana tom. 3. instrum. col. 160., ubi de Clericorum indumentis: *non pileos*, legitur, *deferant, sed bonneta nigri coloris, serico, vel deauratis laminis, aliisque imaginibus non insignita*. Vide & Leibnitium Script. Brunsvvic. tom. 2. pag. 423. ex Chronico S. Godehardi Hildesheim. ubi de nigris Clericorum vestibus, ac birretto nonnulla dicuntur. Atque hæc de iisdem allata sufficiant.

CAP.

CAP. XXV.

De Missæ apparatu in vasis, supellectili, luminaribus, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis, quæ infra separatim indicantur.

POst Sacerdotum & ministrorum indumenta sequuntur ea, quæ propius ipsum sacrificium attingunt, sacra scilicet vasa *, supellex & ornatus Altaris, & reliqua ad Missæ apparatum pertinentia, de quibus breviter agendum est.

Authores de sacro Ministerio indicati. * *Sacra scilicet vasa*). Plura de sacro Ministerio testimonia congerunt Carolus Cangius, sive Dufresnius in suo Glossario verbo *Ministerium*. Joannes Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 7. §. 3. Justus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus, qui in Commentario de Disco argenteo votivo veterum Christianorum selectissima de sacro Ministerio vulgavit; Marcus Antonius Boldettus Observ. in cœmet. lib. 1. cap. 39., & novissime Dominicus Georgius Rhodiginus in suis Disquis. de sacro Ministerio præfixis lib. 1. de Liturgia Roman. Pontif. pag. xxxvi. & seqq., & sane ut nonnulla iis subdam, sacrum Missæ apparatum, seu Altaris supellectilem veteres uno vocabulo *sacrum ministerium*, *ministerium Ecclesiæ* appellasse perspicue constat; siquidem ex Libro Pontificali apud Anastasium Biblioth. in S. Sixto Papa, & Mart., de eodem legitur: *Hic constituit, ut ministeria sacrata nonnisi a Ministris sacratis tangerentur*. Et in Urbano I. item Papa, & Mart. *Hic omnia ministeria sacra, fecit argentea*. Hac sacri ministerii voce ad vasa, quæ propius ipsum Eucharisticum sacrificium attingunt significanda sæpe utitur Gregorius Turonensis plerisque in locis, *Vasa sacra olim ab antiquis sacri ministerii nomine donata.* & primo in lib. 3. Historiæ Franc. cap. 10., ubi de Childeberto Rege, qui ex Hispania rediens *inter reliquos thesauros ministeria pretiosissima detulit*, nimirum *sexaginta calices*, *quindecim patenas* &c., *omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata*. Idem l. 2. de glor. Mar. c. 7. ait Burgundiones in Brivatensem Vicum irruisse, atque inde discessisse *direpto ministerio sacrosancto*, & lib. 7. hist. c. 24. *effracto uno de sacris ministeriis calice aureo* &c. Concilium Remense an. 627. celebratum can. 22. prohibet ne Episcopus *ministeria sacra frangat, nisi* &c.. Quanta autem veneratione, & cultu prosequuta, ac custodita semper fuerint hujusmodi sacri ministerii vasa, præter memoratum Sixti constitutum, S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de se ipso contra Arianos scribit, ab illis direpta sacra vasa laicis ad tangendum prohibita, ideoque illos comparat Nabuzardano, & Balthassarri, quorum alter sacra vasa Templi abstulit, alter profanavit. Item S. Hieronymus Epist. ad Theophylum Alexandrinum Paschalibus ejusdem Theoph. Ep. ab ipso latinitate donatis præfixa, sacros Calices, aliaque divini sacrificii instrumenta summa veneratione digna esse docet: *Mirati sumus*, inquit, *in Opere tuo utilitatem omnium Ecclesiarum, ut discant qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & Altaris Christi ministerio deservire, sacrosque calices, & sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent Passionis, non quasi inania, & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio Corporis, & Sanguinis Domini, eademque qua Corpus ejus, & Sanguis majestate veneranda*. At iterum de hac re, & distinctius infra.

§. I.

De Calice, ejusque origine & materia. Ligneos quandoque fuisse, lapideos, & corneos; æneos item, & stanneos. Actum fusius de vitreis.

A Calice incipio, in quo sanguis Christi redemptionis nostræ pretium, consecratur. De ejus origine nemo qui credat Evangelio ambigere potest. Ibi enim legimus Redemptorem nostrum in ultima cœna postquam tradidit discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem, & dedisse illis ac dixisse, ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis, & pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus se accepisse a Domino, & fidelibus tradidisse, *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit*: Accipite, & manducate, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*. *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens, Hic*

Feria quinta majoris hebdomadæ Natalis Calicis dicta.

calix novum testamentum est in meo sanguine. Hinc Feria quinta majoris hebdomadæ, in qua hujus sacrificii institutio recolitur, *Natalis Calicis* (1) ab antiquis Patribus vocabatur, quia tunc calix a profano usu ad sacrum Christo auctore translatus est. Præclare Eligius Noviomensis Episcopus hom. 10. in cœna Domini, *Vocatur*, inquit, *hæc dies cœna Domini, vocatur & natalis Calicis, quia hac eademque die mysticum Pascha Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta corporis, & sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit*. Qualis autem fuerit calix, quo Christus primum usus est, describit Baronius *anno* 34. *num.* 63. Bedæ nixus testimonio his verbis (2). *Non prætermimus tamen dicere quod calix ille, in quo Redemptor noster Jesus Christus sacratissimam Eucharistiam consecravit, ut egregium tantæ rei monumentum, a communi usu selectus, ac summa industria asservatus, adhuc Bedæ temporibus Hierosolymis visebatur, de quo hæc ipse lib. de locis sanctis cap. 2. in platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra est, in qua Calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet, & osculari: qui argenteus calix* (3) *hinc inde duas habens ansulas sextarii Gallici mensuram capit* (4). A Christo igitur initium calicis habemus, quem ab Apostolis,(5) & deinceps a Patribus in sacrificiis adhibitum fuisse extra controversiam est, cum sacrum celebrari sine illo non possit. Ex qua vero materia primis Ecclesiæ seculis fabricari soleret, hic primo loco investigandum est. In Concilio Triburiensi sub Formoso *c.* 18. celebre apophthegma refertur S. Bonifacii Episcopi Moguntini: *Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus*. Honorius quoque in Gemma animæ lib. 1. cap. 89. *Apostoli*, inquit, *& eorum successores in ligneis calicibus Missas celebraverunt*. Sed Honorio id asserenti sine legitimo teste non credo: & ex verbis Bonifacii inferri non potest, quod usus lignei calicis communis fuerit in primitiva Ecclesia. Crediderim potius S. Antistitem zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse; id quod homines passim solent. Fuisse in aliqua Ecclesia calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam sacerdotum non inficior, ne-

Calices olim lignei, quandoque lapidei, & cornei.

que enim concilium Triburiense loco citato statuisset, ne quis deinceps sacra mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret, nisi hic abusus alicubi irrepsisset. Canones quoque editi in Anglia sub Edgaro Rege *cap.* 41. calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omnino in ligneo fiat consecratio. Pyxidem ligneam, & in ea corpus Domini commemorat Rupertus Abbas *lib. de incendio Tuitiensi cap.* 5. Sed hæc conservandæ Eucharistiæ, non conficiendæ destinata erat. Inter abusus etiam recenseo lapideos & corneos calices. De lapideis, sive marmoreis mentio fit in vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium *die* 22. *Aprilis*; Narrat enim Georgius Presbyter ejus scriptor, quod cum monasterium ab illo ædificatum auctum esset, sed argentea supellectili careret, & vasa tantum marmorea in mysteriis adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem (*idest* Constantinopolim) ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum emeret. Ex lapide item onychino factos legimus, nam in synodo Duziacensi edita a Cellotio *p.* 4. *cap.* 5. inter crimina Hincmari Laudunensis hoc numeratur, quod calicem onychinum auro & gemmis ornatum a Rege donatum ab Ecclesia sustulerit. In actis S. Berneucardi Episcopi Hildesheimensis scriptum est plures ab eo calices datos Ecclesiæ

(1) (2) (3) [4] [5]

clesiæ, & unum ex lapide onychino, alterum chrystallinum mira industria. Leo Ostiensis *in fine lib.* 3. *Chronic. Casinen.* inter ornamenta a Victore III. Casinensi Ecclesiæ relicta duos calices onychinos recenset. Similis lapidi onychino est sardonix, ex qua gemma Sugerius Abbas se altaris officiis calicem pretiosum comparasse ait *in libro de gestis suis*, cum regnum administrabat. Cornei meminit Synodus Calcutensis in Anglia sub Adriano I., quæ ejus usum prohibuit *cap.* 10. Thomas item Bartholinus *lib. de Medicina Danorum domestica* scribit penes se esse calicem corneum, quo olim in sacrificio Missæ utebantur Norvegi. Fuerunt & calices vitrei, qui procul dubio mundiores, & decentiores erant, & ideo antiquior, & frequentior eorum usus. Putant nonnulli a Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent, in libro enim Pontificali sic de eo scriptum est. *Hic fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret*. At hic de calicibus nec verbum quidem, extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo (6), Pontifice nihil de illis decernente: cum præsertim nos lateat ad quem usum portarentur illæ patenæ a Ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potius populo communioni, quam sacrificio deservisse (7). Alii huc pertrahunt Tertullianum (8), qui lib. de pudicitia cap. 7. ait: *Procedant picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius*, ovis scilicet perditæ, & a Domino requisitæ, & humeris ejus revectæ. Et infra cap. 10. *Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*. Et post pauca: *At ego ejus pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi*. Sed hic Tertullianus nihil de materia calicis exprimit, deque sola pictura, & fractura loquitur, quæ non solum vitreis, sed etiam argenteis convenire possunt, illius præsertim scriptoris stylo, qui metaphoris abundat, & obscuritatem ubique affectavit, ut de illo testatur Lactantius *lib.* 5. *cap.* 1. (idem etiam videtur innuere Augustinus lib. 1. contra Faustum) Continent autem citata verba, ut hoc obiter notem, illius jam hæretici adversus Catholicos amarulenta convicia, ac si pastorem ovem perditam gestantem in calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur tanquam pœnitentiam summi Pastoris misericordia recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Alii ad astruendum vitrei calicis usum plurima coacervant veterum Patrum testimonia, in quibus fracti calicis mentio fit, ac si nihil frangi possit, nisi sit vitreum. At hos redarguunt Grammatici, apud quos frangi dicitur quicquid rumpi, discerpi, scindi, secari, collidi, conteri, comminui potest. Unde Cicero orat. 6. in Verrem, *Aureus annulus, quem habebat, fractus est & comminutus*. Et lib. 6. ad Atticum epist. 3. *Quinti fratris domus conjectu lapidum fracta est*. Certiores vitrei calicis probationes probæ notæ scriptores suppeditant. Apostolicis temporibus proximus fuit Marcus hæreticus & magus, qui testibus Irenæo *lib.* 1. *cap.* 9., & Epiphanio *hær.* 34. vitreum calicem catholicorum morem æmulatus, ut putat Baronius, in mysteriis adhibens, vinum album præstigiis suis mutabat in rubrum, ac si per ejus invocationem sanguis stillaret in calicem. Donatus quoque Episcopus Aretinus & Martyr calice vitreo utebatur, quem fractum a Paganis fusa oratione reparavit, ut scribit Gregorius Magnus *lib.* 1. *Dialog. cap.* 7. S. Hieronymus *in fine epistolæ* 4. *ad Rusticum* laudans Exuperium Episcopum Tolosanum, *nihil*, inquit, *illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro*. Cæsarius item Arelatensis, ut narrat Cyprianus ejus discipulus in vita ipsius, vitreo calice usus est, cujus illa verba referuntur, *An*

Vitreorum tamen antiquior, & frequentior usus.

(6) (7) (8)

non

non in vitro habetur ſanguis Chriſti? quia nimirum aurea, & argentea vaſa pro redimendis captivis diſtraxerat. Calicis quoque vitrei fracti, & meritis S. Laurentii Martyris in ejus Baſilica Mediolanenſi reparati meminit Gregorius Turonenſis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 46. Quod vero plures, præcipue in Gallia (9), tam Epiſcopi, quam Presbyteri vitreo (9)
calice uſi ſint, non in aliquam Eccleſiæ legem, neque in Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudinem, ſed in temporum calamitatem referendum eſt ob barbarorum incurſiones (10), quæ coegerant omne aurum Eccleſiæ pau- (10)
peribus, & in captivitate degentibus erogari, ut Hieronymus, & Cyprianus ſupra citati aſſeverant. S. Benedictus Ananienſis, ut vitæ ejus ſcriptor ait, vaſa ad conficiendum Chriſti corpus nolebat ſibi eſſe argentea: ſiquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea, ſic tandem conſcendit ad ſtannea. Sanctus item Columbanus æneo calice uſus eſt, cujus exemplum Gallus ejus Diſcipulus imitatus vaſa argentea recuſavit, ut habent ejus acta apud Surium *die* 16. *Octobris*. Verum hæc privata illorum opinio fuit, & idem Benedictus mutata poſtmodum ſententia non ſolum calices, ſed & lampades & candelabra, aliaque ornamenta ex argento admiſit. Porro Gratianus *de conſecr. diſt.* 1. *c.* 45., & Ivo *pag.* 2. *c.* 131. ex quodam Concilio Rhemenſi canonem afferunt, quo præcipitur, ne quis in ligneo, aut vitreo calice præſumat celebrare. At quale fuerit hoc Concilium, & quo tempore celebratum, nec illi dicunt, nec mihi libet divinare, licet non ignorem a quibuſdam recentioribus (11) ad ævum Ca- (11)
roli Magni referri, qui tamen ſui dicti nullam afferunt certam rationem. Pluries itaque vetitum, nunquam ſtatutum, aut approbatum legimus calicis lignei, aut vitrei, ſive lapidei, vel cornei uſum (12). Prohibetur (12)
ſimiliter in eodem canone Rhemenſi calix ex ære, vel aurichalco, *quia ob vini virtutem parit æruginem, quæ vomitum provocat*. Mandat autem, ut ſi non ex auro, ſaltem ex argento fiat. Quod ſi quis tam pauper eſt, ut argenteum habere non poſſit, ſaltem ſtanneum habeat. Ricardus vero Cantuarienſis Archiepiſcopus immediatus S. Thomæ Martyris ſucceſſor in Synodo a Rogero Hovedenſi relata præcepit, ne conſecraretur Euchariſtia niſi in calice aureo vel argenteo, & ne ſtanneum calicem Epiſcopus benediceret. Cui conſonans Petrus Damiani *opuſ.* 23. *cap.* 1. acriter invehitur adverſus incuriam Sacerdotum, qui ſtanneis, vel etiam ſupparis cujuſcumque metalli calicibus, eiſque ſordidis utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur.

Calices item ſtannei, & ænei.

(1) *Natalis calicis*). Celebrem fuiſſe hujus diei, feriæ ſcilicet quintæ Majoris hebdomadæ ob Cœnam Dominicam, & Sacrificii Euchariſtici inſtitutionem in ea peractam iſtiuſmodi Natalis Calicis nomenclaturam teſtantur præter Eligium Noviomenſem a Card. allatum, Vita S. Genovefæ apud Surium, & Bollandum die 3. Januarii n. 33. *A die ſancto Epiphaniæ uſque ad Natalem Calicis, qui eſt Domini cœnæ*, &c. Ratramnus Monachus Corbejenſis lib. 4. contra Græcos cap. 3. ex vita S. Silveſtri Papæ: *Natalem Calicis*, inquit, *ſimiliter ut diem Dominicum habere debemus, inquo Sacrificium Dominici Corporis, & divini Sanguinis ab ipſo Domino celebrationis ſumpſit initium*. Huc etiam reſpexit Paſchaſius Ratbertus lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 11. cujus hæc ſunt verba: *Quare aqua in ſanguine plane miſceatur, dum in Natali Calicis factum fuiſſe a Chriſto non legimus, illa permaxima cauſa eſt, quia de latere Chriſti, ubi paſſio completur, ſanguis pariter, & aqua manavit*. Hac item nuncupatione utitur Petrus Bleſenſis in tract. de Euchariſtia cap. 13., dum canit:

Hoc in Natali Calicis non eſt celebratum,
Quando Paſcha novum vetus eſt poſt Paſcha dicatum.

Huc pertinet non prætereunda quæſtio, quam Ferrandus Diaconus Carthaginenſis S. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo Magiſtro ſuo explicandam, ac reſolvendam propoſuit, cui dictus Fulgentius reſpondit lib. de quinque Quæſtionibus, quarum hæc eſt ultima, videlicet „ Quid ſit, quod Lucas Evangeliſta cœnam Domini narraturus, prius eum dicit „ calicem accepiſſe, & diſcipulis dividendum inter ſe continuo tradidiſſe: & tum „ deinde accepto pane dixiſſe: *Hoc eſt Corpus* „ *meum*: & accepto ſimiliter poſtquam cœnavit

An calix a Chriſto Domino in cœna diſcipulis datus fuerit unus aut duplex.

„ navit, calice, tunc dixisse: *Hic calix no-*
„ *vum testamentum est in sanguine meo, qui pro*
„ *vobis funditur*: ista vero quæstione postpo-
„ sita subjungis, & dicis: numquid unus ca-
„ lix secundo est datus, an alius prius, alius
„ postea? & si ita est, inquis, ad cujus Sa-
„ cramentum pertinet ille, de quo maxime
„ cæteri, qui scripserunt Evangelica, tacue-
runt? „ Respondet Ferrando Fulgentius, „ hunc
„ Evangelii locum, inquit, quidam sic in-
„ telligi voluerunt, ut non duos calices a
„ Domino datos adsererent, sed potius per
„ anticipationem dictum esse affirmarent: cæ-
„ terum unum esse calicem, qui & antea
„ dividendus, & postea bibendus commemo-
„ ratur datus esse discipulis. Quidam vero se-
„ cundo datum calicem firmant. Sed sive
„ hoc, sive illud quisque sentiat, talis est
„ uterque sensus, ut a vera fide nullatenus
„ inveniatur extraneus. Hi vero, qui secun-
„ dum datum existimant calicem, hoc factum
„ in significatione dixerunt; adserentes quod
„ in primo calice suam, in secundo vero fi-
„ delium suorum Dominus præfiguraverit
„ passionem. Alii vero dixerunt in utroque
„ calice illud ostendi, quod in veteri Testa-
„ mento *Exod. 12. 5. num. 9. 11.* præcep-
„ tum est, ut qui Pascha primi mensis agnum
„ comedendo non egerit, in secundo mense
„ in hœdi comestione peragat. Videtur autem
„ hic mihi etiam aliud quiddam congruum
„ Christianæ fidei reperiri mysterium: ut in
„ utroque calice utrumque intelligi debeat
„ Testamentum, præsertim quia hoc nobis
„ sic ipsa demonstravit veritas, ut nulla re-
„ maneret quærentibus difficultas: nam ipse
„ Dominus calicem, quem bibendum dedit,
„ novum appellare dignatus est Testamentum,
„ quod Evangelici tenor demonstrat eloquii,
„ siquidem tribus Evangelistis, Matthæo,
„ Marco, & Luca, hoc indubitanter adre-
„ stantibus invenitur, &c. Plura dein in hu-
jus quæstionis, ac mysterii declarationem pro-
fert Fulgentius usque ad finem libri, quæ cum prolixa sint, huc eadem referre subsisto, quæ etiam Lector, si velit, apud ipsum videre poterit in Bibl. P.P. Lugd. tom. 9. pag. 490.

(2) *Bedæ nixus testimonio*) Hunc librum de Locis sanctis non a Beda, sed ab Adamnano Scoto Abbate Hyensis Monasterii conscriptum, eique tribuendum censet Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 6. n. XIII., & ante ipsum Guillelmus Cave in sua Historia Litt. Scrip. Eccl. Verum & suum Adamnanus, qui Bedam pluribus annis præcessit, & suum Beda ab illo in multis excerptum, scripsit, uti utrumque conferenti patet. Ipseque Beda cap. 18. testatur se Adamnani librum in compendium redegisse.

Calix, quem Christus Dominus adhibuit an vere fuerit argenteus, nec ne, & qualis mensuræ.

(3) *Qui argenteus calix*) An vero argenteus fuerit Calix, quem Christus Dominus adhibuit, quando sacratissimam Eucharistiam instituit, non sine fundamento dubitari potest, nam S. Joannes Chrysostomus Homil. 51. in Matth. ait Calicem Domini, nempe, in quo Christus Dominus Eucharisticum sacrificium peregit, non physice, sed mystice pretiosum fuisse, neque ex metallo pretiosiori factum his verbis: *non erat ex argento illa mensa, nec ex auro ille calix, quo Christus Discipulis sanguinem præbuit suum, pretiosa tamen erant omnia, & veneratione plena, quia spiritu abundabant*: Et sane Valentiæ veneratum calicem lapideum ex agatha, quam vocant, quo dicunt usum fuisse Christum Dominum in ultima cœna, scribit Carthagena de Eucharistia homil. 26.

(4) *Sextarii Gallici mensuram capit*). Idem etiam confirmat Adamnanus Abbas præfatus Hyensis lib. 1. de locis sanctis cap. 8. supra cit. Tantæ nimirum capacitatis fuisse credendus est, ut ex eo possent partem suam sumere quotquot illi convivio interfuerunt. Sextarius porro Gallicus tribus vini mensuris, vulgo *chopines* æquivalet, quarum una est quarta pars oenophori Gallici, ita ex Baysio de Re vascularia cheopina dicta, *quod in ea tantum funditur, aut hauritur vini, quantum homo sitibundus uno haustu adsumere possit*. Sic commode duodecim Apostoli convivæ ex dicta sextarii Gallici mensura, suam quisque modicam vini portionem, gustare poterant.

(5) *Quem ab Apostolis, &c.*) Calices quidem ab Apostolis adhibitos in consecratione, ac distributione sanguinis Christi apertissime testatur Paulus in Epistola I. ad Corinth. cap. 10. vers. 16.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Testantur, & antiquissimi Patrum, quibus & posteriores adstipulantur. S. Irenæus lib. 5. adv. hær. cap. 2. *Quando & mixtus calix*, inquit, *& fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis, & Corporis Christi*. Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. *Calicis, aut Panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur*: & lib. de pudicitia, quem in Montani hæresim lapsus scripsit cap. 7., ubi in Catholicos invehens, derisorie Psychicos vocat, *procedant*, inquit, *picturæ calicum vestrorum*, & cap. 10. *si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis*. Calices itaque in sacrificio adhibitos vides. Hinc in re notissima reliquos omitto.

(6) *Ut plerique faciunt, ego non audeo.*) Hos inter Binius in notis ad vitam Zephyrini in Concil. Labbei. At qui credibile est, inquit Eminentissimus Author hic num. 3. Patenas ex eadem materia, qua calices, conflatas fuisse, cum par utrorumque sit ratio. Itaque saltem probabilis eorum opinio, qui ævo Zephyrini, & Tertulliani vitreos calices adhibitos fuisse contendunt. Vide, si placet, clariss. Bencini notas ad vitam Zephyrini in nupera Romana Anastasii Biblioth. editione.

(7) *Quam sacrificio deservisse*). Colligitur id ex memorato Paschasio Ratberto noni sæculi celebri Scriptore, qui, ut ait Sirmondus Operum ipsius Editor, genuinum Ecclesiæ Catholicæ sensum ita primus explicuit, ut viam cæteris aperuerit, qui de eodem argumento multa postea scripsere; ille igitur in libro de Corpore, & Sanguine Domini exponens illa verba Christi: *transeat a me calix iste*: sic inquit, *propter quod & mos inolevit, ut sanguis Christi numquam in catino, numquam in cratere, neque in alio vase, quam*

in

Calices consecrationi tantum, patenæ vero distribuendæ communioni adhibitæ.

in calice consecraretur. Quibus verbis non obscure innuitur calices consecrationi tantum, patenas vero, seu crateres distribuendæ communioni adhibitos fuisse. Eminentissimo nostro subscribunt Bollandiani Socii Propyl. ad Act. SS. Maii in Zephyrino. Item in Paralipomenis ad Conatum in Catal. Pontif. Act. S.S. Maii tom. 7. pag. 38. aiunt enim & ipsi patenas tunc temporis vitreas, vel Eulogias continuisse, vel etiam particulas ad populi communionem consecrandas, quales paulo post a S. Urbano Papa factæ sunt argenteæ, ab aliis etiam aureæ; & quidem has patenas continuisse oblatas, seu particulas ad communionem probat Henschenius ibi ex veteri Ordine Romano; quare non recte Binius ad vitreos calices hoc loco nos revocat. Porro de calicibus, patenis, aliisque vasis vitreis sacro antiquitus Ministerio dicatis, quorum aliquot nuper in variis Urbis cœmeteriis reperta, & effossa visuntur, vide M. Ant. Boldettum Observ. in Cœmet. SS. Mart., quas italice edidit lib. 1. cap. 39., vide etiam Anastasium noviss. editum a Blanchino tom. 3. in notis ad vitam Zephyrini Papæ pag. 168.

(8) *Alii huc pertrahunt Tertullianum*) Pamelius in hunc Tertulliani locum, Baronius an. 216. num. 13., & in notis ad *Martyrol. Rom.* die 7. Augusti. At Cardinali nostro subscribit Philippus Priorius ad hunc eumdem Septimii textum: *Quod enim*, inquit, *affert Pamelius de calicibus vitreis, stanneis, aureis, argenteis, ex decretis Pontificum ad hunc locum minime pertinere existimo*. Porro de vitreis calicibus optime disseruit Andreas Saussajus Panopliæ Sacerd. parte 1. lib. 8. cap. 4., 5., & 6.

Vitreorum calicum usus olim in Gallia sec. v. & fortassis usque ad xii.

(9) *Præcipue in Gallia*). Extat egregium Testimonium ad confirmandum vitrei calicis, & vitrearum patenarum usum in Gallia sæculo v. ex vita S. Hilarii Arelatensis ab Honorato Episcopo Massiliensi conscripta desumptum; legitur hæc apud Henschenium, & Papebrochium tom. 2. Sanctorum Maii pag. 28., ubi hæc num. 11. referuntur: *Tractavit secum, deliberavit, & fecit, ut sacra Ministeria* (Bollandiani legendum autumant, *ut sacra divinis mysteriis vasa*) *captivis solatia potius præstarent, quam Ecclesiis ornamenta, quidquid argenti omnes Ecclesiæ habuerunt, captivorum redemptioni protinus deputavit, cumque omnia cognovisset expensa, exultans, atque congratulans; quia vota fidelium dispensatione sua videbat cæli in sedem præmissa; numquidnam poterit existimari quantum visceribus ejus insederit pietas, qui usque eo credidit omnia distrahenda, quousque ad patenas vel calices vitreos veniretur.* Vitreos calices usque ad sæculum xii. perdurasse, ac forte in usu fuisse conjicitur ex eo quod legitur in Chronico Abbatiæ Aurelianensis, quod edidit Mabillonius Analect. vet. in fol. pag. 350. narratur enim, quod Comitissa Narbonensis eodem tempore obtulit calicem chrystallinum plurimis lapidibus pretiosis ornatum.

(10) *Ob Barbarorum incursiones*) Ita sub initium viii. sæculi Ægyptii vitreos calices adhibuerunt in sacrificio, cum Alexandrina Ecclesia aureis, & argenteis, quas ante possederat, spoliata fuisset. Discimus id ex responso Alexandri Jacobitarum Antistitis, qui rogatus, ut consuetam eleemosynam fer. 3. Paschatis erogaret, hisce se excusavit: *Videte fratres quanta Ecclesiarum spoliatio facta sit, adeout pro calicibus aureis, & argenteis, in quibus offerebatur sanguis pretiosus, fecerimus vitreos, & discos, seu patenas sacras ex ligno.* Vide Renaudotium in historia Patriarcharum Alexandrinorum p. 193.

Item apud Ægyptios sec. octavo.

(11) *A quibusdam recentioribus*) Ita Annalium parens, Severinus Binius in notis ad vitam Zephyrini Pontificis; Bosius Romæ subterr. lib. 6. cap. 18. pag. 551., & clar. Blanchinus in notis historicis ad Anastasium Biblioth. tom. 2. pag. 172. De hoc Concilio ita pronunciat Guillelmus Marlot Hist. Eccl. Rhemen. lib. 3. cap. 17. pag. 370. „ Porro „ quod Cardinalis Baronius in notis ad Martyrol. Rom. 7. Idus Augusti refert in Concilio Rhemensi sub Carolo Magno calicem „ vitreum vetitum fuisse, idque laudabiliter „ ob periculum, quod immineret materiæ fragili, in vulgatis exemplaribus non legitur; „ verisimile tamen est, si non Rhemis, saltem alicubi per illud tempus id fuisse prohibitum; Cum Leo IV., qui Sergio II. successit an. 847. in homil. de Cura Pastorali stricte, ac nominatim præcipiat inter alia, ut nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat Missam celebrare.

(12) *Vel Cornei usum*) Et quidem Concilium Calcutense in Anglia anno 787. celebratum cap. 10. Concil. tom. 6. col. 1865. vetuit, *ne cornu bovis calix, aut patina fieret ad sacrificandum*. In Synodali admonitione Leoni Papæ IV. adscripta, quam sub ævum S. Bonifacii Moguntini conditam fuisse putat Stephanus Baluzius Not. in Regin. pag. 534.: *Statuitur, ut nullus in vitreo, aut ligneo calice audeat Missam cantare.*

§. II.

Ecclesiam nonnisi aureos, & argenteos Calices approbasse. Additæ his gemmæ, & alia ornamenta. Quidam Calices cum ansis. Quidam majores, & minores; ministeriales, & Baptismi.

HÆc mihi de calicibus ex ligno, vitro, aliave materia præter aurum, & argentum non fabricandis ex veterum monumentis comperta sunt; ex quibus colligitur orthodoxam Ecclesiam semper, & ubique

Ecclesia semper & ubique in hoc conspiravit ut aureis, vel argenteis Calicibus Sacerdotes uterentur.

que in hoc conspiraſſe, ut aureis vel argenteis Calicibus Sacerdotes uterentur (1). Urbanum Primum feciſſe omnia miniſteria ſacrata argentea, (1)
& patenas argenteas 25. appoſuiſſe, narrat ſub nomine Damaſi auctor libri Pontificalis: non tamen hinc inferendum, ut quidam (2) perperam (2)
faciunt, tunc primum ex argento cuſos Calices fuiſſe. Nam liber Pontificalis refert quid ille fecerit, quid vero ab aliis ante ipſum factum ſit, & quibus vaſis uſi ſint, non dicit. Contrarium potius evincitur ex facto S. Laurentii martyris integro fere ſeculo ante Urbanum (3), qui ut ſcri- (3)
bit S. Ambroſius *lib.*2. *de Officiis c.*28. juſſus a Sixto Pontifice aurum Eccleſiæ pauperibus erogare, martyrium ſubire maluit, quam S. Pontifici non obedire. Aurum igitur egenis diſtribuit, vaſa Sacramentorum vendidit: quia in uſus pauperum, ut ibidem docet Ambroſius, vaſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Eleganter Prudentius *Hymno* 2. *de coronis* perſecutorem introducit petentem a Laurentio inter Eccleſiæ theſauros etiam vaſa ſacra his verſibus.

Hunc eſſe veſtris orgiis (4) (4)
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Litent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.
Tunc ſumma eſt cura Fratribus,
Ut ſermo teſtatur loquax,
Offerre fundis venditis
Seſtertiorum millia (5). (5)

Idque etiam primis ſeculis, cum fideles pretia ex venditis poſſeſſionibus Apoſtolis in communem Eccleſiæ uſum deferrent.

Hic mos fuit primorum Chriſtifidelium, qui venditis poſſeſſionibus pretia Apoſtolis in communem Eccleſiæ uſum afferebant. Non ergo deerant Apoſtolis nummi, quibus & fratrum neceſſitatibus providerent, & quæ ſpectabant ad uſum Sacrificii, compararent. Curaſſe autem ut ea maxime decentia eſſent, & ut vaſa ſacra ex pretioſo metallo fabricarentur, non levi conjectura inferre poſſumus ex eorum pietate & maxima veneratione, qua divina myſteria Corporis & Sanguinis Chriſti proſequebantur. Derivata ab illis ad poſteros hæc cura & religio eſt, adeo ut etiam ſæviente perſecutione aureos & argenteos Calices Eccleſiam habuiſſe fide digniſſimi ſcriptores teſtentur. Optatus Milevitanus *lib.* 1. loquens de Menſurio Epiſcopo, *erant*, inquit, *Eccleſiæ ex auro & argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat*. In his autem ornamentis potiorem locum calices obtinuiſſe, nulli dubium eſſe poteſt; nam *lib.* 6. inter ſcelera Donatiſtarum hoc etiam recenſet, quod calices fregerint: *Fregiſtis*, inquit, *calices Chriſti Sanguinis portatores, quorum ſpecies revocaſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes. Emerunt forſitan in uſus ſuos ſordidæ mulieres: emerunt Pagani facturi vaſa, in quibus incenderent idolis ſuis*: Ex quibus verbis duo evidenter deducuntur, unum quod etiam ſub ethnicis Principibus Chriſtianorum perſecutoribus, quibus imperantibus Donatiſtæ eruperunt in Africa, habebat Eccleſia vaſa aurea & argentea: alterum, quam inepte viri alias non indocti eam Optati ſententiam, *fregiſtis Calices*, afferant ad probandum, quod calices tunc vitrei fuerint, a qua inconſulta opinione proculdubio receſſiſſent, ſi integrum Optati textum legiſſent: neque enim vitri fragmenta vendi poterant, & in Paganorum vaſa conflari. Extant acta Proconſularia adverſus Traditores ſub

 Dio-

Diocletiano, & Maximiano apud Baronium *tom.* 2. *anno* 303. quorum meminit Augustinus *Epist.* 165. *ad Generosum*, & *in libris adversus Cresconium*, ex quibus constat traditos a Donatistis non solum sacros Codices juxta edictum Diocletiani, sed etiam calices aureos & argenteos (6). (6)
Huc item spectat quod Gregorius Turonensis scribit *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 38. in cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu persecutionis sacris operari consueverant, varia ministeria argentea reperta fuisse. Sopitis vero persecutionibus sub Constantino Magno, & deinceps cœperunt Ecclesiæ aureis, argenteis, & gemmatis calicibus abundare.

Iisque vasis pretiosis etiam ac gemmatis Constantini Magni ævo abundabat Ecclesia.

Ipse Constantinus, ut liber Pontificalis in Silvestro recenset, Ecclesias quas ædificavit, sacris donariis locupletans, inter cætera fecisse dicitur calices minores ex auro purissimo XL. pensantes singulos libras singulas: calices ministeriales L. pensantes singulos libras binas: calices argenteos XX. pensantes singulos libras decem. Celebre est viri impii convitium, quem cum misisset Julianus Apostata ad expilandum Templum Antiochenum, ut refert Theodoretus *lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 8. sacrorum vasorum, quæ Constantinus donaverat, magnificentiam admirans, *en*, inquit, *cujusmodi vasis filio Mariæ ministratur*. Basilicam Principis Apostolorum plurima ex auro & argento vasa & ornamenta possedisse, quando Alaricus Gothorum Rex Urbem diripuit, Paulus Orosius *lib.* 7. jucunda & memorabili Historia enarrat (7). Augustinus *Conc.* 2. *in Ps.* 113. (7)
explicans versiculum, *simulacra gentium argentum & aureum*, ait: sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur (8). Chrysostomus aureum calicem & (8)
gemmis ornatum commemorat *Hom.* 51. *in Matthæum*. Agathias *lib.* 2. *de rebus Justiniani* gentem Alemannicam templa expilasse ait, amulas, calices, acerras, & alia vasa ex puro auro diripuisse. Ipsemet Chosroes Rex Persarum tametsi infidelis, ut refert Theophylactus Simocatta *lib.* 5. *Histor. cap.* 13. Sergio martyri crucem auream, & gemmatam dono dedit ob victoriam ejus ope obtentam; itemque calicem, & discum, & thuribulum aurea omnia, ut ejus intercessione prolem haberet a Sira conjuge, quæ erat Christiana (9). S. Perpetuus Turonensis Episcopus duos (9)
calices aureos Ecclesiæ suæ legavit, ut legimus in ejusdem testamento nuper edito *Tomo* 5. *Spicilegii*. Childebertum Regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse scribit Gregorius Turonen. *lib.* 3. *Hist. Franc. cap.* 10. Omitto reliquos ejusdem vel sequentium seculorum, quorum testimonia in re clarissima superflua sunt. Inter calices autem aureos, gemmis distinctos, & argenteos, quos Ecclesiis donatos legimus, nonnulli passim occurrunt magni ponderis non

Atque etiam magni ponderis, non usui, sed ornamento donati.

usui, sed ornamento. Conradus Episcopus in Chronico Moguntino sacra vasa illius Ecclesiæ describens calices recenset tantæ quantitatis, quod cum ipsis divina mysteria nequaquam poterant celebrari: quorum unus duas habebat ansas, quæ poterant manus replere levantis. Carolus Magnus apud Anastasium in vita Leonis III. obtulisse dicitur calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras LVIII. Idem Anastasius in Gregorio III. commemorat inter donaria calicem cum gemmis pensantem libras XXXIV. & in Leone IV. calices majores ex argento purissimo, qui pendent, inquit, in arcu numero X. & alios, qui pendent inter columnas numero XL. pensantes simul libras CCLXVII. (10). Et in Pascha- (10)
li I. Fecit calices majores ex argento pendentes numero XLII. qui omnes simul pensant libras CCLXXXI. Habebant hi catenulas & ansas, qui-

bus

bus ante Altare diebus festis appendebantur. Iterum in Leone III. Fecit calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras XXXVI. Eumdem dedisse ait S. Petro calicem aureum præcipuum tetragonum spanoclystum diversis ornatum lapidibus pretiosis pensantem libras XXXII. necnon & patenam auream spanoclystam miræ magnitudinis gemmis decoratam pensantem libras XXV. & uncias IX. In his observandum non solum majores, qui ad ornatum erant, sed alios etiam ad usum Sacrificii ansatos olim fuisse. Ordo Romanus agens de officio Missæ, *levat*, inquit, *Archidiaconus calicem per ansas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Magnum Chronicon Belgicum Calicem aureum commemorat habentem duas auriculas, quem S. Henricus Imperator Ecclesiæ S. Laurentii obtulerat. Ideo autem ansatos fuisse puto, ut commodius tractari possent, & illis porrigi, qui ex ipsis Christi Sanguinem haurire solebant. De Calice S. Remigii, qui propter imagines in eo incisas *imaginatus* dicebatur, & de versibus in eo sculptis legendus Flodoardus *lib. 1. Histor. Rhemen. cap. 10. & 18.* (11). Erant & calices baptismi, ut colligitur (11)
ex Anastasio in Innocentio I. quibus mysticum poculum lactis & mellis recens baptizatis porrigebatur, de quibus non est hic locus disserendi. Constat quoque ex antiquis Ritualibus plures in uno sacrificio adhibitos olim Calices, quorum unus ipsi sacrificanti, Ministris, & aliis Sacerdotibus, si qui erant prisco ritu concelebrantes, inserviebat: alii plures vel pauciores pro numero fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores & capaciores erant, & dicebantur ministeriales, quorum sæpe fit mentio in vitis Pontificum. Respexit ad hanc calicum pluralitatem Liturgia Jacobi, in qua Diaconis præcipitur, ut attollant discos, id est Patenas, & Calices ad impartiendum populo. Simili modo in Constitutionibus Apostolicis monentur Diaconi prætervolantes bestiolas abigere, ne in pocula incidant. Permansit hæc consuetudo usque ad tempora Gregorii II. qui in Epist. 14. qua respondet consultationibus S. Bonifacii, constituit ne plures Calices in Altari ponerentur, eo quod hic usus institutioni Christi non conveniret, qui omnes de uno & eodem Calice communicavit: cujus rationis pondus non est meum examinare. Observo tamen Gregorii II. seculo communicantium numerum adeo imminutum fuisse, ut plures Calices necessarii non fuerint. Sublata denique communione sub utraque specie, mos ille prorsus abolitus est. Armenii duos Calices adhibent in Missa, sed alter Patenæ Latinorum, sive Græcorum disci vicem gerit, in quo Panem consecrandum ponunt, in altero autem Vinum (12). (12)

Calices isti non solum ad ornatum, verum & ad usum Sacrificii destinati olim fere omnes ansati.

(1) *Vel argenteis calicibus Sacerdotes uterentur*) Et quidem id miraculose a Deo demonstratum fuisse legitur in magno Belgii Chronico pag. 210. ad ann. 1202. *In partibus Asiæ Majoris versus Mesopotamiam quidam Jonas vir venerabilis erat Patriarcha in Civitate Susis, in cujus manibus dum Missam celebraret more gentis suæ, hoc est secundum consuetudinem Syrianorum, tale fertur accidisse miraculum, ut panis ille magnus fermentatus, unde fiebat Sacrificium, in parvam, & pulchram hostiam ad morem Sacrificii Latinorum converteretur, & calix ligneus destrueretur cum cochlearibus, reperto vero sanguine in argenteo calice: Unde plures Syrianorum Ecclesiæ de die in diem per hoc miraculum cœperunt converti*; Hæc Anonymus Author, qui seculo XV. floruit; cujus tamen hujusmodi miraculosam narrationem alibi nec apud Assemanum, nec apud alios Syriacarum rerum nuperos Scriptores relatam hucusque vidi.

Calix ligneus miraculose in argenteum commutatus apud Syros.

(2) *Ut quidam &c.*) Inter quos Joseph Vicecomes Lib. de Ritibus Missæ.

(3) *Integro fere seculo ante Urbanum*) Hoc loco proculdubio memoria lapsus, & hallucinatus in Sixto Emin. Author (quod humanum est) levi quidem, sed aperto excidit anachronismo; Sanctus enim Laurentius post Urbanum vixit, non antea, cum fuerit Diaconus Sixti II. (non I. ut ipse inadvertenter arbitratus scripsit) qui passus est an. 258. ac sedente eodem Pontifice Martyrium subierit, uti omnibus notum; quod & pridem observavit Franciscus Pagius, Antonii

Card. Bonæ nævus excusatur.

Nepos Brev. Gest. Pontificum in Urbano I. Non mirandum autem profecto erit, quod hac in parte vir summus excesserit, cumquandoque bonus dormitet Homerus, ac non ita facile occurrat primis tribus Ecclesiæ seculis inter Romanos Pontifices ejusdem nominis secundus. Constat porro etiam aureos, & argenteos calices Ecclesiam Africanam habuisse temporibus Diocletiani; id enim satis declarant Acta Cirtensia ab Augustino relata in Breviculo Collat. cum Donatistis die 3. c. 13. Oper. Tom. 7. Item Gesta Traditoris Silvani, ut infra.

Orgia quid apud Christianos preces dicta.

(4) *Vestris Orgiis*) Hoc orgiorum nomine qualibet sacra apud Græcos significabantur teste Servio apud Virgilium lib 4. Æneid. vers. 302., quamvis postea singularius Bacchi sacris hæc vox attributa sit, sic dicta ab *orgi*, idest furor, seu impetus, quo ejusmodi sacra peragebantur, quæ etiam plerumque in montibus fiebant; hinc derivati Bacchantium furores. Preces item hoc nomine apud Christianos indicatæ videntur apud Fridegodum in vita S. Wilfridi Episcopi c. 7. his versibus.

Fædere consorti servabant, sitaque vulgi
Ardentes animis subdi cælestibus orgiis.

Et cap. 12.: *Dum tensis alta peverrant*
Marmora, Psalmigraphi recolentes orgia velis.

Item apud Anast. Biblioth. in Epitome Chron. Casin. a Muratorio edita Tom. 2. pag. 262. col. 2. *Sedem Apostolicam protege &c. Et Christo pro omnibus Orgias funde, quatenus hic, & in æternum omnes tuo munere lætemur.*

(5) *Sestertiorum millia*) Sed & idem Prudentius ibi paulo post inducit ipsum Sanctum Martyrem Ecclesiæ divitias confitentem his verbis:

Sacræ Ecclesiarum divitiæ in Altaris ministerio sec. tertio.

Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque, & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus Arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur,

Porro de hujus sestertii voce, ac significatione vide Vossium in Etymologico, & Martinii Lexicon.

Fœdem secundo, & quinto.

(6) *Sed etiam calices aureos, & argenteos*) Ibi enim refert Acta publica, in quibus Paulus Constantinensis Episcopus scribitur tradidisse *Instrumenta Dominica, capitulatam argenteam, & argenteam lucernam.* Et quidem anno 320. inter Gesta Traditoris Silvani apud Baluz. Miscell. Tom. 2. pag. 93. *Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea, cucumellum argenteum, lucernæ argenteæ septem &c.* traditæ a Donatistis numerantur.

(7) *Jucunda, & memorabili historia enarrat*) Quam describit cap. 39. ubi ait militem Arianum vasa sacra extorquere voluisse a quadam Virgine, cui custodienda commissa erant: *Tum expositis opibus attonitum fuisse barbarum magnitudine, pondere, pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate, cui virgo illa dixit: hæc Petri Apostoli ministeria sunt.* Sanctus Paulinus Nolanus Ecclesiarum pretiosa vasa, & ornamenta auro, argentoque, ac gemmis decorata diserte in suis Natalibus describit, & quidem Natali 6.

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris;
Hi læves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Inter alia pretiosa insignia Lucernas argenteas, Scyphos, Cruces, Coronas, aliaque memorat, uti ex Natali XI. - - *Minus esset*
Criminis, & pretii suspensam Altaris ab ora
Longius, argentoque levem emendare lucernam - Et infra:
Comiaeum Scyphus est argenteus aptus ad usum.

Crux porro non auro tantum gravis erat, sed & gemmis concinne exornatam gerens coronam sui pretium augebat.

Quæ simul & variis scite distincta lapillis
Parva corona subest variis circumdata gemmis.

Varia sacris vasis nomina a Patribus imposita.

(8) *Consecrata Sancta dicuntur*) Idem S. Augustinus contra Cresconium lib. 3. cap. 39. S. Athanasius in Epistola ad Orthodoxos; S. Ambrosius Offic. lib. 2. cap. 28. supradictis adstipulantur. Eapropter hæc sacra Instrumenta *Vasa Dominica* passim a veteribus nuncupantur; Concilium Arelatense ann. 314. celebratum Can. 13. apud Labbeum Concil. Tom. 1. col. 1428. sacros Calices, *vasa Dominica* vocat. S. Athanasius Apologia I. contra Arianos Tom. 1. nov. Edit. pag. 133. num. 11. *poculum mysticum*, calicem appellat. Ita etiam Ambrosius loco mox indicato num. 143., & *vasa Sacramentorum* ea dixit, in quibus Christi Corpus, & Sanguis conficitur. Item Synesius Cyrenensis in Catastasi pag. 301. *vasa mystica* nominat.

(9) *Quæ erat Christiana*) In supplici libello adversus Ibam Episcopum Edessenum crimini dabatur eidem, *quod Calicem gemmatum magni pretii* oblatum a quodam Sancto viro inter vasa Ecclesiæ non reposuerit, nec sciretur, quid factum de eo ab ipso fuerit. Ita ex Conc. Chalcedonensis Act. x. Conc. Tom. 4. col. 648., uti etiam infra num. sequenti Emin. Author.

(10) *Libros CCLXVII.*) Item in eodem: nam & obtulit super Ciborium coronas quatuor, & calices sexdecim ex auro mundissimo. Ludovicus etiam Imperator Pius dictus Caroli Magni filius calicem aureum cum patena pariter ex auro Ecclesiæ donavit in honorem S. Sebastiani Mart. uti ex ejusdem Sancti Historia ab Anonymo Vesontionensi Monacho scripta a Chiffletio primum edita, deinde a Bollando ad diem 20. Januarii Tom. 2. cap. 19. pag. 295.

(11) *Lib. 1. Hist. Rhemen. cap. 10. & 18.*) Videndus item Hincmarus ejusdem successor in ipsius Vita apud Surium 15. Januarii, ubi & indicatos versus recitat, ut sequuntur:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

De hoc calice subdit Author, eumdem usque ad sua tempora permansisse, & postea in redemptionem captivorum insumptum; *quod vas usque ad nostra tempora perduravit,*

donec

donec fusum in redemptionem datum est Christianorum, ut a ministris diaboli Northmannis redimeret pretium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus Sanguis Calicis Christi, videlicet Passionis. De Sancto Barbato Episcopo Beneventano item legitur apud Bollandum 19. Februarii, quod conflato quodam Gentilium Idolo aureo, ex ipso calicem, & patenam ad divini Sacrificii ministerium efformari fecit. Habebant & Monasteria Monachorum seculo sexto calices, & patenas ex auro, argentoque conflatas; nam S. Aredius Attanensis in Lemovicis Abbas testamento scripto anno Domini 571. apud Mabillonium Analect. vet. Tom. 2. p. 48., & de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 7. n. 6. inter cætera hæc de sacris ornamentis, & vasis exaravit: *Quod unusquisque locus Sanctus constitutus ibi habeat ministerium declaratum, rectum duximus inserendum, idest Turres IV. coopertuiolos olosyrieos tres, calices argenteos quatuor, duo ansati &c. . . . . duo ex ipsis auro sunt fabricati, patena argentea valens solidos, &c.* S. Benedictus Ananiensis Abbas, qui initio in sacris vasis aurum, & argentum, utpote quid pretiosum aversabatur, postea mutata mente *pretiosa vestimenta Ecclesiastica, calices argenteos prægrandes, offertoria argentea, & quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo eum studio acquisivit*, ut ad finem vitæ ejus ab Ardone Smaragdo scriptæ narratur apud Bollandum Act. SS. Februarii Tom. 2. pag. 620. & apud Mabillonium sec. 4. Bened. Parte I. pag. 196. ubi & additur simile studium Guillelmi ex Comite Monachi Gellonensis. De reliquis porro Monasteriorum donariis vide Clar. Virum Dominicum Georgium Rhodiginum in suis Disquis. de sacr. minist. Præl. ad Liturg. Rom. Pont. pag. LXII. & seqq.

Seculo sexto apud Monachos erant Calices, ac patenæ ex auro, & argento conflatæ.

Hanc notam cum Paragrapho claudam præclaris Sugerii Abb. Sandionysiani verbis lib. de rebus in administratione sua gestis apud Duchesnium Script. Francic. Tom. 4. pag. 335. *Abundet*, inquit, *unusquisque in suo sensu, mihi fateor hoc potissimum placuisse, ut quæcumque cariora, quæcumque carissima Sacrosanctæ Eucharistiæ administrationi super omnia deservire debeant. Si libatoria aurea, si phiale aureæ, si mortariola aurea ad collectam sanguinis hircorum, aut vitulorum, aut vaccæ rufæ, ore Dei, aut Prophetæ jussu deserviebant; quanto magis ad susceptionem Sanguinis Jesu Christi vasa aurea, lapides pretiosi, quæque inter omnes creaturas carissima, continuo famulatu plena devotione exponi debent &c.?* In id etiam allusit sexto seculo Venantius Fortunatus loquens de Turri aurea, seu ciborio ad recondendam sacrosanctam Eucharistiam a Felice Bituricensi Episcopo erecta lib. 3. Carm. num. 25.

Quam bene juncta decent, sacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Et certe non solum sub Principibus Christianis, sed etiam sævissimarum persecutionum temporibus aurum, aliave pretiosiora metalla ad usum sacrorum in vasa, & Ecclesiæ ornamenta conversa fuisse ex dictis plane constat, ut nihil ferme addendum supersit.

(12) *In altero autem Vinum*) Porro de sacris antiquorum Calicibus, eorumque materia, forma, variis speciebus, figuris, & nominibus legendi Joseph Vicecomes de Missæ appara. lib. 6. cap. 8. usque ad 17. Casalius de vet. sac. Christ. rit. cap. 11. Andreas Saussajus in sua Panoplia Sacerd. lib. 8. a pag. 182. usque ad 281. Aloysius Novarinus Sacr. Elect. lib. 5. cap. 94. 95., & 96. Ant. Bellotte in suis Observ. ad Rit. Laudunensis Eccl. p. 446. & seqq. Severanus, & Arringhius Romæ Subterr. lib. 4. cap. 37., & 47., & lib. 6. cap. 50. Item Marcus Ant. Boldettus in suis observat. ad Cæmeteria lib. 1. cap. 39. ubi plura in hanc rem; Dominicus Georgi de Liturgia Rom. Pontif. Disquisit. de sacr. Minist. cap. 3. Et inter heterodoxos Joannes Dougthei Anglo-Britannus in libro, cui titulus de Calicibus Eucharisticis veterum Christianorum; necnon Gotofredus Voigt in suo lib. de Altaribus vet. Christianorum cap. 12. num. 10. & seqq.

Indicantur Authores, qui de sacris Calicibus antiquis scripserunt.

§. III.

De Patena, ejusque forma & materia. Tangere vasa sacra quibus liceat. Ad quem olim spectaret illorum custodia.

ANnexa Calici est Patena, quæ ejus operculum est, & quæ reponendæ hostiæ inservit, sic dicta a patendo, qua voce usus est Columella *lib.* 12. *cap.* 43. genusque vasis apud profanos Scriptores significat latis & patentibus labris. Græci *discon* vocant. Sed discus magis cavus & capacior est, ne panis & micæ excidant. Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas sæpe memorat Anastasius inter donaria Pontificum pensantes XXV. vel XXX. libras. Et in Leone III. meminit patenæ majoris aureæ cum gemmis & ansis duabus. Porro istæ cum tantæ magnitudinis essent, usui esse non poterant Sacerdoti celebranti. Erant autem & patenæ ministeriales cæteris ampliores, quæ distribuendæ populo Eucharistiæ deserviebant. Erant & Chrismales ad usum Baptismatis, & Confirmationis. Ex eadem materia qua calices conflatas fuisse

Patenæ ejusdem materiæ ac Calices, quarum aliæ erant ministeriales, aliæ Chrismales dictæ.

fuisse, cum par utrorumque sit ratio, credibile est. Zephyrinus vitreas fieri sancivit, Urbanus argenteas, quod qualiter intelligi debeat, jam supra dictum est. An Christus consecratum panem in disco, seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistæ: ejus tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Jacobi ostendit. Sculptum in patena vultum Salvatoris referunt Anastasius in vita Gregorii IV., & Joannes Diaconus in vita Sancti Anastasii Episcopi Neapolitani. Utriusque vero tam calicis, quam patenæ extat in Ordine Romano consecratio, unctione Chrismatis, certisque precibus adhibitis, quem ritum e veteri testamento ad novum profluxisse reor. Ideo vetitus utriusque tactus profanis hominibus decreto Sixti I. a quo ait liber Pontificalis, constitutum, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a sacris Ministris. Decreto item Concilii Laodiceni sub S. Silvestro cap. 21. sancitum est, non oportere Subdiaconum vasa sacrata contingere. Et Concilium Agathense cap. 66. statuit, non oportere insacratos ministros vasa Dominica contingere (1). Quod vero attinet ad Subdiaconos, data illis facultas est ea tangendi in Concilio Bracarensi primo sub Joanne III. can. 28. *Placuit ut non liceat cuilibet ex lectoribus sacra Altaris vasa portare, nisi his qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.* Acolythis etiam eamdem licentiam concessam ex Ordine Romano manifestum est. His custodiendis sacrorum vasorum Custos, quem Græci Scevophylacem & Cemeliarchen vocant, olim deputabatur, cujus inter officia, & dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ meminit Codinus *cap.* 1. Fungebatur hoc officio in Ecclesia Romana S. Laurentius, de quo Prudentius sic canit. (1)

Calices ac patenas tangere non sacratis personis vetitum.

Hic primus e septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior,
Claustris Sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus.

Neque licitum unquam fuit extra Scevophylaceum, seu Diaconicon, quod Latini Secretarium dicebant, illa asportare, aut in domibus privatis conservare. Hinc Athanasius *Apolog.* 2. a calumnia confracti Calicis, quam finxerant adversus ipsum Ariani, sufficienter se purgat dicens locum illum, in quo confractum poculum jactitabant, Ecclesiam non fuisse, nec quemquam Presbyterorum ei loco vicinum repertum esse, cum mysticum poculum nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides inveniatur. In Concilio item Chalcedonensi inter crimina, quæ Ibæ Episcopo Edessено objecta fuerunt, secundum hoc fuit, quod Calicem gemmatum magni pretii inter vasa sancta Ecclesiæ sub custodis cura non reposuerit, & nescirent quid de eo factum esset (2). Idem mos semper & ubique in (2)
Ecclesia invaluit, ut vasa ministerii neque in privata domo, neque a profanis hominibus, sed in æde sacra a ministris Ecclesiasticis solicite & caute servarentur (3). (3)

(1) *Vasa Dominica contingere &c.*) Itidem in Constituto, quod Sancti Silvestri nomen præfert cap. 9. sic legitur: *Nullus Lector, vel Ostiarius vasa sacrata contingeret &c.* Et sane si Vestes sacræ *nec ab aliis debent contingi, nisi a sacratis hominibus, ne ultio quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima*: uti habetur in cap. *Vestimenta*, Dist. 1. de Consecratione, quæ Decretalis Stephano I. Papæ, ex ejus Epistola ad Hilarium Episcopum tribuitur: quanto magis vasa sacra, calix, patena, pyxis &c. quæ Christi Domini Corpus, & Sanguinem immediate contingunt, a non sacratis hominibus tangenda non erunt? Eapropter

S.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Apologet. hæc scripsit: *Illud insuper scio . . . . . . nec Sacerdotalem Stolam , nec vas aliquod sacrum cuivis attingere licuisse* . In re notissima alia proferre supersedeo.

(2) *Quid de eo factum esset*) Ut nonnulla nos etiam de Patenis dicamus ; tres patenas Sancti Martini memorat Gregorius Turonensis de Miraculis ejusdem lib. 4. cap. 10. quarum una erat *colore Sapphyrino* , *quam dicitur Sanctus de Maximi Imperatoris thesauro detulisse* . Et paulo post : *est & apud Condatensem vicum alia quoque patena a Sancto exhibita metallo chrystallina &c.* deinde subdit Gregorius , quod qui cum his patenis aquam hauriebant , a morbis levabantur . An autem S. Martinus his patenis in celebratione Missarum usus fuerit , non plane constat ; quare & dubium est , num hæ Patenæ , de quibus Gregorius hic loquitur , adnumerandæ sint inter vasa sacramentorum , quemadmodum adnumerandæ censentur *quindecim Patenæ* , *sexaginta Calices* , *viginti Evangeliorum capsæ omnia ex auro puro* , *ac gemmis pretiosis ornata* , quæ ex Hispaniis Childebertus Rex detulit , nec ea passus est confringi , sed *cunctis Ecclesiis* , *& Basilicis Sanctorum dispensavit* , *ac tradidit in ministerium* : uti idem Gregorius narrat lib. 3. Hist. Franc. cap. 10. Item de patenis meminit idem Gregorius in libris de Glor. Martyrum lib. 1. cap. 13. , & de miraculis S. Juliani cap. 8. Videndus insuper de iisdem Cangius in suo Lexico verbo *Patena* . Itemque Authores supra citati de Calice.

(3) *In æde sacra . . . . . sollicite & caute servarentur*) Videlicet in sacrario , vulgo sacristia , quæ Walafrido Straboni lib. de Rebus Eccl. cap. 6. *Sacrarium dicitur* , *quia ibi sacra reponantur* , *& servantur* . Inde derivatus sacrorum Custos , Sacrista , idem qui Thesaurarius Durando in Rationali lib. 2. cap. 1. num. 14. cujus officium apud plerosque describitur , videlicet apud Udalricum Consuetud. Cluniacen. lib. 3. Bernardum Monachum in Constit. cap. 51. & 52. Concilium Toletanum in lib. 1. Decret. tit. 26. cap. 1. ubi hæc leguntur : *Ut sciat Sacrista se subjectum Archidiacono* , *& ad ejus curam pertinere custodiam sacrorum vasorum* , *vestimentorum Ecclesiasticorum* , *seu totius thesauri Ecclesiæ* &c. Plura de Sacristæ officio vide apud Cangium in Glossario , copiosiora vero apud Angelum Rocca de Sacrario Apostolico , Oper. Tom. 1. pag. 322. ac sequentibus , ubi fuse de Sacristæ nomine , ejusque officio luculenter disserit.

Vasa Ministerii in æde sacra a personis Ecclesiasticis custodita.

§. IV.

De aliis vasis , seu instrumentis ad Sacrificium spectantibus , ac primum de fistula , qua Sanguis Domini a Calice hauriebatur . Varia ejus nomina . Cur Sanguinis communioni confirmationis nomen tributum . Locus Ambrosii perperam correctus restituitur . De usu fistulæ .

PRæter Calicem & Patenam alia sunt vasa & instrumenta , quæ remotius ad Sacrificium spectant , & ideo non consecrantur . Ea enumerat Ordo Romanus , ubi agit de ordine celebrandæ Missæ ; & passim occurrunt apud Anastasium inter donaria Summorum Pontificum . Ab his paucis me expediam , nam si fusius & singillatim cuncta prosequi vellem, nimis in longum extenderetur hæc disquisitio . Ordior a digniori divinum Sacramentum propius attingente , nempe a fistula seu cannula aurea vel argentea , qua Sanguis Christi olim e Calice hauriri solebat . Ejus usum explicat Ordo Romanus his verbis . *Diaconus tenens Calicem & Fistulam stet ante Episcopum* , *usque dum ex Sanguine Christi quantum voluerit* , *sumat* , *& sic Calicem* , *& Fistulam Subdiacono commendet* . Conradus Episcopus in Chronico Moguntino de Missæ apparatu scribens ait, *Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ* . Leo Ostiensis *in fine lib.* 3. *Chron. Casin.* inter donaria Victoris III. ad usum Sacrificii fistulam unam auream cum angulo , & alias argenteas enumerat. Liber usuum Ordinis Cisterciensis *cap.* 53. agens de ritu communionis in Missa solemni , fistulam inquit necessariam non esse , cum soli Ministri communicant : cum vero plures communicant , fistula uti debent , quam peracta communione ab utraque parte sugendo a Sanguine Domini evacuari jubet . In aliis tamen antiquis Monachorum Ritualibus usus fistulæ præscribitur Sacerdoti & Ministris , cæterisque omnibus communicare

Fistula, Cannula , Calamus , & Pugillaris quid, & quo usu adhibita .

care volentibus (1). Ab Anastasio in Adriano *Siphon* nuncupatur. *Obtulit calicem majorem fundatum cum siphone pensantem libras XXX.* (2). (1) (2)

Siphon, & Pipa, seu Cannula inter supellectilem sacram computati,

Sunt enim siphones tubi, sive fistulæ, quibus aqua in fontibus emittitur. Apud Miræum in Codice piarum donationum *cap.* 21. extat testamentum S. Everardi Comitis anno 937. in quo inter supellectilem sacram *Pipa aurea* nominatur, idest cannula ad hauriendum Sanguinem ex Calice, ut optime Miræus in notis explicat. Antiqua Carthusianorum Statuta *calamum* vocant. *Ornamenta*, inquiunt, *aurea vel argentea præter calicem & calamum, quo Sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Credo autem quod per analogiam ad calamum, quo scribimus, etiam pugillarium nomen fistulæ inditum sit in Ordine Romano. Pugillares enim numero multitudinis numerantur inter instrumenta sacra, quæ Pontifici ad Stationem procedenti præferebantur: & numero singulari idem liber ait, *Deinde Archidiaconus tradit calicem Subdiacono, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum.* Scio quidem pugillarium nomine a Latinis scriptoribus intelligi tabulas, in quibus olim scribebant, quæ Græce *pinacidia* dicuntur: sed postea idem vocabulum translatum est ad stylos, seu graphia, sive etiam pennas vel calamos significandos, quibus literæ formantur: & ex hac similitudine idem nomen, ut dixi, fistulæ seu calamo tributum est, quo sanguis e calice exugebatur. Populum vero confirmare, est ipsum Dominico sanguine reficere & sanctificare: sicut enim baptizatus unctione Chrismatis, & manus impositione ab Episcopo accepta perfici dicebatur, ut loquitur Concilium Illiberitanum can. 38. & 77. unde factum est, ut Chrismatis Sacramento Confirmationis nomen impositum sit: ita qui acceperant Corpus Domini, accepto etiam calice phrasi illius seculi confirmari dicebantur, ac si sanguinis potus communionis complementum esset, ut ait Micrologus *cap.* 19. sicut Chrisma complementum quoddam baptismi censebatur; adeo ut nondum Chrismate uncti, sicut observat Albaspinæus *ad cit. can.* 77. *Illiberitanum*, nec perfecte Christiani haberentur, nec ad Eucharistiam, quæ est maximum & perfectissimum Christianorum mysterium admitterentur. Non quod Baptismus sine Chrismate non sit perfectum Sacramentum, sed quia per eam unctionem novum gratiæ robur additur ad fidei confessionem: & quia usus illorum temporum ferebat, ut fideles sub utraque specie communicarent, calicis participatio veluti complementum Eucharistiæ phrasi tunc usitata censebatur. Atque huc credo respexisse Tertullianum lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. dum ait: *In calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit.* Hoc item sensu dixisse existimo Sixto Pontifici Laurentium Diaconum apud Ambrosium lib. 1. Offic. cap. 41. *Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem.* Sic enim scrip-

Ambrosiana Lectio de Dominici Sanguinis consecratione in S Laurentii

tum est in antiquis Codicibus tam editis, quam Manuscriptis, non *dispensationem*, ut in vulgatis libris correctum est. Huic autem lectioni nullatenus formidandæ, aut corrigendæ, sed omnino restituendæ (3), favet contextus, nam sequitur, *cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Consors scilicet erat Diaconus consecrationis & consummationis Sacramentorum, & Ambrosius modo loquendi illius seculi non de consecratione sacramentali, sed ministeriali loquutus est (4). Certum est enim quod Diaconus non consecrabat Sanguinem Christi; sed eo a Sacerdote consecrato sanctificabat, confirmabat, & quodammodo consecrabat populum ipsum, sanguinem ministrando & dispensando. Petrus Blesensis *Epist.* 123. *ad Episcopum Londonensem* præ-

citata

citata Ambrosij verba sic explicat. *Nobis enim Diaconis consecratio illius salutaris hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus.* At vero hoc sensu non solum Diaconus, sed omnes astantes dicerentur consecrare: & huc pertinet Guerrici Abbatis sententia *serm. 5. de Purificatione* dicentis: *Non solus Sacerdos sacrificat, non solus consecrat; sed totus conventus fidelium, qui astat cum illo, consecrat, cum illo sacrificat.* Hæc autem explicatio a sensu veteris Ecclesiæ remotior, & minus propria est, cui prior præferri debet, ut dicatur Diaconus consecrare, quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio & sanctificatio nostra, & fons atque essentia omnis sanctificationis. Utitur nunc fistula Summus Pontifex, cum solemniter celebrat, illa hauriens quantum vult de sanguine, reliquum ministris relinquens, qui eadem fistula ipsum absumunt. Idem usus adhuc permanet in celebri Monasterio S. Dionysii in Francia Ordinis S. Benedicti, nunc Congregationis S. Mauri, quæ veteri disciplina restaurata, Monasticarum Congregationum & merito & numero nulli secunda, doctrina, & sanctitate mirabiliter floret. Ibi enim Ministri more antiquo sub utraque specie communicant, & sanguinem e calice fistula hauriunt (5). Apud Græcos fistulæ usum nusquam reperio, nam cochleari communionem corporis simul & sanguinis ministrant, ut suo loco videbimus. (5)

Joannes Dallæus circa hunc ritum hauriendi fistula Christi Sanguinem, quem uti novum prædicat, confutatus.

(1) *Omnibus communicare volentibus*) Joannes Dallæus Calvinianæ Sectæ Vexillifer Tract. de Cultu Latin. Relig. lib. 4. cap. 26. ritum hunc vetustissimum hauriendi fistula Christi Saoguinem seculo tantum XI. affigit; & qua ratione? „ Quod quemquam vix reperiemus, „ ait, præter Authorem Ordinis Romani, qui „ hujus fistulæ meminerit, quod primi om- „ nium Cistercienses, & Chartusiani, quum „ ab Urbano II. interdictum fuisse intinctæ Eu- „ charistiæ usum intelligerent, fistulas excogi- „ tarunt „. At quam falsa, & contumeliosa, ac putida hæc sint, idoneos testes a seculo inde sexto proferemus, qui impostoris hujus audaciam, impudentiam, temeritatemque retundent. Plures congerit Cangius in suo Glossario ad hæc verba: *Calamus, canna, cannolus, fistula, pipa, pugillaris, & virgula*: & quidem, ut etiam aliquot & nos afferamus, Desiderius Episcopus Antissiodorensis, qui seculo sexto floruit, inter Donaria, quæ Ecclesiæ suæ obtulit apud Labbeum Biblioth. nov. MSS. Tom. 1. pag. 424. in Hist. Episc. Antissiod. *Cannas* 11. *pariles deauratas pensantes lib. 5. dedit.* inter vasa sacra, quæ circa an. Dom. 800. in Ecclesiis Monasterii Centulensis asservabantur, eoumeratur ab Hariulpho Chronici Centulensis Scriptore apud Dacherium Spicileg. Tom. IV. pag. 468. *Canna argentea una, eburnea una*. Ibidem etiam pag. 481. circa an. 831. inter ejusdem Cænobii sacra Cimelia recensentur *Canna argentea una, ex stanno una*, quæ etiam denotantur in Vita S. Angilberti Abb. Centulensis apud Mabillonium Sec. IV. Bened. Par. I. p. 127.

Lotharius Imperator Monachi vitam in Prumiensi Monasterio professus, eidem Basilicæ plura obtulit sacra dona, ioter quæ recensetur apud Christoph. Brovverum Annal. Trevir. lib. 8. cap. 114. pag. 414. *Fistula aurea cum gemmis*: Notat autem laudatus Mabillonius in Annal. Bened. ad an. 600. pag. 261. ex veteri Codice Bibliothecæ olim S. Andreæ, nunc Vaticanæ, Sanctum Pontificem Gregorium Magnum Christi Sanguinem haurire solitum *Virgula argentea perforata*: Eminentissimus, ac piissimus Card. Thomasius ad Calcem Responsorialis, & Antiphonarii Romanæ Ecclesiæ pag. 448. refert inscriptionem, quæ nunc etiam visitur in Porticu Diaconiæ S. Mariæ in Cosmedin, sive in Schola Græca, ubi recensetur donatio cujusdam Theobaldi anno Domini 902. qua idem Theobaldus donat Ecclesiæ S. Valentini, quæ e regione dictæ Diaconiæ extabat, inter alia *Calicem argenteum exauratum cum calamo, & sua patena*: Calamum autem idem esse ac fistulam, cannam, seu aliud quid simile ad suscipiendum Christi Domini Sanguinem nemo eruditorum inficias ibit. Imo lege vel ipsum Beatum Rhenanum in Scholiis ad Tertullianum citatum a Mabillonio in Indice Onomastico Partis primæ seculi IV. Benedictini, ubi hæc verba habet: *Non possum celare studiosos antiquitatis Christianæ Laicos olim canna solitos haurire Dominicum Sanguinem e Calice &c.* Quibus omnibus sic expeosis judicet æquus, & prudens lector, an hæc quæ de fistula, canna, ac reliquis instrumentis sacris hoc in Paragrapho, sive ab Eminentissimo Authore, sive a nobis indicatis, & ad Christi Sanguioem propinandum usitatis disseruimus, sint Monachorum inventa post seculum XI. excogitata, uti nequiter ex more suo effutit Dallæus.

(2) *Cum Siphone pensantem libras XXX.*) Item Anastasius in Leone III. scribit Carolum Magnum, postquam oleo ab eodem Pontifice inunctus est in Basilica Principis Apostolorum, die Natalis Domini post Missarum solemnia obtulisse *Calicem majorem fundatum cum siphone pensante libras triginta & septem.* Cangio *Siphon* videtur fistula, qua sanguis

Dominicus hauriebatur, sicque hujus in vocis interpretatione ad Eminentissimi Scriptoris sententiam accedit.

Card. Bona in hac restituenda lectione plerique celebres suffragantur Scriptores.

(3) *Sed omnino restituendæ*) Sic etiam Habertus not. in Pontif. Græc. pag. 191. legendum asserit: *Scio*, ait, *Card. Baronium legere dispensationem, sed verum est veterum exemplaria, veteres editiones consecrationem habere*; atque ita optime hanc lectionem restituendam censuerunt eruditissimi Patres Benedictini S. Ambrosii Editores hoc loco, ubi pro *dispensationem* reposuerunt: *consecrationem*, utique ex veterum omnium Manuscriptorum Fide, & ex Editionibus Romanam antecedentibus. Verum hæc verba *Dominici Sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum* primi non invexere Romani Editores: Etenim reperiuntur in antiquissimo Codice Manuscripto Fossatensi, qui annos 800. superare videtur, in Actis scilicet S. Xisti. Cæterum *consecrationis, & dispensationis* verba idem hic designant, Diaconi nempe Ministerium Pontifici celebranti adsistentis, & Populo sacra distribuentis. Sic Augustinus Serm. 304. ait: *Laurentium Romæ Diaconi officium gessisse, ibi sacrum Christi Sanguinem ministrasse*. Et Patres Hispani in Missali Morabazum, *cui Xistus cuncta Mysteriorum ministeria transigenda commiserat*; Vide Clar. Joseph Blanchiocum in Annotationibus ad Libellum Orationum antiquissimi Ritus Goticho-Hispani Tom. 1. Op. Car. Thomasii pag. ccxc1. Hinc propterea nullatenus arguenda Romana Ambrosii Edit., quod habeat *dispensationem* pro *consecrationem*; etenim non solum in Vita S. Xisti apud Lippomanum Venetæ Edit. anno 1554. ita legitur; verum etiam in vita S. Laurentii, ut in Legenda Lombardica Jac. Januensis excusa Nuremburgi an. 1487. quod quidem haud levi indicio est alicubi nonnulla extare exemplaria, in quibus legatur *Dominici Sanguinis dispensationem*.

Neque Card. Baronius hanc variantem particulam proprio marte retinuit ad an. 261. num. 7. quam certe ita in aliquibus Codicibus ipsum legisse credendum est. Verumtamen antiquiori, & genuinæ lectioni standum, uti post Eminentissimum nostrum statuerunt dicti doctissimi Patres, aliique eruditi viri; neque propterea formidanda hæc lectio, quemadmodum firmiter asserit Eminentissimus Author; enimvero *consecratio* sumitur vel pro ipso actu consecrandi, vel pro ejusdem effectu, peracta jam consecratione, quorum neutrum a catholico sensu abhorret; nam si placeat prima ratio, quæ tamen a sensu veteris Ecclesiæ remotior, & Diacono minus propria est, ut infra monet Cardinalis noster; quid mirum eidem Diacono consecrationem attribui, cum Guerricus Abbas, loco infra citato etiam populum consecrare affirmet? Sane Diacono competit non tamquam uni de populo, sed tamquam primario consecrantis Sacerdotis Ministro illius actioni cooperari, ut infra idem Eminentissimus §. XV. per modum cujusdam, ut sic loquamur, concelebrationis, siquidem Diaconus & nunc in Missa solemni postquam infudit paulum aquæ in Calicem, hunc celebranti dat, & pedem Calicis, seu Sacerdotis brachium dextrum sustentans, cum eo dicit: *Offerimus tibi Domine Calicem &c.* quo etiam spectat Synodi Rom. Can. 3. ad Episcopos Galliæ apud Sirmondum Tom. 1. Conc. Galliæ. Indeque est (ait Anonymus Author de Re Sacram. adv. Hæret. Tom. 2. p. 347.) quod in libro Pontificali: *comministri, & cooperatores Corporis & Sanguinis Domini* appellantur Diaconi, cujus officii libri omnes Rituales, & Græcorum Euchologia meminerunt. Hac etiam ratione, ut infra §. 14. Card. noster, Optatus Milevitanus adv. Donatistas lib. 1. asserit Episcopos in primo, Presbyteros in secundo, Diaconos in tertio Sacerdotio, constitutos, quia primi verum Christi Corpus conficiunt, ministrant, si velint, & qui idem conficiant, constituunt, ac sacros Ordines conferunt, secundi conficiunt & ministrant, tertii ab his confectum distribuunt, & sic illi circa Corpus Christi verum, & mysticum, isti circa mysticum tantum, scilicet fidelem populum, cui Eucharistiam communicant, Episcopo, vel Sacerdote committente, (uti ex hac Laurentii ad Xistum interpellatione, & multo ante S. Justinus Martyr in Apologia 2. testatur, ubi *absentibus*, inquit, *per Diaconos Eucharistia mittitur*) Sacerdotio quisque suo funguntur.

Consecrationis dictio quomodo hoc loco sumatur.

Hujusmodi autem secunda consecrationis acceptio; nimirum pro rei consecratæ distributione, utpote genuina hujus loci interpretatio, & Diacono magis propria, omni prorsus caret offendiculo, tum quia dicta vox *commisisti*, aliquid jam perfectum signat, & aliæ *consummandorum consortium Sacramentorum*, manifeste ad eamdem dispensationem referuntur. Quo sensu Augustinus lib. 1. de Moribus Eccl. cap. 32. Diaconos Ministros Sacramentorum appellat: *quam multos Episcopos* (ait) *cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & hujusmodi Ministros Divinorum Sacramentorum?* Suffragatur & S. Hieronymus Apolog. adversus Jovinianum, ubi contendit Diaconos primitus ad Divini Ministerium Sacrificii per Apostolos divinitus institutos, eum eam ob rem continentiæ legem ipsis impositam doceat. Quos in hac sententia præcessit antiquior Sanctus Ignatius Episcopus Antioch. & Martyr in Epist. ad Trallenses, ubi ait: *Oportet autem & Diaconos Ministros existentes Mysteriorum Jesu Christi secundum omnem modum omnibus placere*. Et sane id proprium Diaconorum erat officium Dominicum Sanguinem plebi administrare, quemadmodum Concilium Aquisgranense cap. 7. *nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat*. Quæ verba reperire est apud Isidorum lib. 2. de Off. Eccl. cap. 8. Coactior autem hæc ei non videbitur explicatio, qui cum Antonio Godello Hist. Eccl. Tom. 1. pag. 579. perpenderit in ipso Missæ Sacrificio, dum in Calice particula Hostiæ sacræ immittitur, consecrationem sumi pro re consecrata.

His igitur clare discussis, quis non videt vanum quorumdam Sectariorum cum Hospiniano commentum, qui lib. 1. Hist. Sacram.

Confutantur Hospinianus, Grotius, aliique Sectarii falso obtrudentes olim Diaconis in Sacerdotis absentia Eucharistiam consecrare licitum fuisse.

cram. cap. 24. & lib. 5. cap. 6. ex his Ambrosii verbis exprimere conantur olim Diaconis licuisse in Sacerdotum absentia Eucharistiam conficere, quod & audet Grotius *de Cœnæ administr.* citatus, & confutatus a Petavio Eccl. Dogmatum Tom. IV. pag. 211.; nam præterquamquod in Manuscriptis plusquam 24. ut asserunt PP. Benedictini, & in omnibus Scriptoribus, a quibus hic idem locus citatur, *Corporis Dominici* omittitur mentio, ipsemet Sanctus Levita non sacrificantem, sed sacrificantis ministrum se profitetur, nec de Sacerdotis absentia loquitur, sed de consortio. *Num enim* (inquit Angelus de Nuce ex Monacho Benedictino Episc. Rossanensis ad Chronicon Casinense num. 1816. & in ejusdem Appendice) *Diaconus Sacramentum conficiebat, & Christi verum Sanguinem consecrabat? Num deliramus cum delirantibus Novatoribus? Ergo consecratio ibi ab Ambrosio dicta non respicit Corpus Christi verum, sed Corpus Christi mysticum; hoc est fidelem populum, qui a Diacono propinante, ac illis dispensante Sanguinem Domini, sanctificatur, & consecratur. Ideoque Ecclesia Spiritu Christi edocta, quod Ambrosius dixit* consecrationem, *legendum in Ecclesiastico officio aliquando proposuit* dispensationem; *dispensando quippe Diaconus consecrat populum, & ut supra confirmat, non sacramentaliter, sed ministerialiter. Dixi* aliquando, *nam in aliquibus Breviariis legitur* consecrationem. *Luculentum huic interpretationi Testimonium perhibet Anselmus in cap. 2. Lucæ*: Potest etiam, inquit, puer iste, qui in templo introducitur, illos nunc significare, qui ad fidem venientes, in Ecclesiam inducuntur, ut consuetudinem legis observent, quia expleta in Baptismo purgatione, introducunt eos ad sanctum Altare consecrandos ut victima divinæ Eucharistiæ. *Quibus Anselmi verbis nihil ad rem confirmandam validius. Et quidem si unctio Episcopalis consecrare dicitur Sacerdotes, quin etiam calices, Ecclesias, lapides, quanto magis communio Corporis, Sanguinisque sanctissimi, quibus ipsa sanctitas substantialis hypostatice unita est, consecrandi, & sanctificandi virtutem habere dicenda erit?* Hæc Rossanensis Episc. cumque ipso Joannes Ciampinus de Azymo, & Ferment. cap. 10. in fine.

Quare qui Diaconos alio sensu consecrare sentiunt, ii superbe, ac temerarie textum usurpant. Et quidem hujus furfuris Ambrosiastros, & SS. Patrum Interpretes prætensos a genuino eorum sensu devios, & heterodoxos, hæreticus alter Anglicanæ Sectæ nuperus Scriptor Joseph Binghamus hac in parte iis sapientior, eosdem docte refellit Origin. Ecclesiast. lib. 2. cap. 20. §. 8. circa fin. Tom. 1. pag. 309. „ nam vocabulum *consecratio*, (ait ille) „ hoc loco non significat „ sacramentalem elementorum consecrationem per preces in Altari, quæ ab ipso „ Episcopo perficiebatur, ut e contextu evidenter apparet, ubi Episcopus nunquam „ Sacrificium sine Ministro, seu Diacono „ offerre dicitur, itaque consecratio Diacono „ commissa alterius generis sit oportet; non „ poterat enim ille præsente Episcopo, & „ eodem tempore, quo Episcopus consecra-

Qui etiam ab eorum gregali Joseph Binghamo refelluntur.

„ bat, elementa in Altari consecrare, poterat „ autem ipsi subvenire, seu ut illic exprimitur, consummandorum Sacramentorum „ consortium cum eo habere, hoc est calicem „ cum consueta verborum formula populo „ exhibere, quod ex more loquendi istis temporibus usitato ministerialis consecratio, vel „ Sacramenti consummatio dicebatur, quandoquidem ad sanctum Eucharistiæ Sacramentum accedentes Sanguine Christi hoc „ ipso consecrabantur, atque ita consummabantur, seu Sacramenti sub utraque „ specie, pane nimirum sancto ex manibus „ Episcopi, calice autem ex manibus Diaconi sumpto perfecte participes reddebantur. Hæc manifeste illa consecratio, de „ qua hic sermo est, & quæ ad calicis exhibitionem plebi a Diacono factam tantum „ spectat, quod usitatum eorum officium „ erat; adeoque hinc concludi non potest „ quemadmodum quidem Hospinianus, & „ Grotius volunt, quod Diaconis Eucharistiam „ in Altari consecrare licuerit „ Hæc scite Binghamus, qui utinam in reliquis non desiperet.

(4) *Non de consecratione Sacramentali, sed Ministeriali loquutus est*) Quemadmodum id indicant Ancyrani Patres circa idem Ambrosii tempus Can. 2. quo statuunt Diaconos, qui idolis sacrificarunt, postea autem pænitentes *cessare ab omni Sacerdotali ministerio, & panem, & calicem offerendi*, scilicet Sacerdoti consecrandos, tum consecratos populo, cui Sacramentum distribuebant. Videatur Hugo Menardus in notis ad Gregorii Sacramentarium.

(5) *Et Sanguinem e calice fistula hauriunt*) Testatur id Hugo Mathoud Monachus Benedict. Congr. S. Mauri in suis observationibus ad Robertum Pullum Parte III. cap. 9. pag. 318., ubi ait, se pluries, dum Cluniaci Monachus degeret, vix pubertatis annos assecutum, iterumque in Sandionysiano Cœnobio toto biennio, sed jam sacris Ordinibus initiatum Sanguinem e calice argentea fistula cum Ministris etiam minoribus, quos ceroferarios vocant, suxisse. Vide etiam de hujusmodi communionis ritu Edm. Martene de antiq. Monach. Rit. in Indice verbo *communio*, ubi etiam de aliis Monachis loquitur. Sed vere non sine peculiari privilegio peractum. Cæterum de antiquo fistulæ usu apud Monachos testatur in primis fistula, quæ in Casinensi Monasterio asservata ostenditur, qua olim illius Archisterii Abbates utebantur. Item in Guigonis II. statutis Carthusiensibus cap. 40. hæc de fistula, seu calamo notata leguntur: *ornamenta aurea, vel argentea, præter calicem, & calamum, quo sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Pariter in libro V. Usuum veterum Ordinis nostri Cisterciensis cap. 53. *Diaconus autem teneat utraque manu in calice fistulam a Subdiacono præparatam, qui Subdiaconus percipiat sanguinem cum fistula.* De hac etiam plura reperire est in Nomastico Cisterciensi pag. 143. 144. 249. & 276. Porro de hujusmodi fistula, ejusque veteri usu videndi Angelus Rocca de solemni communione Summi Pontificis Op. novæ Ed. pag. 25. & seqq. Tomi I. Cangius in Lexico, ac Macri fratres in Hierolex.

§. V.

De Urceis, aliisque vasis ad infundendum calici vinum, & aquam. De Colatorio, & Aquamanili.

UT vinum, & aquam calici infundamus, urceis sive urceolis vitreis vel argenteis uti solemus, quos hodie ampullas vocamus. Olim vero singuli fideles vinum in scyphis sive amulis offerebant, ex quo Diaconus calici infundebat, quantum sacrificanti, & communicantibus sufficiebat. Ita Ordo Romanus sæpe cum agit de Ordine Missæ: *Pontifice*, inquit, *oblationes populorum suscipiente*, *Archidiaconus suscipit post eum amulas*, *& refundit in calicem majorem*, *quem sequitur cum scypho*, continente scilicet aquam, *super planetam Acolythus*. Item: *Ornato altari Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de subdiacono oblationario regionario*, *& refundit super colum in calicem*. Et alibi inter vasa sacri ministerii amulas argenteas recenset ad vina furdenda. In vitis quoque Pontificum passim reperiuntur donatæ Ecclesiis amæ argenteæ & scyphi argentei, ac etiam aurei, & gemmis distincti tum ad usum, tum ad ornatum; nam plures referuntur pensantes libras XII. XV. XX. & multo amplius. In actis Proconsularibus supra citatis cum aliis vasis sacris, quæ Traditores juxta edictum Diocletiani dedisse leguntur, etiam urcei argentei nominantur. Ordo Romanus inter vasa sacra gemelliones argenteos numerat, quos ornamenta quædam gemmata esse putat Bulengerus *lib. de donariis Pontificum cap.* 50. Rectius autem Vossius *lib. de vitiis sermonis* gemelliones esse ait vasa & urceolos ejusdem generis, & formæ similis, ut fere solent gemini fratres. Non dissimili notione gemellarium lego apud Augustinum *in psal.* 80. & est genus vasis sic dictum, quod geminam mensuram contineret (1). Urceolis sive amulis, aut scyphis jungebant antiqui *Colatorium*, quod est vasculum concavum subtilissimis foraminibus in imo fundo perforatum, per quod vinum & aqua ex amulis sive urceolis in calicem refundebantur, ne quid impuri in ipsum efflueret. Illud Ordo Romanus aliquando colatorium, nonnumquam colum & colam fœminino genere nuncupavit. Ejus meminit Anastasius in Sergio II. & Benedicto III. Chronicon Moguntinum sæpius citatum, *erant*, inquit, *Colæ argenteæ novem*, *per quas vinum poterat colari*. In Musæo Barberino extat parvum colatorium instar cochlearis cum oblongo manubrio. Aliud item argenteum instar scutellæ, cujus minutissima foramina pulcherrimum opus reticulatum efformant. Mansit Colatorii memoria in antiquis quorumdam Monasteriorum Ritualibus. An vero usus adhuc perseveret, incompertum mihi est. Lavandis manibus, quoties in ipsa actione Missæ opus est, Ordo Romanus Aquamanile, Aquimanile, & vas manuale assignat, quod etiam barbaro vocabulo Aquamanus dicitur tum ibi, tum apud Anastasium. Reperitur quoque Aquimanile in Pandectis *de supellectili legata l.* 3. sic dictum, ut notat illic Gothofredus, quod ex eo aqua manet in pelvim, vel quod aquam poscere solerent antiqui his verbis, *Aquam manibus*, ut apud Plautum in Truculento, & in Persa. Ait quoque Concilium Carthaginense IV. Subdiaconum in sua ordinatione suscipere de manu Archidiaconi scyphum aquæ cum Aquamanili, & manutergio, quia nimirum ad ipsum spectabat aquam ad ministerium altaris præparare, ipsamque lavandis manibus Episcopo, Presbyteris, & Diaconis præbere.

(1) *Quod*

Amulæ olim lapidibus pretiosis ornatæ.

(1) *Quod geminam mensuram contineret*) Hujusmodi urceos, sive amulas, ut ita eos antiqui vocabant, fuisse aliquando lapidibus pretiosis ornatas, præter supra notata ex libro Pontificali, & ab Eminentissimo Authore, discimus insuper ex Sancto Gregorio Magno; ita enim scribit ad Petrum Siciliæ Subdiaconum lib. 1. ep. 42. *amulas onychinas* (idest onychis lapillis ornatas) *requisita subtilitate restitue, quas per portitorem præsentium retransmisi*: Amulas porro argenteas duas venerandæ antiquitatis æri incisas vulgavit V. C. Franciscus Blanchinus in notis ad Anastasium Biblioth. tom. 2. pag. 179., atque ex eodem minori forma recusas exhibet eruditus alter Dominicus Georgius Rhodiginus in suis Disquisit. de sacro Ministerio cap. 5. ex quorum eruditione multum profecisse, & has qualescumque notas, hoc loci in iis, quæ ad sacra ministerii vasa, & instrumenta pertinent, plurimum depromptas, doctis eorum observationibus me locupletasse fateor. Harum vero amularum ornamenta anaglyptico opere insculpta repræsentabant effigies Christi Domini, Apostolorum, item columbas, & Crucis signum inter eas, atque inferiori parte oviculas, Christianorum apud veteres usitatissima symbola. Plures denique amulas in sacrificio antiquitus adhibitas fuisse notat Vicecomes lib. 6. de Missæ apparatu cap. 31. ex Ordine Romano 1. num. 13., ubi legitur, quod fideles olim oblationes ad Missam facturi vini oblationem cum amulis deferebant, quæ a Diacono suscipiebantur, & in calicem vinum illud refundebatur, de quo legendus Mabillonius Comment. in Ord. Romano p. xliv. n. 4.

Veteris amularum vini oblationis vestigia adhuc retenta in consecratione Episcopi, ac canonizatione Sanctorum.

Hujus ritus vestigia supersunt in Missa pro consecratione Episcopi, & in adscribendis Sanctorum Canoni Servis Dei; Novus quippe Episcopus offert duas phialas vino plenas, & in canonizatione Sanctorum parva doliola auro, & argento illita vino plena offeruntur. In Ecclesia Mediolanensi ea servatur hucusque consuetudo, ut *Veglones*, & *Veglonissæ*, senes scilicet utriusque sexus, indumenta sui status, & officii propria gestantes, qui etiam appellantur *Schola S. Ambrosii*, vini, & aquæ urceum celebranti Archiepiscopo exhibeant, ut scribit Joannes Petrus Puricellus in Basilica Ambrosiana pag. 97. Addit autem Vicecomes præter amulas fuisse etiam sacra vasa, e quibus vinum, & aqua in amam, vel scyphum immittebantur, quæ Metretæ appellabantur, sed mox dubius hæret, quid metreta in usu sacro fuerit, nec eam audet definire. Bene quidem vir doctus animadvertit metretas inter vasa ad Missæ apparatum spectantia adnumerari; nam metretas ex argento purissimo a Constantino Magno S. Silvestro donatas legimus apud Authorem libri Pontificalis in Silvestro cap. xi., xvii., & xxiv., & profecto metretæ vasis, & ministeriis Ecclesiasticis accensentur a Cangio in suo Glossario verbo *metreta*. Pro coronide unum hic addere lubet, de quo fusius infra ad §. xiii. nota 1., scilicet de vasis sacris Basilicæ Vaticanæ, de quibus fit mentio apud Paulum Orosium, qui de Romanæ Urbis direptione per Alaricum facta, agens in lib. 7. cap. 39. ut jam dictum est ait: Militem Arianum vasa sacra extorquere voluisse a quodam virgine, cui commissa erant: *tum expositis opibus attonitum fuisse barbarum magnitudine, pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate*, cui virgo illa dixit: *Hæc Petri Apostoli ministeria sunt.*

Item apud Ambrosianos in Missa solemni Archiepiscopali.

Appendix ad hunc Paragraphum,

Et additamenta quædam de Colo, seu Colatorio, Aquamanili, aliisque vasis, & instrumentis ad Ecclesiæ supellectilem spectantibus.

PLura de Colo, seu Colatorio ex veterum monumentis selecta suggerunt Barnabas Brissonius in libris de verborum significatione lib. 3. Vossius in Etymolog. verbo *colum & qualus*, Cangius in Glossario med. & infim. latin.; at selectiora præ omnibus prodit Joannes Dominicus Aulisius epist. ad Didacum Vincentium a Vidania de Colo Mayerano inscripta inter ejusdem Aulisii Opuscula vulgata an. 1694. nuperque a Joanne Alberto Sallengre in suo novo Thesauro Antiquit. Rom. tom. 3. col. 921. iterum edita.

Coli, seu colatorii forma & figura ab Aulisio descripta.

Hujus itaque coli, seu colatorii figuram, & formam describit Aulisius, ut scilicet sit instrumentum ex ære rotundum, quod ita cortinæ ritu cavum est, ut simul mammillæ speciem æmuletur multiplicibus foraminibus certo, & eleganti discursu totum pertusum, ut si liquorem infundas, nequeat continere, sed ad guttam transmittat. Est Manubrio instructum lato, planoque, quatuor omnino spatiis distincto, in quibus singulis variæ cernuntur figuræ arte toreutica extantes, argento exornatæ. Narrat autem idem Aulisius pag. 152. Coli hujus Mayerani apographum missum fuisse Claudio Francisco Menestrier Soc. Jesu, qui licet ab Aulisii sententia longe abierit, videlicet hujusmodi colum ad rem medicam pertinuisse, quia medici colabant per id colum ad vina medicata, & ad unguenta præparanda; primus tamen viam ad hujus instrumenti explicationem aperuit eruditeque adnotavit olim Christianos vinum in calicem colis infudisse, quæ essent tenuissimis foraminibus pervia. Duas etiam hujusce colatorii figuras ex supra laudati Præsulis Blanchini notis ad Anastasii vitas Rom. Pontif. profert Dominicus Georgius loco pariter supra indicato.

Colum aliquando Sion, seu Syon dictum.

Colatorium porro, vel colum aliquando *Sion* seu *Syon* instar acerræ, seu naviculæ efformatum appellabatur, uti aperte constat ex charta

charta Hugonis Episcopi Cenomanensis, qui obiit an. 1142. apud Mabillonium Analect. vet. tom. 3. pag. 354. 355., ubi pleraque ejusdem Hugonis donaria pretiosa Ecclesiæ suæ legata describuntur, inter quæ hæc recensentur: *necnon larga ejus gratia aliud dedit vasculum gemmulis undique septum nitentibus acerræ exprimens similitudinem, si non ab inferiori capite modice falcato, unci speciem retineret. Per hoc foratum subtilissime vinum quandoque funditur in calicem, ne pili, sive quæ immunda aer movet agitabilis, valeant admisceri, (Syon) antiquorum vocavit docta discretio, & a Subdiacono festive geritur pro manipulo*: Consonant hæc cum iis, quæ leguntur in vulgato Ordine Romano (Biblioth. PP. Lugdun. tom. XIII. pag. 660.) *Archisubdiaconus quippe .... accipiet calicem ab Acolytho, Archidiacono apportet vinum per colum, quod in sinistra manu Romanus Ordo Archisubdiaconum auriculari digito ferre jubet purgandum. Quod utique vas in id opus aliquo metallo formatum in medio sui plurima quasi acus foramina ad excolandum vinum ostendit*; quibus apertissime describitur *colatorium*, quod *Syonis* nomine donatur, de qua voce quid esset, dubius Edm. Martene tom. 1. de antiq. Eccl. rit. cap. 4. art. 6. §. 12. pag. 388. hæsitavit definire.

Viderat ille antiquum Rituale S. Martini Turonensis, ubi præcipitur, ut vinum per Syon in calicem mittatur, & in eodem Rituali *Subdiaconum Epistolam lecturum ad ambonem pergere, & Syon deferre*. Legerat item in antiquo Ordinario Ecclesiæ Laudunensis subdiaconum ascendere pulpitum librum deferendo, & cochlear argenteum in sinistra, idest *colatorium*; id enim cochlearis instar erat, quod cum oblongo manubrio vidit in musæo Barberino Eminentissimus Author, uti & aliud instar scutellæ cum minutissimis foraminibus, quæ omnia perspicue ex memoratis Hugonis Cenomanensis Donariis declarantur, & ambages solvunt, dum eorum testimonio discimus *Syon* idem esse, ac colatorium, quod ita *Syon vocavit antiquorum docta discretio*. Ex his etiam intelligimus quid sit *Sia aurea*, quam ex ornamentis capellæ suæ legavit filio suo primogenito S. Everardus Cisoniensis an. Domini 867. apud Miræum Cod. Donationum cap. 21. pag. 96.. Itemque *Syon argenteum* quod an. Domini 915. Riculphus Episcopus Helenensis Ecclesiæ suæ in Dei cultum reliquit apud Baluz. Append. act. vet. post Reginonem pag. 626. Porro istiusmodi cochlear inter vasa Ecclesiastica, seu sacra Ministeria reponitur apud Flodoardum lib. 2. Hist. Rhemensis cap. 5. *Cochlearia quoque* XII., *& solarium argenteum*. Necrologium Eccl. Parisiensis: *Pridie idus Novembris obiit an.* 1288. *bonæ mem. D. Ranulphus quondam Parisiensis Episcopus, qui dedit Ecclesiæ nostræ, & nobis unum calicem aureum cum patena, & cochleari ponderis trium marcarum* &c.. Vide Agnelli lib. Pontif. Ravenn. apud Muratorium tom. 2. pag. 174. col. 2. Ingulphum Hist. Monast. Croylandensis inter Scriptores Angl. p. 907., & Ferd. Ughellum Ital. Sac. tom. 7. col. 1274. aliosque. Num autem usus hujusce colatorii, seu cochlearis manserit in Monasteriis, ignorare ingenue fatentur Eminentissimus Cardinalis, & Martenius loco supracitato, sed id iste adhuc vidisse, & observasse affirmat in celebri S. Dionysii Parisiensis Basilica. Atque hæc de Colatorio, de quo vide etiam Cangium, & Macros Fratres in Lexico.

Idem colatorium ad instar cochlearis factum.

De Aquamanili S. Isidorus Hispalensis in Epistola ad Ludifredum Episcopum Cordubensem scribens, ita ait: *ad Subdiaconum pertinet urceolum, & aquamanile, ac manutergium tenere Episcopo, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante Altare manibus*. Quæ etiam ex Isidoro repetit S. Lanfrancus Cantuariensis Epist. 13. ad Joannem Rothomagensem Episcopum, ubi quid sit *aquamanile*, explicat his verbis: *Aquamanile, sive aquæmanile Italici unam partem dicunt, vocaturque lingua eorum vas inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur*: Conradus Episcopus Moguntinensis in Descriptione Thesauri Ecclesiæ suæ: *Erant pelves*, ait, *quatuor argenteæ, urcei diversarum formarum, quos manilia vocant, eo quod aqua Sacerdotum manibus funderentur ex eis* &c. Varie porro a barbaris Scriptoribus inflectitur hoc nomen, nam apud eos est, *aquæmanilis, aquamanulis, aquamanualis, aquamanus, & agmanilis*. De aquamanili sæpe fit mentio in Ordinibus Romanis, itemque apud Anastasium in Innocentio I. cap. 5., in Cælestino I. cap. 2., in Sixto III. cap. 3. & 6., Gregorio III., Leone III., Sergio II., Leone IV. in eorum vitis. Plura de hoc vase, ejusque usu Vicecomes in libris de Missæ apparatu lib. 6. cap. 26. ad 31. Cangius in Glossario, & novissime laudatus Dominicus Georgius Disquisit. de sacro Ministerio cap. 12.

De Aquamanili, & manutergio.

Chrismal insuper, Chrismale, Chrismarium, seu Chrismatorium utique inter sacra ministeria reponendum est; ita enim vocatur vas illud, in quo sacrum Chrisma, seu Oleum Sanctum infirmorum asservatur, quod *ampulla Chrismatis* Optato dicitur lib. 2. *Chrismale vasculum* Ivoni Carnot. epist. 3. *vas ad Oleum Chrismatis* Anastasio Biblioth. in Innocentio I. Agnellus in libro Pontificali, ac Hieronymus Rubeus in Hist. Ravennate referunt Maximianum Archiep. vascula duo ex auro, in quibus sanctum Chrisma servaretur, Ravennati Ecclesiæ dedisse seculo vergente sexto; alterumque extare, cui sic est inscriptum: *Servus Christi Maximianus Archiepiscopus hoc Chrismatarium ad usus fidelium fieri jussit*. Præsertim vero Chrismal, seu Chrismale antiquis sumitur pro vase, in quo Christi Domini corpus asservatur, (quod sacrum vas nunc Pixidem appellamus, de qua mox sermo erit) Sacramentarium S. Gregorii in Codice Rhemensi apud Cangium sic habet: *Præfatio Chrismalis: Oremus fratres carissimi, ut Deus omnipotens hoc ministerium Corporis filii ejus Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur orantibus nobis. Per Dominum*. Quod & legitur paucis immutatis in Missali Francorum apud Mabillonium pag. 316., cui adnexa est sequens oratio, quam omisit Cangius, tenoris sequentis: *Omnipotens Deus Trinitas*

Vasa, in quibus sacrum Chrisma, seu Olea sancta recondantur inter Ecclesiæ sacra utensilia.

nitas

nitas, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, & Corporis Christi novum sepulchrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per Dominum &c.. In Ordine Romano iste hoc loco præfigitur titulus: *Præfatio vasculi, in quo Eucharistia reconditur*. Atque de hoc vase intelligendi S. Columbanus, & Halitgarius in eorum Pœnitentiali. Vide laudatum Cangium in Glossario.

De Pyxide in qua sacrosancta asservatur Eucharistia, ac variis ejus nominibus apud Latinos & Græcos.

Pyxis porro, cujus meminimus, sacrum scilicet vas illud, in quo Eucharistia reconditur, & asservatur, variis nominibus a Latinis, & Græcis nuncupatur. Et primo a Latinis *novum sepulchrum Corporis Christi*, ut vidimus, in Missali Francorum, passim a Gregorio Turonensi *Turris*, *Turricula*, ut infra tomo sequenti videbitur; In Ordine Romano *conditorium sacrorum pignorum*, item ab Odone Cluniacensi lib. 2. collat. cap. 32.: *capsa cum Corpore Domini*, & a Durando Mimatensi in Rationali Div. Off. *capsa, in qua hostiæ consecratæ servantur*. Columbæ item nomine donatam Pyxidem plerumque legimus apud veteres, quia utpote Eucharistici Sacramenti theca ex eadem columba appensa pendebat super altare in utraque Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali, quemadmodum loco mox citato dicemus. Id astruit Uldaricus Consuetud. Cluniacen. lib. 1. cap. 9. ubi hæc habet: *ipsæ autem hostiæ cum fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis, quæ in Pyxide, & aurea columba super altare pendente jugiter servantur &c.*. Pyxidis item sic appensæ mentio frequens apud Anastasium in Hilaro, & Innocentio I. PP. Hugonem Flaviniacensem in Chronico Virdunensi parte 1. Leonem Ostiensem Chron. Casinen. lib. 3. cap. ult., aliosque apud Cangium ut supra verbo *Pyxis*. Hanc etiam Buxidam vocant Ratherius Veronensis in Synodica ad Presbyteros suæ Diœcesis, Paulus Diaconus in vita S. Gregorii Magni Papæ cap. 29., & Petrus Damiani lib. 6. ep. 21. Ægidius Menagius in etymol. non secus ac Ger. Joannes Vossius Buxidam a buxo derivant, quo Pyxides, inquiunt, seu buxidæ proprie dicantur de vasculis e buxo, atque eædem sæpius olim fuerint ex hoc ligno confectæ. Et sane in vita S. Ansegisi Abb. Fontanellensis sec. IV. Bened. parte 1. pag. 635. *Pyxides eburneas duas &c.* legimus, quas ita esse *propter casum* præscribitur in Statutis Odonis Parisiensis Ep. cap. 5. num. 5., item cap. ult. n. 95. quibus consonant Synodi Eboracensis an. 1195. c. 1., Wigorniensis an. 1240. c. 1. & Exoniensis in Anglia an. 1287. cap. 4. 12. Idem suo ævo factitatum, seculo scilicet XIII. expresse testatur Richardus a S. Laurentio lib. 10. de laudibus Virginis, ubi hæc ait: *Adhuc reponitur Corpus Christi in Pyxide eburnea, & hostiæ, de quibus conficiendum est*. Hæc de Pyxidis varia denominatione apud Latinos.

Græci vero sacrum istud repositorium Eucharisticum πυξιν vocant, uti ex Pachymere lib. 7. cap. 13. 28., & Nicolao Casulorum Episcopo in Typico. Hesychius apud Bulengerum lib. 2. cap. 18. *arcam illustrationis* Pyxidem appellat; In Euchologio: *Artophorion*, idest ferens panem legitur, illum nempe panem vivum, qui de cœlo descendit. Recentiores vero *Pyxomelon* eamdem Pyxidem nuncupant, quia ad formam pomi apud ipsos illa rotunda compacta est; non desunt tamen qui promiscue & pyxomelon, & artophorion eam vocitent. Cæterum antiquorum usus, & consuetudo hoc augustissimum Sacramentum asservandi in quibusdam columbis aureis, vel argenteis super altare pendentibus, ut indicatum est, & fusius dicetus ad lib. 2. cap. 17. §. 6. originem habuisse seculo quarto a S. Basilio Magno, non obscure conspicitur ex ejus Vita S. Amphilochii nomine inscripta, apud Surium tom. 1., & in Vitis Patrum Rosvveidi pag. 151., ubi dicitur, *tertiam vero* (idest hostiæ consecratæ particulam) *in columba aurea pendente reposuisse*: Vide & Baronium ad an. 57. num. 152., qui mos adhuc in plerisque Galliarum Cathedralibus Ecclesiis observatur. Item ex ordinatione Concilii Turon. II. sess. 6. condebatur Eucharistia *sub Crucis titulo*. Ante Concilium Tridentinum eadem, sicuti nunc Oleum sanctum, in foramine muri asservabatur, cujus rei in multis adhuc Ecclesiis conspiciuntur vestigia, at postea idem Concilium sess. 13. cap. 6. & can. 7. id amplius fieri vetuit, sed in sacrario reservari decrevit, scilicet in Ciborio, seu Tabernaculo reponendam, & custodiendam in pyxide sacrosanctam Eucharistiam ad fidelium communionem. Moris istius hodierni origo inde videtur sumpta, ut & sacra Eucharistia, & vasa ipsa, in quibus ea reconditur, in tutis locis asserventur, ne furtis pateant.

Antiquitus in columbis aureis, vel argenteis asservata sacrosancta Eucharistia, & unde hujus ritus origo.

Ostensoria, seu Monstrantiæ dictæ pro publica SS. Sacramenti expositione.

Ex eo autem quod certis diebus publice ostendatur, & monstretur piis Christifidelibus sacrosancta in dictis vasis asservata Eucharistia ab ipsis adoranda, ejusmodi sacra vasa *Ostensoria, & Monstrantiæ* etiam nunc appellantur, præsertim in Germania, & Belgio, quibus in regionibus in turris speciem fere semper efficta sunt, ut olim in Francia, de quo more egit Gropperus in libris de Eucharistia pag. 456., & Fronto Ducæus ad Paulinum pag. 785. Chronicon Wormatiense apud Ludevvig tom. 2. reliq. MSS. pag. 137. ad an. 1427. *Fecit autem fieri in suam memoriam magnam monstrantiam pro deportatione Sacramenti in festo Corporis Christi*. Item Hist. Monast. Villar. lib. 1. cap. 16. apud Martene tom. 3. Anecdot. col. 1304. *Iste fecit fieri Monstrantiam argenteam deauratam, qua defertur sacrosanctum Corpus Christi ipso die ejusdem Sacramenti*. An autem in iis Monstrantiis visibiliter conspiciendum ostenderetur Sanctissimum Sacramentum, incompertum est, valde tamen id probabile videtur, nam postea Concilium Coloniense an. 1452. hoc modo exponi vetuit his verbis: *Ad majorem honorem SS. Sacramenti, statuimus quod deinceps ipsum SS. Sacramentum nullatenus visibiliter in quibusdam monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in festo Corporis Christi cum suis octavis semel in anno in qualibet Civitate, aut Oppido, aut Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii, aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente &c.*, scilicet quoties publicam venerabilis Sa-

cra-

cramenti expositionem opportunam, ac utilem esse Episcopus judicaverit ad fidelium pietatem excitandam, vel fovendam, ut optime subdit clariss. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. lib. 2. de Sacram. Euch. cap. 2. art. 3. confect. 8. pag. 293. edit. Ven.. Et sane pia admodum est hæc hodierna praxis, qua in Italia præcipue, venerabile Eucharistiæ Sacramentum omnium fidelium oculis adorandum exponitur„ Etenim ubique (inquit Gaspar Ivenin Dissert. 4. de Euch. ut est Sacram. quæst. 4. art. 4. §. 3.) apud „ Occidentales Ritus aliquibus abhinc seculis „ invaluit SS. Sacramentum omnium oculis „ nonnumquam exponendi; pie igitur inve- „ ctus est ille ritus, cum Ecclesia sit colu- „ mna, & firmamentum veritatis. Observat item quod publica Christi Corporis expositio tunc tantum in usu esse cœpit, cum primum adhibita sunt tabernacula portatilia, quæ vulgo ostensoria dicuntur, aperta, & translucida, sive in modum turris rotundæ, sive in modum Solis cum radiis, & splendoribus efformata, in quibus super lunulam auream sacra hostia conspicitur erecta, quæ tabernacula ante trecentos, & ultra abhinc annos in usu non fuisse omnes conveniunt. Porro de hujusmodi SS. Sacramenti custodiis vide Josephum Solimenum in Opere Italice scripto, cui titulus: *Corteggio Eucaristico*, fol. Romæ 1700., ubi plura circa Ven. Sacramentum, ejusque adorationem, & cultum eruditus Lector inveniet.

Demum inter ministeria sacra recensentur Pectines, quibus scilicet Sacerdotes, ac Clerici, antequam in Ecclesiam procederent, crines pectebant. Hujus fidem facit Cæsarius lib. 8. Dialog. cap. 85. ubi inter cætera iidem pectines leguntur tamquam sacris Ecclesiæ instrumentis addicti his verbis: *Item pectinem unum de ebore, item calicem unum*: *Pectinem eburneum unum*: *sunt ibi octo cingula serica, & sex pectines eburnei*: Testamentum Everardi Comitis an. 837. apud Miræum tom. 1. pag. 21. *De Paramento vero Capellæ nostræ ciboreum cum cruce aurea . . . . Pectinem auro paratum unum concedimus*. Chron. Calmaliac. apud Stephanot. tom. 3. Fragm. Hist. MSS. *Tabulæ eburneæ ad ornamentum altaris, Pectines eburnei quatuor, aut quinque &c.* Testam. Riculfi Episcopi Helensis an. 915. *Pectenem eburneam unam, tabulas eburneas duas &c.* Charta an. 1231. apud Catellum in Hist. Occitana pag. 901. *sunt ibi octo cingula serica, & 6. pectines eburnei* &c. Charta Joannis Archiepiscopi Capuani an. 1301. *Item pectinem unum de ebore, item calicem unum* &c. Vide Monasticon Anglic. tom. 3. p. 314.

Olim & inter sacra ministeria recensiti pectines, quibus crines pectebant Sacerdotes, & Clerici antequam Ecclesiam ingrederentur.

§. VI.

Recensentur sacra Græcorum instrumenta Latinis ignota. Ea sunt Lancea, Asteriscus, Dicerion, Tricerion, Cochlear, & Flabella. Astruitur Flabellorum usus in Ecclesia Latina.

Alia quædam sacri ministerii instrumenta habent Græci Latinis ignota, nempe *Lanceam*, sive gladiolum lanceæ figuram habentem, qua hostiam consecrandam ab integra panis massa secant (1). *Asteriscum*, qui (1) duobus arcubus constat radiis ad instar stellæ (2) fultis, quo hostias con- (2) secrandas cooperiunt, ne vela eas tangant, & ordinem particularum turbent. *Dicerion*, quod est cereus bisulcus, & *Tricerion*, quod est cereus trisulcus, quibus Episcopus celebrans sæpe populo benedicit, & utrumque frequenter manibus gestat. Cochlear ab ipsis *Labida* dictum (3), quo (3) utuntur ad communionem fidelibus porrigendam. Hanc vocem Genebrardus, & Hervetus in Liturgiis, quas ediderunt, forcipem interpretati sunt, sed male, ut in notis ad Liturgiam Chrysostomi *pag.* 152. doctissimus Goar observat. Habent denique *Flabella*, quibus duo Diaconi ex utroque latere altaris muscas, & alias immundas bestiolias prætervolantes abigunt, ne sacra contingant. Sacra *Ripidia* vocant Græci, *Ripis* enim & *Ripidion* flabellum est. Horum usus in Ecclesia Orientali antiquissimus est, & expresse habetur in Constitutionibus Apostolicis *lib.* 8. *cap.* 12., atque in Liturgiis Basili, Chrysostomi, aliisque Græcis, & Syriacis. Manubrium habent ligneum satis longum, cujus extremitati facies Cherubini sex alis circumdata affigitur, ejusque motu ventilant Diaconi sancta dona certis temporibus, quæ in ordine Liturgiæ notantur. Quod si desint flabella, solent linteola, & vela manu apprehendere, & iis ventilare. Nec solum ad abigendas muscas inventa sunt, sed etiam propter quasdam my-

sticas

ſticas rationes, quæ ad meum propoſitum non ſpectant, & legi poſſunt
apud S. Germanum *in ſua Theoria*, & apud Jobium Monachum relatum
a Photio in ſua Bibliotheca *c.* 222. *lib.* 6. *cap.* 25. In Ordine Romano,
& in multis Latinorum Ritualibus libris nulla ſit mentio flabellorum, ex
quo ſilentio colligunt quidam caruiſſe Latinos his inſtrumentis. Sed eo-
rum uſum aliquando viguiſſe tam in Romana, quam in aliis Occidenta-
libus Eccleſiis (4), fide digniſſimis teſtibus demonſtrabo. Joannes Moſ- (4)
chus *cap.* 150. *Prati Spiritualis* narrat Epiſcopum quemdam Italum co-
ram Agapito ſummo Pontifice Romæ celebrantem, cum ſanctæ oblatio-
nis orationem non concluderet, eo quod juxta conſuetudinem S. Spiritus
deſcenſum non videret, rogaſſe Pontificem, ut juberet ab Altari recede-
re Diaconum, qui flabellum tenebat, quo amoto vidit continuo Epiſco-
pus Spiritus Sancti adventum. Hildebertus Turonenſis Epiſcopus *Epiſt.*
8. cum miſiſſet amico flabellum, de uſu ipſius tropologice diſſerit, tum
oſtendit ad uſum ſacrificii deſtinatum illud fuiſſe dicens: *Dum igitur
deſtinato tibi flabella deſcendentes ſuper ſacrificia muſcas abegeris; a ſacri-
ficantis mente ſupervenientium incurſus tentationum catholicæ fidei ventilabro
exturbari oportebit. Ita fiet ut quod ſuſceptum eſt ad uſum, myſticum tibi
præbeat intellectum.* In antiquis Cluniacenſium Conſuetudinibus editis *tomo* 4.
Spicilegii lib. 2. *cap.* 30. uſus flabelli his verbis commemoratur: *unus mi-
niſtrorum, qui ſemper duo debent eſſe, ſtans cum flabello prope ſacerdotem,
ex quo muſcarum infeſtatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere a
ſacrificio, & ab altari, ſeu ab ipſo ſacerdote non negligit.* Cæremoniale
denique Pontificium tempore Nicolai V. quod M. S. extat in Bibliotheca
Barberina *cod.* 2365. cap. de his quæ ſervanda ſunt circa miniſterium,
quando Epiſcopus Cardinalis Miſſæ ſolemnia celebrat, prope finem Ca-
pituli ait: *Deferant quoque æſtivo tempore flabella ad ejiciendas muſcas a
miniſterio.* Eadem quoque flabella ſæpius commemorat in deſcriptione Miſ-
ſæ, quam Papa ſolemniter cantat. Hodie in Eccleſia Romana cum ſum-
mus Pontifex ſolemniter celebraturus procedit, duo flabella ex pennis pa-
vonum compacta hinc inde portantur, ſed nullus eorum intra Miſſam
uſus eſt.

(1) *Ab integra panis maſſa ſecant*) In modum Crucis ipſam oblationem ſcindunt Græci, uti teſtatur Humbertus Card. Dialogo contra Græcos. De hac lanceola vide Nomocanonem a Jo. Bapt. Cotelerio editum cap. 130. Item Jac. Goarium in Euchologio Græc. pag. 116., ubi ejus figuram exprimit.

(2) *Radiis ad inſtar ſtellæ fultis*) Denotari hac cæremonia volunt Græci ſtellam illam felicis ominis, quæ Magos ad natum Dominum noſtrum deduxit, ſuperſtetitque ubi ille erat; unde Sacerdos hanc ſtellam patenæ imponens, ait: *Et veniens ſtella aſtitit ſuper ubi erat poſitus*: Ita Macri fratres in Hierolexico, & Hoffmannus in Lexico.

(3) *Cochlear ab ipſis labida dictum*) Græci antiquitus non cochlearia adhibebant, ſed aureas forcipes ad tangendam reverentiæ cauſa ſacroſanctam Euchariſtiam, quas, ut recte Card. noſter ſcribit, λαβίδας appellabant, & *Divinam forcipem* S. Theophanes epiſt. 3. nuncupat, deinde vero vocabulum hoc a Græcis recentioribus translatum fuit ad ſignificandum cochleare, quo ipſi Euchariſtiam Laicis, ſive ſecularibus miniſtrant. Vide mox laudatum Goarium in notis ad Euchologium pag. 152., ubi & illius formam exhibet. In Cæremoniali Romano lib. 2. cap. 34. mentio fit de aureo Cochleari, quo utebatur Papa ad ponendam aquam in calice, ſic enim ibi: *Subdiaconus vero Latinus accipit cochlear prædictum, ſuper quod Sacriſta imponit aquam ex ampulla.* De cochleari porro nonnulla jam dicta ſunt ſupra, cum de colatorio actum eſt. Forcipes vero etiam apud Latinos a Durando lib. 1. Ration. cap. 3. n. 29. inter ſacra miniſteria recenſentur, illi ſcilicet, quorum gemino dente ignis componitur, vel ferrum illud ad modum forcipum factum, quo Panis Euchariſticus efformatur. Denique vide & Cangii Gloſſarium med. & inf. Græcitatis in voce λαβίς.

(4) *Uſum aliquando viguiſſe tam in Romana, quam in aliis Occidentalibus Eccleſiis*) Flabellum argenteum inter miniſteria ſacra habetur apud Hariulphum lib. 3. cap. 3., & in Teſtamento S. Everardi apud Miræum in Cod. Donat. piar. cap. 21. Eccleſiaſticis Scriptoribus Græcis *Ripidion* dicitur, ſcilicet Auctori Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. 12., Jobio

lib. 5. cap. 25. apud Photium Cod. 222., Theostericto in vita S. Nicetæ Hegumeni n. 14. Germano Patr. Constantinopol. in Theoria Mystica, in Chronico Alexandrino pag. 894. Simeoni Thess. pag. 225. in Catalogo Offic. Eccl. CP. a Medonio edito, ubi de Magno Oeconomo &c. De Diacono autem flabellum tenente, dum sacra peraguntur agunt Joannes Moschus in Prato Spirit. nedum cap. 150., ut Card. notat, sed & 196. Idem Theosterictus loco citato, Abbas Venusinus in vita S. Petri Abbatis Cavensis n. 11. Hildebertus Cenomanensis Episcopus ep. 8. Vita S. Petri Episcopi Policastrensis apud Ughellium tom. 7. Ital. Sacræ p. 766. Durandus Mimatensis lib. 4. c. 35. num. 8. 9. Durandus Monachus, Morinus de sacris Ordinat. pag. 217. Hugo Menardus ad Gregorii M. Sacrament. pag. 319. Habertus ad Pontif. Goarus ad Euchololog. Græc. & alii.

Flabellum ab aliquibus Muscarium dictu.

Flabellum item aliquibus dicitur *Muscarium*, scilicet, quo muscæ abiguntur. Insigne est in primis muscarium in Ecclesia Trenorchiensi asservatum, quod delineari curavit Auctor Historiæ ejusdem loci propediem in publicum proditurae. Cui usui fuerit, indicant versus ei inscripti, referente Mabillonio tom. 4. Annal. Bened. p. 356.

Sunt duo, quæ modicum confert æstate flabellum:
Infestas abigit muscas, & mitigat æstum.

Manubrium illius eburneum sculptili opere decorum duos amplius pedes longum est, in quo Auctoris nomen hoc versu exprimitur:

Joel me sanctæ fecit in honore Mariæ.

Maronitæ porro orbiculatis flabellis ex argenteis, seu cupreis laminis utuntur, ac circumcirca tintinnabula addunt, quæ a duobus Clericis hinc inde post Celebrantem tremulo motu agitantur; immo & ipse Sacerdos pronunciando illa verba *Sanctus, Sanctus* &c. tremorem Beatorum Spirituum manibus repræsentat, qui tremor tunc in organi pulsatione solet etiam penes aliquot Ecclesias formari. Prior Conventualis Equitum Melitensium, (ut scribunt Macri fratres in Hierolex.) & Archiepiscopus Messanensis hujusmodi flabellis uti solent, quibus etiam utitur Episcopus Trojæ in Apulia in Processione solemni Sanctissimi Sacramenti. Item in Cæremoniali Ordinis Præd. num. 6. sic præscribitur: *Tempore quoque muscarum debet eas Diaconus flabello amovere, ne molestent Sacerdotem, & abigere a sacrificio*. Per has oculatas pennas admonetur Prælatus, quod in actionibus suis summopere circumspectus incedat, utpote in quem populi circumstantis oculi respiciunt; atque ob hanc causam (reor) Romanus Pontifex quando publice in Sella gestatoria defertur, ex utroque latere similibus flabellis obumbratur. Hoc porro Ecclesiasticum instrumentum in S. Epiphanii Vita ventilabrum ministeriorum appellatur, de quo vide plura in hac voce apud Cangium, ubi inter sacra Ecclesiæ utensilia id sæpius recensetur.

§ VII.

De Candelabris, aliisque vasis ad usum luminum. Ea in Ecclesia antiquissima esse. Solvitur objectio ex Lactantio, & ex Concilio Illiberitano.

COmmunia omnibus Ecclesiis sunt candelabra, lumina, crux, thuribulum, & libri, de quibus distincte agendum est. Candelabra, aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, vel ellychnia oleo fota accendebantur ad præbendum lumen, ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse in Ecclesia, inde ostendit Baronius

Ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia accensa lumina.

anno 58. quia hic usus jam ante vigebat apud Hebræos, quibus in templo, & lucernæ succensæ erant, & aureum candelabrum pretiosissimum, *Exodi* 25. egregie descriptum. Quam vero sumptuosa hæc essent, satis expressum habemus apud Anastasium, & alios, qui summorum Pontificum, & Principum donaria recensentes, frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, canthara cereostata, & lucernas aureas atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solum cera & oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum & opobalsamum incendebatur (1). His autem vasis dives erat Ecclesia etiam sub ethnicis Imperatoribus, qui ipsam devastabant. In Actis enim Proconsularibus traditæ leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernæ argenteæ septem, æneæ undecim cum catenis suis, cereosala duo, candelæ breves æneæ cum lucernis suis septem. Et Prudentius in hymno S. Laurentii in persona Tyranni cecinit: (1)

Ar-

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Est & canon 3. Apostolorum, ne liceat aliquid aliud ad altare offerre præter oleum ad luminaria, & incensum tempore sanctæ oblationis. Athanasius in Epist. ad Orthodoxos de Arianorum persecutione ethnicos ab illis in Ecclesiam introductos conqueritur, qui candelabra deposuerunt, & cereos idolis incenderunt. Eumdem luminum usum indicat Paulinus *Nat.* 3. *S. Felicis*.

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget : & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis. (2) (2)

Ex quibus apparet non solum noctu, sed etiam interdiu succensa lumina, quem morem culpabat Vigilantius dicens, *prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias sole adhuc fulgente moles cereorum accendi*. At Vigilantio nervose, ut solet, Hieronymus respondit ostendens eum morem universalem esse in Oriente, & Occidente, non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Aliam addit rationem Isidorus *lib.* 7. *Originum cap.* 12. ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Præclare item Micrologus cap. 11. *Juxta Romanum Ordinem numquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cujus sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpamus, sicut in nocte*. Hunc usum improbare videtur Lactantius Firmianus *lib.* 6. *div. instit. cap.* 2. sic scribens: *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui authori, & datori luminis ea delas ac cereorum lumen offert pro munere?* At si bene perpendatur, solos ethnicos, quos impugnat, reprehendit, quia lumina Deo accendebant tamquam in tenebris degenti, & luce indigenti. Difficilior objectio sese offert ex c. 34. Concilii Illiberitani, *Cereos per diem placuit in cemeteriis non incendi, inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt*. Qui sane canon crucem fixit interpretibus, tum ob prohibitionem, quæ omnium Ecclesiarum consuetudini adversari videtur; tum ob ejus rationem, quia non satis constat, quomodo possint sanctorum spiritus luminibus inquietari. Variæ Doctorum explicationes extant in commentariis ad ipsum Concilium novissime editis Lugduni, quæ ibidem legi possunt *pag.* 321. *& sequentibus*. Sed ut verum fatear, nulla earum nodum solvere mihi videtur, nec meum est tantas componere lites. Forsitan in illa Provincia ex luminum in cemeteriis accensione aliqua superstitio irrepserat, quæ citato canoni occasionem dedit, ex cujus ignorantia obscuritas, & difficultas in ejus intelligentia orta est (3). Plura de usu luminum in Ecclesia congerit Baronius loco (3)
citato n. 70. & seqq. [4]. (4)

Juxta Romanum Ordinem Missa numquam absque lumine celebrata.

(1) *Et Opobalsamum incendebatur*) De his videndus clar. vir Dominicus Georgius de Liturg. Rom. Pont. Disquisit. de sac. Minist. cap. 8. 9. 10. & 11. Vide item superius dicta num. 2. & infra etiam dicenda §. XIII.

(2) *Plus micat in numeris lucem geminata lucernis*) Et Natali 9.

Ecce vides quantus splendor, vel ut æde renata
Rideat: insculptum camera crispante lacunar,
In ligno mentitur ebur, tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant,

 Funibus

Funibus undantes flammas levis aura fatigat. Siquidem laquearibus appendebantur hi Lychnuchi orbiculares, & in modum coronæ effecti circuli complures gradatim sibi ipsis impositi, ita ut infimus major esset medio, & medius supremo, singulique vitreis lampadibus adornati, cujusmodi eleganter describuntur ab eodem Paulino Natali 7. Hos autem luminosos circulos *coronas* interdum vocant Medii ævi Scriptores Latini, Anastasius Biblioth. in S. Silvestro, Sixto III. P.P. Flodoardus Histor. Remensis lib. 3. cap. 5. S. Uldaricus in Consuetud. Cluniacen. lib. 1. c. 11. Petrus venerabilis Abbas in Statutis Cluniacen. cap. 52. aliique. Sanctus Bernardus Abbas Clarevall. *Rotas* appellandas potius censuit lib. de vita, & moribus Clericorum cap. 11. *Ponuntur in Ecclesia gemmatæ non coronæ, sed Rotæ circumseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus.* Et ante ipsum Adamnanus de Locis Sanctis lib. 1. cap. 6. *Cujus* (Ecclesiæ) *in superioribus grandis quædam ærea cum lampadibus rota in funibus pendet.* Instructas porro ejusmodi lampadibus coronas *Phara* appellant alii. Leo Ostiensis lib. 3. Cron. Cassin. cap. 31. *Fecit & Pharum, coronam scilicet maximam argenteam cum sex, & triginta lampadibus ex ea pendentibus*: Ita promiscue apud Walafridum Strabonem lib. 2. de Miraculis S. Galli cap. 35. Bedam de Rat. temporum cap. 24., & alibi. Præterea apud Anastasium non semel, præcipue in S. Hadriano Papa, Leone III. Papa, qui etiam in S. Silvestro Phara Canthara appellat, eas potissimum coronas, quæ lampadibus, & discis instructæ erant, sed de his vide iterum inf. §. XIII.

Rotæ dictæ Coronæ lampadibus circumseptæ.

Item Prudentius in Catameria hymno V.

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro:
Credas stelligeram desuper arenam
Ornatam gemmis stare trionibus,
Et qua phosphoreum &c.

In exponendo can. 34. Conc. Illiberitani variæ eruditorum sententiæ

(3) *In ejus intelligentia orta est*) Sane in hoc Canone Illiberitano exponendo plurimum torquentur Eruditorum ingenia. Plerique hunc Canonem, sicuti & 37. istius Concilii supposititios putarunt, quemadmodum supra adnotavimus ad cap. 16. num. 2. in fine, inter quos Eminentissimus Card. Baronius ad an. 57., Bellarminus tom. 1. Controv. lib. 2. cap. 9. Item Bartholomæus Caranza, & Melchior Canus lib. 5. de locis Theol. cap. 4. concl. 6. Verum re melius inspecta, cum veteres omnes Codices MSS. Concilii Illiberitani ita hos Canones referant, illos pro legitimis, & genuinis acceptarunt reliqui Eruditorum Principes, varieque illos interpretati sunt. Et quidem hujus Canonis decretum de cereis in cæmeteriis Martyrum non accendendis, *inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt*, ut aiunt Illiberitani Patres, interpretantur Card. Baronius ad an. Christi 34. n. 312., & eum sequuntur Suarez 3. par. tom. 1. disp. 50. sec. 4. Severinus Binius tom. 1. Conc. par. 1. Item Gabriel Vasquez tom. in 3. part. disput. 112. cap. 7. num. 25., quorum opiniones refert Thomas Hurtado Resolut. Orthodoxo-Moral. Resol. 34. sect. 6. Item Natalis Alexander sect. 3. dissert. 21. art. 2. prop. 1. pag. 741. fusius autem omnium relatis opinionibus Eminentissimus Card. de Aguirre tom. 1. Concil. Hisp. pag. 537., & seqq., ad quem Lectorem mittimus.

Samuel Basnagius quoad antiquissimum cereorum usū in Ecclesia confutatus.

(4) *Congerit Baronius loco citato num. 70. & seqq.*) Samuel Basnagius heterodoxus Scriptor annal. tom. 2. pag. 307. diurnorum cereorum, & lucernarum usum in Ecclesiæ cæremoniis emersisse anno Domini 337. affirmat, ut nempe Constantini Magni funus honore afficeretur; Eusebius enim Vitæ Constantini lib. 4. cap. 66. hæc habet: *Aurea super candelabra luminibus undique accensis admirabile spectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo umquam mortalium ab ipso orbis conditu visum in terris fuerat.* Sed falso nititur fulcro; nam ante Constantinum an. 258. S. Cyprianus prælucentibus cereis sepultus fuit, ut in ejus Passionis actis legitur: *ne a Gentilibus tolleretur &c.* De S. Paula Hieronymus ad Eustochium epist. 27. *translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices lampadas, cereosque præferrent.* Ex Concilio etiam Carthaginensi IV., quod Cypriani, & Cornelii ætate habitum fuit, nempe anno Christi 253. cap. 6. habetur: *Acolythus cum ordinatur ab Episcopo, quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda lumina Ecclesiæ mancipari.* Quare ex his Basnagii error manifeste constat.

Atque etiam ex ipso Guillelmo Cave confectatio suo

Sanius autem Basnagio sensit Guillelmus Cave, etsi cum illo ejusdem sectæ; etenim Differt. 2. de Libris Eccl. Græc. pag. 186. col. 2. „ Non opus est, inquit, ut hoc loco „ agam de luminaribus olim in Ecclesia ac„ cendi solitis. Cumulate id præstiterunt alii, „ Baronius ad an. 58. num. 70. & 71. us„ que ad 75. Casalius de veterum sacris Chri„ stianorum Ritibus cap. 42. pag. 184. Du„ rantus de Rit. Eccl. Cath. lib. 1. cap. 8. „ pag. 72. Ciampinus de sac. ædif. Constan„ tini M. cap. 10. p. 134., qui bina mar„ morea candelabra in Basilica Sanctæ Con„ stantiæ exquisite elaborata exhibet tab. 29. „ fig. 3. & 4. ibid. p. 130. Ad hæc lumina „ concinnanda sumptus faciebant, quandoque „ & fundos donabant Veteres. In antiqua in„ scriptione Eugenii Notarii apud Aringhium „ Romæ subterr. tom. 1. lib. 2. cap. 10. p. „ 340. mentio fit redituum quorumdam ex „ hortis Transtyberinis *ad luminaria* &c.„ Hæc ille; sed & Basnagium arguunt, ac de antiquissimo cereorum, luminumque usu in Ecclesia revincunt ipsa S. Hieronymi verba in Epistola contra Vigilantium: *Hoc pro honore* (inquit) *Martyrum faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam & Apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur, & quicumque accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo*: unusquisque in sensu suo abundet. *Idololatras appellas hujusmodi homines; non diffiteor*

omnes

omnes nos, qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse, non enim nascimur, sed renascimur Christiani, & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, & hoc fit Martyribus, & ideo recipiendum est; nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum; unde & Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Hæc adversus Vigilantium Hieronymus, qui eodem seculo vixit, quo Constantinus, quamvis multo post ipsum tempore obierit; Eadem & ego adversus Basnagium, qui profecto si Vigilantii assecla esse nolit, & cum eodem Dormitantius dici, sicut illum hoc nomine donabat Hieronymus, ex ipsius allato textu, præter ea, quæ a Cardinali deducta sunt vetera monumenta, liquido, ac clarissime conspiciet jam olim ab ipsis Apostolorum temporibus, non ex Constantini funere, diurnorum cereorum usum, & lucernarum in Ecclesiæ cæremoniis emersisse. Sed & contra eumdem Basnagium iterum §. sequenti disceptandum obvenit.

Item ex verbis S. Hieronymi adv. Vigilantium.

§. VIII.

Cur sine Cruce celebrari Missa non debeat. De hujus Ritus antiquitate.

INter candelabra Crux in Altari collocari solet (1), quem ritum antiquissimum esse ostendunt plerique ex canone 3. Concilii secundi Turonensis habiti anno 570. *Ut Corpus Domini in Altari non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. De cujus legitimo sensu certant viri eruditi, & adhuc sub judice lis est (2). Alii vero multo antiquiorem merito existimant, utpote qui ab Apostolica traditione profluxerit. Ab aspectu siquidem Crucis sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva imago & realis repræsentatio hoc sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo, offeratur. Ideo Sancti Patres, ut Seraphicus Bonaventura testatur *lib. de Mysteriis Missæ*, statuerunt ne quisquam Missas agat, nisi in Altari adsit imago Crucifixi. Ideo etiam Christi cultores maxima semper veneratione signum Crucis prosequuti sunt, adeo ut ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem tererent Crucis signaculo, ut loquitur Tertullianus *cap.* 3. *de Corona Militis* (3). Basilius lib. de Spiritu Sancto *cap.* 27. inter dogmata, quæ sine scripto recepimus ex Apostolica traditione, hoc primo loco commemorat, ut signo Crucis signentur, qui spem in Christo collocarunt. Augustinus tract. 118. in Joannem, *Quid est*, inquit, *signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil horum rite perficitur*. Nec solum Crucis signaculo in omni actu se munire consueverunt fideles, sed & materialem ipsius Crucis figuram venerari, de qua re antiquos canones Antonius Augustinus collegit *lib.* 16. *Juris Pontificii tit.* 14. Crucis aureæ in Altari meminit Beda *lib.* 2. *hist. Anglorum cap.* 20. Et Jonas Aurelianen. adv. Claudium Taurinen. in præfat. lib. 2. *Multa*, inquit, *sunt quæ mos sanctæ Ecclesiæ, sicut a majoribus tradita sunt & derelicta, quadam insita atque nativa celebratione frequentat. Neque enim nostro tempore usus irrepsit figuram Crucis in Basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit* (4).

Crucis signũ in maxima semper veneratione habitum.

(1) *Crux in Altari collocari solet*) Guillelmus Beveregius Anglicanæ communionis scriptor, etsi adversæ partis, ut apposite ait Em. Schelestratius de Conc. Antioch. cap. 4. pag. 193. ingenuum de sacri Altaris usu apud antiquos præbet testimonium, quod ut toti Angliæ & Septentrioni, ac Orbi universo manifestum faceret, id quod ex omni antiquitate eruerat, in Ichnographia repræsentari fecit cruce super Altare posita: *& insuper* (inquit tom. 2.

Crucem altari appositam olim ab antiquo fuisse testatur Guilielmus Beveregius.

2. Pandect. Can. Apost. & Concil. Ecclesiæ Græcæ) *Crucem ei* (Altari) *appofuimus , fine qua nullum umquam in quavis fere Ecclesia , Græca præsertim per multa retro sæcula erectum altare legitur*. Crucis sanctissimæ varias figuras antiquitus usitatas ex Divo Paulino Episcopo Nolano, aliisque antiquis, & optimis Authoribus describit Lud. Ant. Muratorius Anecdot. tom. 1. in indice sub Crucis verbo, videlicet cum candelabris in brachiis, cum cantharulis pag. 35. in formam antemnæ, & in forma *Tau*. pag. 42. Item Crux commissa, & immissa pag. 210. & 211. coronâ circumdata pingi solita pag. 47., de qua etiam infra §. 13. Usus porro locandæ Crucis super Altare inter cereos, quod jam Joannis Chrysostomi ævo invaluerit, testatur Socrates Hist. Eccl. lib. 6. cap. 8. *Cruces enim*, inquit, *argenteæ a Joanne excogitatæ erant, quæ cereas faces accensas gestabant, Eudoxia Augusta sumptus ad hoc suppeditante*: quod & confirmat Sozomenus lib. 8. cap. 8. & ideo cruces argenteæ excogitatæ, ut majore apparatu præ Arianis psalmi canerentur in Ecclesia, ut iidem paulo ante indicant. Sed & ipse Chrysostomus lib. *Quod Christus sit Deus*, cap. 8. Oper. tom. 5. *In purpuris*, ait, *Crux, in diadematis Crux, in precibus Crux, & in mensa sacra Crux*. Hanc vero antiquam esse, & religiosam Ecclesiæ consuetudinem fatentur memoratus Sozomenus Hist. Eccl. cap. 3., & Epiphanius Scholasticus Hist. Tripart. lib. 2. ubi narrant Probiani cujusdam ex satellitibus, qui Imperatorem Constantinum in Palatio stipabant, visionem, qua jam eo tempore, seculo scilicet IV. ineunte, usus statuendi Crucem in Altari invaluisse dignoscitur: *cui visio*, inquit, *divinitus oblata quamdam Crucis imaginem; quæ in Altari illius Ecclesiæ statui solet, ante oculos proposuit*: Historiam istam Centuriatores Magdeburgenses cent. 4. cap. 13. & ex illis reliqui Protestantes superstitiosam vocant, atque a Constantini tempore alienam, a Sozomeno confictam, vel stulte pro vera acceptam; sed nos non morantur eorum hujusmodi næniæ, puerilesque exceptiunculæ; quamplura siquidem extant indubia veterum monumenta, quibus exaltatam in Altari Crucem de more antiquitus etiam fuisse perspectum habemus, inter quæ præ cæteris singulare est Paulini Nolani carmen de Cruce in Natali XI. apud Muratorium Anecdot. tom. 1. pag. 46., qui & alibi passim de eadem super sacram mensam posita expresse meminit. Noverat hanc sacram Christianorum disciplinam Chosroes junior Persarum Rex, Paganus licet, nam Regno restitutus circa finem seculi VI., sacra dona vovit Ecclesiæ S. Sergii Mart. eaque misit ad Gregorium Episc. Antiochenum, *Crucem* scilicet *auro, & gemmis pretiosis elaboratam, & aliam Crucem auream*, in qua litteris Græcis longam epigraphen inscripsit, ubi legitur: *ut Crux illa in sacro Altari defigatur*. Ita Evagrius lib. 6. c. 20. & 21. apud Baronium ad an. 593. n. 2. Plura de hoc prisco Ritu sacram Crucem super Altare collocandi clar. Vir, ac nuperus Scriptor pluries supra memoratus Dominicus Georgi de Liturgia Rom. Pontif. Disquis. de sacro Ministerio cap. 32. n. 2.

Item alia ex antiquitate proferuntur testimonia, quibus Crux locata super Altare comprobatur.

(2) *Et adhuc sub judice lis est*) Cui interpretationi adhæreat Eminentissimus Author perspicue declarat lib. 2. cap. 17. n. 6. nimirum decretum hoc Canone, ut Corpus Christi non inter imagines, sed sub Cruce in loco digniori ponatur. At Bonæ propria non est ea sententia, quam Illustrissimus etiam Bossuetus amplectitur. Nobis tamen magis arridet Harduini Observatio, qui litem diremisse videtur „ cum mos esset, (inquit eruditissimus vir de Can. Turon. cap. 2. pag. 307.) „ Panes simul in ara mulros offerendi, statui„ tur in hoc tractu Galliæ, ne temerario, „ vel arbitrario ordine, sive quem quisque „ pro arbitratu finxerit, aut aliqua phrasis „ falsa religione ductus imaginetur, denique „ ne Imaginaria ratione, ut Augustini verbo „ utamur, sed in Crucis formam, modum„ que disponatur. „ Felix conjectura, quam solide confirmat Opusculum Ildephonsi Mabillonio ab Eminentissimo Scriptore transmissum, & ab illo post calcem Dissert. de pane azymo, & fermentato editum, in quo ita statuitur: *In Pascha, scilicet Dominica Resurrectionis, de qua fit sermonis ratio, centum triginta & quinque panes sunt offerendi in Crucis modum per trium Missarum officia, videlicet quadraginta, & quinque in unaquaque Missa*. Et paullo post: *In diebus autem Dominicis, & Dei Sanctorum festis amplius non sunt offerendi panes, nec minus maxime quam quinque in Crucis forma*. Vide figuras apud eumdem Mabillonium; observaverat jam Sirmondus in Codice Bellovacensi, & in Collectione Bonævallis omitti propositiones hoc pacto: *Ut Corpus Domini in Altari non imaginario ordine, sed Crucis titulo componatur*. Quam lectionem exhibet etiam Vaticanus Codex teste Labbeo, quam ipsi nos inspeximus, quæ lectio si vera est, ut nulli dubitamus, multum lucis explicationi Canonis affert.

Variæ eruditorum sententiæ circa can. 3. Conc. Turon. referuntur, & examinantur.

Cæterum torquentur plurimum Eruditorum plures in hujusce Concilii Canone dilucidando aliis aliter opinantibus. Et quidem hac de causa tres sunt, aut quatuor Catholicorum sententiæ: Severinus Binius hoc Decreto prohiberi existimat, ne Corpus Domini inter sacras imagines super Altare poni solitas collocetur, sed potius sub ipsa Cruce, quæ in meditullio ipsius Altaris poni consuevit. Jacobus Sirmondus e contra censet nihil aliud hoc canone vetari, quam ut panis in Corpus Domini consecrandus, non aliter pro cujusque arbitrio, quam impressa Cruce formetur. Tertia est cujusdam viri doctissimi hunc canonem intelligendum esse de componenda oblatione cum calice tempore sacrificii e regione Crucis in medio Altari positæ, non vero ad dexteram, aut sinistram e regione imaginum. Denique observat Labbeus particulas *in*, & *sub*, quæ in vulgatis exemplaribus leguntur, a Vaticano prorsus abesse; hinc canonis mentem videri Eucharistiæ partes non ad Celebrantis arbitrium, sed Crucis in speciem debere constitui. Verum istarum omnium prior opinio magis arridet, cui subscripserat infra Card. noster lib. 2. c. 17. n. 6., cui etiam adhæret Mabillonius de Azymo, & Fermen-

Fermentato cap. 8. rectius enim censendum est Turonenses Patres non alio quam digniori in loco, scilicet Altaris medio sub Cruce voluisse constitui. Et quidem hanc Eucharistiæ compositionem sub Cruce in Altari illustrat S. Paulini Episcopi egregium carmen ad Severum, de quo idem Eminentissimus infra loco citato:

Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus,
Compositisque sacra cum Cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt insignia Christi,
Crux, Corpus, sanguis Martyris, ipse Deus.

Idest Crux in summo, Corpus, & sanguis Martyris, scilicet reliquiæ in imo subtus Altare, *ipse Deus* hoc est ipsum Domini Corpus in medio sub Cruce.

Sed antiquissimum esse hunc ritum collocandi Crucem in Altari inter candelabra iterum videamus, quem plerique ex hoc Turonensi Concilio, alii præsertim Hæretici Basnagius, & Binghamus cum impio suo Symmista Dallæo sacrarum rerum omnium irrisores, id novum Ecclesiæ adinventum nequiter asserunt.

Extraneorum testimonia de Crucis signo frontibus, & ab initio semper impresso.

(3) *Ut loquitur Tertullianus cap. 3. de corona militis*) Antonius Reiserus Augustanus Confessionista in suo Augustino vindicato contra Bellarminum, aliosque, ut ipse ait, Papæos pag. 395., ubi loquitur de Crucis signo fronti impresso, hæc vel invitus non diffitetur exprimere: „ Et fuit hoc signum Crucis distinctivum, quo tamquam exteriori „ etiam ritu Christiani a Gentilibus tanquam „ Crucis Dominicæ hostibus, & gravissimis „ persecutoribus distinguebantur; ut hoc etiam „ signo cognosci potuerint. Sed & illud simul certum est, & indubium fuisse hanc „ Crucis formationem apud antiquos Christianorum ex instituto non divino, sed humano. Hinc idem Tertullianus: *Harum „ & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem „ expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obsirmatrix*. Ita enim hæc „ legenda esse Rhenanus post primam in „ posteriore Operum Tertulliani editione, „ & auctiore, & emendatiore cognoscit „ Ita Reiserus, cui subscribit Acatholicus alter Matthæus Broverius de Niedek de Populorum veterum, ac recentiorum adorationibus, ubi pag. 205. & 206. ostendit Crucem per Christianorum manus in adorando formatam fuisse. Quin & Jacobus Bosius in Tractatu de triumphanti Cruce lib. 2. cap. 4., asserit quod Gentiles orantes Crucem repræsentarent, & lib. 5. cap. 12., quod iidem Ethnici, nescientes tamen quid facerent, Crucis figuram & imaginem efformabant, quemadmodum supra ex Tertulliano dictum est. Vide item Card. Baronium ad an. 34. n. 92. & 93.

(4) *Mos antiquæ observationis id instituit*) Certum est primo sacrosanctæ Crucis signum, & imaginem ipso nascentis Ecclesiæ exordio a piis fidelibus summo semper honore habitam, digniori in loco collocatam, & adoratam fuisse, quidquid maledici oblatrent prædicti, aliique damnati nostrorum temporum Iconoclastæ; Id ita perspicuum est, ut si veterum historiæ fidem maligni non denegent, vel inviti fateri cogantur. Quid aliud prædicat illud priscis Christianis gloriosum *Crucicolæ* nomen, quod iis obtrudebant Gentiles, uti passim in actis SS. Martyrum legitur, nisi quod Crucem colebant? Ita hoc nomine præ cæteris S. Benignus Martyr Divionensis ab Aurelio Imperatore interpellatus est; apud Surium ad diem 1. Novembris: *Crucicola siquidem Christianæ legis te profiteris esse doctorem* &c. Item in Passione S. Mariæ Martyris apud Baluzium Miscell. tom. 1. pag. 118. n. 5. ubi de Parentibus ejusdem Martyris a Præfecto interrogatus Tertullus quidam gentilis, an christiani essent, iste respondit: *ejusdem vesaniæ, nam Crucifixum colebant*. Hi autem duo Martyres, sicut & mille alii Crucis, & Crucifixi cultores appellati sæculo Ecclesiæ secundo passi sunt. Numquam vero Gentiles Crucis adorationem iisdem Christianis objicere somniassent, nisi primis illis sanctissimisque fidelibus, qui ante eos vixerunt, Crucem summæ venerationi semper fuisse perspicue novissent, & vidissent.

Priorum seculorum Christifideles a Gentilibus dicti Crucicolæ eo quod crucem, & crucifixum adorarent.

Hujus sacri cultus testis irrefragabilis Tertullianus.

Id expresse affirmat Tertullianus in Apologet. cap. 16. *Sed & qui Crucis Religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquid propitiatur; viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit, viderit forma, dum idipsum Dei Corpus sit, & tamen quanto distinguitur a Crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostat? pars Crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur, nos si forte integrum, & totum Deum colimus*. Idem ad Nationes lib. 1. cap. 12. repetit, *sed & qui Crucis nos Antistites affirmat, consecraneus erit noster*. *Consecraneus*, seu ut alii legunt, consectaneus, idest particeps cultus nostri, & Crucis adorator convincetur Gentilis Crucis, & Christi Crucifixi illusor. Sic eos Gentiles carpit idem Septimius dicto lib. Apolog. cap. 12. *Crucibus, & stipitibus imponitis Christianos, quod simulacrum non prius argilla deformat Cruci, & stipiti superstructa?* quasi dicat: hoc ipso quod in Crucem agitis, vel palo figitis Christianum omnia sine querela ferentem, eum ut simulacrum efformatis, & consecratis; iisdem enim suppliciis affici ab ipsis Deos suos deducit: uti Tertullianum imitatus Minucius distinguens inter simulacra, ligneum, cui competat suspendi, cædi, dolari, runcinari, construi; æreum vel argenteum, cui conflari, fundi, plumbari, malleis tundi, & incudibus figurari; lapideum denique, cui cædi, sculpi, lævigari, & erigi convenit. Atque illud *argilla deformat Cruci, & stipiti superstructa? In patibulo primum Corpus Dei vestri dedicatur*. Ita explicat Joseph Scaliger in Festum, ut alludat Africanus Author ad derivationem stipitis a stipa, quæ proprie Crux est, cui argillam imponunt Plastæ; hinc ait idem Septimius: *cum lignum aliquod propitiatur*, scilicet in Deum futurum propitium exciditur, *viderit habitus*, nihil refert qualis sit habitus, & effigies, *dum materiæ qualitas eadem sit*. Forma est, quæ alicujus Deitatis signum sit, figura ejus personam repræsentans. Deinde subdit cap. 16. *Sed & victorias adoratis, cum in tropæis Cru-*

ces

ces intestina sunt tropæorum. Religio tota Castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Deis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia Crucum sunt. Siphara illa vexillorum, & cantabrorum stolæ Crucum sunt; Laudo diligentiam, noluistis nudas, & incultas Cruces consecrare. Siquidem ait ad hunc locum Desiderius Heraldus: „ Victoriæ, „ Diisque Victoriæ authoribus trophæa con„ secrabantur non sine religione, nam ade„ rant tum tibicines, ac milites in honorem „ Deorum coronati opus hoc peragebant: Idem porro, ac pene ad verbum repetit Tertullianus ad Nationes lib. 1. cap. 12. ubi ait: *Sed nobis tota Crux imputatur . . . . Hoc quidem vos incusabiliores, qui mutilum, & truncum dicastis lignum, enimvero de reliquo integra est religio vobis integræ Crucis, sicut ostendam,* & postquam Gentiles, Crucem, stolis, signis, velis, & trophæis ornatam ignorantes colere demonstrarit, concludit dicens: *erubescitis, opinor, incultas, & nudas Cruces colere.* Ex quibus omnibus an cum stauropata Basnagio argui, & asseri possit Tertullianum Crucis cultum excludere, judicent vel ipsi Centuriatores Magdeburgenses, qui id nobiscum negare non inficiantur, & eumdem Africanum Carthaginensis Ecclesiæ Presbyterum, ex priscis secundi seculi Scriptoribus sacrosanctæ Crucis adoratorem fatentur. Cent. 3. cap. 6. p. 85. Et hanc esse adolescentis Christianæ Religionis traditionem satis superque testatur ipsum Crucicolæ nomen, quo ab Ethnicis, ut vidimus, appellabantur Christiani, & testatur Aldhelmus sec. 7. Scriptor de laudibus Virgin. cap. 17. fideles enim, inquit Cl. Ambrosius Gardebosc Hist. Eccl. tom. 2. pag. 405. „ tanti „ fecerunt omnia quæ ad Christum quocum„ que modo pertinuerant, ut non modo ip„ sam Crucem, in qua Christus aliquando „ pependit, sed alias quascumque Cruces „ summa religione coluerint. De eo cultu „ loquitur Justinus in secunda sua Apolo„ gia his verbis: *signa, & notæ, quæ apud* „ *nos sunt, hujus rei,* id est Crucis, *virtu-* „ *tem declarant.* Et Tertullianus in Apol. c. „ 16. de cultu ligneæ Crucis sermonem ha„ bet, solvitque objectionem Gentilium, qui „ contra hujusmodi cultum blasphemabant; „ immo lib. de Corona Militis, signaculum „ sanctæ Crucis in fronte usurpatum esse „ suis temporibus his verbis declarat: *quan-* „ *documque nos conversatio exercet, frontem Cru-* „ *cis signaculo terimus.* Hæc laudatus Gardebosc.

Neque de hujusmodi tantum transitorio Crucis signo frontibus adhibito intelligendus in locis supra citatis Tertullianus, præsertim ad Nationes cap. 12., ubi quæ in Apologetico dixerat, fusius prosequitur, uti falso contendunt nonnulli audentiores Sectarii, novissime Binghamus Originum Eccl. lib. 6. cap. 6. §. 20., ubi hac de re Eminentissimum nostrum carpit. Item lib. 14. cap. 2. §. 10., quo etiam loco eadem repetit, sed de Cruce materiata, quam iidem negant; mox etenim subdit Tertullianus indicans, quæ sit Crux adoranda, eaque ex materia: *Etiam de materia* (ait) *colitis, penes vos cum effigie, quamquam sicut vestrum humana figura est, ita & nostrum sua propria,* qua inter homines conversatus est, ut his verbis explicat, *Viderint nunc lineamenta, dum una sit qualitas, viderit forma, dum ipsum sit Dei Corpus.* Iterum loco citato exprimit Christianos non crucem quamcumque, sed eam quæ Christi Domini passionem repræsentasset, ita adorare, ad quam exprimendam lignum transversum stipiti affigere solitos, addit enim ibi: *Sed & nobis tota Crux imputatur, cum antenna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu.* Consentit Augustinus in Joannem Serm. 118. *Crux alta est in cacumine, quod transversum lignum sursum versus excedit:* Hinc idem serm. 8. de verbis Apostoli: *De Cruce Christi nobis insultant Sapientes hujus mundi, & dicunt: quale cor habetis qui Deum colitis crucifixum?* Et Ambrosius Ipsi coævus Orat. de obitu Theodosii num. 48. *Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur; non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur sacræ Redemptioni,* & paucis interpositis, inquit, *ferro pedum Christi Reges inclinantur, Reges adorant.*

Qui non de Crucis signo tantum fronti impresso, sed & de materiata Cruce ac crucifixo loquitur.

Sed reponit Dallæus lib. 5. de religiosi Latinorum cultus objecto, cumque ipso infamis Calvinianæ Sectæ Ministro, ejus gregales Salmasius, Spanhemius, Basnagius, aliique: „ Lege Lucam, & Paulum, inquit, „ & Petrum, & Jacobum, & Joannem; non „ recuso quin tu jure Crucem colas, si vel „ unam apud eos de tui illius ligni religio„ ne litteram acceperis; nec discipulorum „ alia est, quam Apostolorum ratio; nemo „ in aureo illo primo ad Constantinum us„ que seculo occurrit, qui tua ligna adoret „ vel osculetur, qui ea vel desideret, vel „ sibi ad legitimum religionis cultum deesse „ conqueratur „ Hæc & similia inimici Crucis Christi, de quibus Apostolus ad Philipp. cap. 3. *quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Sed isthoc argumento negativo solito Hæreticorum inani perfugio, quo nihil insulsius, utpote stramineum nugamentum, non argumentum apud Hieronymum dicto satis superque norunt eruditi nihil certo posse concludi. Dato siquidem, & non concesso, uti contrarium infra probabitur, quod nec una inveniatur littera apud Apostolicos scriptores præfatos de Sanctissimæ Crucis adoratione, an propterea negant adorandam? *Ubi non est lex, nec prævaricatio,* ait Apostolus Paulus ad Rom. 4. 15. si ergo nulla est lex prohibens adorationem Crucis, & imaginum cultum, uti nec ex Evangelio, aut Apostolis umquam ab Hæreticis oppositum demonstrabitur, *non* quidem *insolentia ista* erit, aut superstitio, ut ipsi falso autumant; sed vere *pietas*, Religio, *cum defertur sacræ redemptioni*, ut supra optime Ambrosius, immo id juri naturali non adversari, sed & consentaneum esse Theologice probant Gregorius Ferrarius in Apocalypsim tom. 2. ad cap. 5. pag. 17. Cornelius a Lapide in Deuteronom. cap. 5. vers. 8. contra Calvinum; & Blasius a Purif. de adorat. disp. 4. dub. 1. §. 2. ac seqq. aliique. Neque urget

Refelluntur Dallæi, Salmasii, Spanhemii, Basnagii, aliorumque sectariorum contra St. Crucis cultum deliria.

urget, quod objiciunt Joannis 1. Epist. cap. ult. ubi ait, *filioli custodite vos a simulacris*: Quod etiam dixerat Paulus I. ad Corinth. cap. 5. 8. & 10. quo posteriore loco cum Joanne dicit: *Fugite ab idolorum cultura*, quæ falso ad imagines Christi Domini, & Sanctorum traducunt Sectarii, nam non aliter, quam de Idolis gentium intelligi debere vel ipsi fatentur Critici Londinenses. Secus dicant de quibus locuti sint Apostoli in suo Decreto Hierosolymis facto Act. 15. de quibus Paulus locis citatis; dicant item qua in Schola didicerint Imagines Christi, aut Sanctorum appellari idola; nos enim cum Nicæna Synodo II. Act. 5. & 7. utrobique sub finem anathema dicimus omnibus, qui eas idola appellant, in eis namque unum Deum adoramus, & colimus.

Ex ipsis Apostoli Pauli verbis manifesti mendacii convincuntur Dallæus, aliique Sectarii prædicti.

Præterea manifesti mendacii Dallæum, ejusque Hyperaspistas evincunt nedum allata priorum duo seculorum documenta, quibus Sanctissimæ Crucis cultus apud fideles ante Constantinum extitisse conspicitur, sed & quæ mox dicentur, illum temeritatis, ignorantiæ, & falsitatis etiam apud suos arguent. Et primo contra ipsum insurgit ille idem Paulus, quem pro se nequiter interpellat: quid enim sibi volunt hæc verba, quæ Apostolus sæpius in suis Epistolis inculcat, & repetit? *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Christo crucifixus sum Cruci. Non in sapientia verbi, ut non evacuetur Crux Christi. Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt*, idest nobis, *Dei virtus*: Nonne qui sic loquitur verum se Crucis Christi cultorem profitetur?

„ Si tetrum, si inauspicatum, si detestabile Crucis nomen est, (inquit Ludovicus Thomassinus Tom. II. de Incarnatione Dei pag. 874. & seq.) ut inimici Crucis Christi insaniunt, ut quid Paulus eo oblectabatur? Ut quid illo suas passim inquinavit Epistolas? Ut quid ad illud cælesti charitate conflagrabat? Excipies tu quidem, non inde effici adoratum a Paulo lignum veræ Crucis. Et ego ex adverso pertendam, eo non adoratum tantum ab ipso, sed cum pompa & in propatulo, & inspectante humano genere adoratum, non perfunctoria & fugaci, sed stabili constantique adoratione, & tandiu duratura, quandiu ipsæ Pauli Epistolæ perdurabunt, quarum apices Cœlis ipsis & terra erunt perenniores; pertendam denique non adoratum tantum, sed adorandum Orbi universo, omnibusque posteriorum ætatum tractibus esse præscriptum; Crucem enim Christi impensissime adorat, qui ad Crucis nomen hilarescit, qui ad Crucis memoriam gaudio gestit, qui Crucem ore calamoque sæpissime exprimere concupiscit, qui suam de Cruce venatur gloriam, qui Cruci cum Christo toto animo configitur, qui adversantes Cruci abominatur, qui denique Crucis nomine totam Dei virtutem, & sapientiam, totam Christi amplitudinem, totam Ecclesiæ salutem complectitur, qui adversari Cruci conqueritur quicumque veritati & sanctitati Christi & Ecclesiæ sunt infesti. Ut enim virtus & sapientia Dei, ut Christiani mysterii dignitas, ut salutis nostræ summa uno maxime Crucis nomine comprehenderetur, & significaretur a Paulo, posterisque significanda mandaretur, unde effectum est nisi ab egregia existimatione & charitate in Crucem, cui nulla æquiparari alia possit Crucis veneratio? Si vile & despicabile quid, si ominosum & execrabile, si nullo saltem honoris atque adorationis argumento prosequendum esse putasset Paulus Crucis nomen & signum, non huic nomini alligasset defixissetque totius admirationis & adorationis & spei nostræ Sacramentum. Cum autem venturas Ecclesiæ ætates omnes ea astrinxit necessitate, ut Crucis nomine concluderent adoranda sua omnia mysteria, Crucis adorationem ineluctabilem vel invitis & reluctantibus impegit. Adorat ergo Crucem Paulus, adorat perenniter & indesinenter in Epistolarum suarum monumentis nulla temporum edacitate conficiendis, adorat Ecclesia universa quoties has Epistolas lectitat, adorant & inopini atque obluctantes licet adversarii, cum Paulum e suggestu legunt, cum Crucis nomine perinde ut Paulus omnem adorandi nostri dogmatis majestatem complectuntur. Neque enim adoratio solo peragitur capitis, aut corporis flexu, aut osculo, sed animi maxime stupore, & amore. Ubi Crucem autem obstupes, ubi ornas laudum vi immensa, ubi in ea spem tuam omnem ex animo defigis; si corpore id etiam tuo profiteri renuas, si corpus inclinare detrectes, si quod animo dissuaviaris, labiis impressis lambere fastidias, næ insulsissimæ tu es pervicaciæ & dementis omnino morositatis. „ Hucusque Thomassinus. Ita plane, quomodo enim gloriari poterit in Cruce Domini, qui eam gloria, & honore indignam temere pronunciat? An fortasse cum Paulo gloriabuntur in Cruce, aut Christo confixi Cruci dicentur Zuinglius, Calvinus, & Lutherani per Bavariam Superiorem, qui cum Felicianis, & Waldensibus Hæreticis olim ab Ecclesia damnatis sacras Imagines Christi, & Sanctorum idololatricas esse superstitiones blasphemant, ac Crucem Dominicam acriter insectantur, impie asserentes nullum a fidelibus cultum illi tribuendum esse? An Pauli imitatores dicentur omnes isti, qui cum Theodoro Beza primipilo suo in Colloq. Mompell. sacrilege audent detestari Crucifixi imaginem? Absit. Impossibile est, ut in Christum credant, ut Christum honorent, qui ita sacratissimam ejus imaginem, quam & ipsi Dæmones verentur, & timent, Sathana pejores execrantur. *Qui enim coronat imaginem Imperatoris*, ut ait Ambrosius in Psal. 118., *utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; & qui statuam contempserit, Imperatori utique cujus statuam conspputaverit, fecisse videtur injuriam*. Ita etiam Chrysostomus in Explan. Parab. Seminis, adductus a S. Joanne Damasceno Orat. 2. de Imag. *nescis te*, (inquit)

si in Regiam Imaginem contumeliosus existas, in eum ipsum, quem illa refert, injurium esse? Plura item subdit in hanc rem: Audiant saltem isti hominum pessimi, vel fratres suos, quos ita vocant Lutheranos Anglos hac in re minus impios, & eorum omnium nomine Richardum Montacutium Orig. Eccl. parte 2. pag. 390., ubi scelerati Bezæ impietatem in Sacram Crucifixi imaginem detestans „ contra profiteor, inquit, idque ex „ sententia antiquitatis, & Ecclesiæ Anglicanæ fateor me ex animo Crucifixi imaginem amplecti, & usurpare, ideoque eam „ libenter admittere; Christianus enim sum, „ & Christiani nihil a me alienum esse arbitror, & Bezanam illam impietatem detestor „. Hæc Montacutius, qui tamen non satis ad Catholicam fidem, magisque ad debitam Crucis Religionem sentiret, si addidisset Crucifixi Imaginem amplecti, usurpare, & admittere ad externam etiam venerationem, cultum, & adorationem toto corde & affectu respective ad eum, qui pro nobis pependit in Ligno. Verum velint, nolint Crucem Hæretici; veniet tandem illa dies magna, & amara valde, in qua apparebit signum Filii hominis in Cælo, & videbunt in quem transfixerunt, & tunc volent idem Crucis signum adorasse; at tempus non erit amplius, & plangent planctu quasi super unigenitum, uti prædixit Zacharias Propheta c. 12. 10.

Ricardus Montacutius Bezanam impietatem adversus Crucem Domini detestans cæteros etiam Symmistas suos percellit.

Sed & fortasse inter Calvinistas mitior, si ita dicendus, Basnagius Annal. Politico-Eccl. Tom. 1. ad an. 54. n. 8. pag. 662. ubi de Sudariis, & Semicinctiis Pauli Apostoli, quæ, ut Act. 19. 12. legitur, ad ægrotos delata morbos pellebant, ac Dæmones fugabant, male conquestus Baronio de odioso Hagiomachorum nomine merito ipsis Sectariis imposito, inter cætera „ uno verbo, inquit, respondemus: „ Pauli Sudaria hæc (sicut & cæteræ Sanctorum reliquiæ, & Imagines sacræ, de quibus paulo ante differit, & eadem omnium apud ipsum est ratio) „ pretiosa nobis sunt, „ & Apostoli monumenta & sacra divinæ potentiæ pignora, quomodo Hebræis Manna, Serpensque æneus Dei benevolentiæ, „ providentiæque argumenta fuere certissima, „ quibus ad amorem sui numinis, laudesque „ alliciebantur. Non ea tamen præpostera „ nos incesseret religio, ut thus Semicinctiis (Idem dicit supra de Cruce, & de „ reliquiis) adoleremus, genua poneremus, „ aliosque honores exhiberemus ejusmodi a „ pietate alienos, exemplo Regis Ezechiæ, „ factoque palam, & aperte damnatos. Sic „ Apostoli Cathedra Jacobi cum cura, atque „ diligentia ab Hierosolymitanis asservabatur, „ quam tamen nullis osculis, nulla corporis submissione, adoratione nulla prosequebantur „. Ita Basnagius, qui solitas novatorum suorum nænias, crambemque recoctam, utinam ad nauseam tantum, sed & ad mortem sibi regerit.

Basnagii insulsæ cavillationes, exceptionesque contra sacrarum reliquiarum cultum referuntur.

Debuerat respondere, quod non fecit Dallæus suus, Sancto Francisco Salesio Gebennensi Episcopo qui in suo eximio opere Vexillum Crucis inscripto has omnes eorum futiles argumentationes diluit; item Augustino Redingh contra Vedrosium pariter Calvinistam, qui hanc eamdem ipsius responsionem Baronio datam retorquet, aliisque pluribus; at isti audientes non intelligunt, videntes non vident, quia nolunt intelligere, ut bene agant. Verum ut tandem intelligant; *quid nos respondebimus novis imitatoribus Sanctorum veterum?* (Nobiscum Sanctus Bernardus Declamat. de colloquio Simonis cum Jesu) *imponant certe vitulos super Altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit, & hic ritus Patrum, quibus non modo meliores non sumus, sed ne digni quidem solvere corrigiam calceamentorum eorum.* Id fecit Regum Juda piissimus Ezechias, quem se imitari jactitant Calvinistæ, qui ut legitur in Paralip. lib. 2. cap. 29. abolitum Dei cultum restituens plurimas jussit offerri victimas, & holocausta a Sacerdotibus, & Levitis in Templo, thure adoleri Altare, & Arcam fæderis Domini, ante quam ipse, & omnis populus prostrati adoraverunt, quemadmodum Josue cap. 7. 6. Etiam *pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam tam ipse, quam omnes senes Israel,* Item David Rex, ut habetur secundo Regum cap. 6. eamdem Arcam Domini religioso apparatu Hierosolymam deduxit, qui & adorandam admonet in Psalm. 98. illis verbis: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: alludens ad dictam Arcam, de qua lib. I. Paralip. cap. 28. ait: *Cogitavi, ut ædificarem Domum, in qua requiesceret arca fæderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*: Idem & peregerunt alii Hebræorum piissimi; Quid autem erat in Arca? Nonnisi duæ tabulæ Legis lapideæ scriptæ digito Dei, & Moysi traditæ, Virga Aaron, quæ fronduerat, & urna aurea habens Manna, uti ex Apostoli Pauli Epist. ad Hebræos cap. 9. versic. 3. omnia ex materia.

Quæ tamen omnes illiduntur, & insimul ab ipso allatis, aliisque sacræ scripturæ testimoniis refelluntur.

Exemplo scilicet Ezechiæ Regis, quem se imitari falso jactitant Calvinistæ, Josue, David, aliorumque veteris Testamenti Deo dilectorum hominum, qui Arcam Domini adorabant.

Hæc autem an aliquid fortasse divinitatis in se habebant, ut divinos mererentur honores, aut inde Tabulas, Virgam, & Manna, Deum esse credebant illi Reges Sanctissimi? Nequaquam, absit; serpentem æneum confregit Ezechias hac unica ratione, quia tamquam numini benefico, quod Patres eorum sanasset, *Filii Israel adolebant ei incensum*, ut dicitur 4. Reg. cap. 18. quod soli Deo reservatum erat, neque extra Templum usurpare licebat, ut & notant Londinenses Critici; sic etiam quia illum inter alia Idola locaverant, quibus sacrificabant in excelsis, *& derelinquentes Dominum averterunt facies suas a Tabernaculo Domini, clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, & holocausta non obtulerunt in Sanctuario Deo Israel*. Ita 2. Paralip. cap. 29. 6. 7. Hinc optime Ezechias, ut omnem idololatrandi amplius occasionem præcideret, *dissipavit excelsa, contrivit statuas, succidit lucos, confregitque serpentem æneum &c.* Cum igitur Arcam ipsam, atque in ea contenta vere Deum esse non crederent Ezechias, cæterique Israelitæ, & nihilominus coram illa procumbebant, thus adolebant, aliosque honores divinos circa ipsam, & in ipsius con-

Ideo Serpentem æneum confregit Ezechias, quia illum ut Deum colebant Israelitæ, quasi ipse, & non Deus in ipso Patres eorum sanasset.

Sic Arcam Testamenti atque in ea contenta venerabantur Ezechias, aliique pii Israelitæ, non ipsam tamen sed in ipsa Deum unice Latriæ cultu adorantes.

conspectu præstabant; non alia profecto ratione id egisse dicendum est, nisi quia Arcam eamdem, Tabulas, Virgam, & Manna tamquam *pretiosa* Moysis, & Aaron amicorum Dei *monumenta*, *& sacra divinæ potentiæ pignora*, *Dei benevolentiæ*, *providentiæque argumenta certissima*, *quibus ad amorem sui numinis*, *laudesque alliciebantur*, considerantes, dum Arcam tali honore venerarentur, non ipsam, sed Deum in ipsa adorarent, & colerent. Neque vero Arcæ Testamenti, Tabulæ Legis, Virgæ Aaronicæ miraculorum efficacia perpetua fuit, sed transiens, assistens, non residens, non secus ac de Sanctorum reliquiis Basnagius; etenim non semper mirabilia per Arcam patrata sunt, sed solum cum Domino placuit, & nihilominus eam summo honore venerabantur Judæi.

Quid ergo? An idcirco præpostera illos incessit Religio, ut thus Arcæ adolerent, genua ponerent, alios honores illi exhiberent ejusmodi a pietate alienos? Numquid inde idololatras Josue, David, Ezechiam pronunciabit Basnagius, viros verbo Dei scripto laudatos? Id etiam clare exprimit Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem cap. 22. *Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi a Domino non ad idololatriæ cultum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur*; consonant plerisque in locis Augustinus, Theodoretus in suis Commentariis, Jonas Aurelianensis lib. 3. de cultu Imaginum, aliique Patres. Quare ergo nos arguit, quod non aliter quam ipsi Arcam Testamenti, Crucifixi imaginem adoremus? Illi in Arca Deum ipsum adorabant, nos in Cruce eumdem pro nobis crucifixum. *Adoramus* (inquit D. Thomas 3. par. quæst. 25. art. 3. ad 2.) *adoratione latriæ imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem, cujus imago est, sicut dictum est in corp. articuli*. Quod & repetit 2. secundæ qu. 103. art. 4. ad 3. Profitemur item cum Concilio Tridentino sess. 25. tit. 2. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum habendas & retinendas in Templis præsertim, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præsertim secundæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum*.

An propterea Idololatras pronunciabit Basnagius Josue, David, Ezechiam, viros Dei verbo laudatos?

Præterea rediens ad Serpentem æneum, Basnagium iterum compello, sicuti alias Joannem Jacobum Vedrosium pariter Calvinistam, & Curiensem ministerculum compellavit Augustinus Redingh, nec eidem valuit ille respondere, nec valebit Basnagius; compello, inquam, tum ad contextum 4. Regum. 18. ubi quum Ezechias dictus fuisset confregisse Serpentem æneum, cui filii Israel adolebant incensum, additur: *In Domino Deo Israel speravit*: tum ad sacrum Textum lib. Numer. cap. 21. ubi ille Serpens æneus ex jussu Dei dicitur positus in signum, nempe Christi crucifigendi, ut ipsemet etiam Dominus testatur in Evangelio Joan. 3. Quæro igitur ex Dallæo, Basnagio, aliisque hujusmodi Ministris Calvinianæ irreligionis, an vere illicitum credant illius serpentis, non absolute secundum se spectati, sed qua signi, atque adeo qua in Christum relati, cultum; ac venerationem instrumentariam, seu respectivam? Si negent, confecta res est, quod scilicet signo etiam Crucis licite habeatur talis cultus respectivus. Si affirment, rursum quæro: Cur ergo Serpens ille fuerit institutus, ut ipsum aspiciendo, inde tamquam ex signo in genere causæ moralis tantum instrumentariæ, ex re autem signata, scilicet Christo crucifigendo, meritorie principaliter, & ex hujus divinitate phisice efficienter sperarent sanitatem? Non aliam profecto assignabunt rationem, nisi quia cum ipsum percussi aspicerent, sperarent a Domino sanari. En igitur spem ejusmodi, atque adeo cultum aliquem illi Serpenti æneo non absolute in se spectato, sed quatenus Signo solum instrumentaliter, ac respective tributum non improbari.

Explicatur quo cultu Serpentem æneum prosequebantur primi Mosaici Israelitæ.

Id expresse traditur & confirmatur ex Sapientiæ cap. 16. 7., ubi sacer Scriptor loquens de eodem serpente æneo, alludit non solum ad historiæ veritatem, sed ad verum salutis signum, nempe Dominicam Crucem, in qua non verus, sed ad externam tantum speciem peccator, pendebat Christus Dominus, sicut serpens ille ad signum affixus a Moyse serpentis speciem habebat, naturæ autem veritatem non habebat: *qui enim conversus est non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem, in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo*. Quid clarius a Sapiente exprimi potest? Ideo ergo, ut diximus, ab Ezechia Rege sublatus est serpens æneus, quia absoluto Latriæ cultu in eum tunc ferebantur Israelitæ a tempore Jeroboam, qui prævaricare fecit Israel usque ad Achaz Patrem suum, ita ut in ipso absolute ponerent spem suam, & ideo in supra allato 4. Reg. 18. sacro textu post serpentis destructionem, mox de Ezechia subditur: *in Domino Deo Israel speravit, & adhæsit Domino, & non recessit a vestigiis ejus &c.* Ex quo plane deducitur cæteros Reges Ezechiæ prædecessores, ac Israelitas illius serpentis cultores, non fuisse eodem serpente solum instrumentaliter usos; sed absolute in ipso spem posuisse, eique propterea Latriæ cultum absolutum tribuisse.

Cum autem postea dicti Serpentem æneum absoluto latriæ cultu adorarent, ideo illum sustulit Ezechias.

At longe abest, ut nos Catholici exemplo Patrum juxta primævum Ecclesiæ Ortodoxæ morem, colendo Crucem Christi absolute, & non mere instrumentarie, ac respective, spem in ea sistendo collocemus, aut ipsam alio cultu, quam relativo ad Christum veneremur, ut ex D. Thoma, & Concilio Tridentino mox diximus. *Non lignum* cultu latriæ absoluto adoramus, in ipso sistentes (*quia hic Gentilis est error*, *&* va-

Nos vero juxta Catholicam fidem, & SS. PP. traditionem salvificam Christi Crucem adoramus, non absoluto, sed relativo ad ipsum Deum cultu adoramus.

vanitas impiorum), fatemur cum Ambrosio Ser. de obitu Theodosii, ubi ille de sancta Constantini Imp. matre Helena loquens hæc ait: *invenit Helena Crucem Domini, Regem adoravit, non lignum, quia utique hic gentilis est error* &c. *sed adoramus illum, qui pependit in ligno scriptus in titulo*. Et lib. de Dominicæ Incarnationis Sacram. c. 7. *numquid cum in Christo imaginem Dei, Crucemque veneramur, dividimus eum?* uti etiam meminit Hadrianus Papa in Epistola ad Constantinum, & Irenem. Item cum Authore Quæst. ad Antiochum apud Athanasium q. 39. 40. dicimus: *At vero Crucem a nobis fidelibus honorari, & exosculando adorari propter Christum, qui in ea pependit, manifestum est:*

Neque propterea nos unquam veluti idololatras traducere poterunt sectarii.

Quid repones Basnagi? Itane, dic, erimus idololatræ, non lignum materiale adorantes, aut in ipso aliquod falsum Numen, uti Gentiles, sed Deum verum de Deo vero, illum scilicet, qui pro nobis pependit in ligno? *Non insolentia ista, sed pietas est, quæ defertur sacræ redemptioni*, uti supra clare expressit Ambrosius. I nunc, & dum imitari vis Ezechiam serpentem æneum confringentem, quia latrico cultu adoratum, illum etiam imitare Arcam Testamenti Domini, cum David, Salomone, Josue, aliisque Israeliticis Principibus venerantem. Judæos enim affirmat Augustinus lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 6. & 9., signa a Deo instituta in multa habuisse veneratione, nec per hoc cum Paganis convenisse, quoniam in ordine ad Deum ea signa divinitus instituta venerabantur. Hinc quia Arca Fœderis Domini repræsentabat Deum Populo Israelitico specialiter præsentem, & serpens æneus signum fuerat a Deo institutum ad Christum venturum in Cruce exaltatum præsignandum, a Judæis sine idololatriæ nota colebantur, licet nescientibus significatum, referendo cultum iis præstitum ad ipsum Deum, cujus jussu hæc erecta fuerant: quare ergo non licebit & nobis imaginem Christi venerari, quæ Christum nedum repræsentat, sed & ipsum repræsentare scimus, referendo cultum ad ejusdem Christi personam, quoniam si Christus in Serpentis imagine a Judæis colebatur, potiori jure poterit rectius a nobis ipse adorari in Cruce, in qua vere passus est, & coli in crucifixi humana effigie ille, qui verus Deus, & homo venit in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & in similitudinem carnis peccati, ut omnium peccata deleret: sic expresse Augustinus dicto c. 9. At dicent: Deus jussit fieri serpentem æneum, & sic in hoc dispensavit ab idololatria; sed potestne Deus dispensare, ut ipse non adoretur, aut alius colatur extra se?

Sicuti ex Augustino Judæi olim signa a Deo instituta venerantes nõ per hoc cum Paganis conveniebant, quia in ordine ad Deum illa colebant; ita neque nos.

Hinc juremerito concludam contra prædictos aliosque nostri temporis hæreticos, qui Christiano nomine indigni cum Paganis, atque Judæis convenerunt adversus Dominum, & adversus Crucem ejus, ipsosque eidem vivifico nostræ salutis ligno insultare non pudet. Qua fronte, amabo, sic temere audent isti nos Catholicos, utpote Crucicolas, ex eo scilicet quod divinæ Crucifixi imagini latriæ cultum respectivæ exhibeamus, deliræ superstitionis reos, insanos, ac tamquam idololatras proclamare, cum ipse honor quo Crucem suam Christus ornavit, eamdem summa religione colendam persuadeat? in ipsa quippe velut in altari, sacrificium vitæ suæ offerre voluit Patri: *pacificans per sanguinem Crucis, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt*, ut ad Coloss. 1. Apostolus scribit, ipsa Christo gradus fuit, quo ascendit ad Regnum: *Nunc*, inquit, *Princeps hujus mundi ejicietur foras: & ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum; hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus*, uti habetur Joan. 12. Item Crux fuit Christo instrumentum victoriæ, & redemptionis hominum, *nam delevit quod adversum nos erat chirographum decreti; quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*: quemadmodum legitur ad Coloss. 2. Idipsum denique ostenditur ex honore, quo idem Christus Dominus salutare istud signum in novissimo die, in extremo, & universali judicio insigniturus est: *Tunc* enim *parebit signum filii hominis in cælo*: uti legitur Matth. 24. Signum autem filii hominis sacrosanctam Crucem ab ipso vocari Patres, tum Orientales, tum Occidentales intellexerunt, quos in re satis nota referre superfluum est.

Quia honor, quo Christus Crucem suam ornavit, eamdem summa religione colendam persuadet.

Quæ cum ita sint, audebuntne, inquam, supradicti male feriati homines nos arguere de superstitionis peccato, eo quod salvificæ Cruci Christi latriæ cultum respectivæ deferamus, cum insuper certum, exploratumque sit totius orbis christianos in Ecclesiæ primordiis hujusmodi cultum sacrosanctæ Cruci Christi Domini tam impense præstitisse, non reclamantibus, quin potius applaudentibus maximis utriusque Ecclesiæ tam Latinæ, quam Græcæ luminibus? Certe negare haud poterunt Heterodoxi a tempore Constantini Magni, qui post admirabilem lucidæ Crucis in aere visionem, cujus meminerunt Eusebius de Vita Constantini lib. 1. cap. 38. & Lactantius de mort. Persecut. cap. 44. ubi & hæc subdit: *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei notaret in scutis*: idem salutis nostræ signum suis militaribus vexillis inseruit, ejusque præsidio insignem de Maxentio tyranno triumphum reportavit, negare, inquam, non valebunt a tempore dicti Imperatoris Christianissimi omnes deinceps ejus successores, Cæsares, & Mundi Principes quotquot christianæ Fidei nomen dedere, eximiæ cujusdam felicitatis, summique sibi honoris loco duxisse Dominicam Crucem venerari, eam in suis militaribus scutis, armis, galeis, clypeis, nummis, purpura, & diademate insculpere, ut toto Orbi præfulgeret, atque omnium populorum amoris, obsequii, ac piæ, religiosæque venerationis esset objectum. Id pro omnibus testatur antiquus ineuntis seculi quinti Poeta Prudentius, qui in Apotheosi venerabile Crucis signum ab Imperatoribus adoratum scribit . . . . *Jam purpura supplex*

Sternitur Æneadæ Rectoris ad atria Christi,
Vexillumque Crucis summus Dominator adorat.

Adoratam antiquitus fuisse Crucem a seculi Principibus demonstratur.

Sic etiam Justinianus Imperator in Authentica de Monachis: *dicimus autem*, inquit, ado-

adorandam, & honorandam vere Crucem. Sanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ, de eadem ait quod *prostrata ante Crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Quid vero sit adorare, & vere honorare, discimus ex sacræ Scripturæ plerisque locis, præcipue ex lib. 3. Regum cap. 19. 18. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum osculans manibus, &c.* Quem etiam textum refert Apostolus Paulus epist. ad Rom. cap. 11. 4.

Adoratio latriæ respectivæ ad Deum etiam propter ipsum creaturis tributa.

Hujusmodi porro adoratio, externa nempe humiliato capite, & flexo poplite, licet proprie, & primario soli Deo unice debeatur, ac fiat, utpote latriæ absolutæ dicta, hæc nihilominus relative ad Deum, seu respectivi ad ipsum latrici cultus nuncupata, creaturis interdum a piis fidelibus, qui Deum in illis adorant, ex antiqua Ecclesiæ traditione exhibetur, quemadmodum laudamus Dominum in Sanctis ejus. *Aliam* (inquit Jonas Aurelianensis in Bibl. PP. Lugd. tom. XIV., lib. 1. de cultu sac. Imaginum contra Claudium Taurinensem) *esse adorationem, quæ nonnisi soli Deo debetur, aliam quæ a mortalibus humilitatis & subjectionis gratia æque mortalibus exhibetur. Rursus alius est cultus, quo nonnisi divinæ potentiæ famulandum est, & alius est, qui non solum rationabilibus, verum etiam irrationabilibus creaturis juxta modum proprium impenditur.* Sic Arcam Testamenti Domini, & serpentem æneum, ut jam diximus, & in ipsis Deum adoraverunt veteres Israelitæ; Sic Ecclesiam *ob recordationem redemptionis suæ ex SS. Patrum traditione Crucem Christi venerari, adorare, colere, non cultu & adoratione, quæ solius divinitatis est, sed eo potius unde satis, abundeque supra dictum est, neminem ignorare* (asserit idem Jonas loco citato) *nisi qui ab Ecclesiastica traditione dissentit.* Sed de hoc argumento clarius, ac luculentius postquam expressit antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, & traditionem, quam *mos antiquæ observationis legitimus id instituit, ut cunctis sapientibus, & rusticis, non solum memoriæ spiritalem efformet quamdam imagine Crucis figuram, verum etiam corporalis ipsius intuitus crebram menti præfigat Dominicæ Passionis victoriam.* (atque hic notandum cur sine Cruce celebrari Missa non debeat) *Nec tamen, ideo*, subdit post pauca, *Crucem ut Dominum adoramus, sed magis eum, qui per Crucem mortis destruxit imperium . . . . . . Porro etsi oscula infigimus, non utique causa ligni, sed potius amore illius id a nobis agitur, qui in ea veteris ligni damna restauravit.* Hæc Jonas, cui longe antiquior prævivit sexti seculi Scriptor Rusticus Diaconus in Dialogo contra Acephalos in Bibliot. PP. Lugdun. tom. x. p. 351. *Lignum*, inquit, *venerabilis Crucis omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat . . . & adoramus omnes Crucem, & per ipsam illum, cujus est Crux.*

Ex hucusque allatis tum primitivæ, tum jam adultæ Ecclesiæ veterum monumentis videant vel inviti nostri temporis Hæretici, & negent, si valent, nisi Sceptici, aut Pyrrhonii sint, quod nolim credere, videant, inquam, perpetuam, firmam, & constantem hujusmodi religiosi erga sanctissimæ Crucis imaginem semper præstiti cultus derivatam a majoribus nostris traditionem, atque hunc antiquiorum Christifidelium usum numquam interruptum; Eos utique confundet ipse Julianus Apostata, qui apud Cyrillum Alexandrinum lib. 6. contra eumdem, ubi hæc in Christianos Dominicæ Crucis adoratores ipsum impie dixisse refert: *At vos*, aiebat ille Imperatorum nequissimus, *infelicissimi homines cum adorare, & colere nolitis ancile, quod penes nos servatur &c. Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, & vestibulis ædium insculpitis?* Ecce ex inimicis nostris, & de manu eorum, qui oderunt nos, adoratæ a primævis Christianis sanctissimæ Crucis irrefragabile quarti seculi testimonium, quod ex Sedulio Christiano ejusdem ferme temporis Poeta celeberrimo confirmatur; Ait iste Pasch. carm. lib. 3. ita de Christi vivifica Cruce, ejusque sacra imagine canens inter cætera:

Item ab omnibus Christianis testatur & ipse Julianus apostata.

Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans &c.

Dicant, quæso, insani homines sacrarum imaginum Crucis Christi obtrectatores, adorabuntne potius cum Paganis fabulosum ancile a Juliano memoratum, quam vere triumphantem Christi Domini Crucem, sacramque ejus imaginem? Si Christiani dici volunt, & nos Catholicos ad interrogatam antiquitatem provocant, audito jam satis superque hac de re illius responso quid reponent? quid amplius obgannient? Certe ex ipsius naturæ rationalis instinctu Parentum, Benefactorum, & amicorum absentium, aut mortuorum imagines tamquam mutui amoris pignora diligenter custodire, & asservare, amanter osculari, & amplexari quisque etiam solet cordatus homo; Ipsi pariter, qui nos conturbant, Sectarii idem facere consuescunt, qui magno sumptu, ac artificio formari, depingi, exornari, & conservari statuas Principum, imagines uxorum, filiorum, aliorumque charorum, etiam prædicantium, summo studio, & anxietate curant; Et, sicut ii e contra proterve contendunt, non licebit Christianis Crucem Domini humanæ salutis instrumentum, in qua Christus Salvator noster pro nobis passus repræsentatur, qui propria morte, mortem omnium reparavit, eo, quo par est honore prosequi, religiose deosculari, & adorare tamquam ejusdem Christi, nostrique erga ipsum amoris tesseram? Omnem ergo pietatis, & religionis sensum Hæreticos exuisse necesse est, dum vivificæ Cruci Christi Domini debitum latriæ cultum respectivæ abjudicant. Agnoscant saltem isti quid ipsi faciunt; imagines eorum, qui sibi aliquo specioso titulo pertinent, conservant, nec eas a se distrahi patiuntur, & venerandam Christi Domini imaginem apud se nolunt admittere, quin & ipsam non verentur abolere, exterminare, omni honoris cultu indignam blasphemantes? Ita nimirum pluris dictos suos faciunt, quam Christum. Miseret eos plane quod cæci, & cæcorum duces veritatem ita

conspi-

conspicuam non agnoscant, & agnoscere detrectent. Hactenus de veneranda Cruce, & Crucifixi imagine contra Iconomachos in Luthero, & Calvino, aliisque nostri temporis heterodoxis redivivos pro nunc dicta sufficiant.

Porro de Jacobi Cathedra, quam fuerit a piis fidelibus venerata, jam eidem Basnagio dictam venerationem propugnantea respondimus supra ad cap. 20. §. 7. nota 8. Sed iterum ad Scripturas contra Dallæum, quibus etiam probabimus contra Piceninum nuperum alium Ministrum Curiensem præceptum de adoranda Cruce; Et primo simili argumento negativo, quo Dallæus, Piceninus, aliique hujusmodi contra nos utuntur, eodem contra ipsos idem retorquemus. Lege Lucam, lege Paulum, Dallæe, lege Petrum, Jacobum, & Joannem, numquid vel unam litteram invenies de infantibus masculis, & feminis ante usum rationis baptizandis, de Baptismi ab Hæreticis, impiis, & Idololatris collati validitate, de abrenunciatione Sathanæ in eodem exprimenda, de Patrini præsentia, de impositione nominis baptizando? Numquid invenies ibi aliquid de die festo Dominico nunc loco Sabbathi celebrato, de Sacramento matrimonii solemniter in Ecclesia peracto? Et nihilominus vos etiam promiscue infantes ante usum rationis baptizatis, patrinos adhibetis, nomen imponitis, Baptismum pariter ab Hæreticis collatum validum pronuntiatis, diem Dominicum observatis, & matrimonium nonnisi in Ecclesia solemniter celebratis, pluraque alia peragitis, quæ nullibi scripta reperiuntur; ut quid hæc? qua lege, qua auctoritate, quo scripto? Quinimmo si ea tantum observari vultis, quæ scripta sunt, & non aliter, quare dicta, quæ recensuimus, observatis, cum eadem, si velimus ad litteram stare Evangelio, fortasse diversimode observanda tradantur? Ita enim lego in Evangelio mandatum Apostolis de Baptismo ministrando: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c., qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; Lego apud Paulum fidem requisitam esse ad Baptismum: *Accedentem ad Deum oportet credere*: quomodo credent infantes baptizandi, qui nec dum rationis compotes sunt?

Idem argumentum, quo nos urgere pertentãt Hæretici contra ipsos validius retorquetur.

At reponitis illud: *Sinite parvulos venire ad me*; Sed notum est omnibus, ut ex Hilario ad hunc Matthæi locum, Salvatorem nostrum per pueros, simplices, & humiles corde voluisse intelligi; Pueros autem credentes omnes per audientiæ fidem nuncupari, quemadmodum & ipse Dominus dignatus est explicare apud Marcum 10. 15. *quisquis non receperit Regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud*. Et alio in loco Matth. 18.: *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum; quicumque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste &c.* ubi vides fidei humilitatem, & simplicitatem per parvulos designari, qui facile dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. At infantes quomodo credent, qui nec dum audiunt? Quare ergo baptizantur in fide aliena, scilicet parentum, si id scriptum non est? Id utique, & recte observatum ab initio traditum, & statutum est in Ecclesia, etsi non lectum in Scriptura. Præterea de die sabbathi non de Dominico legitur in Actibus Apostolorum 20. 7. *Una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*, quod & confirmat Paulus I. ad Corinthios cap. 16., ubi de collectis, seu Christianorum conventibus sabbatho faciendis scripsit. Mitto alia, quæ de nuptiis ad Canam Galilææ non in templo, sed in domo sacratis, de Eucharistia, seu, ut vos dicitis, Cœna Dominica, quam & vos jejuni sumitis, edentibus, & manducantibus Apostolis ministrata, cæteraque innumera, quæ de his, & similibus dici possunt, & legi apud sanctum Franciscum Salesium in supra laudato vere eximio Opere de Vexillo Sanctæ Crucis lib. 1. cap. 3. cui hucusque nemo Hæreticorum respondit, quibus evidenter ostenditur, quemadmodum non omnia uti scripta sunt, neque eorum aliqua olim ab Apostolis mandata nunc observanda manent, ut abstinentia a sanguine, & suffocato, quam nullus Christianorum retinet, ita & alia præter scripta debere observari.

Iterum respondetur objectionibus.

In hanc rem Magnus Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio ad salutem necessaria habentur. Quod genus est (ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem) ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Nonne a tacita, secretaque traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, servarunt?* Ante ipsum ex antiquioribus Tertullianus lib. de Corona Militis c. 4. postquam antea nonnulla de Crucis signo a Fidelibus adorato *quacumque nos conversatio exercet*, dixerit, *Harum*, inquit, *& aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies*, ut infra dicetur, deinde subdit: *Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse prospicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces*. Ad hunc locum, ait Rigaltius „ etenim „ absque ratione vana esset traditio. Sic etiam „ Hieronymus: *multa alia, quæ scripta non „ sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit. „ Nec Apostolus obsequium exigit nisi rationa- „ bile*. Subdit porro Tertullianus ibi: *consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt scriptura an ratione consistat, quando & legem ratio commendet. Porro si lex ratione constat, lex erit omne jam quod ratione constiterit a quocumque productum*. Ad hæc monuit jam Desiderius Heraldus lib. 2. digress. c. 3. (ut item advertit Jo. Ludov. de Lacerda) esse hoc idem „ cum illo Ulpiani: *diuturnam consuetudinem „ pro jure & lege in his, quæ non ex scripto „ descendunt, observari solere*, & rationem ad- „ ducit ex Juliano I. L. qui. *Nam quid inte- „ rest, suffragio populus voluntatem suam decla- „ ret, an rebus ipsis & factis?* Adjungo Gregorium Nyssenum lib. de Virginitate eap. 9. Ulpiano subscribentem. Plura deinde in id comprobandum subdit idem Tertullianus loco citato, qui & ibi: *si legem*, inquit, *nusquam*

repe-

reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc dederit habiturum quandoque Apostoli auctoritate ex interpretatione rationis. His igitur renunciatum erit, dicam ex eodem Tertulliano, *etiam non scriptam traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseverantia observationis*. Quod autem ab initio id semper observatum fuerit, & Crucis adorationem extitisse lege Christianis indictam, docet S. Asterius Amasenus Episc. sec. 4. in Oratione de S. Euphemia Virg. & Mart. apud Combefisium in Auctario Græcorum PP. tom. 1. *Virgo*, inquit, *veneranda in pullis vestibus sola sedet manibus in cœlum extensis Deum in malis adjutorem invocans. Huic porro precanti supra caput apparet signum, quod ex præscripto legis Christiani adorant, & inscribunt sibi*. Sane præceptum esse, quod *in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur* &c. negare non poterunt Sectarii, cum id ex Apostolo constet ad Philipp. 2. 10. juxta illud, quod Isaiæ multo ante prænunciatum fuerat cap. 45. 24. Neque alia profecto ratione id nobis exprimitur, & suadetur, nisi quia audito dulcissimo Jesu nomine, aut alicubi lecto signum evidens exhibetur, quo per aures accepto, menti nostræ ipse Christus Dominus repræsentatur in spiritu, & veritate, actu interno, simul & externo cultu adorandus. Eadem pariter ratione, inspecta Christi Domini Cruce, ejusque sacra imagine quomodocumque expressa, sive picta, sive sculpta, qua vere per visum cognoscamus personam illius, qui propter nimiam charitatem suam pro nobis mori dignatus est, eccur non secus ac in sacrosancto Jesu nomine omne genu flectitur, eidem sacrosanctæ Cruci, ac imagini pariformiter flecti non debebit, ut pessime contendunt adversarii nostri, cum par utrobique sit ratio, nec ullam assignare possint disparitatem? At de his omnibus traditis religiosis actibus, ac præcipue de sanctissimæ Crucis Dominicæ adoratione, ac sacrarum reliquiarum, & imaginum externo etiam cultu semper & ubique a piis Christifidelibus exhibito iterum suo loco disserendum erit adversus præfatos Dallæum, Basnagium, Binghamum, Piceninum, aliosque hujus furfuris homines inimicos Crucis Christi, & servorum ejus, Sed ad thuris oblationem Deo exhibendam venio.

Crucis adoratio ab initio Christianis præcepta.

§. IX.

De Thuribulis, & usu Incensi. Antiquissimum eum esse apud omnes nationes.

THuribulum, sive Thymiamaterium, quod etiam suffitorium dicitur ab Anastasio, vas est in quo thura & varii odores incenduntur in solemni oblatione, idque ex Apostolica traditione, & Mosaicæ Legis exemplo. Nulla est Ecclesiastica cæremonia, cujus crebrior mentio fiat in antiquis, & recentioribus omnium gentium Liturgiis, quam thuris & thymiamatis, quod sæpe inter sacrificandum adoletur. Solemne hoc fuit omni nationi quamtumvis barbaræ & veræ religionis experti, ut nullum sacrificium rite peragi crediderint sine incenso, vel aliquo saltem odorifero suffimento. Magi thure Christum Deum venerati & professi sunt: Simili modo Poetæ a divinitatis protestatione thuris oblationem inseparabilem esse putabant, *Templa tibi statuam*, ait Ovidius, *reddam tibi thuris honorem*. Qua persuasione Christiani idolis sacrificasse censebantur, qui summis digitis aliquot thuris grana in ignem injecissent, quos *thurificatos* vocabant, ut ab aliis lapsis discernerentur, qui libellatici, sacrificati, & idololatræ vocabantur, sicut ex Cypriano docet Baronius *tom. 2. ann.* 253. Notum est dictum Tertulliani in Apolog. cap. 9. *examinatorem Christianorum adhiberi ut foculum, ut acerram oportebat*. Est autem acerra vas, in quo thus reponi solet. Oblata thymiamateria duo a Constantino Magno ex auro purissimo pensantia libras xxx.; itemque aliud aureum cum gemmis pensans libras xv. refert liber Pontificalis in Silvestro. Idem in Sergio ait: *Hic fecit thymiamaterium aureum majus cum columnis, & cooperculo, quod suspendit ante imagines tres aureas B. Petri Apostoli, in quo incensum, & odor suavitatis festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur*. Usum vero adolendi Altaria intra solemnia divini Officii vetustissimum esse indicat Ambrosius ad cap. 1. Lucæ dicens, *atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria sacrificium defesentibus assistat Angelus*. Eumdem ritum explicat expositor Ordinis

Thuris, aut alicujus odoriferi suffimenti usus apud omnes etiam barbaras nationes communis in sacrificio rite peracto.

Ritus adolendi Altaria intra divini officii solemnia antiquissimus.

dinis Romani apud Caſſandrum in Liturgicis, *poſt Credo*, inquit, *thuribula per Altaria portantur*, *& poſtea ad nares hominum feruntur*, *& per manus fumus ad os trahitur*. Eſt *& can.* 3. Apoſtolorum ſupra citatus, quo ſancitur, ne quid ad Altare offeratur præter oleum pro luminaribus, & incenſum tempore oblationis. In libro veterum conſuetudinum Monaſterii Floriacenſis diebus ſolemnioribus præſcribitur, ut ante matutinum & veſperas ſacriſta thurificet omnia Altaria. Idem olim Monachi ante privatas orationes obſervare ſolebant, præſertim Græci, ut ex vitis eorum conſtat. Quod vero miniſtris Altaris, ac poſtea circumſtantibus etiam laicis thuris ſuffitus præberi ſoleat; non ad dignitatis prærogativam, ut per abuſum irrepſit, ſed ad religionem pertinet, ut nimirum excitet ad orationem, & effectum divinæ gratiæ repræſentet. Unde Apoc. 8. incenſa ſunt orationes Sanctorum, & in pſalmo canimus: *dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Sacerdos item in Ordine Romano benedicens Incenſum orat, ut omnes inſidiæ, & phantaſmata dæmonum, omneſque languores vi odoris ipſius effugentur. Thuris denique uſui a tempore Apoſtolorum in Eccleſia recepto non obſtat Tertullianus, qui in Apologetico *cap.* 30. ait nos puram precem offerre Deo, *non grana thuris unius aſſis*, *non arabicæ arboris lacrymas*: Non Arnobius, qui *lib.* 7. *adv. Gentes* late oſtendit thuris uſum rem novellam eſſe, temporibus heroicis, Numæque Pompilio, ac matri ſuperſtitionis Etruriæ ignotam: non Athenagoras, cujus hæc ſunt verba in legatione pro Chriſtianis; *opifex ille & pater univerſorum non ſanguine eget*, *non nidore*, *non floribus*, *& ſuffimentis fragrantibus*, *cum ipſe ſit odor longe ſuaviſſimus*, *cum nulla re indigeat*, *nihil extra ſe deſideret*. Iſti inquam non obſtant, quia de uſu thuris in ſacrifificiis gentilium, deque illorum multiplici ſuperſtitione loquuntur: nos autem neque thure ſacrificamus Deo, neque ipſi ſuffitum tamquam indigenti offerimus, nec ſolum credimus ſine interno cultu ad religionem ſufficere, & ut loquitur Tertullianus *lib. de Corona cap.* 10. thus quidem incendimus, *ſed non eodem ritu*, *nec eodem habitu*, *nec eodem apparatu*, *quo agitur apud idola*. Eſto, quod nova res fuerit ſuffumigatio in ſacris ethnicorum ſcribente Arnobio, at non fuit nova in ſacrificiis veri Dei, ut ex veteri Teſtamento liquet (1), ex quo in novum profluxit. (1)

Item Miniſtros, alioſque etiam Laicos circumſtantes

(1) *Ut ex veteri Teſtamento liquet* &c.) Plura ſiquidem, aut ſcripta in veteri lege, vel laudabili conſuetudine apud Hebræos obſervata, non ſolum non ſpreverunt Apoſtoli, ſed etiam in Eccleſiam introduxerunt, quemadmodum & alibi diximus, ut quæ dudum fuerant conſuetudinis judaicæ, fierent obſervantiæ Chriſtianæ, ut eleganter more ſuo S. Leo Papa ſerm. 7. de jejunio ſeptimi menſis; quamquam apud eos thuris hujuſmodi ſuffimentum, & oblatio ſacrificium eſſet, apud nos vero teſte D. Thoma 3. par. quæſt. 83. art. 5. aliiſque, & ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 5. ſit tantum cæremonia ſacrificii, ut ſcilicet hoc exteriori cultu ejuſdem majeſtas amplius commendetur; unicum quippe, non multiplex, uti olim apud Judæos, noſtrum ſacrificium eſt; quod item eſt veri corporis, & ſanguinis Chriſti Domini in Miſſa oblatio. Igitur exemplo Moſaicæ Legis Apoſtoli permoti in divino ſacrificio ſolemniter celebrando thure uſi ſunt, atque ex eorum traditione Catholica ubique uſa eſt ſemper Eccleſia, id quod ex omnibus antiquiſſimis Liturgiis Latinis, & Græcis, in quibus incenſi uſus ad Miſſam peculiaribus etiam adhibitis precibus commendatur, pleniſſime conſtat; & veterum Scriptorum teſtimoniis Cardinalis noſter doctiſſime confirmat; quibus & nos ad uberiorem hujus antiquiſſimæ, laudabiliſque conſuetudinis perpetuitatem comprobandam, ſequentia ſubdimus.

Plura ex veteri Teſtamento ab Apoſtolis in Eccleſiam introducta.

Hinc Moſaicæ legis exemplo thus adhibitum in divino ſacrificio.

Guillelmus Beveregius Anglicanus ſcriptor illiuſque Proteſtantium Sectæ profeſſor, qui poſt Cardinalem noſtrum ſua Canonica Londini edidit, hæreticus licet, in can. 3. Apoſt. & in Codice Canonum primitivæ Eccleſiæ vindicato lib. 2. cap. 2. §. 5., ut ad refellendas Joannis Dallæi calumnias, incenſi uſum Apoſtolorum ævo ſupparem demonſtret, ſancti Hyppoliti Epiſcopi Portuenſis, & Mart. qui ſeculo tertio floruit, auctoritatem profert in libro de conſummatione mundi, & de Antichriſto, ex Bibl. P.P. Græc. tom. 2. pag. 357., ubi hæc habet: *Lugebunt etiam Eccleſiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus*. Sed ante Hyppolitum ſeculo ſecundo extat Soteris Papæ con-

Idque etiam contra Dallæum ex priorum ſeculorũ Scriptoribus Beveregius.

constitutum in Libro Pontificali Damasi, nempe: *ut nulla Monacha pallam sacram contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia*: seu ut alibi legitur, & in Breviario Romano, *ne sacræ Virgines vasa sacra, & pallas attingerent, neve thuris ministerio in Ecclesia uterentur*: Illustre etiam testimonium ex seculi quarti Scriptore habemus; is est Sanctus Ephræm magnus Syrorum Doctor, qui in suo testamento apertissime nos docet incensi usum in Ecclesia jam ante id tempus adhibitum fuisse: *ne unguentis* (inquit apud Cl. Asseman. Biblioth. Orient. tom. 1. pag. 143. *me condiatis; nihil enim honor iste mihi prodest, neque cum thure, & aromatibus me humetis, inutilis quippe mihi gloria est. Thura in Sanctuario adolete, meum autem funus oratione curate. Deo odoramenta offerte, me vero Psalmis prosequimini &c.* Seculo quinto, anno scilicet 451. apud Card. Baronium ad dictum annum num. 81. & Concil. tom. IV. pag. 401. proditur in Concilio Chalcedonensi Ischyrionem Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum de Dioscoro Patriarcha conquestum fuisse, quod male pecunias legatas a Peristeria clarissima fœmina distribuisset, *quodque*, ut dicitur, *nec pro ejus anima incensum obtulerit*.

Illustre hac de re S. Ephræm Syri testimonium.

Quibus omnibus palam evincitur a primis Ecclesiæ seculis consuetudinem extitisse incensum ad Altare adolendi, non solum in Dei honorem, sed eodem thûre sic adhibito veterem item usum conspici, quod pii fideles memoriam defunctorum prosequerentur; quod nisi sancte, religioseque soleret in universa Catholica Ecclesia frequentari, nequaquam coram magna Synodo Chalcedonensi Dioscoro datum crimini fuisset; Neque vero ad Altare tantum, sed & extra ad pios usus thus adhibitum Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini litteræ testantur. Scribit ille Epistola 34. ad suos, quam refert laudatus Card. Baronius ad an. 431. num. 61. Populum Ephesinum, post damnatum in Synodo impium Nestorium contra Beatissimam Virginem Deiparam blasphemantem, ut Episcopis de tanta victoria gratularetur, eosdem ab Ecclesia progredientes ad propria cum luminibus, thure, aliisque odoramentis excepisse. Verba ejus hæc sunt: *egredientes vero nos ab Ecclesia deduxerunt cum lampadibus usque ad diversorium nostrum . . . . ita ut & mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribulis nos præcederent*. In processionibus quoque thus delatum indicat S. Gregorius Turonensis de Vitis Patrum cap. 13., ubi de elatione Corporis S. Lupicini loquens hæc habet: *Dispositis*, inquit, *in itinere Psallentium turmis cum Crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis*.

Incensum non solum in Dei honorem adhibitum, nec ad altare tantum, sed etiam extra ad pios usus, & in memoriam defunctorum.

Thus item in Processionibus adhibitum.

Thuribulum porro in sacro Ministerio adhibitum ligata oratione describit Alcuinus Poemate 3.

Hic quoque thuribulum capitellis undique cinctum
Pendit de summo fumosa foramina pandens,
De quibus Ambrosia spirabant Thura Sabæa,
Quando Sacerdotes Missas offerre jubentur.

Materia vero, ex qua constabant thuribula, ut plurimum in Ecclesiis insignioribus erat ex argento, & auro. Præter ea quæ de oblatis thymiamateriis a Constantino Magno, & Sergio Papa refert Eminentissimus Author ex Anastasio, legitur etiam ibidem S. Sixtum III. Basilicæ Liberianæ donasse thymiamaterium argenteum pensans libras V.. Joannes Beslius in Historia Comitum Pictaviensium Gallice edita in fol. Parisiis an. 1647. p. 155. refert Carolum Magnum circa annum Domini 785. Monasterio Caroffensi in Aquitania tunc instituto inter cætera dedisse *septem thuribula aurea*. Per idem fere tempus in thesauro Monasterii Sancti Trudonis erant *thuribula argentea septem, & cupæ argenteæ duæ ad ferendum incensum*: plura alia hujusmodi donaria Ecclesiis oblata leguntur in sequioris ævi Scriptoribus, quæ omnia recensere supervacaneum est. Thuribulum item *fumigatorium* aliquando appellatum est, ita eum vocat Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 74. *Incensarium* pariter quandoque nuncupatur, ita in testamento Riculphi Episcopi Helensis anno Domini 915. apud Baluzium append. act. vet. ad Reginonem pag. 626., & in Chronico Centulensi apud Dacherium Spicileg. tom. 4. p. 467.

Ex qua materia constarent olim thuribula, quæ in Ecclesiis insignioribus erāt argentea, vel aurea.

Thuribulum quandoque appellatum Fumigatorium, & Incensarium.

Præclara etiam de thuribuli usu in Dei cultum antiquitus observato testimonia duo nobis exhibet Evagrius in sua Historia Ecclesiastica lib. 4. cap. 7., & lib. 6. cap. 20., in quorum primo agens de Sosima Monacho miraculis claro, ait, *ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subito ingemiscere, graviter lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit*; Et post pauca: *deinde Thuribulum postulat, & toto Choro, in quo simul constiterunt, Thuris incensi nidore perfuso se prosternit humi precibus placaturus*. Floruit ipse Anachoreta seculo sexto, de quo Cardinalis Baronius ad ann. 525. num. 15. & 19. In secundo inter cætera donaria, quæ ad Sanctum Martyrem Sergium misit Chosroes Persarum Rex, legitur: *Thuribulum aureum in usum sacræ Mensæ*.

Vides itaque antiquissimum esse a primitiva Ecclesia incensi usum, præter ea, quæ sapientissime notat Eminentissimus Scriptor, quibus item & alia superaddere possemus. At hucusque prolata satis abunde Apostolicam ejus vetustatem ostendunt, quamvis non ex Hæreticis tantum, sed et Catholicorum nonnulli eamdem illi antiquitatem refragentur, inter quos Radulphus Tungrensis propos. 23., qui hunc ritum Altaria thure adolendi a Sancto Leone Papa I. in Ecclesiam introductum falsò arbitratur, cum canoni 3. Apostolorum, de quo supra, referendum esse, vel ipse testetur paullo ante citatus Guillelmus Beveregius in ipsum annot. apud Coteler. SS. PP. Apostol. Tom. 1. pag. 457. col. 1.. Crassiori errore fallitur Platina in Sixto I. & alii, qui asserunt initium habuisse a Leone III., qui vixit anno 808.. Ex supradictis enim contrarium clarissime evincitur, quibus etiam addendum S. Gregorii Magni testimonium de offerendo super Altari incenso, qui scribens Secundino Abbati, illi aloem, thymiama, sty-

Ex dictis antiquissimus deducitur a primitiva Ecclesia incensi usus.

Licet nonnulli etiam ex Catholicis refragentur.

racem, & balsamum Sanctorum Martyrum corporibus fumiganda misit, ut constat ex ejus Epistola 7. lib. 12. ind. 7.

Quorum, aliorumque Acatholicorum argumenta dispelluntur.

His omnibus etiam, atque etiam ostenso, inveterato, perpetuoque thuris usu in Ecclesia, roborantur, magisque confirmantur, quæ contra oblatrantes adversus hujusmodi religiosam cæremoniam, Dallæum scilicet, aliosque Sectarios, qui damnatum eundem thuris usum ex Tertulliano, & Arnobio falso astruunt, sapientissime animadvertit Cardinalis noster. Tertullianus enim, tum Apologetici loco ab ipso citato, tum cap. 42., ubi ait: *Thura plane non emimus* &c., & Arnobius, damnant quidem thuris usum, quod per Gentiles Idolis suis offerebatur, non autem illud, quod a fidelibus vero Deo offertur: Tertullianus quippe etiam de iis agit, qui conscientiæ non curant inquinamenta, ac sola oblatione externa se purgari confidunt, eodem ritu odorem Arabiæ incendentes, quo a Gentilibus immolatur idolis. Et sane non idem profecto est incensum damnare Diis oblatum, & absolute ejus usum damnare: primum reprobant præfati Apologistæ Christiani, non autem secundum. Id ostendit Africanus item, & magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus aliud ad rem simile tradens Epist. 102. alias 49. ad Deogratias Presbyterum num. 18. *Quapropter*, inquit, *qui Christianas litteras utriusque testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quod construant templa, instituant sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quod hæc Idolis, & Dæmoniis exhibeant*, & post pauca concludit num. 19. *Unde satis intelligi potest, non tam ipsam immolationem (nam vero Deo prisci Sancti immolaverunt), sed quod Diis falsis, & impiis Dæmoniis immolatur, reprehendi a vera Religione in superstitionibus Gentium*. Non itaque Tertullianus, & Arnobius usum thuris culpant; (uti Dallæus lib. de Relig. cultus objecto, aliique illi pares comminiscuntur) sed quod Diis gentium adoleretur, hoc damnabile censent.

Responsio nostra ex sacra scriptura confirmatur.

Nec quidem Dominus, dum per Isaiam cap. 1. v. 13. dicit: *Incensum abominatio est mihi*; prohibet ne ei incensum offeratur, qui toties mandaverat sibi offerri, ut Exodi cap. 29. 18., cap. 30. v. 7. & 40. v. 5. 24., ac Levitici cap. 4. 35., & cap. 6. v. 11. 15. aliisque veteris testamenti locis perspicue patet. Sed eum, incensum scilicet abominabile dicit, quod ab iniquis offertur, quia impiorum victimæ, & sacrificia non sunt Deo accepta, nec ei grata, uti expresse habetur Proverb. cap. 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*. Item Ecclesiastici cap. 34. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum*, & alibi plerisque locis. Non itaque Deo abominabile incensum est, quod sibi offerri in veteri lege mandavit, quodque Unigenito filio suo Salvatori nostro recenter nato a Magis oblatum, gratum, acceptumque habuit. Hinc Sancti Patres id confirmant, & primo ex ipsis S. Cyprianus Serm. de Stella, & Magis, munera, quæ isti detulerunt, Sacramentalia dicit, & Domino nostro Jesu Christo proprie offerenda: *Primitiæ gentium*, ait, *Sacramentalia munera proferunt de thesauris, & Domino aurum, & odoramenta præsentant, profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant, quid crederent, quid sentirent; In Auro Regem, in Thure Sacerdotem, in Myrrha incorruptibilem, quamvis passibilem profitentur*; quod & alii posteriores adnotarunt, Maximus Taurin. hom. 3. de Epiph. Leo Magnus Serm. 1. item de Epiph. cap. 2., Sedulius Operis Paschalis lib. 2. Fulgentius Serm. de Epiph., Gregorius Magnus hom. 10. aliique plures.

Item ex SS. Patribus.

Tota igitur Ecclesia Magorum exemplo thus in sacrificio offert, quia firmiter credit Salvatorem nostrum vere esse Deum, uti adnotavit Rupertus Tuitiensis Abbas ad cap. 2. Matth. inquiens: *Thus tota quidem illi offert Ecclesia credens, & confitens, quia vere Deus est, & omnis in eo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat*. Cumque ab exordio idem semper crediderit, ideo semper thus obtulit, adeo ut non sit assignabile tempus, quo in Ecclesia incensum non fuerit oblatum, etsi quando, ubi, & a quo statim post Apostolos cœperit, ignoremus, quod satis superque denotat ex Apostolica traditione hunc ritum (sicut, & reliquos hujusmodi, de quibus Concilium Tridentinum loco supra indicato) dimanatum esse juxta celebrem Sancti Augustini Regulam lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*.

Duvertius circa thuris usus finem confutatus.

Sed ex Tournelyo refellendus occurrit Duvertius, qui more suo in alium, quam decet sensum, thuris usum detorquet. Quod de cereis, (ait ille de Sacr. Euch., ubi de Missa art. 13.) idem & de thure, seu incenso docet D. de Vert: non alium scilicet illius finem, ac usum primitus fuisse, quam ut purgaret tetrum, ac fœtidum odorem, qui ex locis subterraneis, in quibus primi Christiani metu persecutionum sacra faciebant, exhalabat. Quod si opponas, Ecclesiam illum thuris, & incensi usum etiam retinuisse, cum ipsi libero Cœlo frui datum est, ac in iis locis offerre sacrificium, in quibus a fœtido exhalitu nihil erat timendum; respondebit hanc causam esse, tum quod Ecclesia suorum usuum in Officiis publicis retinentissima sit, ac cujuscumque innovationis inimica; tum quod populi regionum, in quibus publica Officia Ecclesiastica celebrata primum fuere, aromatibus, & incenso plurimum delectarentur. An vero ignoravit Author ille, thus & incensum in officium religionis, ac cultus a Paganis ipsis usurpatum fuisse? An ignoravit Deum ipsum, Exodi 30. thuris compositionem præscripsisse, facta expressa prohibitione, ne in alium, quam in tabernaculi cultum usurparetur? *Talem compositionem*, ait Deus v. 37. *non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis*. An denique ignoravit Canonem tertium eorum, qui Apostolici feruntur, quo dicitur tom. 1. Conc. p. 26. *Ne aliquid aliud ad Altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis*.

Thu-

Antiquissimum thurificationis usum in Ecclesia plerique probant.

Thurificationis usum in Ecclesia peranti-quum esse probat Menardus, ad Lib. Sacrament. S. Gregorii pag. 195. Item Jacobus Petit in notis ad Theodori Pœnitentiale pag. 135. & 136. aliique nonnulli. Suam habet symbolicam, & mysticam significationem. Deo thus adoletur, in signum supremi ejus in res omnes dominii, cui latriæ cultus debetur: thure fumant, & odoribus Altaria in honorem sacrificii, quod ibi offertur: thuris honores exhibentur Crucis, & Sanctorum imaginibus, qui honos præcipue ad archetypa tendit ac refertur: exhibetur quoque sacro Evangeliorum Libro, in signum venerationis, qua verbum Dei prosequimur, & boni odoris, quem diffundere ubique tenentur Christiani omnes pietate sua, ac bonorum operum exemplo; oblationes quoque suffitu perfunduntur, ut consecrentur, ac Deo gratæ fiant, & acceptæ: ipsis denique fidelibus, dum sacris intersunt, offertur incensum, ut moneantur orationes suas ad Deum dirigere, & bonorum operum odorem, quasi thus acceptissimum, circumquaque spargere ac diffundere, juxta istud Psalmi 140. v. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Subdit porro Tournelyus contra eumdem, dicens: Abutitur manifeste D. de Vert. tom. 1. Præf. p. 17. & tom. 2. pag. 513. auctoritate S. Thomæ parte 3. q. 83. art. 5. ad 2. ubi thus adoleri, ait, ut *si quid* pravi odoris fuerit, depellatur. Ita revera, sed ad reverentiam, quæ Eucharistiæ debetur, adeoque ad cultum religiosum istud refert Doctor Angelicus. Audiantur ejus verba, non truncata cum D. de Vert, sed integra: *Dicendum, quod etiam thurificatione non utimur, quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Pertinet autem ad duo. Primo quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. Secundo pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, quia sicut bono odore Christus plenus fuit &c. . . . . . Et ideo undique thurificato Altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.* Atque hæc satis contra incensi usus in Ecclesia obtrectatores dicta sint.

§. X.

De Libris Liturgicis, eorumque veneratione, & ornamentis. Quid fuerit Cantatorium.

DE Libris Liturgicis, & Ritualibus superfluum videtur scribere, cum
sine illis sacrum nequeat celebrari (1). Fuisse autem ab initio Ec- (1)
clesiæ certas Liturgiarum formulas ab Apostolis, & Apostolicis viris compositas, ostendimus supra *cap.* 8. Refert Gennadius *lib. de Scrip. Eccles.* Voconium Castellanum Mauritaniæ oppidi Episcopum, & Musæum Presbyterum Massiliensem, sacramentorum, officiorumque egregia volumina scripsisse, quæ si extarent, multa nobis de antiquis ritibus perspecta forent. Digessit quoque Missarum ordinem Gelasius Papa (2), & post eum (2)
Gregorius Magnus: quorum Missalia separatim extabant anno Domini 831. in Abbatia Centulensi, sive S. Richerii. Sic enim recensentur in Chronico ejus Monasterii *lib.* 3. *cap.* 3. *tomo* 4. *Spicilegii* (a Luca Dacherio editi] in indice Bibliothecæ, *de libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres. Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus* (3). *Missales Gelasiani* (3)
XIX. Librum sacramentorum S. Gregorii edidit Pamelius *tom.* 2. *Liturgicorum*, qui deinde correctior prodiit, notisque eruditissimis illustratus ab
Hugone Menardo Monacho Benedictino Congregat S. Mauri (4). Porro (4)
Missali magna olim adhibita reverentia, & in Capitulari Caroli Magni ex Concilio Aquisgranensi decernitur, ut si opus sit Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia. Nulli autem sacrorum Codicum divino sacrificio inservientium major veneratio exhibita, quam libro Evangeliorum: nam Evangelium typum gerit Christi in eo loquentis, & ideo in octava Synodo *cap.* 3. decretum est librum Evangeliorum, & sacram Imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore ado-
rari (5) & in Conciliis idem Codex Evangeliorum in sublimi throno edi- (5)
tiori loco poni consuevit (6). Eum theca pretiosissima aurea, vel eburnea, (6)
gemmisque distincta, (& artificiosissime elaborata) cum imagine Christi

Sacro Evangeliorum libro, & olim præ cæteris summa reverentia exhibita.

crucifixi includere, aureiſque litteris ſcribere mos priſcus fuit, quem indicant Gregorius Magnus *lib.* 12. *epiſt.* 7. *ad Theodelindam*; & Gregorius Turonenſis *lib. de Gloria Confeſſ. cap.* 63. *& lib.* 3. *hiſtor. Franc. cap.* 10. Conſonat Aimoinus *lib.* 2. *de geſtis Francorum*: narrans a Childeberto Rege avectas ab Hiſpaniis, inter Eccleſiaſtici miniſterii utenſilia, capſas xx. Evangeliorum ſolido auro fabricatas & gemmis ornatas. Libri quoque Evangeliorum gemmis forinſecus, & auro exornati mentionem facit Simeon Monachus *lib.* 2. *de Dunelmenſi Eccleſia cap.* 12. Leo Oſtienſis *lib.* 3. *Chronici Caſinenſis cap.* 20. *&* 74. inter ornamenta illi Eccleſiæ acquiſita, & relicta a Deſiderio Abbate, qui poſtea Victor III. Romanus Pontifex fuit, enumerat libros Epiſtolarum, & Evangeliorum, ac Sacramentorum cum tabulis aureis, & argenteis. Flodoardus item *lib.* 3. *cap.* 5. Librum Sacramentorum ebore, argentoque decoratum commemorat. Apud Goldaſtum *tom.* 1. *Rerum Alamannicarum* extat liber de origine Monaſterii S. Galli, in quo legimus Hartmotum Abbatem librum Evangeliorum auro, argento, lapidibuſque pretioſis ornaſſe. Ducas in hiſtoria Byzantina *cap.* 42. capta Conſtantinopoli Evangelia adhibitis ornamentis mira arte compacta, auro, argentoque inde revulſis partim venundata, partim projecta conqueritur. Alia multa paſſim occurrunt, ſed hæc carptim relata ſufficiunt, ut dignoſcamus communem hanc librorum Liturgicorum
venerationem fuiſſe (7). Horum autem ornamentorum rationem reddit (7)
Rupertus Abbas *lib.* 2. *de Div. Offic. cap.* 23. dicens, *Codices quoque Evangelici auro, & argento, lapidibuſque pretioſis non immerito decorantur, in quibus rutilat aurum cœleſtis ſapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretioſi lapides, quæ manus Chriſti tornatiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ ſunt*. Recolo me legiſſe in Commentariis Rerum Moſcoviticarum non audere Moſcovitas Evangelium tangere, niſi prius laverint manus, ſeque ſigno Crucis munierint, & inclinato capite honorem ei exhibuerint: quorum tametſi ſchiſmaticorum reverentiam par eſſet omnes Orthodoxos imitari. Morem, qui nunc viget collocandi ſuper pulvinar librum Miſſalem (8), antiquum eſſe colligo ex Ordine Ro- (8)
mano, in quo ſtatuitur ut perlecto Evangelio accipiat Subdiaconus pulvinar, & Evangelium a Diacono, eumque præcedat (9). In eodem libro (9)
inter ea, quæ portantur ante Pontificem euntem ad Stationem, nominatur *Cantatorium*, quod nihil aliud eſſe conjicio quam librum, ſeu potius tabulam, in qua ſcriptum erat Reſponſorium canendum poſt Epiſtolam; nam infra ait: *Poſtquam legerit* Subdiaconus Epiſtolam, *aſcendit cantor cum cantatorio, & dicit Reſponſorium*. De tabulis, quas cantor in manu tenet, agit Amalarius *lib.* 3. *cap.* 16., ſed cum omnia trahat ad ſenſum myſticum, nihil quod ad rem ipſam pertineat inde erui poteſt, niſi quod hujuſmodi tabulæ ex oſſe fieri ſolebant. Forſitan ad hoc cantatorium pertinet, quod Oſtienſis *lib. cit. cap.* 20. de Abbate Deſiderio refert, *Fecit & libellum ad cantandum ante Altare ſive in gradu, eumque tabulis eburneis mirifice ſculptis, & argento annexuit*. Nam Reſponſorium poſt Epiſtolam in gradu olim cantabant, & hic Gradualis nomen accepit
(10). (10)

(1) *Sine illis ſacrum nequeat celebrari.*) De Libris Liturgicis nonnulla ſcripſit Stephanus Baluzius in notis ad Capitul. Regum Franc. tom. 2. col. 1155., ubi de Miſſali, & Lectionario, ex quo ſelecta quædam huc inſeri viſa ſunt. Sed primo: quatenus libri iſti cultum divinum, vel in genere, vel in ſpecie complectuntur, eatenus etiam nomen ſuum adepti ſunt. Hinc legeris vocem *Libri Officialis* ita dicti, quod Officium Miniſtri Eccleſiæ in ſe continet, *Libri Ordinis*, in quo Ordo Officii divini, *Libri Ritualis*, in quo Ritus Eccleſiaſtici præſcribuntur, *Libri* etiam *Liturgici* ſic dicti, quod liber ejuſmodi Liturgiæ

Recenſentur variæ Librorum Liturgicorum denominationes, & ſpecies.

turgiæ

turgiæ seu ministerio inserviebat, & in primis Sacrosancti Sacrificii ritus ordinabat. Tandem etiam *Agenda* vocabantur, seu liber Acoluthias, liber Ordinis sive Sequentiæ. Quemadmodum vero Cultus divini partes quamplurimæ sunt, ita si illas respicias, quamplurima etiam librorum Ecclesiasticorum nomina se se offerunt. Circa cultum divinum primario occupati sunt Sacerdotes, hinc orta appellatio Libri *Sacerdotalis*, in quo Ritus ad Sacerdotem pertinentes continentur. In Ecclesia Græca Manuale istud nomine Diaconici insigniebatur; equidem non ignoro Diaconicum etiam appellari locum, & Diaconorum sessioni aptatum, & ministerio sacro destinatum; sæpius vero *Diaconicum* libellus est, qui ea, quæ a Diaconis in templis observanda sunt, comprehendit.

Huc spectant etiam dyptica veterum, nimirum libri ex duobus foliis constantes, quorum usus diversus erat; reperias enim *dyptica Episcoporum*, in quibus nomina illorum Antistitum, qui certæ Ecclesiæ præfuerant, dummodo probitate, ac sanctis moribus claruissent, consignata erant. *Dyptica vivorum* sic dicta, quod continebant illos viros, qui tunc temporis vivebant dignitate aliqua conspicui, aut de Ecclesia benemeriti. Horum nomina publice prælegebantur, precibusque Deo commendabantur. Denique prostabant etiam *Dyptica mortuorum*, & eorum quidem, qui cum signo fidei in Domino placide obdormierant. Horum nomina itidem recitabantur, ac pro iis Sacerdos Deum deprecabatur, cum vero illorum, qui singulari pietate, & vitæ integritate insignes decesserant, memoria fieret, tunc populus eisdem acclamabat dicendo *Gloria tibi Domine*, quemadmodum ex quinta Synodo OEcumenica habetur, ut vivi fidem eorum intuentes, eo constantius Christum profiterentur, atque huic Dypticorum generi natales suos debere videtur Kalendarium, quod dies Sanctorum per totum annum exhibet.

Objectum cultus divini Libris Ecclesiasticis plura nomina imposuit. Potior illius pars est precatio, quam si tollas, ipsum cultum sustuleris. Hinc liber Liturgicus *Orationale* vocabatur, utpote quod orationes complectebatur, quæ in Ecclesia cani, aut recitari consueverant, a voce *Oremus* initium habentes; adpellabatur etiam *Collectarium* sive *Collectaneum*, Liber scilicet, in quo Collectæ ad quævis officia dicendæ continebantur. Colligit enim Sacerdos petitiones, & preces Populi, cujus legatione fungitur, easque collectas Deo omnium nomine offert, ut ab ipso misericorditer suscipiantur. Vide Micrologum de Observ. Eccl. cap. 3. & Rupertum Abb. lib. 1. de Div. Offic. cap. 9. Veteres Græci librum Agendorum itidem a precibus nominabant Liturgicon, Euchologion, sive Rituale sacrum; Continebat quidem illud omnes ritus in administrandis Sacramentis, Benedictionibus, Canticis, & Exequiis Defunctorum obeundis observandos. Quando vero potiorem Agendorum partem preces constituebant Enchologion absolute vocabant. Inter precandum quia aliquando stabant veteres Christiani, statutis scilicet diebus, uti ostendit Card. Baronius ad an. 58. num. 109. inde etiam Librum Liturgicum vocabant *Libellum Orationum*, sive *stationum* a ritu isto standi, dum orabant, in Ecclesia veteri quandoque obtinente.

Precibus admiscentur Cantica, quæ quin in primitiva Ecclesia usu venerint, dubium plane est nullum. Cum vero Hymni isti peculiari libello inserentur, orta est appellatio *Cantatorii*, & *Hymnarii*. Notum etiam est cognomen *Antiphonarii*, quod ipse Augustinus suo tempore jam adhibuit, ita dicti, quod Antiphonas totius anni comprehenderet. In hodierna Ecclesia Græca *Triodium* habetur; estque liber illorum Ecclesiasticus, In quo Officium in Ecclesiis eorum recitari solitum a Septuagesima, quam ipsi vocant Dominicam Publicani, & Pharisæi, & Sabbatum Sanctum, continetur. Sic dictus autem ille est, quod cum Canones, & Hymni in Solemnitatibus Christi Domini, B. Mariæ Virg. & aliorum Sanctorum novem habeant Strophas, Odas nuncupatas, Cantiones libro hoc comprehensæ ternas odas ut plurimum non excedant.

In Cultu divino peragendo multæ occurrunt lectiones, quæ Libris Ecclesiasticis itidem multa dederunt nomina. Reperies enim *Lectionarium* Lectiones Ecclesiasticas continens; *Apostolicum* Epistolas Sancti Pauli comprehendens; *Evangeliarium*, quod Evangelia, quæ in singulis Missis leguntur, & cantantur, quodque a Sancto Hieronymo compositum esse dicitur. In Ecclesia Romana liber hic Evangeliorum nuncupatur *Textus*, qui inter Cimelia Ecclesiastica reponi solet, auro gemmisque ut plurimum distinctus, aureis interdum characteribus exornatus. Nomen etiam memoratu dignum est, quo Liber Liturgicus vocabatur, *Plenarium* scilicet, in quo Evangelia, & Epistolæ plene continebantur. Neque tamen Ecclesia antiqua Scripturam sacram solum, sed Sanctorum etiam libros publice prælegebat. Inde multoties *Homiliarium* occurrit, quod SS. PP. Homilias comprehendit, nec minus *Passionarium*, & *Sanctorale*, quod passiones Sanctorum Martyrum exhibet, unde conflatum etiam est *Martyrologium*. Quando vero Ritus circa Sacramenta peraguntur, conscriptum est *Sacramentarium*, in quo Sacræ Liturgiæ ad conficiendum Sacramentum traduntur; cumque Sacramenta mysteria sint, quæ omnem rationem transcendunt, hinc liber Sacramentorum, sive Sacramentarius, etiam liber *Mysteriorum* nuncupatus est. Legas etiam vocem *Missalis* a Missa dicti, quæ celebrationem Missæ dirigit.

Denique circa cultus divini tempus observo *Librum nocturnum*, qui Ecclesiasticum Officium nocturnum, & Librum *matutinalem*, qui Officium Ecclesiasticum matutinum complectebatur. Sanctus Augustinus certe multorum librorum mentionem facit, quibus Sacerdotes in Officio suo utebantur. Habebant Librum *Sacramentorum*, *Lectionarium*, *Antiphonarium*, *Baptisterium*, *Computum*, *Canonem pœnitentialem*, *Psalterium &c.* Cæterum in Ecclesia Romana tres tantum Liturgicos,

gicos, seu Missales libros in usu fuisse, quibus Sacrificium solemniter peragebatur, observatum habeo; primus scilicet, in quo continebantur Orationes, Collectæ, Præfationes, & alia, quæ a Sacerdote celebrante recitabantur, secundus, in quo Evangelia a Diacono, & Lectiones sacræ Scripturæ, seu Epistolæ ab aliis Ministris legebantur: tertius, in quo Antiphonæ, Tractus, Gradualia, & Responsaliæ, quæ a Choro canebantur. Porro de his Libris Liturgicis videndus Lazarus Andreas Bocquillot in suo Tractatu Historico Liturgiæ Sacræ Lib. 1. cap. 9., & novissime P. D. Cajetanus Merati in suis Comentariis ad Gavantum: sed de his omnibus vide infra in Appendice pag. cviii. & seqq.

Gelasius Papa non instituit, sed digessit Sacramentorum Libros.

(2) *Digessit quoque Missarum ordinem Gelasius Papa.*) Ita plane digessit, non instituit, ut aliqui falso putarunt; neque enim Gelasius Missalis, seu Sacramentorum Codicis Auctor astrui potest, siquidem Anastasius in Vita dicti Pontificis ait, ipsum nihil aliud quoad Missarum ordinem composuisse, quam Præfationes, & Orationes seu Collectas: *Fecit Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto sermone.* Hinc inferre liquet ante ipsum Pontificem extitisse in Ecclesia Romana Sacrorum Mysteriorum Codices Ecclesiæ Romanæ. Vide etiam Gelasiani Codicis exemplar, quod ex celebri Archivio Cathedralis Ecclesiæ Veronensis novissime edidit Cl. vir Joseph Blanchinius olim ibi Canonicus, nunc Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter, & Prolegomenis suis ad Anastasii Biblioth. Tom. 4. inseruit, quodque titulo S. Leonis donavit, utpote Leoninum stylum redoluisse, & Gelasiano a Thomasio edito antiquius existimans; verum post diligentiorem hujus inquisitionem, & accuratius Codicis examen, ut optime observat Eruditissimus Pater D. Cajetanus Maria Meratus in novissimis suis Commentariis, & Observat. ad Gavantum Prælim. num. 3. pag. 8. tribus ad id probandum adductis argumentis, quibus & alia subjici possent, purum, putumque Gelasianum, non Leoninum, nullo additamento interpolatum fore compertum est. Vide, quæ dicemus infra lib. 2. cap. 5. §. 4.

(3) *Modernis temporibus ab Albino ordinatus.*) Utinam hunc Missarum Codicem haberemus, qui periit, aut ubi lateat, nescitur; ille enim si extaret, discrimen inter Missale Gelasianum, & Gregorianum clarissime ostenderet. Scripsit quidem Alcuinus Librum de Sacramentis, sed ex ipso eadem differentia dignosci non potest, neque etiam ex libro de Divinis Officiis illi perperam a Cardinalibus Baronio, & Bellarmino attributo. Hic namque liber Alcuini non est, uti reliquis omnibus eruditis notum, sed recentioris ævi, scilicet post sæculum X. editus.

(4) *Ab Hugone Menardo Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri.*) Sed ante ipsum, & post Pamelium, eumdem Sacramentorum librum edidit, notisque illustravit Angelus Rocca Ordinis Sancti Augustini, Episc. Tagastensis, & Pontificii Sacrarii Præfectus ex MS. exemplari Vaticano; Quis autem horum trium correctiorem ediderit, non audet definire Ven. Card. Thomasius, qui tamen in sua Præfatione ad Sacramentorum Codices se Pamelianæ potius Editioni, quam reliquis adhærere affirmat. Præter prædictos Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum libros extitit alia quidem, sed privata Missalis libri collectio per Albinum, sive Alcuinum ex utroque, Gelasiano nimirum, & Gregoriano Codice conflata, uti legitur in Chronico Centulensi apud Acherium Spicil. Tom. 4.

Adoratum & in Ecclesia Orientali sacrosanctum Christi Evangelium.

(5) *Æquo honore adorari*) Sane apud Orientales etiam adoratum fuisse Sacrosanctum Evangeliorum Librum satis, superque dignoscitur ex ritu illo, quem Græci appellant Μικρὰν εἴσοδον; idest circumlatio Codicis Evangelii cum pompa, Cereis, & Thure, procumbentibus interea qui in Ecclesia sunt coram sacro Codice, qui verba Christi continet. De hoc ritu videndus Goarius in Euchologio ad Chrysostomi Liturgiam nota 74. pag. 124. vide etiam infra lib. 11. cap. 7. Porro de sacro Evangelii Codice, atque servatis in ejus Lectione, & usu vario ritibus, nuperrime, & erudite scripsit Clar. Joseph Catalanus Congr. Oratorii S. Hieronymi de Charitate in Urbe Presb. editis hac de re libris tribus.

Idem Sacer Evangeliorum Codex in sublimi throno & editiori loco positus, in Conciliis tum apud Græcos, tum apud Latinos.

(6) *Idem Codex Evangeliorum poni consuevit*) Ita de sacro Evangeliorum Codice actum fuisse testatur Cyrillus Alexandrinus Epistola Apolog. ad Theodosium Imp. Concil. Tom. 6. pag. 251. *Sancta Synodus in Sancta Ecclesia, quæ Maria dicitur, congregata Christum veluti caput constituit; venerandum enim Evangelium in sacro Throno collocatum erat &c.* Idem & in Concilio generali Sexto Constantinopolitano tertio in Trullo celebrato act. 1. memoratur factum. Pariter in VII. Generali Synodo, quæ altera Nicæna fuit, servatum fuisse Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha testatur his verbus: *Jacebat autem in sacro Throno Evangelium sanctum, quod omnibus &c.* Neque vero apud Græcos tantum, sed etiam apud Latinos idem factitatum constat ex Conciliis Lateranensi I. Martino I. Summo Pontifice sub anno 642. II. sub Zacharia anno 745. Tertio Vaticano anno 969. sub Joanne XIII. Sed quid in his numerandis immoramur? Plena sunt Conciliorum acta, quinimmo ipsis oculis id demonstrant Picturæ veteres, quæ etiam hodie supersunt, uti neque ipse diffitetur Guillelmus Cave de Script. Eccl. in Append. Dissert. 2. pag. 182. Vide perillustrem simul, ac eruditum Joannem Ciampinium in suo eleganti Opere de Vet. monument. Musiv. cap. 16. pag. 133. cap. 22. pag. 201., & cap. 25. pag. 236. item de sac. ædific. Constantini cap. 2. pag. 150.

(7) *Hanc Librorum Liturgicorum venerationem fuisse*) De ornamentis pretiosis sacro Evangeliorum Codici appositis legendi laudatus Ciampinius loco mox citato cap. 6. pag. 131. 132. & ex ipso Joseph Catalanus de Cod. Sancti Evang. lib. 3. cap. 16. & 17.

Missalis liber super pulvinar positus, etiam ab antiquo.

(8) *Super Pulvinar Librum Missalem.*) In vita S. Ansegisi Abbatis Fontanellensis, qui anno 835. decessit, apud Acherium

Tom.

Tom. 3. Spicileg., & Act. SS. Ordin. S. Bened. sect. IV. parte I. pag. 634. num. 7. inter alia ejusdem Abbatis donaria dicto Monasterio facta legitur dedisse *Pulvinaria serica Evangelicis Officiis apta, majora duo, minus unum*; ex quo colligitur morem hunc nono seculo antiquiorem esse. Rupertus Abbas lib. 1. de Div. Offic. cap. 36. *Evangelio*, inquit, *substernat pulvillum, quia videlicet ad omnia, quæ loquitur Evangelium, lex competens suggerit testimonium*. Ideo antiquitus, uti legitur in quodam vetusto Cæremoniali apud Macros fratres, una cum Libro Missali, seu Evangeliorum deferebatur pulvinar. Cæremonialis verba hæc sunt: *Subdiaconus ante eum*, scilicet Diaconum, qui Evangelium lecturus est, *pulvinar deferat; per pulvinar quod præcedit, lex figuratur, quæ Evangelium præcessit, per plumas, quæ intus sunt, mysteria, &c.* Cæterum quoad hujusmodi morem, quem adhuc vigere indicat Eminentissimus, nescio qua de causa hodie in plerisque Ecclesiis factum sit, ut pulvinarium loco lignea legilia in Altari ad Sacrorum Codicum sustentationem adhibeantur: Usus profecto a venerabili antiquitate alienus, pluribus Religiosis tamen, Ecclesiarumque Præfectis minime acceptus, sicut & ille longe absurdior pulvinaria Missalium Librorum usui addicta ad profanum usum adhibendi, quæ ne Episcopi quidem, nedum alterius cujusquam genibus, cubitisve ullo loco in Ecclesia supponerentur, Sanctus Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi V. edixit cap. *de Ecclesiis, earumque Supellectile*. Mitto holosferica, quæ luxus adinvenit, auro, vel argento intexta pulvinaria, quibus illustriores etiam fœminæ, sed nullo Regalis, aut Ducalis, vel alicujus supremæ celsitudinis, aut Principatus titulo insignes, sacris in Templis incumbunt, ut hoc etiam irreligiosæ levitatis argumento languescentem pietatem, & devotionem, atque imminutum Christiani Spiritus fervorem in locis sacris coram Deo, & hominibus ostentent; dum paulatim humana ambitio ad se transmitti jussit, aut permisit, quod olim apud Gentiles Deorum proprium fuit, etenim super Pulvinaria inanium numinum simulacra juxta aras sublimia collocata conspiciebantur, uti ex Tullio Orat. 2. in Catilinam, Plinii Panegir. ad Traja- cap. 8. notant, Alexander ab Alexandro Genial. dierum lib. 5. cap. 27. & Vossius tum in Eymol. tum lib. 8. de vitiis Serm. verbo *Pulvinaria*.

Illius loco recens legilium ligneorum usus a venerabili antiquitate alienus.

Reprobantur pulvinaria pretiosa a fœminis quibusdam illustrioribus, non tamen excellentiæ sublimis præditis, adhibita in Ecclesiis.

(9) *Et Evangelium a Diacono, eumque præcedat*) Prorsus quidem obsolevit Ritus iste ab Ordine Romano, aliisque relatus, ut scilicet Subdiaconus Diaconum præcedat portans pulvinar, quod Evangelii libro supponat, ad denotandum, Auctore Durando, suave esse jugum Domini illud portare volentibus: Subdiaconus enim nihil defert, nisi librum apertum, illumque osculandum offert. Sed & aliquod temporibus istis hujus Ritus vestigium observatur in aliquibus Ecclesiis, ubi sacrorum Rituum observantia viget, ibi enim Clericus, seu Laicus Sacerdoti Missam privatam celebraturo ministrans, ipsum antecedit Missale librum una cum pulvinari deferens, super quo illum collocet in Altari.

(10) *Et hinc gradualis nomen accepit*) Porro, ut omnia quæ ad libros Liturgicos spectant, attingamus, advertendum est antiquos Missales libros, quibus olim Ecclesia utebatur in sacris celebrandis, non uno, sed triplici volumine comprehensos, & distributos fuisse. Et quidem primus Codex continebat Orationes, Precationes, Præfationes, & his similia, quæ a Sacerdote ad Altare recitabantur: Alius, in quo Evangelia a Diacono & Lectiones Sacræ Scripturæ ab aliis Ministris dicendæ continebantur. Tertius complectebatur Antiphonas, Tractus, Gradualia, Responsoria, Versus, & alia hujusmodi, quæ a Choro canebantur. Primum ex prædictis volumen est illud, quod Sacramentale, seu Sacramentarium dictum est, vel etiam Sacramentorum liber, aut Mysteriorum Codex, ut dictum est, appellabatur, quo nomine Missalis liber a Gelasio dispositus, & a Gregorio auctus nuncupabatur: secundum, quod Lectionarium, seu liber Comitis dicebatur, illud est D. Hieronymi hortatu a S. Damaso in Ecclesiam Romanam introductum, & ab eodem Hieronymo in lectiones per anni circulum dicendas ordinatum, de quo infra lib. 2. cap. 6. §. 2. quod etiam volumen, seu Lectionarium in quibusdam MSS. Codicibus in duas sectiones, seu partes distinctum legitur, in quarum una Epistolæ, in alia Evangelia continebantur. Tertius denique Codex, qui *Antiphonarium Missæ* inscribitur, ille est qui Sancto Gregorio Magno ab antiquis tribuitur, atque in ejus Operibus descriptus reperitur. Quos sacros Mysteriorum, seu Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ Codices nuper suæ antiquitati restitutos, emendatos, doctisque notis aliquibus illustratos edidit doctrina, & pietate venerabilis Card. Thomasius Cler. Reg. Theat. ut jam supra monuimus.

Describuntur tres ordinarii, & communes Libri Liturgici, qui olim ad Missam solemniter decantandam in usu erant.

Præter hos libros Missales sic, ut diximus, discretos, & divisos, erat & antiquitus *Missale plenarium*, ita dictum, eo quod complectebatur unitos simul omnes tres enunciatos Codices. De hoc Missali plenario mentionem faciunt Acta Murensis Monasterii, Leo Papa IV. Homilia de Cura Pastorali, ubi præcipit, *ut Missale plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habeat*: Ratherius Veronensis in Synodica ad Presbyteros suæ Diæc. Regino Prumiensis Abbas in Inquisitione Episcopali cap. 10., & Leo Ostiensis lib. 3. cap. 19. apud Ducangium in Glossario. Vide quæ de hujusmodi libro erudite scripserunt Lazarus Andreas Bocquillotius Tract. Hist. Liturgiæ sacræ lib. 1. cap. 9. & novissime D. Cajetanus Maria Meratus in Rubricas Gavanti comm. & observ. prælim. num. 4. pag. 11. & 12. Erat insuper in Ecclesia alius Codex eidem sacro usui Missatico destinatus, *Capitulare* nimirum *Evangeliorum de circulo anni*; in quo descripta erant initia, & fines Evangeliorum uniuscujusq; diei. Istius Codicis sex vetustissima exemplaria se vidisse testatur Stephanus Baluzius in notis ad Capitul. Reg. Franc.

Recensentur, & alii insuper Libri Liturgici.

Tom.

Tom. 2. col. 1156. duo videlicet in Bibliotheca Regia, aliud in Bibliotheca Colbertina. Extare etiam Capitulare istud Evangeliorum in antiquissimo Codice Bibliothecæ Vaticanæ docet Leo Allatius in Differt. de Dominicis, & Hebdomadibus Græcorum recentiorum cap. 37. ex quo, & uno Regio, ac præcipue Colbertino, qui antiquissimus est, idem Baluzius quasdam lectiones, quæ alibi non extant, & sunt magni momenti, describit loco citato col. 1159.

Missalis Plenarii varia recensentur exemplaria vetera, tum MSS. tum edita.

Porro de Missali tribus Voluminibus distincto testimonium habemus seculi XIII. anni scilicet 1227. quo obiit quidam Bartholomæus Parisiensis, qui ut legitur in Necrologio illius Ecclesiæ; *dedit nobis Missale in tribus voluminibus, quo tempore adhuc antiquum hunc morem perdurasse noscimus*: Dicti Missalis plenarii antiquissimus Codex seculi XII. visitur in celebri Bibliotheca Angelica Almæ Urbis apud Patres Augustinianos, in quo continentur omnia, quæ in Missæ celebratione, tam a Celebrante, quam a Ministris, & Choro dicebantur. Aliud Missale manuscriptum seculo XIV. secundum consuetudinem Curiæ Romanæ extat in Bibliotheca Casanatensi PP. Prædicatorum. Huic item simile exemplar duplex asservari in Bibliotheca Regia Parisiensi ait Edmundus Martene Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. in Syllabo hujusmodi librorum Liturgicorum. Hæc de Manuscriptis. Porro inter Missalium recentiorum editiones, quæ pene innumeræ sunt, principem locum habet Missale Romanum ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. Pont. Max. jussu editum, & Clementis VIII. auctoritate recognitum, quod item, iterumq; prælo committitur, & in universa Ecclesia Catholica, quaqua illa patet, receptum est.

Recensentur item varia præcipuarum aliquot Ecclesiarum Missalia particularia.

Habent vero & Ecclesiæ particulares præcipuæ nonnullæ sua peculiaria Missalia ad usum suum accommodata, quæ tamen a Romano non discedunt, sed accessionibus tantum quibusdam ad eam, in qua vigent, Diæcesim, seu Provinciam spectantibus donata sunt. Sic præter Ambrosianum, & Mozarabum, quæ particularis sunt ritus, plura recenset in dicto suo Syllabo laudatus Martenius, quibus addi possunt Missale Moguntinum, Trevirense, Coloniense, & Saltzburgense impressum Basilææ anno 1510. ad usum Hospitalis Anglorum Rotomagi anno 1511. Basileense 1521. Noviomense Parisiis 1541. Remense 1553., & alia bene multa. Horum antiquius impressa, quod sciam, sunt Olomucense ad usum illius Ecclesiæ, editum anno 1488. & Wittembergense eodem anno jussu Matthæi Ludeci Havelbergensis Episcopi; Primum extat Romæ in Bibliotheca Cardinalis Imperialis, secundum indicat Christ. Matthæus Pfaffius in sua Dissertatione de Liturgiis pag. 53. Missalia etiam peculiaria ad usus suos plerique habent sacri Religiosorum Ordines, veluti Cistercienses in Gallia, Chartusienses, Carmelitæ, Dominicani, &c. quæ tantum indicasse sufficiat, cum id fere omnibus notum sit, & eadem typis expressa passim prostent.

Alii item accessorii libri Rituales, Cæremoniales &c. indicantur.

Missalibus adjungenda sunt Ritualia Cæremonialia, quæ & aliis nominibus vocabantur Sacramentaria, Ordinaria, inter quæ rursus Romana eminent Summorum Pontificum auspiciis edita, ut aliarum Ecclesiarum, & Monasteriorum particularia taceamus. Pontificale Romanum iterum, iterumque editum, quemadmodum de Missali mox diximus, ac recognitum fuit. Cæremoniale item Romanum Episcoporum dictum, sæpissime cusum, Clementis VIII. primum, deinde Innocentii X. authoritate recognitum est. His addendum Rituale Sacramentorum Romanum ex veteri usu Ecclesiæ restitutum Julii Antonii Sanctorii Casertani S. R. E. Card. Prænestini Sancti Severini nuncupati, adhibitis etiam aliis præstantissimis viris ad hoc opus conficiendum &c. Romæ impressum an. 1584. in fol. jussu Gregorii Papæ XIII. quod utique rarum est. Sacerdotalia, & Pastoralia varia, quæ conspiciuntur, vel e Ritualibus deprompta, vel privata alicujus Diæcesis commoditate confecta sunt. Cæteris eminet Pastorale Sancti Gregorii Magni ad Joannem Ravennatem Episcopum, quod sæpius ac non ita pridem Lucæ anno 1712. recusum prodiit.

His adnectimus Lectionaria, Antiphonaria, Gradualia, Responsorialia S. R. E.: Et hæc quidem a Sancto Gregorio Magno disposita cum Appendice monumentorum veterum, ac Scholiis edidit laudatus Cardinalis Thomasius Romæ anno 1687. Benedictionale item Gregorianum ediderunt Hugo Menardus, & Petrus Lambecius, ille cum Sacramentario, hic in Bibliotheca Cesar. Vindobon. Tom. 2. pag. 300. Benedictionalia item diversa extant Ecclesiasticas variarum rerum benedictiones, & exorcismos complectentia, seu manualia exorcismorum dicta, quorum multiplices editiones congessit Martinus Lipenius in sua Bibliotheca Reali Theologica parte 1. pag. 676., & 677. Veteres vero Exorcismorum formulas exhibet Baluzius in Capitul. Reg. Franc. pag. 639. & seqq. Recensendum etiam Processionale Romanum Venetiis editum per Lucam Antonium Juntam anno 1513. in 8. Hujusmodi, & alia refert dictus Lipenius loco cit. Tom. 2. pag. 557. Pariter inter Liturgicos Codices censentur etiam consuetudinaria, in quibus sacræ Ecclesiarum consuetudines describuntur, quale illud est Cassanensis Monasterii Canonicorum Regularium anno 1387. renovatum, cujus excerpta descripsit Claudius Stephanotius Mon. Congreg. Sancti Mauri in Gallia, & aliud Monasterii S. Pauli Romæ tempore S. Odilonis Abbatis manu exaratum; quorum meminit laudatus Martene.

Liturgicam librorum classem claudunt libri Pœnitentiales.

Denique Liturgicam claudunt Librorum classem Pœnitentialia, inter quæ diu desideratum est illud Gregorii Magni, quod nondum cusum Oxonii delitescere observarunt Monachi Benedictini Operum ejusdem S. Gregorii Editores. Theodori Cantuariensis Pœnitentiale Parisiis vulgavit Jacobus Petit; aliud Bedæ, seu potius Egberti Eboracensis Episcopi sæpius quidem ab Antonio Augustino Tarracon. Archiep. in collectione Pœnitentiali

tiali editum est. Cætera antiqua Rhabani Mauri, Isaaci Lingonensis, Burchardi Wormatiensis, & Ivonis Carnotensis Episcoporum, ac Pœnitentialia maxime Romana edidere Stevartus, Menardus, Morinus, Martene, & LeBrun. Porro de hujusmodi Libris Liturgicis præter memoratos videndus Joannes Albertus Fabricius, qui omnes de Ritibus Scriptores in unum congessit Bibliogr. antiq. cap. 4. & 11. Atque hæc de sacris Libris Ecclesiæ Latinæ. De Libris vero Ecclesiæ Græcæ prolixe Leo Allatius, & erudite suo more in duplici Dissertatione hac de re habita ad Gabrielem Naudæum una, ad Joannem Aubertum altera edit. Parisiensis 1645. in 4. Item Guillelmus Cave ad calcem suæ Historiæ Literariæ de Script. Eccl. peculiarem texuit Dissertationem de Lib. & Offic. Eccl. Græcæ, de qua vide in Appendice p. cviii.

Indicantur Authores, qui de Libris Liturgicis scripsere.

Redarguitur quorumdam audacia in sacris Liturgicis, & Ecclesiasticis libris pro libito alterandis & corrumpendis.

Pro colophone ad hunc paragraphum recolere liceat, quod & alias superius observatum lib. 1. cap. 6. §. 3. videlicet Liturgicos hosce, ac sacros Ecclesiasticos Codices nimia libertate a plerisque Ecclesiarum Prælatis, Monasteriorum Præfectis, quin & privatis Sacerdotibus corruptos, alteratos, atque ab aliis ubique receptos discrepantes redditos, illosque per licentiam, & potestatis abusum temere fædatos fuisse, idque non solum inscio, & inconsulto Romano Pontifice quoad Episcopos, verum etiam quoad particulares Sacerdotes proprio Ordinario, seu Antistite, audentibus iisdem Libris Missalibus nova attexere officia, nimiaque confidentia privatos illis ad libitum astruere ritus, uti inter cæteros de veteribus conterraneis suis dolens plura hac de re rescribit Cl. Joannes de Joanne Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus Tract. de Divinis Siculorum Officiis cap. 13. num. 8. & seqq. Quantam vero, qualemque divini cultus perturbationem attulerit hujusmodi indiscreta Rituum varietas, satisfuperque indicat Cardinalis Farnesii Monregalensis Synodus an. 1554. tit. 9. cap. 27. ubi in Sacerdotes, qui sic arbitrariæ novitati studentes suis adinventionibus sacros Ecclesiæ Ritus in populi admirationem, & scandalum nimia confidentia pervertebant, quorum plerique non modo solemnitates, verum & ipsum Missæ ordinem ab Ecclesia præscriptum licentius quam decebat insulsa devotione interpolabant, his verbis invehitur: *Plerique Sacerdotes ignorantes Ecclesiasticas Sanctiones, & omnia sibi licere credentes, cum Missam celebrant multa intermiscere non verentur, quandoquidem Litanias ante Confessionem, duo Evangelia, Nunc dimittis, O Sacrum Convivium: Tibi laus, tibi gloria; ac multa alia in post-Communione addentes, quæ sine animi dolore audire non possumus. Quapropter ne de cætero quisquam aliquid, præterquam in Missali est ordinatum, sub pœna suspensionis a divinis, quoties id fecerit per mensem, nullo modo subjungere audeat, perpetuo statuimus.* Consonat Panormitana Synodus anni 1565. celebrata cap. de celebrat. Missarum, ubi eadem, aliaque iis similia leguntur, & prædicti condemnantur abusus; Atque hæc satura lance de Liturgicis Ecclesiarum Libris; de quibus item in Appendice sermo erit.

§. XI.

De palla linea, quæ Corporale dicitur. Olim longior, & latior erat. De Sudariolo, seu Purificatorio, quo tergitur Calix. De velo, quo tegitur. Addita quædam de aliis velis.

POst vasa & instrumenta proxima est supellex, & primo quidem palla linea sive sindon, in qua Corpus Christi consecratur, cui propterea *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis Scriptoribus inditum fuit. Apostolos non in nudo Altari, sed pannis, seu linteis ornato sacrum celebrasse omnino credendum est, ob maximam reverentiam, qua sanctissimum Christi Corpus venerabantur. At vero Silvester in libro Pontificali constituisse dicitur (1), ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo ex terra procreato consecrarctur; (1) sicut Corpus Domini in Sindone linea & munda sepultum fuit. Græci etiam velo lineo quadrato utuntur instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto Evangelio, & expleta synaxi complicatur. *Iliton* vocant, de quo Chrysostomus in Liturgia, & ejus Discipulus Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *Epist.* 123. apposite ad Silvestri constitutionem, *Pura*, inquit, *illa Sindon, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium. Ut enim ille Domini Corpus Sindone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit: eodem modo nos propositionis panem in Sindone sacrificantes, Christi Corpus sine dubitatione reperimus.* Nomen Corporalis sæpe legitur in Ordine Romano, in quo etiam extant tres Orationes ad illud benedi-

cendum, quibus Antiſtes Deum precatur, ut ipſum linteamen cœleſti benedictione ſanctificetur ad conſecrandum ſuper illud Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. In eodem libro palla corporalis nuncupatur: *Ubi*, inquit, *pallæ corporales lotæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem debet lavari*. Glaber Rodulfus Monachus *lib. 5. Hiſt. cap. 1.* applicatione Corporalis fugatos morbos, extincta incendia narrans, vocat illud Chriſmale: quod nomen illi etiam tribuitur a Beda in ſuo Pœnitentiali, neſcio qua de cauſa. Olim multo longius & latius fuit, quam hodie ſit; nam totum Altare eo tegebatur, & ideo palla ac linteamen vocabatur. Colligitur hoc manifeſte ex Ordine Romano, qui duorum Diaconorum operam exigit ad illud expandendum, & complicandum. Sic enim ait. *Tunc venit Subdiaconus ferens in brachio dextro patenam, & in ſiniſtro calicem, & ſuper calicem corporale, quod accipiens Diaconus ponit ſuper Altare a dextris projecto capite altero ad Diaconum ſecundum ut expandatur*. Item clarius. *Diaconus accipiens Corporale ab Acolytho, alio ſe adiuvante Diacono, ſuper Altare diſtendat: quod utique linteum ex puro lino eſſe contextum debet, quia Sindone munda Corpus Domini legitur involutum in ſepulchro: & tantæ quantitatis eſſe debet, ut totam Altaris ſuperficiem capiat*. Et infra poſt communionem. *His ita peractis duo Diaconi complicantes corporale ponant ſuper Calicem*. Ideo autem totum Altare tegebat, ut tot in eo panes commode poſſent collocari, quot neceſſarii erant pro multitudine communicantium, qua ceſſante & ipſum ſtrictius factum eſt. Unicum quoque fuit olim corporale, nec aderat parva illa palla, qua nunc calicem operimus: cum enim palla corporalis latior eſſet, ea etiam utebantur ad tegendum calicem. Liber antiquorum uſuum Ciſtercienſium cap. 53. *Diaconus poſito offertorio ſuper Altare, ponat Calicem ſuper Corporale in ſecundo plicatu anterioris & ſiniſtræ dextræque partis & panem ante calicem, revolvens ſuper eum Corporale*. Vetus item Cæremoniale Congregationis Burſfeldenſis Ordinis S. Benedicti cap. 44. ait, *Diaconus explicet corporale habens tres plicatus in latum, & quatuor in longum, medium latitudinis ponens in medio Altaris*. Et infra. *Plicatu extremæ partis corporalis calicem operiat*. Manet hodie hic ritus apud Carthuſianos (2). Eccleſia autem Romana ad tegendum calicem parvam (2) adhibet pallam, de qua loquitur Innocentius *lib. 2. de myſteriis Miſſæ cap. 56.* dicens: *Duplex eſt palla, quæ dicitur corporale, una quam Diaconus ſuper Altare totam extendit, altera, quam ſuper Calicem plicatam imponit*. Hunc uſum Romanorum ſequutos fuiſſe ævo ſuo Italos omnes, & Alemannos, Gallos vero uno tantum Corporali uſos teſtatur Radulfus Tungrenſis *lib. de Canonum obſervantia prop. ultima*. B. Joannes de Parma Ordinis Minorum ſeptimus Miniſter Generalis, ut ex Annalibus Vvaddingi refert in ejus vita Henſchenius die 19. Martii, fratribus ſuis præcepit, ut pallam diviſam a corporali calici ſuperponerent. At hic uſus jam alicubi vigebat tempore S. Anſelmi Cantuarienſis, ut conſtat ex ejus opuſculo de Sacramentorum diverſitate ad Valerannum Epiſcopum; ipſi enim Anſelmo ſcribens Valerannus ait, *inter conſecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato inſtar ſudarii, quod repertum legimus in monumento non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in uno loco*. Cui reſpondens Anſelmus neutram conſuetudinem reprehendit, tutius tamen & decentius putat ut calix operiatur, ne quid immundum in ipſum cadat. In Miſſa Ambroſiana eſt oratio ſuper Sindonem, quam dicit Sacerdos ante Offertorium, cum Diaconus in Miſſa ſolemni Corporale expandit ſuper Altare (3). (3)

Corporale a nonnullis vocatum Chriſmale.

Idem olim latius, quia totum altare tegebat, nunc vero ſtrictius factum eſt.

Duplex olim Palla, una, qua altare, altera, qua calix tegebatur.

Thecam

De Purificatorio nulla apud antiquos mentio.

Thecam pretiosam sive peram ad reponenda corporalia memorat Conradus Episcopus in Chronico Moguntino. De sudariolo, seu Purificatorio, quo nunc utimur ad tergendum calicem, nulla apud antiquos Scriptores mentionem factam invenio. In Ordine item Romano nihil præscribitur de tergendo calice peracta communione; Ait enim. *Hoc officio juxta altare peracto, & pugillari cum quo confirmetur populus per Subdiaconum regionarium jam accepto, traditur calix ab Archidiacono eidem Subdiacono perferendus Acolytho, ut reponatur in paratorio.* Et alibi ait: *Diacono nimis caute procurandum est, ne quid in calice, aut patena sanguinis, vel corporis Christi remaneat.* Quomodo autem tam calix, quam patena abstergerentur, priusquam reponerentur in paratorio, non dicit. Obscurum similiter est quid per *paratorium* intelligatur, an arca sive armarium, quo universa sacra supellex reconderetur, an capsula soli calici asservando destinata. Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur in cornu Epistolæ cujusque altaris appenso, ubi etiam erat parva piscina, in quam secundam calicis ablutionem projiciebant, ut adhuc apparet in antiquis Ecclesiis præsertim Cisterciensium. Græci spongia utuntur, qua & calicem & discum detergunt, ut docet Goar in notis ad Liturgiam Chrysostomi *num.* 177. Eam vero in sacrificio incruento usurpant, quia sacrificii cruenti a Christo oblati pars fuit & instrumentum. Usus veli, quo calix operitur, antiquissimus est: nam c. 72. Apostolorum sancitur, ne quis velum sanctificatum in usus suos convertat: & in Concilio Bracarensi III. tempore Adeodati Papæ c. 2. illi excommunicatione damnantur, qui Ecclesiastica ornamenta, & vela in usus suos transferre, vel aliis donare, aut vendere præsumpserint. Hormisda quoque Romanus Pontifex *epist.* 73. gratias agit Epiphanio Constantinopolitano ob calices, & vela ab eo sibi directa. Græci tribus velis sacra tegunt: uno discum, altero calicem, tertio, eoque majori utrumque simul. Hunc vero *Aerem* vocant, quia per modum aeris circa terram expansi sacra dona ambit, cujus nomen, & formam ab Ecclesia Hierosolymitana in reliquas Orientales derivasse Typicon Sabæ testatur apud Goar in Liturgiam Chrysostomi *num.* 51. Notandum est autem veli nomine sæpe aulæa, seu peristromata intelligi, quibus Ecclesiæ parietes ornantur: itemque siparium sive cortina, quæ ante portas sanctuarii a Græcis appendi solet (4). Et ad hoc (4)
velum referendas puto orationes veli, seu velaminis, quæ in Liturgia Jacobi Apostoli, & in Basilii Magni Anaphora leguntur, non autem ad velum calicis, ut quidam existimavit. Erat olim apud Latinos aliud velum, sive cortina, quæ inter Chorum, & Presbyterium, ubi chorus in medio Ecclesiæ ante altare, & presbyterium situs est, quadragesimali tempore expandi solebat, de qua agunt Usus antiqui Cistercienses *cap.* 15., & vetus Cæremoniale Benedictinum *cap.* 31. Ejus usum adhuc vigere in quibusdam Ecclesiis Gallicanis a viris doctis, & fide dignis intellexi.

Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur ad latus altaris appenso; Græci autem spongia.

Usus veli, quo calix operitur antiquissimus.

(1) *In libro Pontificali constituisse dicitur*) Hujus Decreti author Silvester perhibetur apud Gratianum dist. 1. de Consecrat. cap. 46. Verum Eusebii simul, & Silvestri nomen apud Ivonem p. 7. c. 40., & unius Silvestri demum apud Anselmum lib. 9. cap. 2. Unius autem Eusebii apud Burchardum lib. 3., cap. 99. Vide Labbeum tom. 1. Conc. col. 1542.

(2) *Manet hodie hic ritus apud Carthusianos*) Item apud Ecclesiam Lugdunensem, Aurelianensem, & Rotomagensem in Gallia, ut refert Du-Moleon in suo itinerario Liturgico gallice scripto p. 57. & 60., item p. 200., & 286. Hinc est quod Jo. Steph. Durantus lib. 1. de Rit. Eccl. Cath. cap. 12. num. 8. forte ex Radulpho Tungrensi, de quo Card. noster hoc loco, asserit Romanos, Italos, & Germanos duobus corporalibus uti, quorum utrumque pure lineum esse debet; Gallos vero uno tantum. Secundi autem corporalis nomine intelligitur profecto parva palla, quæ nunc ad contegendum Calicem adhibetur, quæ est a corporali distincta, sed

ejusdem communiter materiæ cum ipso. Neque enim adhibenda est palla a parte superiori panno serico cooperta, uti ex Decreto sacræ Rituum Congreg. sub die 22. Januarii anno 1701. prohibetur. Vide Meratum infra citandum n. xv.

Duplici Palla utuntur Theatini Patres in Missa.

(3) *Expandit super Altare*) Apud Clericos Regulares Theatinos invecta consuetudo est, ut in Missæ sacrificio præter corporale, quod in Altari explicatur, & pallam, quæ calici imponitur, de quibus mox dictum, alteram sub hostia pallam usurpent, quam non mediocri commodo esse in sacra litatione, asserit Joseph Silos in eorum Annalibus tom. 2. lib. 9. pag. 389. & seqq., ubi plura de hujus pallæ usu a plerisque summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque sacrorum rituum peritissimis viris comprobato fuse differit. De hac item duplici palla apud Clericos Regulares memoratos usitata videndi etiam forent Franciscus Maria Magius in suo Galateo Religioso disquis. 20. Zach. Pasqualigus de Sacrif. novæ legis quæst. 792., ac sæpe laudatus Cajetanus Maria Meratus Comment. in Gavantum parte 2. tit. 1. num. xii. & xiii.. Hunc ritum a Græcis mutuasse videntur Theatini Patres; etenim Græci præter corporale geminam in Missa pallam usurpant, alteram, qua Latinorum more calicem, alteram, qua patenam, seu discum cooperiunt, de quibus infra.

De velis Ecclesiasticis, seu ad januas Ecclesiæ, & Altaris suspensis.

(4) *A Græcis appendi solet*) Theodoritus Hist. Eccl. lib. 4. cap. 9. narrat, quod cum Valens Imperator in Ecclesiam ingressus magnum Basilium docentem audivisset: *Basilius inter sacra vela, ubi ipse residebat, accedere eum jubens, multa ad illum verba fecit de recta fidei doctrina*. Epiphanius tom. 2. p. 317. meminit veli pendentis in foribus Ecclesiæ, quod cum tinctum, & depictum invenisset, laceravit, scripsitque Joanni Hierosolymitano: *Precor, ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore, quod a nobis missum est*: Veli item super januas explicati mentionem facit Germanus in Theoria (Biblioth. Patrum tom. 2. pag. 151.), & Synodus Narbonensis anno Christi 589. celebrata can. 13., ubi Subdiaconis, & Clericis jubetur, ut præter servitium Ecclesiæ consuetum, *etiam senioribus, vela ad ostia sublevent*. Mysterii causa suspendebantur vela in Quadragesima, ut habetur in Gemma Animæ lib. 3. cap. 4. 6. *Quod his diebus velum suspendimus, a lege accepimus, cujus præcepto velum miro opere, & pulchra varietate contextum inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum Tabernaculi suspendebatur, quo Arca a populo velabatur*. Cæremoniæ rationem aperit Rupertus de div. offic. lib. 4. cap. 9., quam hic describere longum est. Triplici quoque velo Græci sacra dona tegebant. Primum dicitur discocalymma, seu disci operculum, secundo calix tegitur, tertium vero, quod utraque operit, aer vocatur. Duo priora vela unum sunt in Missa Chrysostomi, ut observat Morinus de sacris Ordin. p. 193.

Vela item in honorem Martyrum ad eorū Ecclesias appensa.

Ad fores Ecclesiarum in honorem Martyrum erectarum, vela quædam suspendebantur, in quibus depingebantur ipsius Martyris imago, aut nomen, quæ tituli dicebantur, ut ex Gregorio Turon. lib. 4. Mirac. Sancti Martini, & ex S. Paulino Natali 6., (de quo infra Card. noster §. xiii. p. 345.) qui sic canit:

. . . . *qui pulchra tegendis*
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi læves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis

Et carm. 18. *Aurea nunc niveis ornantur limina velis*.

Quæ vela D. Ambrosius *Cortinas Regias* appellat Epist. lib. 5. epist. 33. ad id forte respiciens, quod Reges, & Imperatores antiquitus, vel ad majestatem, & venerationem amplius comparandam, sive, ut oculos arcerent, intra eorum cubicula velis ad januas appensis obtegebantur, uti testatur Lampridius de Heliogabalo, scribens in ejus Vita cap. 14. *qui subito*, inquit, *Militum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit*: Caligula etiam timore cædis perterritus *inter pertexta foribus vela se abdidit*; teste Suetonio cap. 10. Apud Persas quoque regii cœnaculi januæ *obditum* fuisse *velum* memorat Athenæus lib. 4. cap. 10. pag. 145. edit. Græcolat. Casauboni. Vela igitur ad interioris cubiculi, quo aditum ad Principis consistorium patebat, fores prætendebantur. At proxima ante ipsum statio cancellis septa, clausaque erat. Intra hos cancellos admissus adhuc velis a Principis aditu excludebatur, unde Sidonius lib. 1. epist. 2. *turba*, ait, *Satellitum immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis*. Hoc spatium intra cancellos, & vela *interioris admissionis* fortasse vocavit Seneca de Clementia lib. 1. cap. 10., (ut optime notat Philippus a Turre Monument. vet. Antii parte 1. cap. 3.), & alio loco de domo privata loquens, in qua *deinceps*, ait, *multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludant*, lib. 6. de benefic. cap. 23. Hinc Lampridius Severi Alexandri facilitatem laudat, *quod salutaretur, quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, aut solis, qui ministri ad fores erant*.

Iterum de velis Ecclesiarū suspensis.

Eo pariformiter modo, etsi non in omnibus servato, vela ad Ecclesiæ fores obtendebantur ad divini cultus majestatem, & venerationem. Anastasius in Leone III. *fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*. Item in S. Zacharia, & non semel alibi. Ejusmodi velorum etiam mentionem habent S. Hieronymus epist. 3. & 60. cap. 5. S. Gregorius plerisque locis, scilicet lib. 2. epist. 14. lib. 8. epist. 15. lib. 9. epist. 38. &c. Vide reliquos Patres, quos laudat Heribertus Rosvveidus in notis ad Paulini Nolani Carmina. Velum porro triplex in Ecclesia suspenditur, ut observat Durandus Mimatensis in Rationali Div. Offic. lib. 1. cap. 3. num. 35. Primum, quod sacra operit, velum scilicet calicis, alterum, quod sacrarium, seu altare, a Clero dividit; tertium, quod Clerum a populo secernit. De postremo hoc velo ita Sacramentarium Gregorii

gorii apud Menardum pag. 156. *Deinde pergant ad altare, ubi condendæ sunt* (Reliquiæ), *& extenso velo inter eos, & populum* &c. Charta Ordonii Regis sec. 4. apud Antonium de Jepez in Chronico Bened. tom. 3. *Vestimenta Altaris, frontales, pallas, velos principales, qui inter vestibulum, & Altare dependent* &c. Alia Urracæ Ferdinandi Regis filiæ apud eumdem ibidem tom. 4. pag. 450. *offero quoque unum velum ante Altare ponendum aureo & argenteo phrygio mirifice textum, adjicio alterum velum ante Altare ponendum* &c. De hujusmodi velis, seu palliis Altaris, Alcuinus Poem. 3. ita canit:

Plurima Basilicæ sunt ornamenta recentis,
Aurea contortis flavescunt Pallia villis
Quæ sunt Altaris sacri velamina pulchra.

Plura de his palliis, velis, aulæis, tum Ecclesiæ, tum & Altaris, Macri fratres in Hierolexico, Cangius in Glossario, & in notis ad Pauli Silentiarii descriptionem Templi S. Sophiæ num. LXV. Nonnulla etiam Mabillonius in Liturgia Gallicana pag. 66. & 78.

Palla altaris distincta a corporali.

Sed me refero unde digressus sum. Palla Altaris in veteri Vocabulario apud Cangium dicitur *vestis, qua Altare cooperitur, pannus scilicet lineus consecratus, qui super Altare ponitur, super quam extenditur corporale.* Neque aliter Durandus mox citatus num. 49. quamvis interdum Pallam Altaris cum Corporali confundere videatur, pallam promiscue usurpans pro linteo, quo Altare tegitur, (cujus etiam vetus mentio apud Victorem Vitensem, seu Uticensem lib. 1. de Persecutione Wandalica sub Genserico, & Hunnerico Wandalorum Regibus, ubi ait: *De Pallis Altaris proh nefas! camisias sibi & fœmoralia faciebat*) & pro corporali. Distinguuntur tamen unum ab altero in Concilio Meldensi I. apud Burchardum Wormatiensem in Collect. Decret. lib. 4. cap. 13., & in Remensi apud eumdem lib. 3. cap. 97., ubi in illo, sicut & in isto non plane diversum, his verbis legitur: *Similiter ad Corporale lavandum, & ad Pallas Altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.* Aliud itaque est *Palla Altaris*, de qua mox dicemus, aliud *Opertorium Dominici Corporis*, quod ita vocat, Corporale, Concilium Arvernense can. 7., & *Corporalis Palla* dicitur in Ordine Romano, item in Gregoriano Sacramentario de Ordine Subdiaconi, ubi hæc a cæteris pallis Altaris distinguitur: *Pallæ vero, quæ sunt in substratorio* (idest mappa Altaris, cui Corporale insternitur) *in alio vase debent lavari, in alio corporales Pallæ.* Hujusmodi Palla etiam est *Palla Dominica, ad quam*, ut in Concilio Antissiodorensi habetur can. 37. *non licet mulieri manum suam mittere.*

De Palla altaris, in qua manus pueri Deo oblati olim involvebatur quænam fuerit.

Palla item Altaris illa intelligitur, in qua manus pueri involvebatur quando a parentibus Deo in servitium alicujus Ecclesiæ offerebatur, uti habetur in Regula Sancti Patris Benedicti cap. 59. de filiis nobilium, vel pauperum, qui offeruntur, his verbis: *Si quis forte de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer in minoritate est, parentes ejus faciant petitionem quam supra diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant.* Eadem cæremonia indicatur in can. *Præsens* 20. quæst. 3., ubi pater de nullitate professionis filii sui in Religione, inter alia adducebat, quod *neque ego pater ejus palla altaris involutum illum obtuli*: eodem modo fiebant etiam oblationes Ecclesiæ de bonis stabilibus; sic enim legitur in Donatione Tertulli favore Monasterii Cassinensis apud Leonem Ostiensem Chron. Cassin. cap. 1. *Atque per pallam altaris S. Joannis Baptistæ, eidemque Patri obtuli* &c. Dissident eruditi Regulæ Benedictinæ Interpretes in disquirenda quænam sit altaris palla, qua manus oblati pueri, seu dona offerentis Deo, & ejus Ecclesiæ involvebatur; illam esse arbitrantur, *qua altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet*, Lanfrancus in Statutis Monach. Ord. S. Bened. in Anglia apud Reynerum in Apost. Bened., & Dacherium cap. 17. cumque ipso Boherius ad Reg. S. Bened. cap. 59. At Paulus Diaconus in Vita S. Bened. *non in palla altaris sacrata, sed in illa tobalea, in qua portatur Calix quando debet ad sacrificium offerri, quæ dicitur esse altaris eo quod altari servitur in ea.* Addit Lanfrancus *puerum facta sibi corona manibus portare hostiam, & calicem cum vino post Evangelium Sacerdoti, qui Missam celebrat*, tum vero a parentibus offerri, eaque oblatione a Sacerdote suscepta, parentes manus pueri involvere in palla, qua Altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, deinde ab Abbate suscipi. Rem explicatius scribit Udalricus lib. 3. Consuetudinum Cluniac. cap. 8. Postquam enim petitionem parentis, vel ejus Vicarii descripsit, hæc subdit: *Accipit ipse puer cum Offertorio patenam, & calicem, hostia imposita, & vino infuso, & ita Vicarius ille involvit manum pueri cum palla altaris, ut tam ipsum puerum, quam ejus sacrificium offerat a Sacerdote recipiendum. Postea induitur cuculla, & de cætero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non amplius velit, usque ad quindecim annos ætatis.* Hæc de Altaris pallis pro qualicumque notitia suffectura crediderim.



§. XII.

§. XII.

Olim Acolythos sindonem & sacculos ad Missam portasse, & cur. De alia sindone pro recipiendis oblationibus: De velo offertorii.

An oblationes ab Acolythis delatæ fuerint consecratæ, vel eulogiæ tantū benedictæ.

IN Ordine Romano præcipitur Acolythis ut sindonem in collo ligatam habeant: & ne absque sindone & sacculis procedant. Et sindone quidem utebantur, ne nudis manibus sacra vasa contingerent: in sacculis vero oblationes reponebant. Describens enim Ordo Romanus ritum Missæ post datam pacem ante communionem ait: *& accedentes Subdiaconi sequentes cum Acolythis, qui sacculos ad hæc idoneos portant a dextris, & a sinistris altaris: ipsi ergo Subdiaconi extendentibus Acolythis brachia cum sacculis sequentes a fronte, parant sinus sacculorum Archidiacono ad ponendum oblationes prius a dextris, deinde a sinistris.* An vero istæ oblationes essent consecratæ, libenter a Peritioribus discerem. Et sane primo intuitu suspicatus sum, ne forte essent Eulogiæ post Missam distribuendæ, vel pauperibus mittendæ: sed verba quæ immediate sequuntur non conveniunt eulogiis, & satis aperte indicant, quod fuerint consecratæ: *Tum vadunt*, inquit, *Acolythi dextra lævaque post Episcopos sive Presbyteros circum Altare, ut ipsi Sacerdotes incipiant hostias confringere, patena præcedente, quam duo Subdiaconi regionarii deferunt ad Diaconos causa confractionis, ut ipsi quoque frangant, quando Pontifex annuerit eis;* Et paullo post: *Expleta confractione Diaconus minor levata de Subdiacono patena defert eam ad Pontificem, ut communicet Corpore Dominico.* Tum describit communionem cæterorum tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum. Accedit quod istæ oblationes ab altari sumebantur mittendæ in sacculos; in altari vero illæ dumtaxat oblationes remanebant post offertorium, quæ consecrari debebant (1). Cujus vero formæ, vel ex qua materia essent (1)
isti sacculi, silet Ordo Romanus, morem enim describit tunc usitatum, & omnibus notum; nec alibi occurrit mihi apud priscos scriptores vel minimum horum sacculorum vestigium (2). Viderint, & judicent qui in (2)
evolvendis antiquorum monumentis magis versati sunt. Mihi libuit inter sacram Missæ supellectilem hos quoque sacculos ex Ordine Romano recensere. Erat & sindon ad populi oblationes recipiendas: *Oblationes*, ait, idem Romanus Ordo, *a Pontifice suscipit Subdiaconus, & ponit in sindone.* Et alio loco clarius: *Oblationes a Pontifice suscipit Subdiaconus regionarius, & porrigit Subdiacono sequenti, & Subdiaconus sequens ponit in sindone, quam tenent duo Acolythi. Reliquas oblationes post Pontificem suscipit Episcopus hebdomadarius, & ipse manu sua mittit eas in sindonem, quæ eum sequitur.* Adhuc viget aliquo modo hic ritus in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi, nam in Missa solemni celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum descendit ad ingressum presbyterii, ubi extensa sindone ante gremium, quæ per Subdiaconum, & Diaconum hinc inde tenetur, recipit oblationes panis, & vini a duobus senibus peculiari habitu vestitis: tum descendens ad ingressum chori inferioris easdem oblationes accipit a duabus mulieribus provectæ ætatis speciali item veste indutis. Erat & velum oblongum, quod ab Ordine Romano Offertorium nuncupatur, cujus etiam hodie & vocabulum, & usus permanet. *Levat*, inquit, *calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, & ponit eum super Altare juxta oblationes Pontificis a dextris involutis ansis cum offertorio suo.* Item. *Cum dixerit Pontifex*: Per ipsum, cum ipso, *levat Archidiaconus cum offertorio calicem per ansas.* Usus Ordinis

Ci-

Cisterciensis cap. 53. *Diaconus opertis manibus de offertorio tenens sinistra manu pedem calicis, dextra autem patenam offerat Sacerdoti.* Nunc communiter velum offertorii dicitur, & pendet e collo Diaconi cum offert calicem Sacerdoti: eoque utitur Subdiaconus cum tenet patenam, quam porrigit Diacono circa finem Dominicæ Orationis. Hoc ipsum velum Fanonem vocat Ordo Romanus his verbis: *Postquam viderint calicem, in quo Sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint* sed libera nos a malo, *vadunt & præparant calices.* (Cum eodem fanone offerebat populus oblationes: *Populus*, ait idem Ordo Romanus, *dat oblationes suas*, idest *panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primo masculi, deinde fœminæ*).

An oblationes ab Acolythis delatæ in facculis fuerint consecratæ.

(1) *Post offertorium, quæ consecrari debebant*) Et sane cum inter Acolythorum munia, & istud sit *oblationes consecratas de manu Episcopi ad Ecclesias deferre, quod declaratur fermentum*, uti supra cap. 23. ex Decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum dictum est, & ex Sancti Tharsicii Martyris, qui Acolythus erat, facto, de quo infra §. 18., cumque oblationes, quæ mittebantur ad Ecclesias, ex iisdem fuerint, quæ ab Altari sumebantur mittendæ in sacculos, & præsentibus distribuendæ, si illæ consecratæ erant, & istas etiam consecratas fuisse pro certo censendum est. Scio in dubium revocari a Patre Macedone in sua Disquisitione Theologica de ritu Azymi, & Fermentati cap. 11. an permissum esset antiquitus Acolythis sacram Eucharistiam deferre; at illum egregie confutat, & quamplurium Sanctorum Patrum authoritatibus id iisdem licuisse ostendit vir clar. Joannes Ciampinus in suis Disquisitionibus de Azymo, & Fermentato cap. 12. pag. 233., qui & ibi pag. 174. Eminentissimi nostri sententiæ hoc loco descriptæ subscribit, quam jam paullo ante doctissimus Jacobus Sirmondus ediderat in sua Disquisitione de Azymo; Joannes item Mabillonius in Ordinem Rom. pag. xxxix. pariter hasce oblatas fuisse consecraras „ etenim, inquit, „ Acolythorum id officium erat, nt sacculos „ ad infringendas in Missa oblatas consecratas portarent, easque Sacerdotibus confracturis exhiberent, uti patet ex libellis Ordinis Romani. Quapropter in sua ordinatione sacculos ab Episcopo antiquitus accipiebant in signum hujus muneris, & officii. Id probat libellus VIII. de Ordinationibus sacris. Unde Acolythi duo in Missa Pontificali, cum Pontifex procedebat ad Altare, deferebant capsas cum Sanctis, idest Eucharistia, easque tenebant apertas, dum Pontifex sancta adorasset, atque ex eis particulam sumi jussisset in usum sacrificii; quod mox ab ipso celebrandum erat. Huc forte spectar id, quod in Propylæo ad tom. 1. Aprilis Bollandiani legitur de Zephyrino Papa, cujus fuit constitutum, ut patenas vitreas ante Sacerdotes Ministri portarent, dum Episcopus Missam celebraret. Hæc Mabillonius, ex quo etiam, & præcipue ex Ordine Romano discimus, quod fuerit antiquum Acolythorum officium, qui propterea oblationibus in sacculos acceptis in duas partes divisi, partim ad Episcopos, qui ad dexteram Pontificis erant, partim ad Presbyteros, qui ad sinistram, accedebant, præcedentibus hincinde duobus Subdiaconis Regionariis, qui suam uterque patenam portabat, ut ad nutum Pontificis oblauionum confractio super illas patenas fieret, tum per Episcopos, tum per Presbyteros, atque Diaconos. Patenæ idcirco amplissimæ erant, quarum unam a Sergio I. Papa datam *viginti libras* pendisse testatur Anastasius, a quo quandoque *communicales* absolute vocantur, de quibus etiam meminit Augustinus ep. 149. ad Paulinum num. 16., sed de Acolythis, eorumque officio fusius infra in notis ad §. xviii.

Varia de vasis in quibus Eucharistia deferebatur, Eruditorum sententiæ.

(2) *Horum sacculorum vestigium*) Cum apud priscos Scriptores prioribus Ecclesiæ seculis, & ante Ordinem Romanum nulla sit sacculorum mentio, non leve suboritur dubium, an Acolythi in ipsis, aut in aliis vasis ad Ecclesias Sacramenta deferrent; Joannes Ciampinus supralaudatus in suis Disquisitionibus de Azymo, & Fermentato cap. 7. pag. 177. verisimile esse putat sacram Eucharistiam, quæ fermentum dicebatur, utpote parvæ molis, decentius in aliquo vase, quam in sacculo ad titulos delatam fuisse; an deinde hujusmodi vasa ex vitro, vel alia materia constarent, certum est ex Casalio de sacris veterum Christianorum Ritibus cap. 11. primis Ecclesiæ seculis sacra vasa ex qualibet materia constitisse, uti & supra dictum est §. 1., 2., & 3., usitatiora tamen fuisse vitrea, tamquam nitidiora, & puriora, quod & arguitur ex noto Zephyrini Papæ Decreto de vasis vitreis, aliisque ibi a Ciampino allatis veterum monumentis; E contra vero Nicolaus Antonellus in sua Dissertatione de Titulis, quos Evaristus distribuit pag. 98. putat vase vimineo consecratam oblationem, & antiquitus ab Acolythis deportatam fuisse, idque probat exemplo S. Exuperii Tolosæ Episcopi, de quo supra §. 2., & ex indiculo directo a Joanne Episcopo, vel ab Epiphanio Presbytero, de quo dictus Ciampinus loco cit. p. 179.

At neutram harum opinionum communem veteris Ecclesiæ praxim non satis indigitare crediderim; cum enim sacris Ministris liberum esset in quocumque vase opportuno, dummodo decens, ac mundum fuerit, Sacramenta deferre, non est, cur vitreum, aut vimineum ex uno, alterove exemplo frequentius usurpatum fuisse dicamus; vitrea siquidem

vasa

Eorum nonnullæ reprobantur.

vasa, utpote nimis fragilia, non ita passim legimus extra Altare adhibita, ac in itinere cum Eucharistia delata, uti nec viminea, nisi solito glutine illita, aut alia securiora in promptu non fuerint, ne aliquid Sacramenti fragmentum ex hujusmodi vasorum hiatibus dilabi contigerit. Notum est quanta devotione, ac reverentia prisci fideles sacram Eucharistiam custodierint, *Calicis, aut panis etiam nostri*, inquit Tertullianus lib. de Corona Mil. cap. 3. *aliquid decuti in terram anxie patimur*: Credemusne in dictis defectibilibus vasis Sacramenta ad Ecclesias, vel absentes infirmos ab Acolythis deportata fuisse?

Et nostra declaratur sententia, quod in sindone munda delata fuerit Eucharistia.

At dices: in quibus ergo receptaculis ea deferebant? Ut meam qualemcumqe opinionem proferam, in sindone munda, aut linteo decenti, Sacram Eucharistiam delatam præ ceteris probabilius esse censerem; Ad id asserendum moveor, primum ex antiqua traditione, qua, ut dictum est supra §. præcedenti, omnino credendum, inquit Pagius Brev. Gest. Pontif. in Silvestro num. IX. Apostolos ob maximam reverentiam, qua sanctissimum Christi corpus non in nudo altari, sed lineis, mundisque pannis cooperto, & ornato uti & nunc observatur, sacrum celebrasse; hinc sicut idem Christi Domini Corpus e Cruce depositum in sindone linea, & munda involutum ad sepulchrum delatum fuit, ita pariter fideles consimili panno ex tela alba, & munda sacram Eucharistiam detulisse credendum erit. Quemadmodum enim, ut in Silvestri decreto alias memorato, quod Anastasius refert in eodem Pontifice his verbis: *Hic constituit, ut sacrificium altaris non in serico, nec in panno tincto celebraretur, nisi tantum in linteo ex terreno lino procreato, sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum est*; Ita profecto sic consecratam Eucharistiam in consimili panno lineo delatam ab Acolythis ad absentes fuisse procul dubio censendum existimamus. Præterea, si, ut dicetur lib. 2. cap. 17. §. 3. Mulieres teste Augustino serm. 252. de Tempore, nitidum exhibebant linteolum, ubi Corpus Christi accipiebant, & §. 4. secum etiam domi asservandam deferebant, quid ni id Acolythis Ecclesiæ Ministris permissum, quod laicis, & fœminis olim sæviente persecutione ex Ecclesiæ indulto concessum? Atque inde ex sindone obvoluta, quæ plures consecratas oblationes caperet, sacculorum vocabulum ab Acolythis gestorum, de quo in Ordine Romano, derivatum esse crediderim. Nec mirum, quod hujusmodi vocis apud priscos Scriptores monumentum non reperiatur, nam cum pauci antiquitus essent fideles, paucæ oblationes in sindone delatæ sufficiebant; crescente verò multitudine, ut eæ omnes absque periculo deferrentur, sacculorum necessitas fuit; sed de Acolythis iterum infra.

§. XIII.

Describuntur Altaris, & Ecclesiæ ornamenta.

SPectant etiam ad sacram supellectilem pro Missæ celebratione necessariam tegumenta altaris, lintea scilicet, quæ velamina, pallæ, operimenta, mappæ, & mantilia dicuntur (1): spectant & amicula anteriora, (1) quæ Pallia, & Frontalia a recentioribus, ab antiquis vestes nuncupantur. Denique ad idem pertinent vasa aurea, & argentea, Flores, thecæ prætiosæ cum reliquiis Sanctorum, & alia ejusdem generis, quæ licet necessaria non sint, solent tamen ad ornatum altaris adhiberi. Extat in Ordine Romano, & in antiquo Ordine Dedicationis Ecclesiæ apud Menardum benedictio linteaminum. Ivo Carnotensis 2. *P. decreti cap.* 132. ex Concilio quodam Rhemensi ait: *observandum est ut mensa Christi, idest altare, ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur: & mundissimis linteis, & palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor Evangelia*. Optatus Milevitanus *lib.* 6. tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Ait enim, *quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna*, altaria scilicet, quæ in Africa lignea erant, *linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*. Victor Episcopus *lib.* 1. *de persecut. Africana* Proculum quendam ab impio Genserico in Provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans de pallis altaris camisias sibi, & fœmoralia fecit. Theodoretus *lib.* 1. *Hist. Eccl. cap.* 29. loquens de Encæniis, sive

con-

consecratione templorum. quæ a Constantino Magno Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. Justinianus epist. ad Hormisdam Romanum Pontificem se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum. Adrianum fecisse vestes duas super altare testatur Anastasius, majorem unam ex auro purissimo atque gemmis, in qua expressa Dei Genitricis in cœlum Assumptio: aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Leo III. apud eundem fecit vestem super altare tyriam habentem gryphas majores, & duas notas chrysoclavas cum Cruce: aliasque pretiosissimas pro diversis Ecclesiis. Idem fecit ante Confessionem Principis Apostolorum Angelos ex argento purissimo dextra lævaque pensantes libras CXLVI. necnon & alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos stantes in trabe majori (super ingressu vestibuli), & pensantes simul libras LXIII., & alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos pensantes simul libras LXVIII. Paschalis fecit in altari S. Petri vestem miræ magnitudinis pulchram, & decoratam nimis ex auro, gemmisque contextam, præfigurantem historiam qualiter idem Apostolus a vinculis per Angelum ereptus est. Sergius II. fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare. Narrat Procopius *lib.* 2. *de Bello Vvandalico cap.* 9., quod vasa templi Salomonis, quæ ab Urbe Roma Giezericus Rex transtulerat in Africam, & Belisarius ex Africa victo Gilimere Constantinopolim detulerat, Justinianus Imperator Hierosolymam misit, Christianorumque Ecclesiis dono dedit, ut iis nimirum ad ornatum uterentur (2). Sunt & peristromata, quæ parietibus [2]
appendi solent, & ab antiquis vela nuncupantur, de quibus sæpe Anastasius in Vitis Pontificum. Ait enim Gregorium III. vela serica alba fecisse ornata blatto circumquaque in Basilica pendentia. Zacharias item ex palliis sericis fecit vela pendentia inter columnas. Adrianus per universos arcus Basilicæ Principis Apostolorum fecit vela numero LXV. de palliis tyriis atque fundatis. Idem in Basilica S. Mariæ ad Præsepe fecit vela num. XLII., & in Lateranensi per diversos arcus LVII. Leo III. plura in diversis Ecclesiis, & in Basilica S. Pauli pendentia in arcubus XLIII. Paschalis fecit in Ecclesia S. Petri vela de chrysoclavo per arcus presbyterii habentia historiam de mirabilibus Apostolorum num. XLVI. Sergius II. obtulit cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas, & alia vela holoserica, & ex auro texta. Nicolaus fecit vela auro texta cum gemmis. De velis ante portas sic canit Paulinus *Nat.* 6. *S. Felicis*.

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.

& supra *Natali* 3.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Crebra velorum ante portas majores templorum, quas regias vocabant, mentio fit apud eundem Anastasium, ut in Leone III. de Basilica S. Petri, *fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu:* De S. Maria ad Præsepe: *fecit velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu.* Græci autem ex veteri instituto portis sacrarii vela appendunt, quæ in eorum Typicis, & Euchologiis passim commemorantur. De Floribus positis in altari testimonium habemus S. Augustini *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8., ubi enarrans miracula Protomartyris Stephani, virum primarium nomine Martialem multum a Christiana

Flores ad Altarium ornatus delati. religione abhorrentem, conversum ad Christum oratione pro ipso a genero ejus fusa in B. Stephani oratorio, & admotis floribus ex ejus altari desumptis: *Visum*, inquit, *est genero ejus, ut iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum posset oraret: deinde abscedens, aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eique cum jam nox esset, ad caput posuit, & se credere dixit*. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: *Erat solicitus si niteret altare, si parietes absque suligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia solicitudo disposita. Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit*. Sanctus Severus, ut de eo refert Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confess. cap. 50. *Solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere, ac per parietes bujus ædis appendere*. Loquitur autem de Ecclesia, in qua sepultus fuit. Paulinus *Natali* 3. *S. Felicis.*

Ferte Deo pueri laudem, pia solvite vota;
Spargite flore solum, prætexite limina sertis:
Purpureum ver spiret biems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei (3).

Sunt & alia hujusmodi multa apud veteres Patres, ex quibus deducitur quanta fuerit illorum cura in adornandis templis, & altaribus, non alia sane de causa, nisi quia in ipsis peragitur sacrificium corporis, & sanguinis Jesu Christi, Sanctorumque corpora in eisdem condita sunt (4).

(1) *Mappæ, & mantilia dicuntur*) Et quidem apud veteres Scriptores lintea fere omnia sic appellabantur, posteriori autem ævo mappæ, & mantilia diversa significatione distincta sunt. *Mapparum, seu Mantiliorum significatio.* Isidorus Originum lib. XIX. cap. 26. *Mantelia*, inquit, *nunc pro operiendis mensis sunt, quæ olim, ut nomen indicat, tergendis manibus fuere*. Et sane mappam dictam, quod a manibus pendeat, & manibus tergendis inserviret, aut sudorem vultus exsiccaret; mantile vero, quod mensæ insterneretur, pluribus ostendit Vossius tum in Etymol. vocibus *Mantile*, & *Mappa*, tum lib. 1. de Vitiis sermonis cap. 30.

(2) *Ut iis nimirum ad ornatum uterentur*) Præstat hic exscribere, quæ clariss. Joannes Ciampinus Dissert. de Azymo, & Ferment. cap. 12. pag. 240. refert his verbis: ut & in Ecclesiastica Historia minus versatis, omniumque fidelium admirationi consulam, eosque doceam Alarici Gothorum Regis exemplo in Romanæ Urbis expugnatione, quo cultu, qua reverentia erga Ecclesias, & sacra vasa se continere, & gerere opus sit, liceat referre hoc loci, quod Paulus Orosius lib. 7. cap. 39. de eodem Rege fatur,, Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit (an. 410.), dato tamen præcepto prius, ut si qui in sancta loca, præcipue in Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse finerent. Et paullo post: discurrentibus itaque per Urbem Barbaris, forte unus Gothorum, idemque potens, & Christianus sacram Deo Virginem jam ætate provectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit; cumque ab ea aurum, argentumque honeste exposceret, illa fideli constantia esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit. Dumque expositis opibus attonitum barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, Virgo Christi ad Barbarum ait: *Quæ & quanta fuerint sacra vasa Basilicæ S. Petri sec. 5.* Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes: de facto tu videris. Ego quia defendere nequeo, contendere non audeo: Barbarus vero ad reverentiam Religionis timore Dei, & fide Virginis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit, qui continuo reportari ad Apostoli Basilicam universa, ut erant, vasa imperavit: Virginem etiam, simulque omnes, qui se adjungerent Christianos, eadem cum defensione deduci. Ea domus a sanctis Sedibus longo, (ut ferunt) at medio interjectu Urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, & super capita elata palam aurea, atque argentea vasa portantur, exertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur, Hymnis Deo Romanis, Barbarisque concinentibus publice canitur. Personat late in excidio Urbis salutis tuba, omnesque etiam in abditis latentes invitat, ac pulsat. Concurrunt undique ad vasa Petri, vasa Christi, plurimi etiam Pagani Christianis professione, si non fide, admiscentur: Et per hoc tamen ad templum, quo magis confunduntur, evadunt. Quanto copiosius aggregantur Romani confugientes, tanto avidius circumfunduntur Barbari defensores. O sacra, & ineffabilis divini judicii discretio! o sanctum istud, & salutare flumen, quod parva exortum domo, dum beato alveo in Sanctorum sedes tendit, oberrantes, periclitantesque animas in salutis sinum pia rapacitate per-

„ vexit

„ vexit &c. „ Hæc Orosius ; ex cujus hujusmodi narratione conspicitur quot, & qualia fuerint sacra vasa ministerialia Basilicæ S. Petri, quæ præ magnitudine, pondere, pulchritudine, & diversitate attonitos Gothos reddiderunt; & ab iisdem Numine sic disponente, cum honore eidem Templi restituta sunt. Hæc etiam a Baronio singulariter descripta vide ad an. 324. n. 64.

Alia ejusdem Basilicæ, aliarumque Ecclesiarum ornamenta nonnulla recensentur, & primo coronæ super Altare appensæ.

(3) *Sancto cedat natura diei*) Coronas itidem super Altare appensas fuisse passim legimus, quæ a Principibus viris, & optimatibus supra sacram mensam in Basilicis suspendendæ olim offerebantur, ut de more suo egregie admonet Cangius in notis ad Paulum Silentiarium pag. 555.. Et quidem Anastasius Biblioth. in diversis Rom. Pontificum Vitis, & signanter in Sancto Silvestro: *Constantinus obtulit coronas quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, pensantes singulas libras quindecim*, & infra: *obtulit coronam auream ante corpus Beati Petri*. In Hilaro *Corona aurea ante confessionem Sancti Joannis* ab eodem facta memoratur. In Sergio I. *Coronas, quæ ante sacrum Altare, & Confessionem Beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant*, restaurasse, ac *coopertoria, & vasa aurea, & argentea per diversas Ecclesias ad usum, & ornatum Ecclesiarum Christi*, hunc Pontificem fecisse legitur. Quare facile conjici potest ab hujus Imperatoris donariis, morem hunc in Ecclesiis coronas suspendendi defluxisse. Item in Leone III. legitur: *fecit coronas habentes, una clamaterios*, (potius remasterios, nempe ornatus) *subterpendentes septem & triginta*: *Idem fecit coronas ex auro purissimo inclytis Christi, & Sanctorum vultibus refulgentes &c.* Idem in Leone IV. Papa: *nam & super ciborium obtulit coronas quatuor, & calices* XIV. *ex auro mundissimo*, alibi etiam id centies occurrit. Item Paulinus Nolanus Epist. ad Severum Altaris apparatum describens, coronas pariter in eo statuit.

Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est, in columbarum choro.

Hariulphus lib. 3. cap. 3. Chronici Centulensis apud Acherium Spicileg. tom. 4. p. 480. *super illa tria Altaria habentur tria ciboria ex argento, & auro parata, in quibus tres dependent coronæ singulæ per singula, ex auro, gemmisque paratæ cum aureis cruciculis, aliisque diversis ornamentis.*

Inter has porro coronas, quæ sacræ mensæ imminebant, præ cæteris, & operis elegantia, & lapillorum pretio conspicua fuit illa, quam a Constantino Magno dedicatam fuisse, scribunt Constantinus Porphyrogeneta libro de administrando imperio ad Romanum filium cap. 13. Nicetas in Andronico Comneno lib. 2. num. 11. De hujusmodi coronis videndi præclarissimi Viri Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 3. cap. 48. & in Glossario v. *Corona*, *Pharus*. Item Justus Fontaninus Differt. de Corona Ferrea cap. 9. num. 2. & 3., ubi plura ad hanc rem ambo eruditissime referunt. Porro hujusmodi Coronarum forma adhuc appicta visitur in Ecclesia Sancti Clementis de Urbe in quadam antiqua imagine ad lævam ingredientium, eamque ex eadem, & ex Martyrologio quodam membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ exhibent Macri fratres in Hierolexico p. 188. His superius dictis, aliisque etiam plurimis, quæ subdi possent, de tam variis, ac pretiosis Ecclesiarum ornamentis, non satis mirari subit majorum nostrorum religionem, & magnificentiam erga sacrarum ædium ornatum, & cultum, & inde amplius detestari ea omnia, quæ impie, & sacrilege adversus hanc piam Latinorum traditionem de religioso cultu scripsit Joannes Dallæus anno 1663. & 1671., cui stantibus præmissis illud repono ex Beatissimi Pontificis Cælestini I. epistola apud S. Vincentium Lirinensem in Commonitorio adv. hæreses cap. 43. ipsius, aliorumque sibi similium animis ad resipiscentiam imprimendum: *Desinat incessere novitas vetustatem*.

(4) *In eisdem condita sunt*) Videant inde Catholici, & lætentur, cum Ecclesiarum nostrarum, & Altarium ornamenta eadem, quæ nunc habemus, ab antiquis ita expressa conspiciantur ex hucusque relatis eorum testimoniis, ita ut nemo melius ad præsens exprimeret: legant Hæretici, & confundantur, quorum Templa, quæ Gentilium more, ædes vocant, in quibus conveniunt, nuda absque ullo ornamento, quo domus sacra a profana distinguatur, omnique prorsus exteriori cultura destituta sunt. Quare *si Deus in domibus ejus cognoscetur*, ut ait Psalmista Psal. 47., ubi nam melius, an in Hæreticorum Fanis, ubi nullum indicium rei sacræ, aut apparatus inspicitur, vel potius in Catholicorum Ecclesiis, ubi tot Altarium ornamenta, tot Ministrorum vestes, tot sacri apparatus, qui Populum ad devotionem incitant, visuntur? Nec dicant Heterodoxi Calviniani, & Anabaptistæ, qui in communibus, & profanis vestibus, sine vasis pretiosis, sine thuris flagrantia, sine cereorum lumine suis utcumque sacris operantur, falsos Deos a suis superstitiosis cultoribus apparatum non absimilem postulasse; hoc enim, uti sapientissime Sanctus Augustinus in Psalmo 94. *mos est*, inquit, *deberi vero Deo, quod sibi exigit falsus Deus*. Quod ergo falsi Dii ista postulaverint, non tam istorum usum deprimit, quam commendat, & tantum abest, ut Catholici arguendi sint, quia his utuntur rem sacram facientes, ut potius laudandi sint, quod hæc ab injusto usurpatore vendicantes ad unius veri Dei cultum transtulerint.

Atque ut alia insuper proferamus de hujusmodi nostris novo-antiquis Ecclesiarum ornamentis; Sanctus Paulinus, de quo mox Eminentissimus Natali 6. S. Felicis, prosequitur:

Hi leves titulos lento poliant argento.
Sanctaque præfixis obducunt limina lamnis.

En Altaria argenteis laminis incrustata. Inter alia porro pretiosa Ecclesiarum insignia aderant & lucernæ argenteæ, uti ex Natali XI. *Altaria argenteis laminis cooperta.*

. . . . *minus esset*.
Criminis, & pretii suspensam altaris ab ora

Longius, argentoque levem emendare lucernam.

Lampades item & candelabra argentea. Multis praeterea verbis lampades describit Natali 3. & 9., ut supra diximus §. 7. Item Natali 7. & 11., ubi iterum illustris est candelabrorum mentio:

> . . . . *vel circumfusa per omnes*
> *Ordine dimenso quasi candelabra columnas*
> *Depictas extare gerunt, quae cuspide ceras*
> *Lumina, & inclusis reddantur odore papyris.*

Scyphi etiam argentei, ac cruces auro, gemmisque ornatae. Item eodem Natali 11. scyphi argentei mentio est.

> *Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum.*

De quo etiam ut supra Eminentissimus §. 2. ex Prudentio sermonem facit. Crux ipsa, quam adeo venuste Paulinus exprimit, non auro tantum gravis erat, sed & gemmis concinne exornatam gerens coronam sui pretium augebat, ut ibi eodem Natali 11. ait:

> *Quae simul & variis scite distincta lapillis*
> *Parva Corona subest variis circumdata gemmis.*

Paulino circa Ecclesiarum ornamenta suo aevo adhibita, & nostris simillima adstipulantur Sanctus Augustinus contra Cresconium lib. 3. cap. 29. Anastasius, seu antiquior Libri Pontificalis Auctor in Silvestro. Sanctus Athanasius in Epistola ad Orthodoxos, Sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap. 28. De his porro Ecclesiarum, & Altarium ornatibus videndus prae ceteris Joannes Tomeus Episcopus Bosnensis in Orat. pro Ecclesiarum ornamentis, & Donariis edit. Rom. 1635., ubi distincte, & singulariter de illis agit.

Coronae super Altare pendentes Regna appellatae. Sed praetereunda non sunt quaedam ad eadem Templorum, & Altarium decoramenta spectantia. Et quidem coronas altari imminentes, de quibus supra, *Regna* etiam non semel vocatas fuisse, plerisque in locis testatur Anastasius. In Gregorio IV. narratur hunc Pontificem plura bona contulisse Basilicae, seu Titulo S. Marci, (uti & ex ipso Card. Baronius ad an. 829. num. 4.) inter quae *Regnum aureum unum, quod usque hodie super Altare dependet, cum gemmis valde optimis* &c. In Leone IV. *fecit in Ecclesia Sancti Clementis Martyris, atque Pontificis Regnum, quod pendet super Altare majus ex auro purissimo.* Item *fecit in Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum Regnum ex auro purissimo unum pendens super altare majus cum catenulis similiter aureis*, &c. Idem etiam Author Libri Pontificalis scribit Sergium II. obtulisse in Ecclesia SS. Silvestri, & Martini: *Regnum aureum valde pretiosissimum cum gemmis prasinis, hiacynthinis, & albis, quod nunc usque super altare cernitur pendens.* Eaedem hujusmodi coronae, seu *Regna*, *Epanoclistae* etiam dictae fuerunt, nempe superius clausae ex Graeco ἐπανόκλειστοι. Laudatus Bibliothecarius in Leone III. scribit hunc Pontificem fecisse: *Regnum Spanoclistum ex auro purissimo cum Cruce in medio pendens super ipsum altare.* Vide Cangium in Glossario, & Macros Fratres in Hierolexico. Ex his colligo simplices ejusmodi coronas superne fuisse vacuas, Regna vero interdum clausa, & ideo Epanoclista dicta. His adde, quae eruditissime digessit V. C. Philippus Bonarota in praeclaro Opere Observationum ad sacra vitra pag. 134. Praeterea inter Altarium ornamenta olim etiam recensebantur Capsae, & Reliquiae Sanctorum super ipsum Altare expositae, uti & nunc fit, in loco paullulum a mensa submoto. *Reliquiis Sanctorum Altaria ornata.* Id eruitur ex Leonis Papae IV. Homilia quadam ad Presbyteros, & Diaconos de Cura Pastorali, vel ipso teste Guillelmo Cave pia plane, & eleganti, ac Sacerdotibus utilissima, apud Labbeum Concil. Tom. VIII. pag. 33. his verbis: *super altare nihil ponatur nisi capsae, & reliquiae, aut forte quatuor Evangelia* &c. quod & pariter repetit Ratherius Veronensis Episcopus in Synodica Oratione ad Presbyteros suos. Denique floribus, sive veris, sive fictis Altaria ornata, de quibus hoc loco Card. noster, praeter veteres Patres ab ipso allatos, testatur etiam Venantius Fortunatus lib. 8. carmine 9. ad Radegundem, quod carmen *de floribus super altare* inscribitur. *Item floribus, sive veris, sive fictis.* Tum praemisso veris redeuntis elogio subdit:

> *Inde viri postes & pulpita floribus ornant,*
> *Hinc mulier roseo complet odore sinum.*
> *At vos non vobis, sed Christo fertis odores:*
> *Has quoque primitias ad pia templa datis.*
> *Texistis variis Altaria festa coronis,*
> *Pingitur ut filis floribus ara novis.*

§. XIV.

De his qui Altari inserviunt, ac primum de Diacono. Hujus Ordinis dignitas, & origo.

ET haec quidem de apparatu, quae ad sacrificium extrinsecus adhibetur, dicta sufficiant: nunc de intrinseco agendum est, qui & Ministros Sacerdoti inservientes complectitur, & Cantores. Primus autem ministerii locus debetur Diacono, qui primo & praecipuo in sacrificii oblatione officio fungitur, caeterisque ampliorem dignitatem habet, quia propius ad Altare accedit: ac propterea ab antiquis Patribus ministri nomen antonomastice sortitus est. *Diaconus a Patribus antonomastice Minister dictus.* Hinc Commodianus, qui tempore S. Silve-

stri

ſtri vivebat, in Instructionibus pro Ecclesiastica disciplina per primas verſuum litteras *cap.* 68. ſic ad Diaconos loquitur:

Mysterium Christi Diacones exercite caste,
Idcirco Ministri facite præcepta magistri.
Nolite ludere perſonam Judicis æqui,
Integrate locum vestrum per omnia docti,
Surſum intendentes, ſemper Deo ſummo devoti.
Tuta Deo reddite ſacra ministeria aræ,
Rebus in adverſis exemplum dare parati.
Inclinate caput vestrum Pastoribus ipſi,
Sic fiet ut Christo poſſitis eſſe probati.

Præclare Iſidorus de Diaconis ſcribens lib. 2. de Off. Eccl. cap. 8. *ſine ipſis*, inquit, *Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in Ministro diſpenſatio ſacramenti. Illi orare, huic pſallere mandatur. Ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat. Ipſis etiam Sacerdotibus propter præſumptionem non licet de menſa Domini tollere calicem, niſi eis traditus ſit a Diacono. Levitæ inſerunt oblationes in altaria, Levitæ componunt menſam Domini, Levitæ aperiunt arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent, & ſumant qui ſervare non poſſunt*. Eadem repetit, & confirmat Concilium Aquiſgranenſe primum *cap.* 7., & iis antiquior Epiphanius *hær.* 75. tanti facit Diaconi ministerium, ut ne Epiſcopum quidem abſque Diacono umquam fuiſſe, aut eſſe poſſe aſſeveret. Diaconorum originem multi Doctores S. Hieronymum ſequuti *epist.* 85. *ad Evagrium* a Levitis antiquæ legis repetunt, quibus idcirco tum Diaconorum, tum Levitarum nomen indiſcriminatim tribuere ſolent: quia ſicut presbyteri nostri filiorum Aaron, ita Diaconi Levitarum vice in Eccleſia funguntur, atque ideo in illis istorum typum agnoſcimus. Sacri tamen, & Evangelici Diaconatus primordia a libro Actuum Apoſtolorum *cap.* 6. ſumenda ſunt (1), quando Apoſtoli ſeptem viros (2) (1) (2) elegerunt, & orantes manus ipſis impoſuerunt. Quo exemplo Patres Concilii Neocæſarienſis *can.* 15. hanc legem ediderunt: *Diaconi ſeptem eſſe debent ex canone, etſi magna ſit civitas. Ejus autem rei fidem facit liber Actuum Apoſtolorum*. Sed cum postea crevisset in multis civitatibus numerus Diaconorum, adeo ut Justinianus Imperator *Novella* 3. *cap.* 1. Regiæ Urbis Diaconos centenario numero concluſerit, ne hic numerus Apostolico exemplo adverſari videretur, auſa est Synodus in Trullo ſine legitima auctoritate congregata præcitatum Canonem Neocæſarienſem ſugillare, & inſuper definire ſeptem primos Diaconos non fuiſſe ab Apoſtolis ſacramentali ordinatione initiatos, ſed tamquam œconomos, & diſpenſatores cibo & potui distribuendo destinatos, quam falſam opinionem fuſe proſequitur can. 16. Chryſostomi testimonio pro ſe perperam allegato. At Chryſostomi in cap. 6. Actuum, cæterorumque Patrum ſenſus est, ſi bene perpendatur, duplex illis ministerium Apoſtolica ordinatione, & manuum impoſitione collatum fuiſſe, ſacrificio ſcilicet aſſiſtendi, & bona Apoſtolis oblata pauperibus diſtribuendi; illud autem primarium eorum munus, hoc ſecundarium fuit, & præ illo vix attendendum. Qua de re ſcribens Ignatius Martyr epiſt. ad Trallianos ait, *Oportet autem & Diaconos ministros exiſtentes, mysteriorum Jeſu Christi ſecundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum ſunt ministri, ſed Eccleſiæ Dei* (3). Clariſſime etiam (3) Cyprianus epiſt. 65. *Diaconos post aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi* con-

Primis ſeptem Diaconis duplex ministerium ab Apoſtolis collatum.

conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & *Eccleſiæ miniſtros*. Quod ſi profano dumtaxat miniſterio incubuiſſent, non tam exactum de illis examen fieri juſſiſſet Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap.* 3. antequam ordinarentur (4). Ad (4)
idem aſtruendum plerique referunt hos Aratoris Subdiaconi verſus in hiſtoria Apoſtolica.

Jura miniſterii ſacris altaribus apti
In ſeptem ſtatuere viros, quos undique lectos
Levitas vocare placet: cum ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.

Nec omittenda hoc loco Optati Milevitani ſententia *lib.* 1. aſſerentis Epiſcopos in primo, presbyteros in ſecundo, diaconos in tertio ſacerdotio conſtitutos, qua loquendi formula, manifeſte oſtendit ſacrum eſſe ipſorum officium, & pro ſacro primis Eccleſiæ ſeculis habitum. Imo quarumdem in Gallia Eccleſiarum olim mos fuit, ut in Diaconorum ordinatione manus eorum chriſmate ungerentur, ut docet Menardus in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii *pag.* 289. ex antiquo Pontificali, & ex Epiſtola Nicolai I. ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem.

Sacri Diaconatus Ordinis inſtitutio non Apoſtolis, ſed Chriſto Domino referenda.

(1). *Sacri tamen, & Evangelici Diaconatus primordia* &c.) Licet ſacri, & Evangelici Diaconatus primordia a ſeptem Diaconorum electione per Apoſtolos facta ſumenda ſint, quatenus ſcilicet ab ipſis primum hic Ordo collatus fuerit; ejus tamen inſtitutionem ad Chriſtum ipſum referendam, ac propterea divinam eſſe, non humanam dicendum eſt; neque enim ex propria auctoritate, ſed ex ejuſdem Chriſti mandato, & Spiritus Sancti unctione magiſtra illum Ordinem Apoſtoli contulerunt, accepta ſiquidem a Chriſto Domino Sacerdotii plenitudine, ab eodem etiam, & poteſtatem, & mandatum accepiſſe, ut illud munus non ſolum in Succeſſores transfunderent, ſed & in varios, ac multiplices diſtribuerent gradus, prout Eccleſiæ decor, ordo, & gubernatio poſtularet, ſcite in hanc rem docet Thomaſſinus lib. 1. Eccl. Diſcipl. cap. 5. num. 3. Et ſane id aſtruunt ſequentes antiquiſſimi Patres Sanctus Ignatius Epiſc. & Martyr in Epiſt. 2. ad Smyrnenſes, ubi fideles admonens, quomodo ſacros Eccleſiæ Dei Miniſtros colere deberent, inquit, *Epiſcopum ſequimini, ut Chriſtus Patrem; Presbyterum, ut Apoſtolos; Diaconos, ut ex Dei præcepto miniſtrantes*: Itaque ſi ex Dei præcepto miniſtrare Diaconi dicuntur, profecto & dici debet, nonniſi a Deo eorum eſſe inſtitutum miniſterium. Idem pariter confirmat ad Epheſios ſcribens, ubi poſtquam fideles hortatus fuit, ut Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis obediant, hæc ſubdit: *qui enim his obedit, obedit Chriſto, qui eos conſtituit* &c., dicine poterunt a Deo conſtituti, quorum Ordo divinitus inſtitutus non eſſet? Ignatio ſuccinit Polycarpus in Epiſtola ad ſuos Smyrnenſes, de qua infra, ubi Diaconos non hominum, ſed Chriſti Miniſtros vocat. Hinc ſi Chriſti Miniſtri ſunt, a Chriſto utique eorum erit inſtitutum miniſterium. Mitto reliquos veteres Patres, Clementem Romanum Conſtit. Apoſt. lib. 2. c. 51. & 61, Dionyſium Areopagitam de Eccleſ. Hierarchia cap. 3. & 5. Juſtinum mart. Apolog. 2. in fine, Tertullianum lib. de Baptiſmo, S. Cyprianum Serm. 5. de lapſis, & alios plures, qui Diaconorum Ordinem, & eorum Miniſterium ſacrum appellant.

Quod ex SS. Patribus demonſtratur.

Atque item ratione comprobatur.

Accedit & ratio; nam ſi Levitæ a Deo in antiquo Teſtamento inſtituti ſunt, qui ad Altare Sacerdoti deſervirent, Diaconos in novo fœdere a Chriſto inſtitutos fuiſſe ſimiliter ſtatuendum eſt, qui Levitis ſuccederent, & Sacerdotibus quoque noſtris (ne quid minus ornamenti novæ legis Sacerdotio collatum dicamus, quam antiquæ) ex officio miniſtrent. Denique quanta Diaconi fulgere debeant vitæ ſanctimonia, quantus in eorum electione delectus, quæ ad eorum ordinationem diſpoſitio neceſſaria, poſtremo eædem fere omnes conditiones in Epiſcopis, ac Presbyteris requiſitæ, & in Diaconis demandantur, uti ex Pauli Apoſtoli epiſt. 1. ad Timotheum cap. 3., & ad Titum cap. 1.: ſatis ſuperque portendunt, & firmiter evincunt Diaconorum ordinationem Sacramentum eſſe, cum præſertim ea ſanctitas ad eorum miniſteria devote, ac religioſe ſubeunda prærequiratur, quæ vix ſine Sacramento haberi, aut foveri poſſit; Eapropter æque ac Sacerdotium, Diaconatus ordinem Sacramentum eſſe pronunciavit Sanctus Anaſtaſius II. Papa Epiſtola ad Anaſtaſium Græcorum Imperatorem Schiſmaticum num. 7., ubi ſic loquitur: *nullum de his quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas ſecundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læſionis adjungit, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videretur*. Levitarum itaque, ac Sacerdotum ordinationem Sacramentalem eſſe, ac per utramque gratiam conferri, nec coinquinari, aut diminui ex Miniſtri iniquitate affirmat Sanctus Pontifex, cujus aliorumque plurium Scriptorum veterum teſtimonio quorumdam Theologorum audax nimium opinio convellitur, qua præter Sacerdotium nullum alium ordi-

nem

nem verum Sacramentum esse contendunt, Durandi scilicet in 4. Sent. dist. 24. quæst. 2., ubi alios ordines esse solum quædam Sacramentalia ab Ecclesia instituta, ut per ea veluti per gradus ad Sacerdotii dignitatem ascendatur, affirmat; cui subscribunt Cajetanus Opusc. tom. 1. Tract. 11., & alibi, Michael Medina de Sacr. hom. continentia cap. 6. Alphonsus Sameron. in cap. 6. Actuum Apostol. Domitius Camerota de Sacram. Ord. cap. 1. dub. 5., aliique nonnulli, volentes Presbyteratum quidem a Christo institutum, Diaconatum vero ab Apostolis, ac propterea illum, non hunc, esse vere Sacramentum.

Quorumdam Theologorum Diaconatus ordinem esse verum Sacramentum negantium audax sententia convellitur.

At quam falsa sit, & a Catholica veritate aliena hæc sententia satisfuperque indicat Concilium Tridentinum, in quo sapientissimi illi Patres postquam sess. 23. cap. 2. rem divinam esse declaraverint Sacerdotii Ministerium, dein can. 6. decreverunt: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*; At per Ministros, Diaconos maxime debere intelligi manifestum est, utpote in quibus primario residet Sacerdotalis ministerii plenitudo, ac propterea Diaconatum verum esse Sacramentum reliqui omnes saniores Theologi, & Canonistæ tamquam fidei dogma uno ore confitentur. Et sane si ii, ex quibus constat Hierarchia divina ordinatione instituta, non sunt humanæ, sed divinæ institutionis, utique constabit ex Diaconis Hierarchia divinitus instituta; ii enim, cum inter Ministros principem locum teneant, intelligi profecto debent ministrorum nomine, quos sic Tridentinus Canon appellat. Præterea cum Episcopatui, ac Presbyteratui vera Sacramenti ratio conveniat, de Diaconatu negari haud potest, quin eadem prærogativa fruatur, cum iste omnes illas conditiones importet, quæ Sacramentum Evangelicum constituunt, divinam scilicet institutionem, sacrum ritum, & gratiæ collationem; qui ritus externus, & gratiæ donum per manuum impositionem, & illa verba, quæ in Diaconi ordinatione super ipsum Episcopus dicit, videlicet: *Accipe Spiritum Sanctum*, exprimuntur.

Cur septem tantum Diaconi ab Apostolis electi.

(2) *Septem viros elegerunt*) Porro cur septem tantum, & non plures, aut pauciores in Diaconos elegerint Apostoli, mysticam rationem assignant nonnulli ex eo, quod hic numerus competit septiformi Spiritus Sancti dono, unde seqnitur, *plenos Spiritu Sancto, & Sapientia*, ita Lyranus, & Hugo Cardin. ad hunc locum, qui etiam subdit: *hi sunt septem Angeli, qui assistunt ante thronum Dei Apoc. 1., & septem candelabra lucentia. His dantur septem tubæ, idest gratia prædicationis*: Hæc Hugo de Sancto Charo, cui subscribit Cornelius a Lapide, hoc item loco, & in Apocal. 8. 4. „ delegerunt ergo, inquit, septem Diaconos in Ecclesia militante, ut illi „ responderent totidem Diaconis, idest Ministris Dei in Ecclesia triumphante; utraque „ enim hæc Ecclesia est una, & eadem, una „ alteri connexa est, & subordinata, atque illam imitari studet „. Horum ad instar Romæ, olim constituti sunt septem Diaconi vocati Regionarii a septem Urbis regionibus, quibus a Fabiano Pontifice, ut habetur in ejus vita, præpositi fuerunt; Evaristus quoque Pontifex septem Diaconos sanxit, qui Episcopum concionantem custodirent. In Concilio Romano II. sub Silvestro statuitur can. 6., ut Diaconi Cardinales in Urbe sint septem; idem numerus statutus apud alias Ecclesias, ut ex Concilio Aquisgranensi cap. 7., sed crescente fidelium numero, hic septenarius Diaconorum pariter laxatus, & amplificatus est. Etenim sub Sancto Gregorio Magno, alii septem Diaconi Cardinales prioribus additi sunt, ac tandem Gregorius III. quatuor alios adjunxit, ita ut universim Cardinales Diaconi essent octodecim. Sed de numero Diaconorum in Ecclesia Romana iterum infra.

Horum ad instar septem Diaconi Regionarii dicti Romæ constituti, indeque etiam septem Diaconi Cardinales.

(3) *Non enim ciborum, & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiæ Dei*). Et statim subdit: *Ministrant Sacerdotibus purum, & incuipatum Ministerium, ut Stephanus Jacobo, Thimotheus, & Linus Paulo, Anacletus, & Clemens Petro*: Ignatio succinit Sanctus Polycarpus ep. ad suos Smyrnenses: *Diacones*, inquit, *non esse hominum Ministros, sed Christi*.

Primos septem Diaconos non ciborum, & potuum ministros tantum, sed & Mensæ Eucharisticæ dispensatores fuisse ulterius comprobatur.

(4) *Antequam ordinarentur*); Et sane, ut quid opus erat tantam Apostolos diligentiam adhibere in illis septem eligendis, ut boni testimonii viros plenos Spiritu Sancto, & sapientia deligendos esse Lucas affirmet? Ut quid ad profanum ministerium viri tam selecti, tantisque Spiritus Sancti donis ornati necessarii sunt? Quid itidem ad constituendos ciborum Præfectos opus erat communi oratione, & manuum impositione? Cur demum Philippus, ac Stephanus Evangelicæ prædicationi operam dabant, si solum mensis communibus præficiebantur, cum Apostoli ipsi munus hoc respuerent, ut Evangelicæ prædicationi vacarent? Certum itaque est Diaconos ex eorum prima institutione non solum communis mensæ, sed multo magis, ac principalius Eucharistiæ ministros fuisse. His tamen non obstantibus mirandum subit Card. Cajetanum nedum Tract. 11. de Ordine, sed etiam Commentar. in Acta Apostolorum scribere: septem illos Diaconos non fuisse Altaris Ministros, sed solum communium mensarum Præfectos, cujus item opinioni Michael Medina lib. 1. de Sacro hominum cælibatu cap. 26. & Gabriel Vasquez Tom. 3. in 3. partem D. Thomæ disp. 256. cap. 5. num. 49. quam etiam opinionem textui magis conformem dicit Andreas Molfesius in sum. Tract. 2. qui est de Ordine cap. 1. num. 40. At quidquid in contrarium sentiant præfati, cæteroquin celebres Auctores, Eminentissimi nostri sententiam tamquam certam, & veram multo plures fatentur, & primi subsellii viri, Baronius ad an. Christi 34. n. 280. Bellarminus controv. Tom. 3. de Sacram. Ordinis lib. 1. c. 6. Catherinus lib. 5. in Cajetanum, Tuberus contra Lutherum art. 17. Salmeron in cap. 6. Act. vers. 3. Demochares lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 6. Joannes Ferdinandus in Thesauro Scripturæ verbo *Diaconus*, Natalis Alexander tum in

hi-

Hist. Eccl. Sec. 1., cap. 5., & Diss. 7., tum in Theol. Dogm., & morali lib. 2. de Sacr. Ord. art. 6., Gaspar Juvenin. de Sacram. Diss. 9. q. 4. Honoratus Tournelly de Sacram. Ord. art. 3. Jo. Laur. Berti de Theol. Discipl. lib. xxxvi. cap. 6. aliique recentiores permulti.

§. XV.

De officiis & muneribus Diaconorum. Addita quædam de Diaconissis.

NEminem latet plura & diversa esse munera Diaconorum; sed quædam ex illis abierunt in desuetudinem, quædam adhuc perseverant. Differunt de his diffusissime duo viri eruditissimi Isaacius Habertus *ad partem IX. Pontificalis Græcorum*, & Joannes Morinus *lib. de sacris ordinat. par.* 3. Ego paucis ea perstringam. Primum & præcipuum est Episcopo, vel Presbytero sacrum facienti assistere, & quodammodo

Plura Diaconorum officia enumerantur.

cooperari, ipsumque in omnibus adjuvare præscriptis ritibus, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt. Deinde Evangelium legere, de qua re fusius suo loco: panem & vinum offerre, non quidem consecrando, ut
ex Can. 2. Concilii Ancyrani male intellecto deducunt sectarii (1), sed (1)
utrumque Sacerdoti consecraturo præsentando: munera enim quæ olim
Diaconus e manibus populi accipiebat (2), nunc ex Prothesi accipit, (2)
eaque offert Sacerdoti, Sacerdos Deo. Apud Græcos celebrantem sæpius admonet de iis quæ agenda sunt, unde in Liturgiis ea passim verba Diaconi ad Sacerdotem occurrunt, *Benedic Domine*, *extolle*, *immola*, & his similia. Populum excitat ad attentionem elata voce dicens, *Attendamus*. Ministros inferiores officiis suis applicat, & illis signo, nutu, & aliquando sublato orario indicat quid & quando agere, seu psallere, aut legere debeant. Indignos a communione submovet: Cathecumenis, pœnitentibus, energumenis, & infidelibus stato tempore edicit ut ab Ec-
clesia egrediantur (3). Postquam oblatio in Altari posita est, flabellum (3)
tenet & ventilat, ut bestiolas prætervolantes abigat a sacris donis. Cura-
bant olim Diaconi, ut quisque in Ecclesia suum locum teneret (4), por- (4)
tamque custodiebant, qua viri ingrediebantur. Dominicum sanguinem, imo & corpus, fidelibus distribuebant, quod Cyprianus *lib. de Lapsis*, Justinus Martyr *circa finem* 2. *Apologiæ*, Constitutiones Apostolicæ, &
plures antiqui Patres clare testantur. (5). Hic autem mos ante Conci- (5)
lium Nicænum adeo invaluerat, ut etiam Presbyteris Eucharistiam porrigerent, quam audaciam ipsa Synodus coercuit *Can.* 18. Insuper vetitum eis est *Can.* 15. Concilii II. Aurelianen. & 38. Carthaginensis IV. ne præsente Presbytero Corpus Domini Fidelibus traderent. In consecratione Chrismatis, ac in omnibus Ecclesiasticis officiis Episcopo assistunt, eidemque astant prædicanti. Eorum etiam munus est prædicare, quod tamen
primario Episcopis convenit (6): itemque baptizare, si Episcopo & Pres- (6)
bytero absentibus necessitas id postulet, ut sancitum fuit in Concilio Illiberitano *cap.* 77. In solemni vero baptismatis administratione ad ipsos spectat baptizandos instruere, & ad exorcismum, ac deinde ad immersionem detractis vestibus præparare. Secundario autem & extra mysteria eo-
rundem erat distribuere, ut supra diximus, eleemosynas (7), pauperum (7)
mensis ministrare, curam gerere Martyrum & Confessorum, qui in carcere ob Christi fidem detinebantur, eisque necessaria suppeditare; eorum vota & ultimam voluntatem excipere, & ad Episcopum deferre: Ecclesiastica negotia apud Imperatorem procurare, sacris virginibus præesse. Missos quoque Diaconos, ut Episcoporum absentium in Conciliis vices gererent, ex ipsorum Actis constat, ejusque moris exempla affert Lupus

in

in *notis ad Can.* 7. *Trullanum* (8). Denique Cyprianus *Epist.* 13. per- (8)
mittit Diaconis pœnitentes reconciliare in absentia Episcopi, & Presbyteri,
eosque absolvere, non quidem Sacramentaliter, sed a pœnis satisfactoriis,
sive ab excommunicatione. Verba Cypriani hæc sunt: *Occurrendum puto
fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt & prærogativa
eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis
periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum
quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere
exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint,
ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam
dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt* (9). Quia vero Episco- (9)
pi præcipua quæque per Diaconos agebant, hinc illi insolescere, se Pres-
byteris præferre, ante illos sedere ausi sunt, quorum superbiam sæpius
carpunt antiqui Patres, & multoties Ecclesiasticis Canonibus repressa est:
sed hæc omitto, quia prorsus parerga sunt.

De Diaconissis, & earum officiis.

Erant & Diaconissæ, de quarum ordinatione & ministeriis in utraque
Ecclesia Græca & Latina erudite, ut solet, disserit Morinus *lib. de sacris
Ordinat. p.* 3. *exercit.* 10. Multa etiam scitu digna de his congerit Goar
in Euchologio in notis ad earum ordinationem (10). Munus illarum præ- (10)
cipuum fuit, ea mulieribus officia præstare, quæ Diaconi viris. Ideo
portas custodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque consessus in
Ecclesia ordinabant: principia fidei & ritus baptismi eis exponebant, ipsis-
que aderant, cum ad immersionem nudabantur. Jussa Episcopi ad eas-
dem referebant, & si aliqua vellet Episcopum, Presbyterum, vel Dia-
conum alloqui, eam propter honestatis testimonium comitabantur. Vidua-
rum quoque, & pauperum, sacrarumque Virginum simul cum Diaconis
curam gerebant. Ante annos fere sexcentos cessavit in Occidente earum
ordinatio & ministerium: in Oriente vero jam desierat vivente Balsamo-
ne, ut ipse ait in *notis ad can.* 15. *Concilii Chalcedon.* Multa de illis ex-
tant veterum Canonum statuta, sed in his immorari non est hujus loci.
Licet enim, ut ait Epiphanius hær. 79. *Diaconissarum Ordo in Ecclesia sit*,
non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administratio-
nem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur (11). (11)
Extat earum benedictio in Ordine Romano, & in antiquis Ritualibus.

(1) *Deducunt sectarii*) Vide supra §. 4., ubi iidem refelluntur.

(2) *Diaconus e manibus Populi accipiebat*) Quo facto Diaconus offerentium nomina publice recitabat, de qua nominum recitatione plura infra Eminentissimus lib. 2. cap. 8. §. 7. Hancque esse officii Diaconorum partem nos docet Hieronymus Comment. in Ezech. cap. 18. *Multos*, inquit, *conspicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur; publiceque Diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina.*

Alia Diaconorum officia recensentur.

(3) *Ut ab Ecclesia egrediantur*) Sic in Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 5. Diaconus finito Episcopi sermone, cunctis consurgentibus, ex alto loco proclamat: *ne quis adsit audientium, ne quis infidelium*: Deinde silentio facto jubetur dicere: *orate Catechumeni, & omnes fideles attente pro ipsis orent*: Et simul exemplum præire Populo, quemadmodum pro eis orare debeant. Ita etiam ex Chrysostomo hom. 2. in 1. ad Corinth. videri potest; similiter energumenos, competentes, & pœnitentes suo quemque ordine compellere, eosque una cum Populo ad orandum exhortari debebat his verbis: *intente pro eis precemur*. Cumque hos omnes solemni proclamatione: *Ite Missa est*: dimisisset, fideles iterum adhortabatur, ut pro se ipsis, & universo Christi Ecclesiæ statu orarent, uti habetur in dictis Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 10. statuta ibi propria formula. Hinc Socrates dicit lib. 2. cap. 11. S. Athanasium Diaconos suos jussisse ad orandum cohortari.

Diaconi item officium curare ut quisque locum suum teneat in Ecclesia.

(4) *Ut quisque in Ecclesia suum locum teneret*) Id in citatis Constitutionibus Apostolicis exprimitur lib. 2. cap. 57. *Si quis repertus fuerit, qui sedeat loco non decenti, increpetur a Diacono, tamquam a Nauclero, traducaturque in locum, qui eum deceat*. Diaconi etiam officium erat reprehendendi, ac corrigendi eos, qui inordinate se gerebant in Ecclesia, ibidem etenim paulo post legitur: *Diaconus speculetur Populum, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut rideat, aut nutus fa-*

ciat: oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobrie, vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. Id etiam ex Chrysostomo perspicuum est hom. 24. in Act. Apost. ubi loquens de iis qui irreverenter in Ecclesia consistunt, jubet vicinos illos objurgare, & si hoc ferre nolint, Diaconum advocare, ut officium suum erga ipsos exequatur: *Tu autem*, inquit, *si adsistis juvenis, vel senex, & stupenda vides, increpa acriter, si non fert, voca Diaconum* &c. Huc apprime convenit, quod de Cæciliano Archidiacono Carthaginensi refert Optatus Milevit. lib. 1. adversus Parmenianum p. 40. (p. 18. Edit. Paris.) qui cum Lucillam divitem factiosam, ac potentem fœminam, *quæ ante spiritualem cibum, & potum, os, nescio cujus Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari os, nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati*, hoc ex sui officii munere in eadem reprehenderit, atque illa sic correpta *cum confusione irata discesserit*, ejus postea Cæciliani ordinationem in Episcopum Carthaginensem vitiosam causata, ea rem perduxit, ut Majorinus in ipsius locum suffectus fuerit, quo Schismati Donatistarum ostium apertum fuisse Optatus Milevitanus animadvertit. Diaconi igitur officium erat irreverentes in Ecclesia corripere, ut item infra dicetur.

En Diaconi justa increpatione initium Schismatis Donatistarum.

(5) *Et plures antiqui Patres clare testantur*) Sic breviter Card. noster eorum nonnullos tantum indigitans. Sed præstat ipsorum Patrum, quos memorat, integros textus, aliaque in id probandum vetera documenta proferre. Justinus itaque loco citato: *Qui apud nos*, ait, *Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem & vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt*. Cyprianus lib. de Lapsis cap. 5. *ubi solemnibus adimpletis calicem offerre Diaconus præsentibus cæpit*. Idem insuper colligitur ex Can. 2. Concilii Ancyrani, ibi enim de Diaconis, qui idolis sacrificaverint, decernitur: eos quidem honorem suum retinere, ipsos vero cessare ab omni sacro ministerio, sive panem, vel calicem offerendi, vel prædicandi, ex quo id ante lapsum eos fecisse constat. Et sane quoad calicem maxime, nota est omnibus pia Sancti Laurentii Mart. & Diaconi ad Sixtum Pontificem apud Ambrosium lib. 1. Offic. cap. 41. querimonia, quem cum ad martyrium properantem videret, ipse martyrii cupidus sic eum alloquens dicebat: *cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas*? Vide Leonis Magni Hom. de S. Laurentio. Sed ut cæteros Patres sileam, id antiquum Diaconorum munus indicat vel ipsum Pontificale Romanum in Ordinatione Diaconorum pag. 30. ubi ita legitur in Episcopi ad ipsos allocutione: *Provehendi filii dilectissimi ad Leviticum Ordinem cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad Altare . . . . . & quia comministri, & quia cooperatores estis Corporis & Sanguinis Domini, estote &c.* Cæterum circa sacrum hujusmodi ministerium Eucharisticum variam fuisse locorum diversorum consuerudinem ostendit Edm. Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 4. art. 10. num. 5. Et quidem apud Græcos Constantinopoli Diaconis vetitum fuisse calicem ministrare, indeque etiam, opinor, sub specie panis sacrum Domini Corpus, innuit S. Joannes Chrysostomus Hom. 46. in Matth. ubi sic loquitur: *Non vides qualiter soli Sacerdoti licet calicem Dominici Sanguinis præbere*: Romæ Corpus Sacerdos ministrabat, calicem Diaconus porrigebat, & Acolythus ad absentes deferebat, uti utrumque id constat ex S. Laurentio præfato, & S. Tharsicio Acolytho, itemque Martyre, de quo Martyrologium Romanum ad diem 15. Augusti. Vide Baronii ad ipsum notas.

Eorumdem munus olim Calicem communicantibus præbere.

(6) *Quod tamen primario Episcopis convenit*) Diaconis vero non nisi permittente, aut mandante Episcopo, sine cujus auctoritate id iis non licebat. Card. Baronius ad ann. 386. num. 55. existimat Chrysostomum elegantissimos sermones *de incomprehensibili Dei natura, de anathemate, &c.* habuisse cum adhuc esset Diaconus, Meletio Episcopo suo id annuente, licet alii asserant hos sermones non fuisse, quos in Ecclesia recitaverit, sed discursus, quos alia ocasione composuerit; utut sit, Diaconos olim ad Populum sermones habuisse permittente Episcopo, plura nobis suppetunt exempla. Unum pro mille se ipsum exhibet S. Ephræm Syrus, qui nonnisi Diaconus Edessenæ Ecclesiæ fuit, ac diversas Homilias, seu sermones composuit adeo elegantes, ut in Græcam linguam translati, ut ait Hieronymus lib. de Script. Eccles. cap. 95. post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis recitarentur.

Diaconi etiam permittente, vel mandante Episcopo sermones publice ad populum habebant.

(7) *Distribuere, ut supra diximus, Eleemosynas*) Id patet ex citatis Constitut. Apost. lib. 2. cap. 31. Cypriani Ep. 49. alias 52. ad Cornelium: Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. 7. cap. 11. Eorum etiam officium de delictis, & peccatis Populi Episcopum commonere: *Diaconus*, (inquit dictarum Constitut. Apost. Author) *de re omni ad Episcopum referat, ut Christus ad Patrem, verum quæcumque potest moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi, & providendi a Patre accepit, quæ vero majora sunt, Episcopus judicet*. Hinc Diaconi frequenter vocati Episcoporum oculi, ipsorum os, Angeli, Prophetæ, &c. ibidem lib. 2. cap. 44. apud Clementem Romanum Epist. ad Jacobum, Isidorum Pelusiotam, lib. 1. Ep. 29., aliosque. Porro de officio, & potestate Diaconorum fuse, & docte Natalis Alexander sec. 1. differt. 7. & sec. 3. differr. 4.

Iidem Episcopum commonebant de delictis & peccatis Populi.

(8) *Affert Lupus in notis ad Can. 7. Trullanum*) Missos etiam Diaconos ab Episcopis cum eorum Epistolis Encyclicis, quas ad alienas Ecclesias perferebant, horumque id fuisse peculiare Diaconorum ministerium extra Ecclesiam, pluribus ostendit nuperus Eruditissimus Scriptor Abbas Franciscus Dominicus Bencinus Differt. 1. de Litteris Encyclicis §. 9. num. 13., & seqq. Et sane olim vulgaris obtinebat consuetudo, ut Diaconi

Diaconi Episcoporum Missi & Ecclesiarum Cursores.

ipsi

ipsi Dominici Cursores essent, iisdemque ex officio hæc sollicitudo committeretur; innumera enim hac de re Ecclesiasticæ Historiæ suppetunt documenta, quæ ibidem loco citato refert Clarissimus Vir, tum etiam diss. 2. c. 2. §. 1. n. 5. Proprium etiam Diaconorum officium erat in qualibet Ecclesia sacri Archivii custodia, actorumque fidem publicam facientium, quæ si proferenda essent, ipsi proferebant, & recitabant, quod vel ex sola Orientalium Conciliorum lectione unicuique testatissimum sit. Id etiam ostendit laudatus Author ibi dicta diss. 1. §. 3. n. 5. ac § 9. n. 20. & seqq. ad quem, ne nimius sim, Lectorem mitto.

(9) *Litteris ad nos factis desideraverunt.*)

Potestas reconciliandi pœnitentes olim Diaconis concessa cæremonialis tantum, non Sacramentalis.

Et hæc quidem potestas reconciliandi pœnitentes extra Sacramentum, erat quidem Diaconis peculiariter concessa in casibus tantum extraordinariis, scilicet in extremo mortis articulo, tanquam Episcopi delegatis in Presbyteri absentia; de qua re ita Card. Cozza in lib. 5. Augustini de Hæresibus Tom. 2. pag. 582. „ Hæc itaque reconciliatio necessitate urgente coram Diacono fieri permissa erat, Diacono reconciliante lapsum, non tamen Sacramentaliter pœnitentem illum absolvendo, sed ei remittendo pœnas Ecclesiasticas, ipsumque reconciliando corpori Ecclesiæ, ut capax redderetur percipiendi Eucharistiam, quemadmodum excommunicati, sive majori, sive minori excommunicatione, absque Sacramentali absolutione reconciliantur. Idem constat ex Can. 32. Concilii Eliberitani. *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est, Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.* Agit hic de solemni pœnitentium reconciliatione, quæ propria erat solius Episcopi, quo inconsulto nec Presbyteris licebat eidem se immiscere: verum cogente necessitate, concessa erat Presbyteris, ipsis vero absentibus, etiam Diaconibus: hoc servato discrimine, quod Sacerdotes poterant illos etiam Sacramentaliter absolvere, secus Diaconi: unde quos reconciliabant Diaconi, Sacramentaliter non absolvebantur ex defectu potestatis, in casu autem exitus intima pœnitentium cordis contritio vicem supplebat Sacramentalis absolutionis. Poterant autem per Diaconos reconciliati, etsi Sacramentaliter non absoluti, participare de Eucharistia, supposita pœnitentium contritione. Hoc sane confirmat exemplum allegatum a Dionysio Alexandrino apud Euseb. lib. 6. Hist. cap. 44. de quodam Serapione viro sene lapso, qui morbo correptus, post triduum silentii, emissa voce, puerum advocavit, eique præcepit, ut aliquem ex Presbyteris rogaret, ut ad se veniret. Ægrotante Presbytero, nec accedere personaliter valente, eidem puero exiguam Eucharistiæ partem tradidit, jubens ut in aqua intinctam Seni ægroto in os instillaret; id quod puer fideliter præstavit. Serapion vero accepta Eucharistia, ad Dominum migravit. Ex quo exemplo perspicuum fit, pœnitentibus in exitu constitutis, non fuisse denegatam Eucharistiam, quamvis ex deficientia Sacerdotis non fuerint Sacramentaliter absoluti, quando de contritione atque vero admissorum dolore constabat. Hoc ergo pacto Diaconi reconciliabant pœnitentes: etsi per manuum impositionem, non tamen Sacramentaliter absolvendo: erat enim illa manuum impositio non Sacramentalis, sed mere cæremonialis.

„ Porro in Concilio Eboracensi de anno 1195. conceditur Diacono gravissima urgente necessitate, ut possit *pœnitentiam confitenti imponere*. Id quod & in Concilio Londinensi de anno 1200. idem sancitum fuit: *Non liceat Diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate*, v. g. *quia Sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, & mors imminet puero, vel ægro*. Causam assignat Concilium Eboracense relatum: quia, *juxta paternorum tenorem Canonum hoc Ordini Sacerdotali proprie convenire decrevit antiquitas*. Clarius in Statutis Synodalibus Odonis de Soliaco, qui obiit anno Domini 1208. Statuto 56. *Prohibetur districte, ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi arctissima necessitate: claves enim non habent, nec possunt absolvere*. Ex quo enim secundum priscam Patrum disciplinam Diaconi, absentibus Episcopo & Presbyteris, in extremo constitutos publice pœnitentes reconciliabant, ut supra dictum est; invaluit consuetudo, ut in similibus necessitatis casibus pœnitentes illorum peccata aperirent Diacono, qui spectata illorum gravitate pœnitentiam aliquam sibi bene visam imponebat, licet non data Sacramentali absolutione: unde attenta pœnitentis contritione in aperitione peccatorum ostensa, dignos judicabat percipiendi Eucharilliam; unde lapsu temporis, potuit evenisse, ut etiam tanta non urgente necessitate hoc præstarent Diaconi, & ideo in præfatis Synodis, & Statutis provisum est, ne hoc præstent Diaconi, nisi urgentissima adsit necessitas, quia audire possunt, absolvere non possunt, quia claves non habent, & soli Sacerdotali dignitati convenit peccata audire, & absolvere. Unde si non arctat necessitas, decernunt ut Sacerdoti aperiantur peccata, & ab eis pœnitentiam recipiant, qui claves habent, & ligare & solvere possunt. Hæc est vera præfatorum Canonum, & Statutorum mens. Et nullus est in tota Conciliorum serie Canon, qui dicat Diaconibus in aliquo casu licere Sacramentaliter absolvere, & nullum est allegandum in tota antiquitate testimonium, quod licuerit Diaconibus Sacramentum Pœnitentiæ administrare.

„ Hac ergo de causa S. Thomas in supplemento quæst. 8. art. 2. tradit, quod urgente necessitate possit quis etiam Laico aperire sua peccata, non tamen Sacramentaliter absolvi. Unde in responsione ad primum ait: *In Sacramento Pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte Ministri, scilicet absolutio, & satisfactionis injunctio; sed* etiam

„ *etiam aliquid ex parte ipsius , qui suscipit* „ *Sacramentum , quod est etiam de essentia Sa-* „ *cramenti , sicut Contritio , & Confessio . Sa-* „ *tisfactio autem jam incipit esse a Ministro ,* „ *in quantum eam injungit , & a pœnitente ,* „ *in quantum eam implet , & ad plenitudinem* „ *Sacramenti utrumque debet concurrere , quan-* „ *do possibile est . Sed quando necessitas immi-* „ *net , debet facere pœnitens , quod ex parte* „ *sua est , scilicet confiteri cui potest : qui quam-* „ *vis Sacramentum perficere non possit , ut faciat* „ *id , quod ex parte Sacerdotis est , absolutionem* „ *scilicet , defectum tamen Sacerdotis summus* „ *Sacerdos supplet . Nihilominus confessio ex* „ *defectu Sacerdotis Laico facta , Sacramentalis* „ *est quodammodo : quamvis non sit Sacramentum* „ *perfectum , quia deest id , quod est ex parte* „ *Sacerdotis* . Hactenus S. Thomas . Itaque „ eodem modo discurri potest de confessio- „ ne facta Diacono . Hucusque Card. Cozza .

Alia insuper Diaconorum munia referuntur.

Sed præstat reliqua Diaconorum officia summatim perstringere . Diaconi insuper Catechumenos ad suscipiendum baptismum institutione sua præparabant , uti Pachymeres ex Dionysii Areopagitæ de Eccl. Hierarch. cap. 5. num. 6. *Docent illos* , baptizandos nempe , *ut rebus obscuris renunciantes ad ea quæ illuminant , adducantur* . Quod & confirmat Theophylactus in cap. 19. Lucæ . Foribus Templi præerant , ut idem Dionysius loco citato , cui subscribunt in notis Sanctus Maximus , & Pachymeres . Pro populo orabant , de quo Chrysostomus Homil. 14. in Epist. ad Rom. & ex ipso Theophylactus in cap. 8. ejusdem Epistolæ ad Rom. quod etiam patet ex Liturgiis Basilii , & Chrysost. Porro Diaconorum officium pluribus describit Author Constit. Apost. lib. 2. cap. 57. cujus summa est post jam dicta : *Locorum curam habeat Diaconus , ut quisque ingredientium suum petat locum , neque in introitu sedeat ; simul etiam provideat Diaconus , & observet populum ne quis susurret , vel dormitet , &c. Diaconi vero absoluta oratione* (quam tota Ecclesia post exitum Catechumenorum , & pœnitentium solebat recitare) *partim oblationi Eucharistiæ vacent , partim populum observent , & ut quietum teneant , efficiant . Dicat adstans Episcopo Diaconus ad populum : ne quis contra quemquam , ne quis in simulatione . Post hæc* , nempe post datum pacis osculum , *oret Diaconus pro universa Ecclesia , & pro toto Mundo.*

S. Isidorus Hispalensis emendatus.

De eorumdem officio ita Isidorus Hisp. Epistola ad Liutfredum : *ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus , & Ministris omnibus , quæ aguntur in Sacramentis Christi , in Baptismo scilicet , Patena & Calice oblationes offerre & disponere in Altario , componere mensam Domini , atque vestire , Crucem ferre , prædicare Evangelium & Apostolum ; nam sicut Lectoribus vetus Testamentum ; ita Diaconis novum prædicare præceptum est . Ad ipsum quoque pertinet officium precum , recitatio nominum , ipse præmonet aures ad Dominum habere , ipse hortatur clamore , pacem ipse annunciat* . Quod autem dicit Isidorus de Lectoribus , nempe de Lectione tantum veteris Testamenti ipsis assignata , hallucinatur Sanctus Doctor , contrarium siquidem , atque ita non esse conspicitur , tum ex Justino Mart. Apolog. ad Antoninum , ubi ait : *Solis qui dicitur die omnium qui vel in oppidis , vel ruri degunt , in eumdem locum conventus fit , & monumenta Apostolorum , aut scripta Prophetarum , quoad tempus fert , leguntur . Deinde Lectore quiescente &c.* Item Chrysostomus Homil. 8. in Epist. ad Hebr. *Cum Lector ascenderit , dicit primum cujus sit liber , nempe hujus , vel illius Prophetæ , vel Apostoli , vel Evangelistæ* . Ubi vides etiam de novo Testamento Lectorem legisse .

Diaconi Episcoporum Ministri , & in Synodis Notarii .

Denique Diaconi Episcoporum Ministri erant , uti jam indicatum est , & ex Canone 18. Concilii Nicæni sic his verbis exprimitur : *Diaconi intra propriam mensuram maneant , scientes quod Ministri sunt Episcoporum .* In Synodis Notariorum munere fungebantur , ac propterea stabant in Conciliis , & confessibus Episcoporum ; quod tum ex S. Epiphanio in Hær. 71. quæ est Photinianorum , tum ex S. Athanasii exemplo , qui Alexandri Prædecessoris sui Patriarchæ Alexandrini ab eodem scriba constitutus fuit , ut refert Sozomenus Hist. Eccl. lib. 2. cap. 16. manifestum est , atque item constat ex Concilii Nicæni Can. 14. Laodiceni Can. 20. sextæ Synodi Constantinopolitanæ Can. 7. ac denique ex Synodo Romana Bonifacii Papæ II. anno circiter 530. apud Lucam Holstenium Basilicæ Vaticanæ Canonicum , & Bibliothecæ Præfectum in Collectione Romana bipartita , Parte I. pag. 2. ubi hæc leguntur : *Adstantibus quoque Tribuno , Agapito , Donato , & Palumbo Diaconibus , Tribunus Archidiaconus dixit : Theodosius vir venerabilis Thessaliæ Provinciæ Echiniensis Civitatis Episcopus adstans præ foribus ingredi desiderat , quid præcipitis ? Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ dixit : ingrediatur* . Ad hæc notat Holstenius laudatus ; „ & Ad Diaconorum , „ *inquit* , officium pertinebat Synodi audien- „ tiam expetentibus admissionem procurare . „ Inde Episcopi Ægyptii in Concilio Alexan- „ drino rejiciunt Conciliabulum Tyrium con- „ tra Athanasium , quia illic Commentariensis , „ sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ ad „ audientiam ingressuros admittebat . „ Præterea eadem formula *Adstantibus quoque Diaconibus, quorum nomina hæc sunt &c.* legitur in aliis duabus Synodis Romanis Eugenii II. & Leonis IV. Rom. Pontificum , tum apud laudatum Holstenium dictæ Collect. Romanæ Parte 2. tum apud Card. Baronium ad ann. Christi 826. num. 1. & ann. 853. num. 32. Item ibidem post recitata Diaconorum nomina ita habetur in prima Eugenii Synodo : *Legente Theodoro Diacono Pontifex dixit* : &c. atque in secunda Leonis leguntur Diaconorum subscriptiones ; ex quibus omnibus plenario constat Diaconos in Conciliis adstantes fuisse , & Notariorum munere functos , quod & multo ante sub Damaso Papa ann. 372. legitur apud memoratum Holstenium Parte I. ejusdem Collect. Rom. pag. 169. his verbis : *Ego Sabinus Diaconus Mediolanensis Legatus de authentico dedi* . Hactenus , & satis de Diaconis , eorumque officiis apud Latinos .

Sed

Diaconale Hieromnemonis officium apud Græcos, quorum aliquot recentiorum error confutatur.

Sed pro complemento abs re non erit peculiare, & Diaconale apud Græcos in Ecclesia Constantinopolitana officium Hieromnemonis dictum exponere. Ad id muneris spectabat Patriarcham vestibus Pontificalibus induere, preces in libro indicare, in throno locum electis, ac consecratis assignare, contacium ordinationis consuetum intonare, quod nostro Cæremoniarum Magistri officio correspondebat. De hoc ita Joannes Citri Episcopus apud Jacobum Gretzerum lib. 1. Observat. in Codinum cap. 7. *Hieromnemonis officium*, ait, *ad Diaconum necessario pertinet. Nam hic simul cum Canstrisio* (is est, qui sacra Patriarchæ paramenta custodiebat, & eumdem ad vestiendum coadjuvabat, thuribulum deferebat, &c.) *subservit, induendo sacris vestibus sacrificaturo Pontifici. Si vero Hieromnemon sit Sacerdos, solo nomine est; neque enim ei licet in ministeriis Pontificalium ornamentorum Diaconi stationem servare.* Videtur dicere Hieromnemonem Pontifice sacris operante, non posse Diaconi officio fungi, si sit Sacerdos, & sic solo nomine talem eum esse; id quod Citrius hausit ex recentiorum erroribus Græcorum, qui Latinos reprehendunt, quod in eorum Ecclesiis Sacerdotes sæpe Diaconi munere fungantur, dum sacrosanctum Missæ Sacrificium solemniter offertur. *Improbe profecto*, (inquit Manuel Caleca lib. 4. contra Græcos cap. 21., in Biblioth. Patrum Lugdun. Tom. XXVI.) *ignorant enim, quia is quidem, qui quod majus est, habet etiam quod minus est, ejusdem generis habet necessario. Non autem e converso. Homo enim rationalem habens animam, sensibilem quoque & vegetabilem sub ea habet. Neque tamen, quæ vegetabili anima utuntur, sensibili etiam, & rationali potiuntur. Atque itidem in aliis, sive humana, sive divina inspicere quis velit. Nempe & Dominus secundum hominem primus existens, & maximus Sacerdos, non ideo, quia ministri habitum & ministerium pedes abluendo monstravit, Sacerdotii confudit ordinem: Et hic igitur Sacerdos, quoniam inferioris Sacerdotii gradus in se ipso continet, constat, quia omnibus, quæ sub se sunt, legitime utetur.* Hæc præclare Caleca, apud quem plura leges si velis. Sed de Diaconissis nunc differendum erit.

Quæ & quales olim Diaconissæ.

(10) *In notis ad earum ordinationem*) De Diaconissis frequens mentio habetur apud Scriptores Ecclesiasticos. S. Paulus Apostolus ad Romanos scribens cap. 16. 1. commendat Phoeben, quæ erat Diaconissa, scilicet *in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*. S. Ignatius Epist. ad Antiochenos salutat in Christo Diaconissas. Plinius junior lib. 10. Epist. 97. ad Trajanum de Christianis scribens, duas quasdam fæminas Christianas memorat, quas Ministras vocat: *qui magis*, inquit, *necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere*. In quodam Lectionario MSS. Basilicæ Vaticanæ legitur S. Martinam Virg. & Mart. fuisse Diaconissam, uti testatur Torrigius de Cryptis Vaticanis secundæ impress. pag. 557. num. 30. & 31. Cum S. Gregorius Nyssenus in sacris fuisset ordinatus, Theosebia ejus uxor ab eo hac de causa sejuncta etiam Diaconissa fieri voluit, uti affirmat Nicetas Serrensis Schol. 19. in Orat. Gregorii Nazianzeni de laudibus S. Basilii. Apud Theodoretum Hist. Eccl. lib. 3. cap. 14. Publia, quæ sub Juliano Apostata vixit, vocatur Diaconissa, & Sozomenus lib. 4. in fine cap. 14. scribit Elpidium Satabenum Episcopatu exauthoratum, quod Nectariam quamdam ob jusjurandum violatum communione interdictam pœnitentia nondum peracta ad Diaconissæ gradum admisisset. Idem refert Nicephorus lib. 9. cap. 45. De quadam pia fœmina Regina nomine pariter Diaconissa meminit Baronius ad ann. 513. num. 30. & 31. Hæ Diaconissæ erant viduæ, & quidem univiræ, non renuptæ, qua voce utitur Tertullianus ad uxorem lib. 1. cap. 7. ubi ait: *Disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, viduam adlegi in Ordinationem nisi univiram non concedi*, alludens ad Apostoli locum 1. ad Timotheum 9. quod & repetit lib. de velandis virg. cap. 9. de quo infra, atque Epiphanius confirmat in Doctrina compend. de fide. Et quidem non decebat in re tam laudabili Christianas a fœminis Gentium superari. Servius ad Æneid. 3. *Flaminicam nonnisi unum virum habere licet*. Horat. Carm. lib. 3. Oda 14.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat justis operata divis.

Seneca Controv. lib. 1. cap. 2. *eam Sacerdotem facite, quæ honeste maneat quod fuit.*

Virgines etiam Diaconissæ factæ.

Procedente autem tempore Virgines quoque factas Diaconissas quidam existimarunt, uti Balsamon ad Can. 19. Concilii Nicæni, & Zonaras ad eumdem Canonem. Constitut. Eccl. Collect. lib. 3. ex Novellis tit. 1. in Biblioth. Juris Canonici col. 1317. *quæ ordinetur Diaconissa, virgo sit, aut olim in unius viri contubernio vixerit, & prope ab annis quinquaginta*. Vidua vero, de qua supra ex præscripto Apostoli loco cit. *eligatur non minor sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Harum porro Diaconissarum ministerium erat primo, quod mulieres ad Baptismum venientes honeste nudabant & exuebant (quod & observat Card. noster) ne quid baptizantis oculis inverecunde ingereretur, uti docet Epiphanius hæresi 79. quæ est Collyridianorum, & in Exposit. Fidei; idipsum habetur in Constitut. Apostol. lib. 3. cap. 15. Imperitas etiam mulieres ante baptismum docebant, uti patet ex Concil. Carthaginensi IV. Can. 12. Earumdem item officium erat frontes mulierum sacro Chrismate ab Episcopo illitas abstergere, aut colligare. Præerant insuper foribus Templi; hinc Ignatius Epist. ad Antiochenos eas vocat sacrorum vestibulorum custodes, & Constit. Apostol. lib. 2. cap. 57. *stent Diaconissæ ad introitum mulierum*, in Templis nempe, *eumque custodiant*. Ægris etiam ministrabant, ut docet Hieronymus Epist. 2. ad Nepotianum: *multas*, inquit, *anus alit Ecclesia, quæ officium ægrotanti præstant, & beneficium accipiunt ministrando*: quod & memorat in Epist. ad juniorem viduam Salvinam. Tempore item persecutionum, cum ob pericula, vel ob suspiciones infidelium ad mulieres mitti non posset Diaconus, mitte-

Diaconissarum officia.

mittebatur Diaconissa, ut consilio, & exhortatione mandata Episcopi, vel Parochi perferret, fideles in fide roboraret, & in persecutione consolaretur. Corpora etiam mortuarum mulierum lavabant, & ad sepulturam componebant. An vero Diaconissæ Laicis annumeratæ fuerint, affirmant Eruditi fere omnes, cum id pateat ex Can. 19. Concilii Nicæni, quod ita Dionysius Exiguus interpretatur: *Meminimus autem de Diaconissis, quæ in eodem habitu esse probantur, quod non habeant aliquam manus impositionem, & ideo modis omnibus eas inter Laicos deputari*: Vide Baronium ad an. Christi 34. n. 283. Patet insuper ex dicto eorum ministerio, quo nullam datam fuisse constat potestatem aliquid muneris Sacerdotalis in Ecclesia administrandi. E contra *Cataphrygæ* hæretici tales ordinari posse dicebant: *iisque authoritatem in Ecclesia vindicabant ministerii*, inquit Ambrosius in cap. 3. Epist. 1. ad Timoth. Eundem errorem Acephalis tribuit Marianus Scotus, & Sigebertus in Chronico an. 525. vel 526. Hæ postea paulatim abrogatæ fuerunt, at quando, vix quidquam certi haberi potest. Concilium Laodicenum Can. XI. statuit, *quod non oportet eas, quæ dicuntur Viduæ seniores, vel præsidentes in Ecclesia constitui*. Earumdem etiam Ordinationem prohibet Can. 26. Concilii Arausicani I. celebrati an. 441. Concilii Epaonensis an. 515. Can. 21. Porro de Diaconissis, & earum officiis vide etiam Theoph. Raynaudum de Sobria alterius sexus frequent. cap. 8. ubi de iisdem plura differit.

Manuum impositio super Diaconissas in earum electione non Sacramentalis, sed mere cæremonialis.

(11) *Honestati consulatur*) Ita Epiphanius loco citato, & licet in earum electione manuum impositio ipsis ab Episcopo impertita legatur apud Authorem Const. Apost. lib. 8. cap. 19. item apud Venantium Fortunatum in Vita Sanctæ Radegundis, & Surium ad diem 13. Augusti, alibique; hæc tamen manuum impositio mere cæremonialis, neque ad aliquem Ecclesiasticum Ordinem conferendum directa, aut Sacramentalis erat, uti docte ostendit Hallier de sacris Elect. parte 2. sect. 4. cap. 2. §. 6. num. 13. quippe cum multæ ejusmodi manuum impositiones ad quamlibet orationem admitterentur, ut ejus efficacia, Deique protectio imploraretur, quemadmodum ex Augustino lib. 3. de Baptismo adv. Donatistas, Hincmaro Remensi lib. de Var. Capit. Eccl. cap. 16., aliisque colligere est. Clarissimus est Concilii Nicæni I. Can. 19. ubi statuitur, *quod istæ Diaconissæ, nec Ordinationem habeant, ideo modis omnibus eas inter Laicos deputari*. Id etiam admittit Justellus Bibl. Jur. Can. in not. ad hunc Canonem Tom. I. pag. 75., licet eidem refragetur nuperus alter Hæreticus Scriptor Josephus Binghamus Origin. Eccl. lib. 2. cap. 22., qui hanc manuum impositionem, aliquid plusquam simplicem cæremoniam, aut benedictionem importasse, & Diaconissas ad certum Ecclesiasticum Officium consecratas fuisse frustra contendit; at Justello, nobisque assentitur vel ipse Samuel Basnagius in Annal. ad an. 35. n. 17. asserens hujusmodi manuum impositionem super Diaconissas eamdem fere esse, ac quæ *omnes mortalium benedictiones pervagabatur, ut & benedicendis pueris adhiberetur*.

Duplex quippe olim erat manuum impositio, benedictionis nempe, & ordinationis, illa communis omnibus, sive pueris, sive viris, aut fœminis benedicendis, ac proinde etiam Diaconissis, hæc viris tantum ordinandis propria.

Et sane duplex olim χειροθεσίας, εὐλογίας videlicet, & χειροτονίας, benedictionis, & ordinationis, ut ait Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in Concilio Nicæno II. Act. I. Tom. 3. Concil., nec manuum impositio semper fuit consecrationis symbolum, sed & orationis super hominem, cui manus imponebantur. Prima, quæ ad ordinationem pertinet, ea est, de qua Paulus ad Timoth. I. cap. 14. Secunda benedictionis tantum, seu orationis adhiberi erat etiam solita reconciliandis pœnitentibus lapsis, & hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam. Diaconissarum quoque ordinatio extat apud Syros, quæ legitur in eorum Pontificali pag. 144. fuse de ipsis etiam differit Gregorius Bar-hebræus Abulpharagius in Nomocanone cap. 7. sect. 7. & ex ipsis Clar. Præsul Joseph Simonius Assemanus in sua Differt. de Monophysitis n. x. Tom. 2. Biblioth. Orient. initio, ubi earum Ordinationem, Potestatem, & Officia describit. De his etiam Arcudius de Sacram. lib. 6., cap. 10., qui & ibi docte probat Diaconissas in Ecclesia Orientali nullum habuisse sacrum Ordinem, sed dumtaxat Ecclesiæ ministerium. Porro officium hujusmodi Diaconissarum apud Syros diutius durasse, quam apud Græcos constat ex Michaelis Syrorum Patriarchæ Canone, qui in dicto Pontificali loco citato legitur, & ejus authoritate publicatus fuit; Obiit Michael an. 1511. uti notat laudatus Assemanus ubi supra pag. 369. Celebres sunt præ cæteris apud Syros Olympias Diaconissa, cujus frequenter meminit S. Joannes Chrysostomus, & Anastasia, ad quam Severus Patriarcha Antiochenus Epistolam misit. Utriusque memoria apud eosdem recensetur in eorum Kalendario Sanctorum, & de S. Olympiade in Martyrologio Romano ad diem 17. Decembris.

Diaconissarum ætas requisita primo 60. annorum, deinde 40.

Sed de Diaconissarum ætate olim ad hujusmodi in Ecclesia, & extra ab ipsis exercendum officium requisita, id quod prætermisit Card. noster, differendum est. De hac diserte Apost. Paulus I. ad Timoth. cap. 5. 9., scribens, ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, ... si omne opus bonum subsecuta est*. Ad hunc itaque Pauli locum respexit Theodosius Imperator Cod. Theodos. lege 27. tit. de Episc. & Cler. *Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad Diaconissarum consortium transferatur*. Consimile scribit Sozomenus, ubi de Theodosio, ejusque legibus loquitur, & utroque antiquior Tertullianus lib. de Virg. velandis cap. 9. *Ad quam, inquit, sedem præter annos sexaginta non tantum univiræ, idest nuptæ aliquando eliguntur, sed & matres, & quidem educatrices filiorum, scilicet ut experimentis omnium affectuum structæ facile norint cæteras & consilio, & solatio juvare*. Ad id muneris adlegi non dedignabantur vel lectissimæ, & nobilissimæ matronæ. Talis fuit Sancta Olympias præfata locuples vidua; Talis & Publia, de qua item

supra

supra, quæ ob singularem pietatem illustris, Diaconissatus officio dignata est; item Pentadia, de qua Card. Baronius ad ann. 398. num. 60., Procula, de qua idem ad ann. 404. n. 41. omnes Diaconissæ Ecclesiæ Constantinop., aliæque permultæ. Procedente autem tempore Justinianus Imperator Novella 6. cap. 6. iisdem Diaconissis, sive viduis, sive ex choro Virginum seligendis ætatem prærequisitam moderavit, eamque ad quinquaginta annorum terminum redegit, etsi quoad Virgines eamdem in Episcoporum arbitrio reliquisset, quod tamen in Ecclesia Orientali tantum observatum fuit. Plurimum enim aucto per universum orbem fidelium numero jam a Concilii Oecumenici Chalcedonensis anno 451. celebrati canone 15., ac multo post Wormatiensis sub Carolo Magno can. 73. quadraginta annorum ætatem in Diaconissis sufficere concessum est. Sic in indicato canone statuunt Chalcedonenses Patres: *Diaconissam*, inquiunt, *non esse ordinandam ante quadragesimum annum, eamque sub accurata examinatione . . . . si autem postquam ordinatione suscepta in ministerio aliquo tempore permansit, se ipsam matrimonio tradiderit Dei gratiæ injuriam faciens, ea una cum illo, qui ei conjunctus est, anathematizetur*. Idem & consimilibus verbis statuit Concilium Aurelianense II. anno circiter 533. celebratum can. 16. quo eædem, *si ad conjugium iterum devolutæ probantur, a communione pellantur*.

Diaconissæ quando desierint esse in Ecclesia.

Hinc patet hujusmodi Diaconissas tam Viduas, quam Virgines ad vitam cælibem ducendam adstrictas fuisse, & hac de causa memoratæ Synodi, sicut & in suis legibus laudati Imperatores, provectiorem in viduis, quam in virginibus ætatem requiri voluerunt, quia nimirum in viduis ob habitum conjugii difficilior est, quam in virginibus continentiæ observatio, ad quam, utpote Diaconissæ, adstringebantur. Quando autem desierit in Ecclesia hujusmodi Diaconissarum ministerium variæ sunt Eruditorum opiniones, quas refert Gaspar Ivenin de Sacram. Dissert. 9. quæst. 5. cap. 2. easque ibi confutat. Card. noster optime inquit „ ante annos fere sexcentos cessavit in Occidente earum ordinatio, & ministerium; in Oriente vero jam desierat vivente Balsamone &c., cui sententiæ tamquam veriori, aut saltem probabiliori subscribit laudatus Oratorii Gallicani Presbyter asserens „ dicendum Diaconissas non speciali alicujus Concilii decreto, sed sensim sine sensu post annum millesimum desiisse apud Occidentales. Nec mirum; cum enim post illud tempus infantes tantum, illis scilicet diebus, baptizari cœperint, adulti quam rarissime, cum baptismus per immersionem (exceptis paucis Provinciis) conferri desierit, cum virorum sedes in Ecclesia a mulierum sedibus non fuerint amplius distinctæ, opus non fuit Diaconissis, quæ tum baptismi, tum aliorum rituum officiis perfungerentur „ Hæc scite Iveninus. Et sane adhuc seculo octavo Diaconissas viguisse constat ex can. 2. Concilii Romani an. 721. celebrati sub Gregorio Papa II., ubi habetur: *Si quis Diaconam in conjugium duxerit, anathema sit.*

Fuerunt præterea & aliæ, nonnisi per extrinsecam denominationem noncupatæ Diaconissæ a viris, quibus nupserant, priusquam in Diaconos promoverentur, ut habetur ex Conciliis Turonensi II. circa an. Domini 570. can. 13., & Antissiodorensi an. 590. can. 21. Qua ratione dictæ leguntur Presbyteræ, & Episcopæ, ex eo quod virorum postea in Presbyteros, & Episcopos assumptorum uxores fuerunt, uti pluribus exemplis declarat Card. Baronius ad an. Christi 34. num. 289., aliisque locis; & quamvis illi hac de re litem more suo intentet Basnagius ad sequentem annum 35. num. 16. cum tamen istiusmodi quæstio, quam movet, nonnisi de nomine sit, non est cur diu in eadem discutienda immoremur. Cæterum magni Critici Flottemanvillæi censuram, notamque haud merebatur, quod ait Baronius in Diaconissis *sæpe nomen Presbyteræ, & aliquando etiam Episcopæ* reperiri; videmus quippe etiam nunc nuptas mulieres ex communi vulgi appellatione, apud antiquos etiam usitata, iisdem dignitatum, officiorum, ac munerum titulis, quos earum viri habent, quibusque vocantur, ipsas item ab omnibus extrinseca, ut diximus, denominatione vocitari. Eo pariformiter modo fœminæ olim, quæ mutuo consensu separatæ a viris suis, hisque ad Presbyteratum, vel Episcopatum promotis, ipsæ inter Diaconissas cooptatæ, eadem populari nuncupatione dici improprie, & vocari Presbyteræ, aut Episcopæ poterant, non quod tales essent, vel esse possent, sed quod a viris quondam suis id agnomen ipsis additum acciperent, quemadmodum Erasmus Basnagio haud ingratus, ad amicum de quodam Lutherano Episcopo, lepide scribens, ait: „ vidi Episcopum, & Episcopam cum episcopulis suis.

Porro de Diaconissis, præter jam indicatos Authores, vide Assemanum Bib. Orien. tom. 3. par 2. Diss. de Syris Nestorianis §. x. Item novissime eruditam de iisdem dissertationem texuit cl. Agnellus Honoratus Canonicus Aversanus in suis Dissertationibus Eccl. Dissert. 3., cui adjungendus nuperrimus Amedeus de Cæsare Ord. Min. in sua Hæreseologia tom. 3. pag. 90. & seqq.



§. XVI.

§. XVI.

De Subdiaconis. Quando cœperit Subdiaconatus inter sacros Ordines recenseri. Quæ sint officia Subdiaconi.

SEcundus ministrantium locus Subdiaconorum est, quorum licet expressa mentio in sacris Litteris non reperiatur, eorum tamen institutio vel ad Christum, ut recentiores Scholastici existimant, vel ad Apostolos referenda est. Fuisse Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos asserit Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum apud Eusebium *lib. 6. Hist. Eccl. cap.* 43. Eodem ævo Optatum quemdam in Africa Subdiaconum a se ordinatum scribit Cyprianus *Epist.* 24. (1) Eorumdem mentionem faciunt Ignatius Epist. ad Antiochenos, (1)
Constitutiones Apostolicæ *lib.* 8. & Concilium Laodicenum (2) (Can. 20. (2)
21. 22. & 25.). Ab initio & deinceps per aliquot secula Subdiaconatus inter minores Ordines numerabatur, nec ei annexus erat cœlibatus. Quamvis enim Concilium Illiberitanum *Can.* 33. Subdiaconis indixerit continentiam, certo constat hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hispania tunc fuisse receptam, ut Morinus demonstrat *Par.* 3. *sacr. Ordin. exercit.* 12. *cap.* 5. Post sextum vero seculum vix aliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentiæ voto adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II. (3), (3)
qui Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur, ut testatur Gregorius Magnus ejusdem immediatus successor *Epist.* 42. *lib.* 1. *&* 34. *lib.* 3. A Romana autem ad alias Occidentis Ecclesias eadem institutio propagata est: qua occasione paulatim cœpit hic Ordo a minoribus separari, & majoribus ac sacris accenseri. Nam cum prius extra Sanctuarium & Altare conferri soleret, invaluit postea quorumdam Episcoporum consuetudo eum intra Missarum solemnia conferentium, & ita sensim majoribus æquiparatus est. Multum nihilominus tempus intercessit, antequam certa & inviolabili lege inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno 1200. relatus a Menardo in lib. Sacram. *pag.* 280. ait: *De novo institutum est Subdiaconatum esse sacrum Ordinem* (4). Diffuse agit de Subdiaconorum conti- (4)
nentia Lupus Par. 3. Synodorum Differ. 1. Procem. c. 3. Subdiaconi officia ex Romano Pontificali hæc sunt. Aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, Pallas Altaris & Corporalia abluere, Calicem & Patenam in usum Sacrificii Diacono offerre, oblationes quæ veniunt ad Altare, suscipere, ut ex iis quantum satis est in Altari ponatur. Eadem fere referunt antiquissima Ritualia edita a Morino. Isidorus *Epist. ad Ludifredum Cordubensem Episcopum* ea sic recenset. *Ad Subdiaconum pertinet Calicem & Patenam ad Altare Christi deferre; & Levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque & aquamanile & manutergium tenere Episcopo: Presbyteris & Levitis pro lavandis ante Altare manibus aquam præbere.* Addit Alcuinus ejusdem ministerium esse, ut deferat Diacono linteum, super quod consecrandum est Corpus & Sanguis Domini: & ut peracto Sacrificio, quæ superfuerint a Diacono colligenda, vel deportanda suscipiat. Olim nec Calicem, nec patenam, nec oblationes in Altari ponebant, sed hæc omnia porrigebant Diaconis, eisque serviebant intra Sanctuarium; sed ad Altare minime accedebant. De legenda ab illis Epistola nihil legimus in antiqua eorum Ordinatione, nec apud veteres Scriptores: hoc enim munere Lectores fungebantur, ut suo loco ostendemus. Ex Concilio

Subdiaconis jam a seculo sexto continentiæ votum indictum, ac propterea inter sacros hic Ordo accensitus.

Subdiaconi officia describuntur ex Pontificali Romano.

lio IV. Carthaginensi constat licuisse eis vasa sacra contingere, sed vacua nam cum Corpus & Sanguinem Christi continent, id illis prohibitum fuit cap. 21. Concilii Laodiceni, quo sancitur non oportere ministrum (id est Subdiaconum, qui Diacono ministrat) locum habere in Diaconiis, & sacra vasa tangere. Sic enim hunc canonem, & quidem recte, Balsamon interpretatur. Apud Græcos Subdiaconi extra Sanctuarium ordinationem suscipiunt, vasa sacra contingunt, sed non in Missarum solemniis. Ipsa autem vasa abstergunt, ornant, disponunt, ut sacrificio apta sint. Jubente Diacono profanos ab Ecclesia expellunt, cum scilicet Diaconus dicit, ut catechumeni discedant. Portas Sanctuarii custodiunt, ne quis indignus ingrediatur: & prope illas commorantur, ut sint parati ad jussa Diaconi capessenda; ad Altare vero non accedunt. Tricerium, & luminaria in sanctuario præparant, Epistolam autem in Missa non legunt. Hæc sunt Græcorum Subdiaconorum munia ex Euchologio excerpta, ex quibus liquet eos a Latinis multum differre, nostrisque Acolythis magis, quam Subdiaconis similes esse (5). (5)

(1) *Scribit Cyprianus Ep. 24.) Fecisse me sciatis*, inquit, *Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confessorem*. Idem Cyprianus decies ad minimum in Epistolis suis Subdiaconorum meminit, scilicet Ep. 8. 20. 29. 34. 35. 45. 78. & 79. edit. Oxon. ex nova Felli recensione.

(2) *Et Concilium Laodicenum*) Circa ann. Dom. 365. celebratum can. 21. & 25., sed & can. 22. præcipitur: *quod non oportet subministros ferre orarium*. Subministri autem dicuntur Hypodiaconi, ut Zonaras, Harmenopolus, Aristenus, & Balsamon exponunt apud Beveregium Pandect. Can. tom. 1. pag. 553. & 2. pag. 193. Arabicus autem Interpres apud Assemanum Biblioth. Orient. tom. 3. parte 2. pag. 805. hunc canonem sic reddit: *Quoniam nonnulli Ministri in rebus hujusmodi ambitionem quærunt, præcipit sancta Synodus non licere Hypodiacono oraria humero pendentia instar Diaconorum deferre, sed ea collo circumdare, ut famuli Regum faciunt*. Quibus verbis alludere videtur ad Syrorum morem, qui Subdiaconis Orarium quidem permittunt, sed collo circumligatum, non ex humero pendulum. Quare nescio cur Isaacus Habertus, cætera eruditissimus in notis ad Archieraticon, seu Pontif. Græcorum pag. 49. apud *Græcos* (asserat) *serius auditum Hypodiaconi nomen, quod apud sanctum Athanasium primum legi epist. ad Solitarios. Ariani* (inquit) *rapuerunt Eutychium Hypodiaconum Ecclesiæ præclare ministrantem*; cum præter memorata ab Eminentissimo monumenta Græca Athanasio priora, Subdiaconi expressa mentio fiat in Canonibus Apostolorum, quos Nicæno Concilio anteriores fatentur omnes, & alibi ostendimus can. 43. *Subdiaconus aut lector, aut Cantor similia faciens &c.*, & Canon. 69. juxta Græcorum Ordinem: *si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus &c.* Item in Concilio Antiocheno Athanasii tempore celebrato, quod Catholicum fuisse pluribus evincit Emm. Schelestratius can. 10., ubi hæc habentur; *quod Chorepiscopi ordines inferiores usque ad Subdiaconatum dare possint*: Denique Epiphanius Athanasio coævus in Expositione Cath. fidei, seu Anchorato, ubi de sacris Ecclesiæ Ordinibus Hypodiaconatus meminit, & S. Ephræm prædictis ætate suppar in Sermone Parænetico de secundo Domini adventu: *Tunc Clerici*, inquit, *ab aliis Clericis dividentur, Episcopi ab Episcopis, Diaconi ab aliis Diaconis, & Subdiaconi, Cantores, atque Lectores a se invicem*; Quibus testimoniis addi posset Liturgia sancto Marco Evangelistæ tributa, ubi ait: *memento etiam ubique degentium Orthodoxorum . . . . . Diaconorum, Subdiaconorum* &c., quare ex his plenissime constat, quam antiqui etiam in Ecclesia Græca Subdiaconi sint.

Subdiaconi Subministri dicti.

Subdiaconorũ nomen & officium antiquissimum.

(3) *Tempore Pelagii II.*) Immo Leonis I. tempore, qui in Ep. 12. edit. Quesnell. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 4. pag. 223., hæc diserte scribit: *Nam cum extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut, & qui habent sint tamquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares*; eadem tradit epist. 2. ad Rusticum Narbonensem cap. 3. p. 207.

Subdiaconis jam a seculo quinto nubere vetitum.

(4) *Subdiaconatum esse sacrum Ordinem*) Idem innuit, qui eodem seculo duodecimo vixit, Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis in Anglia serm. 47. ad Sacerdotes, & Prælatos in Synodo congregatos Bibl. PP. edit. Lugdun. tom. XXIV. col. 1459. *Primo*, inquit, *notandum occurrit, quia productior est ascensus ad hunc gradum nunc* (nempe Sacerdotis) *quam in primitiva Ecclesia, in qua qui tantum fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos: introducti postea sunt quidam minorum ordinum gradus, per quos tamquam per Canticagraduum ascenditur ad Sacerdotium*. Atque inter hos primo Subdiaconatum recenset. Legendus hac de re Franciscus Pagi in Brev. Gestorum Pontificum in Urbano III. num. 8. & 9. tom. 2. pag. 75., ubi Subdiaconatum usque ad finem seculi XII. inter minores ordines recensitum, postea ab Urbano III. sacris Ordinibus accensitum diserte probat. Item Natalis Alexander tom. 4. Hist. Eccl. edit.

Subdiaconatus circa seculum XII. certa & inviolabili lege sacris Ordinibus accensitus.

edit. Lucen. cum notis P. Constantini Roncagliæ, ubi pag. 80. ipse sic ad illum observat: „ Putat Innocentius III. *c. a multis de æt. & qual. Præfic.* Subdiaconatum relatum fuisse inter sacros, seu majores ordines ab Urbano II. cum etenim lex canonica præciperet ne Episcopi, nisi ex sacris, seu majoribus ordinibus assumerentur, iis Subdiaconatum accensendum indulsisse videtur, quia annuente Romano Pontifice, vel Metropolitano, etiam Subdiaconum ad Episcopalem Cathedram evehi posse concessit. Verum Thomassinus *vet. & nov. Discipl. p. 1. l. 2. c.* 33. animadvertit Innocentium in eo laborasse, quod putaverit Urbanum Subdiaconatum in sacrum ordinem retulisse, cum ipsius decretum apud Ivonem Carnotensem *p. 5. c.* 7. sub nomine Concilii Beneventani relatum, & apud Gratianum *d.* 60. *c.* 4. sub nomine Urbani, qui Concilio præfuit, manifeste asserat Presbyteratum, & Diaconatum dumtaxat inter sacros ordines computatos. Præterea cum in eo ex sola indulgentia permittatur Subdiaconos in Episcopos eligi, clarum est hunc Ordinem nondum inter sacros, seu majores accensitum, necessaria etenim tunc non fuisset dispensatio. Dum pariter idem Innocentius *cap. Miramur de serv. non ordinand.* videtur dicere S. Gregorium M. & Urbanum II. Subdiaconatum ad sacrum ordinem extulisse, ita illum interpretatur Thomassinus, ut significare voluerit præfatos Pontifices viam stravisse, ut sacris ordinibus adnumeraretur; cum Gregorius Subdiaconos continentiæ vinculo illigaverit, & Urbanus ex indulgentia concesserit in Episcopos eligi. Concludit Thomassinus, Subdiaconatum ab ipso Innoceotio inter sacros ordines relatum, dum concessit, ut Subdiaconi non minus quam Presbyteri, & Diaconi in Episcopos libere eligerentur, intacta prisca lege, quod nonnisi ex habentibus sacros ordines possent assumi „. Hæc erudite Constantinus Roocaglia.

Verum, ut meum proferam sensum, nihil aliud videtur Innocentium III. in dicto cap. *Miramur* voluisse, quam Subdiaconatum paullatim a minoribus ordinibus separari, & majoribus, ac sacris accenseri cœpisse a tempore Gregorii Magni, qui an. 591. prohibuit ne imposterum quis ordinaretur nisi continentiam servare spopondisset, ut constat ex ejus epistola 42. lib. 1. Registri, quam constitutionem innovavit Urbanus II. in Concilio Melphitano an. 1089. can. 5. & in Romano III. an. 1099. can. 14. Et licet Innocentius lib. 1. Decr. cap. *A multis* dictam Urbani constitutionem referat, ex qua videtur hujus Papæ tempore Subdiaconatum inter sacros ordines recensitum fuisse, nihilominus ex dicta Decretali arguitur quidem eumdem esse cum sacris ordinibus Presbyteratu, & Diaconatu computatum habita tantum ratione ad continentiam, cui ex compromisso tenebantur Subdiaconi *ad similitudinem Diaconi, & Presbyteri*, ut ait idem Innocentius, non vero quod cum istis ille sacer ordo declaratus fuerit, (eodem aliquatenus modo, ut supra diximus de Diaconissis, quæ ad castitatem servandam adstrictæ erant, etsi earum ministerium in Ecclesia vere ordo non esset, nisi improprie) uti testantur Scriptores omnes, qui post Urbanum II. vixerunt, inter quos Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. parte 3. cap. 13. Philippus Abbas Bonæspei Ord. Præmonstratensis in Tractatu de continentia Cleric. cap. 107. aliique, qui omoes Subdiaconatum minoribus dumtaxat ordioibus, non sacris adscribunt, & nondum illum inter hos relatum affirmant. Quare si alicui Urbano Papæ hæc Subdiaconatus elevatio ad sacros ordines tribuenda sit, nulli alteri, quam tertio convenire potest, utpote qui deceonio ante Petrum Cantorem, qui *de novo institutum Subdiaconatum esse sacrum ordinem* asserit, diem suum obierit. Neque in contrarium audiendus Joannes Morinus, qui in lib. de Sac. Ordin. par. 3. Exerc. 12. cap. 5. num. 7. existimat *hoc fieri cœptum ante annos octingentos*, illum enim refellit Edmundus Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 8. art. 1. num. 6., ubi recte notat id nondum factum an. 1091., quo Urbanus Papa II. Concilio Beneventano præsidens decrevit: *Ut nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus; saeros autem*, inquit, *ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Atque inde satis prædicta confirmantur.

Subdiaconi olim, & nunc sine manuum impositione ordinati, tum apud Græcos, tum apud Latinos.

(5) *Magis quam Subdiaconis similes esse*) Porro circa Subdiaconorum ordinationem notandum, quod Auctor Constitut. Apost. lib. 8. cap. 21. per impositionem manuum ordinandos esse statuit: *quando Subdiaconum ordinas, Episcope, impone super eum manus, & dices: Domine Deus &c.* Verum id unus scribit; non eoim hæc Ecclesiæ Græcæ, cujus consuetudines præcipue prænotare videtur, praxis fuisse comperitur, siquidem Basilius Magnus testis fortasse multo dignior de inferioribus ordinibus universis, inter quos utique olim Subdiaconatus erat, dicit Epistola can. 51. quod sint sine impositione manuum consecrati; ibi enim loquens de Clericis lapsis, quos ab officio, & ministerio Canones removeri jubent, ait: *sive sint in gradu, sive etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseverent*; Et quoad Ecclesiam Latinam ex Concilii Carthaginensis IV. can. 5. apud Schelestratium de Ecclesia Africana Dissertat. 2. cap. 7. pag. 109., & Concil. tom. 2. col. 1200. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum.* Hinc aliud Concilium Carthaginense V. can. 2. *si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur*; rationem reddit Sanctus Leo Magnus Ep. 90. c. 2. ad Rusticum Narbonensem: *alienum est*, inquit, *a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi*; Ubi vides nullam de Subdiaconis mentionem fieri, quia ipsi impositionem ma-

mum

nuum in sua ordinatione non receperunt, sicut Presbyteri, & Diaconi.

Olim etiam Subdiaconi Episcoporum suorum legati ad extraneos, fortasse in Diaconorum absentia.

Olim etiam Subdiaconorum officium extra Ecclesiam erat legationem Episcopi acceptis ab eo litteris, & mandatis ad extraneos obire. Hinc S. Cyprianus in exilio scribens ad Clerum suum Carthaginensem Epist. 24. edit. Felli, alias Pamelii 29. *quoniam*, ait, *oportuit me per Clericos scribere, scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos vero, qui illic sunt, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere, necesse fuit novos aliquos constituere, qui mitterentur, fecisse me sciatis lectorem Saturum, & hypodiaconum Optatum Confessorem*. Idem etiam Cyprianus ad Clerum Romanum scribens id ibi etiam in usu fuisse indicat: *eamdem*, inquit, (Ep. 4.) *ad vos authenticam epistolam remisi, ut recognoscatis an ipsa sit, quam Clementio Hypodiacono perferendam dedistis*. Id autem officium obibant Subdiaconi, fortasse in Diaconorum absentia; horum enim, ut diximus supra, peculiare erat hujusmodi officium. Aliud item Subdiaconorum munus colligo ex S. Silvestri Papæ constituto apud Anastasium in ejus vita; ait ille: *Hic constituit, ut si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset prius Ostiarius, deinde Lector, & postea Exorcista per tempora, quæ Episcopus constituerit, deinde Acolythus annis 5. Subdiaconus annis 5. Custos Martyrum annis 5. Diaconus annis 7. Presbyter annis 3. . . . Et sic ad ordinem Episcopatus ascenderet*: Vides inde priscis temporibus, seculo scilicet quarto ineunte inter cætera Subdiaconi officia fuisse Martyrum custodiam, quod postea sacrum onus honoris gratia Diaconis, Presbyteris, atque etiam Abbatibus delatum est. Vide Cangium in Glossario med. & infim. Latin., vocibus *Capellanus*, *Custos*, *Martyrarius* &c.. Sed post sacros ordines ad reliquos Minores procedamus.

Item priscis temporibus Subdiaconi custodes Martyrum designati.

§. XVII.

Minorum Ordinum antiquitas, & origo. Asseruntur de singulis veterum Patrum testimonia. Apud Græcos soli Lectores ordinantur.

TErtia classis ministrantium Clericos minorum Ordinum complectitur, Acolythos scilicet, Exorcistas, Lectores, & Ostiarios; quos antiquissimos esse, & ab Apostolis, vel ab immediatis eorum successoribus institutos Doctores scholastici asserunt, sed non probant. Suspicatur Arcudius *lib. 6. de sacram. cap. 9.* omnes minores ordines unica hypodiaconi voce a priscis Patribus comprehensos, eo quod Diacono singuli subessent; sed hæc levissima suspicio est. Eorum distincta mentio nec in Actis, aut Epistolis Apostolorum, nec apud Patres primi & secundi seculi reperitur (1). Constitutiones Apostolicæ, ex quibus testimonia pro aliquibus ex his Ordinibus accipiunt, posterioris ævi sunt, ut alibi diximus. (1) Nec suffragatur illis Epistola Ignatii ad Antiochenos, quam licet admittamus ut legitimam, contra quam sentiant Critici heterodoxi, solidum tamen ex ea argumentum pro omnibus sumi non potest, quia nec singulos enumerat, & inter eos Laborantes recenset & Cantores, miscens simul ordines & officia Ecclesiastica. Dicendum igitur cum S. Thoma *in Supplem. tertiæ P. qu. 37. art. 2.* quod temporibus Apostolorum omnia ministeria, quæ ordinibus minoribus competunt, non a distinctis personis, sed ab uno dumtaxat ministro exercebantur, qui & Ostiarii, & Lectoris, & Exorcistæ, & Acolythi officio fungebantur. Verba Angelici Doctoris hæc sunt: *In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconibus committebantur, ut patet per Dionysium cap. 3. Eccl. Hierarchiæ, ubi dicit*, ministrorum alii stant ad portas templi clausas, alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super Altare sacrum panem, & benedictionis calicem. *Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis, (& secundum dicit Magister in litera, quod Ecclesia alios sibi Ordines instituit)*. Contigit nimirum Ecclesiæ, quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo

In primitiva Ecclesia omnia ministeria, quæ Ordinibus minoribus competunt, ab uno tantum exercebantur.

ſervo contenti ſunt, qui ſolus omnia adminiſtrat. Si vero redditus augean-
tur, ſervorum etiam augetur numerus; eoque magis creſcit familia, quo
illi locupletiores, & ſpectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis
initio parvula adhuc, & latitans Eccleſia paucis indiguit Eccleſiaſticarum
functionum miniſtris (2). Creſcente autem credentium multitudine, & au- (2)
ctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum ſoli Diaconi non poſſent
omnibus incumbere, diverſa onera & officia diverſis perſonis diſtributa
ſunt; ex quo factum eſt ut ſplendidiori, & auguſtiori apparatu Eccleſia-
ſticarum functionum cæremoniæ peragerentur. Græci ex his Ordinibus unum

Græci ex minoribus Ordinibus unum tantum agnoſcunt, nempe Lectoratum.

tantum agnoſcunt, nempe Lectoratum, cæteros prætermittunt: quem mo-
rem in Eccleſia Orientali vetuſtiſſimum eſſe Euchologia ante annos octin-
gentos ſcripta, antiqui quoque Canones Conciliorum, quæ in illis regioni-
bus celebrata ſunt, & Græcorum Antiſtitum, quorum doctrinam, & ſan-
ctitatem Chriſtianus orbis ubique colit & veneratur, exempla ac monumen-
ta evincunt. Agit de hac re (docte, & diffuſe) ſæpe laudatus Morinus
par. 3. *exer.* 14. (de Sacr. Ordinat.) (3). Quod ſi alicubi præter Le- (3)
ctores alios etiam legimus, certum eſt eos nudum miniſterium habuiſſe
abſque ulla ordinatione, vel manuum impoſitione, ſed ſola deſignatione &
arbitrio Epiſcoporum. In Eccleſia autem Occidentali diſtinctam mentio-
nem omnium Ordinum minorum habemus in Concilio Romano ſub Sil-
veſtro; nam *can.* 7. Acolythi, Exorciſtæ, & Lectores; *can.* 9. Oſtiarii no-
minantur. In Concilio item Carthaginenſi IV. ſub Anaſtaſio *can.* 6. *& ſe-
quentibus* materia & forma ſingulorum præſcribitur. Non ignoro hæc duo
Concilia a quibuſdam Criticis ſuppoſititia cenſeri (4), ſed quicquid de illis (4)
ſit, alia ſuppetunt certiora ab antiquioribus teſtimonia. Nam Cornelius
Papa in Epiſtola ſupra citata ad Fabium Antiochenum apud Euſebium aſ-
ſerit ſuo tempore fuiſſe in Eccleſia Romana Acolythos duos & quadra-
ginta (5), Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos (6). (5) (6)
Tertullianus Lectorum meminit *lib. de præſcript. cap.* 41., ubi perſtrin-
gens hæreticorum ordinationes tamquam temerarias, & inconſtantes, *ho-
die*, inquit, *Diaconus, qui cras Lector*. A Cypriano quoque memoran-
tur *epiſt.* 24. 33. 34. Acolythos vero idem nominat *epiſt.* 42. 55. 78. &
Exorciſtas epiſt. 76: *Quod hodie etiam geritur*, ait, *ut per Exorciſtas vo-
ce humana, & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur dia-
bolus*. Tertullianus item *lib. de ſpectaculis cap.* 26. exemplum refert mulie-
ris, *quæ theatrum adiit, & inde cum dæmone rediit. Itaque in exorciſ-
mo cum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem aggredi;
conſtanter, & juſtiſſime quidem, inquit, feci: in meo eam inveni*. Et ejuſ-
dem ævi Minutius Felix Exorciſtas quoque deſcribit adjurantes dæmones
per Deum vivum, per Deum verum. An vero iſti de Exorciſtis lo-
quantur, tamquam de Clericis ad hoc officium ſpecialiter ordinatis; vel
potius Presbyteri eo tunc munere fungerentur, ſicut revera functi ſunt
Epiſcopi, ut narrat Euſebius *lib.* 5. *hiſt. cap.* 16. agens de Montano, &
falſis ejus Prophetiis, incertum eſt. Omitto alia Tertulliani loca, quæ a
quibuſdam afferri ſolent ad hujus ordinis antiquitatem oſtendendam, *ut de
Idololatria cap.* 11. *de anima cap.* 57. *de corona milit. cap.* 11. in his enim
de ſolemni exorciſmo ſermo eſt, qui Baptiſmo præmitti ſolet. Negat Au-
ctor Conſtitut. Apoſtolicarum *lib.* 8. *cap.* 26. Exorciſtam ordinari: *nam
hoc munus*, inquit, *ſpontanea Dei erga homines benevolentiæ, & gratiæ
eſt, qui illud nimirum gratis dat cui vult*. Et quidem initio Eccleſiæ com-
munis erat hæc gratia cunctis fidelibus, ut habetur Marci ult. *In nomine
meo dæmonia ejicient* (7). Poſtea vero ſubtracta hac poteſtate conſtituit Ec- (7)
cleſia

clesia Ordinem, qui dæmonia expelleret: & Conc. Antiochenum *can.* 10. facultatem tribuit Chorepiscopis ordinandi Exorcistas. Illud autem hoc loco prætermittendum non est, quod narrat Severus in vita S. Martini. Nam cum dixisset Hilarium Pictaviensem Episcopum sæpe tentasse Diaconi officium Martino imponere, & hunc semper restitisse, subdit: *Intellexit vir altioris ingenii hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit.* Ex quo liquet, tempore S. Hilarii, qui obiit anno, ut plerique existimant, 367. ordinem Exorcistarum ab aliis distinctum, & inter humiliores seu minores computatum extitisse (8), adeo ut injuriæ tribui (8) posset, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. S. Felicem primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse Paulinus *in ejus Natali* 4. testatur his versibus:

—— *Primis* Lector *servivit in annis,*
Inde gradum cœpit, cui munus voce fideli
Adjurare malos, & sacris pellere verbis.

Minorum Ordinum distincta mentio nulla apud Patres primi, & secundi seculi.

(1) *Nec apud Patres primi & secundi seculi reperitur*) Huic sententiæ subscribunt recentiores plerique, inter quos Natalis Alexander Theolog. Dogm. lib. 2. Tract. de Sacram. Ordinis cap. 1. art. 4. quem tamen falli suspicatur Joseph Catalanus Congr. Oratorii S. Hieron. Charitatis de Urbe Presbyter in suis Commentariis ad Pontificale Romanum Parte 1. tit. 4. de Min. Ord. num. 2. At si nuperrimus hic Scriptor, quamvis in Ecclesiasticis rebus, ac Liturgicis maxime, non mediocriter eruditus ad nostri Emin. Cardinalis, cujus verba exscripsit Alexander præfatus, rationes, & momenta hoc loci allegata respexisset, ab hujusmodi nota illi plus æquo inusta fortasse abstinuisset; argumenta enim omnia, quæ in suæ opinionis confirmationem ipse adducit, Ignatii scilicet, ac Tertulliani jam diluta, & explosa ibidem novisset, cum nec singulos Ordines recenseant, & Ordinibus officia Ecclesiastica misceant: præterquamquod Epistola illa Ignatii ad Antiochenos ignota fuerit Eusebio, & Hieronymo, qui Epistolarum S. Ignatii catalogum texuere, ignota etiam antiquis Græcis Patribus, qui alias hujus Sancti Martyris Epistolas aliquoties, usquam tamen istam ad Antiochenos citasse inveniuntur; ideo non sine fundamento a plerisque etiam Catholicis eruditis viris, ut spuria, & supposititia exploditur. Hinc poterat, quin immo debuerat, non admodum cautus hic recens Criticus se continere, nedum ab ista, sed & magis a sequenti nota, qua dictum Alexandrum; & in ipso Cardinalem nostrum, ex quo post Morinum ille hausit, quæ ibidem scripsit, injuriose afficit his verbis: *Fallitur itaque* (ait) *Alexander, secutusque videtur errorem Magdeburgensium, qui ut notat Pamelius &c. Sancti Cypriani ætate circa dimidium tertii seculi primum Clero addictos fuisse ausi sunt scribere Lectores.*

Joseph Catalanus notatus.

Sane si totum Alexandri citatum articulum quartum non perfunctorie, sed attente legisset, vidisset utique de hujusmodi errore immerito, & sine ullo prorsus fundamento suspectum sugillari. Clarissimus namque hic Historiæ Ecclesiasticæ Magister, quemadmodum ante ipsum præfati Morinus, & Eminentissimus noster, non cum Magdeburgensibus Lectores primum Clero addictos sub sancto Cypriano scribit, sed hos cum reliquis inferioribus Ministris ab initio Ecclesiæ extitisse, eorum institutionem antiquissimam, quamvis illorum distincta mentio nulla in sacris novi Testamenti libris, nulla apud Patres primi, & secundi seculi inveniatur; quod, & non diffitetur Angelicus Doctor, nedum loco citato ab Emin. Authore, sed & in 4. Sentent. dist. 24. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 2. ad 2. Hinc idem cum ipso, & Eminentiss. nostro dicendum profitetur, quod in primitiva Ecclesia, hæc omnia inferiora ministeria Diaconis commissa fuerint, omnesque proinde has potestates in una Diaconi ordinatione, & potestate continebantur; postea vero eadem Ecclesia, ad ampliandum divini cultus honorem, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Angelico Doctori consonat ipsius amicissimus Seraphicus Magister S. Bonaventura, de quo infra. Hæc ex Theologorum Principibus Natalis Alexander: an forte D.D. Thomam, & Bonaventuram cum Magdeburgensibus errasse dicetur? Absit itaque, absit Catalanum judicium hoc præceps ab amico scriptore, cujus quidem immensum laborem in eruendis Liturgicarum antiquitatum monumentis suspicio, at optandum, quod ejus ingenium velox, ac fervida mentis acies omnigenæ eruditionis vorax præpropere conceptos fœtus ipsi maturius in lucem edere sinerent. At hæc dicta sint, non ut Minervam, sed ut me ipsum erudiam. Et hinc ad Ordines minores, unde digressus sum, redeo.

De his inquit Eminentissimus Author, ab Apostolis, vel ab immediatis eorum successoribus institutos Doctores Scholastici asserunt, sed non probant. Ita plane, vel enim vere & proprie Sacramenta sunt, uti communior, ac receptior Theologorum sententia est, quam fere amplectuntur omnes Scholastici veteres

Quod minores Ordines vere, & proprie sacramenta sint communior, ac receptior Theologorum sententia.

exceptis

exceptis infra nominandis, & recentiorum plerique, ex quibus Franc. Victoria in Summa de Sacramentis, Bellarminus Controver. Tom. 3. de Sacram. Ord. lib. 1. cap. 8. Valentia Tom. 4. disp. 9. quæst. 1. puncto 4. in fine, Mastrius in lib. 4. Sent. disp. 4. quæst. 2. art. 1. aliique bene multi, quos longo agmine referunt nostrorum temporum Theologi. Et sane ita videtur sensisse Concilium Florentinum, ubi enim dixit Sacramentum Ordinis esse sextum inter Sacramenta, hujusque materiam esse id, quod porrigitur in ordinatione, statim ponit exempla de Ordine Presbyteratus, Diaconi, & Subdiaconi, additque idem de reliquis Ordinibus intelligendum esse: sic autem non ab Apostolis, aut eorum successoribus hos minores ordines institutos fuisse dicendum erit, sed a Christo Domino, solius namque Dei est instituere Sacramenta; Cum vero hujus divinæ minorum ordinum institutionis monumentum ab Apostolis, aut eorum Successoribus, vel a Patribus primi, & secundi seculi expresse traditum fuisse nullatenus constet, isti non satis ex posterioris ævi scriptorum testimonio, tamquam ab eodem Christo Domino instituti comprobantur, cum omnia Sacramenta ab initio in Ecclesia extitisse certissimum sit, & proinde alio probationes desumendæ.

Alii e contra illos non esse Sacramenta contendunt.

Si vero dicti minores ordines Sacramenta non sunt, uti ex adverso plerique magni etiam nominis Theologi sentiunt, Durandus in 4. Sent. dist. 24. quæst. 2. Card. Cajetanus Tom. 1. Opusc. tract. 11. & 3. Parte quæst. 64. art. 3. Soto ibidem quæst. 1. art. 4. concl. 7. Navarrus in Manuali cap. 22. num. 18. Medina lib. 1. de continentia cap. 40. Sanchez in Concil. cap. 1. de Ordine dub. 7. Marchinus de Sacram. Ord. tract. 1. Par. 1. c. 8. prop. 1. Morinus loco jam supra citato, scil. de Sacr. Ord. Parte 3. exercit. 14. cap. 1., & præ cæteris Vasquez in 3. Partem D. Thomæ disput. 237. cap. 2. per totum, ubi hanc sententiam probabiliorem esse affirmat, quam & nonnulli recentiorum novissimi amplectuntur, Gaspar Ivenin de Sacram. disput. 9. de Ordinibus in specie quæst. 7. cap. 2. Antonius Boucat Ord. Minim. de Sacram. disp. 9., aliique plures; Eadem ratione quomodo ab Apostolis, aut eorum successoribus instituti dicentur hi Ordines, cum de istis apud illos altum fuerit silentium, nec ulla eorum mentio apud priscos primi, & secundi seculi Patres? Utut sit, quamvis Tridentina Synodus hanc de inferioribus Ordinibus controversiam seponens, & disputandam Scholasticis relinquens, ea, quæ contra Hæreticos universa constanter propugnat Ecclesia, definire tantum voluerit nullo adversus Catholicorum Theologorum opiniones edito præjudicio, scilicet sess. 23. can. 2., quo decernitur: *Præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores, & minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur*, non exprimens hic, aut alibi, an minores Ordines Sacramenta sint, necne; id quod de majoribus Ordinibus satis explicat cap. 2., atque hos sacros plerisque in locis appellat, præcipue ibidem cap. 11. & 13., nihilominus idem Concilium dicta sess. 23. can. 6. in affirmativam sententiam perspicue inclinare videtur, ibi enim Divinæ Hierarchiæ dignitatem commendans eosdem minores Ordines sub Ministrorum nomine, quo utitur, sic indigitat: *Si quis dixerit*, inquit, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.*

Hinc Tridentina Synodus hujusmodi controversiam, etsi in affirmativam partem propendens, Scholasticis disputandam reliquit.

Communi tamen Ministrorum appellatione minores Ordines comprehendi indicavit.

Ministri porro alii potiores, & principales sunt, ut Diaconi, qui Sacerdoti immediate ministrant, & Subdiaconi, qui Sacerdoti simul, & Diacono inserviunt, alii inferiores minorum scilicet Ordinum Clerici, qui Diacono, & Subdiacono obsequuntur. Hac igitur omnibus communi Ministrorum nuncupatione, Divinæ Hierarchiæ debere adscribi censuit sancta Synodus etiam minores Ordines, quatenus cum Diacono præcipuo, & primario Sacerdotis Ministro in unum veluti Sacramentum coadunantur. Quare ex Concilii Tridentini mente, quemadmodum de Subdiaconis supra ab Eminentiss. dictum est, iterum cum D. Thoma asserendum profecto erit hujusmodi inferiorum Ordinum originem ad Christum, tamquam eorum Authorem referendam, eosque proinde institutionis esse Divinæ non minus, quam Diaconatum; id autem non ita intelligendum, quod expresse, & explicite idem Christus Dominus eos Ordines instituerit; nullum enim hujus institutionis vestigium in Scriptura legitur, quemadmodum de reliquis superioribus habetur, ut sæpe dictum est, sed quod instituerit Diaconatum, in quo reliqui inferiores Ordines eminenter, & implicite continebantur, ex quo deinde lapsu temporis iidem excerpti sunt, & in varios divisi, ac separati; Ministerium siquidem Sacerdotale, quod plenarie in Diaconatu residet, non erat indivisibile, sed plura officia in sui institutione complectebatur; ad Diaconum quippe pertinebat omnium, quæ pro sacri celebratione Mysterii necessaria erant, curam habere, quæ quidem varia, & distincta ministeria primis Ecclesiæ seculis Diaconus plerumque solus obibat, dum adhuc exiguus esset fidelium numerus, quo postea in dies notabiliter excrescente sancta Dei Ecclesia dicta Diaconatus officia separavit, eaque pluribus conferens plura actu, & expresse constituit, quæ antea plura solum in potentia, & implicite in eodem Diaconatus Ordine extiterant.

Cum minores Ordines implicite in Diaconatu continerentur.

Ac propterea in Diaconatus Ordine coadunati, cum ipso & erunt institutionis divinæ, adeoque veri Ordines, veraque Sacramenta.

Ordines igitur Diaconatu inferiores, veri sunt Ordines, veraque Sacramenta, a Christo per consequens radicaliter, & originative in Diaconatus Ordine instituta, quæ licet Ecclesia non habeat auctoritatem instituendi, cum Dei solius, ut diximus, sit Sacramenta instituere, habet nihilominus potestatem diversa ministeria Ordini Sacerdotali subordinata, & in Diaconatu coadunata in varias quasi partes dividendi, & hujusmodi partes, tamquam Sacramenta partialia diversis personis conferendi, uti apud omnes Theologos certissimum est; Id autem insigniter cum D. Thoma explicat S. Bonaventura in 4. Sent. dist. 24. quæst. 1. art. 2. ad 3., ubi affirmans falsum esse solos sacros ordines fuisse in pri-

mitiva

mitiva Ecclesia, *immo*, inquit, *& alii fuerunt, sed implicite dabantur in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum, ratio autem, quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium, & propter paucitatem fidelium; ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni &c.* Hinc Magister Sententiarum, subdit D. Thomas loco citato, *secundum hoc dicit in littera, quod Ecclesia alios Ordines instituit*, nempe, ut ipse interpretatur; *quod implicite habebat in uno ordine, tradidit in diversis*. Debent itaque dicti Diaconatu inferiores Ordines ad Apostolicam, immo ad Divinam institutionem referri, quia, (ut item optime observat Clar. Franc. Amatus Pouget Oratorii Gallicani Presbyt. Instit. Cathol. Tom. 2. pag. 419.) illi sunt portio quædam Diaconatus, qui & ipse portio est Sacerdotii a Christo instituti, quod Presbyteri in sua ordinatione suscipiunt, ejusque plenitudinem habent Episcopi, & sicut in Episcoporum, & Presbyterorum adjumentum ordinati sunt ab Apostolis primi Diaconi septem, eaque ordinatione portionem quamdam, & emanationem accepere Sacerdotalis characteris, & officii, ita in Diaconorum adjumentum ordinati sunt Subdiaconi, cæterique ministri inferiores, & portionem quamdam Diaconalis potestatis ordinatione sua acceperunt; sed munia illa, & officia omnia in Sacerdotio eminenter continentur, gradusque illi varii ab eo non secus ac rivi a fonte promanant. Hucusque Sorbonicus Doctor. Proinde quia ex Divino, ut diximus, & Apostolico de Diaconorum institutione præcepto sunt eruti, juremerito ad jus Divinum pertinent, quemadmodum jus gentium, quod alioquin a jure naturæ secernitur, jus naturale vocatur, eo quod ex communissimis juris naturalis principiis per legitimas conclusiones deductum fuerit.

Uti expresse deducitur ex iis, quæ docent DD. Thomas, & Bonaventura.

Idem comprobatur ratione, & auctoritate.

Hinc etiam, cum primitus in uno Diacono hi minores Ordines Sacramenta fuerint, eadem & erunt, ac dici debent nunc diversis traditi, quia radix, unde excisi sunt, Sacramenti naturam vere, ac proprie continet, & in se habet, *si delibatio sancta est, & massa, & si radix sancta est, & rami*, inquit Apostolus ad Romanos cap. 11. 16. Audiatur iterum hac de re, quam sapientissime explicat, incomparabilis, & Angelicus Doctor in 4. Sent. distinct. 24. quæst. 2. art. 1., quæstiuncula 1. in resp. ad 2., & in supplemento tertiæ Partis quæst. 37. art. 1. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod distinctio Ordinum non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius, & ita est hic: tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis, & hoc significatum est in hoc, quod Dominus dixit Num. cap. 11. Moysi*: auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus Populi; *& ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum*. Item ibidem in responsione ad 3. *Dicendum*, (ait) *quod in Regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam Regiæ potestatis, & similiter est in Ordine.* Eapropter idem Angelicus Doctor loco indicato, quæst. 35. art. 2. in corp. ut idem argumentum prosequendo confirmet, hæc ulterius subdit, & loquens de charactere, quem etiam minores Ordines imprimunt, sic de illis ait: *alii dixerunt; quod in Sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus, sed hoc nihil iterum est, quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis in ordine ad Sacramentorum dispensationem; unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus character imprimatur, cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur. Et hæc est opinio, quæ communior est.* D. Thomæ subscribunt unanimi consensu recentiores plurimi Theologi, qui omnes Ordines etiam minores, & quemlibet illorum verum esse Sacramentum characterem imprimens indubitanter affirmant. Ita etiam clare colligitur, tum ex Concilio Florentino in Litteris Eugenii, ubi primo definit Ordinem in genere esse Sacramentum, & deinde singulas Ordinum species enumerat, tum ex Trident. cit. sess. 23., in qua cum omnes septem Ordines enumerasset, postea cap. 3. & can. 3. sacram Ordinationem determinat esse Sacramentum absque ulla restrictione ad majores Ordines, aut minorum exclusione, unde consequitur ex mente utriusque Concilii in omnibus, & singulis Ordinibus reperiri veram Sacramenti rationem, adeo ut ex Conciliorum auctoritate, communique Doctorum sententia, (inquit Clariss. D. Sebast. Giribaldus de Sacram. Tract. IX. cap. 1. dub. 2. n. 11.) jam periculosum sit contrarium asserere. Videndus prætерea notissimus P. Cler. item Reg. S. Pauli D. Gregorius Rossignolius de Ordin. in communi quæst. 1. art. 2. n. 5., & quæst. 5. art. 5. n. 7., ubi fuse de hac controversia agit.

Quo vero tempore hi minores Ordines cœperint in Ecclesia certis, ac determinatis personis conferri, scire valde obscurum est.

Hæc quoad originem dicta sufficiant; quo vero post Apostolos tempore hi minores Ordines cœperint in Ecclesia certis, ac determinatis personis conferri, id adeo implexa res est, & densa nube involuta, ut nulla possit certa conjectura deprehendi, & explicari, uti etiam advertit Cotelerius in notis ad Constit. Apostol. lib. 2. cap. 25. legitur quidem in Libro Pontificali de Hygino, qui secundo Christi seculo, anno scilicet 136. floruit, *Hic Clerum composuit, & distribuit gradus*. Quæ autem fuerit hæc Cleri compositio, & graduum distributio, divinari quidem potest, non autem definiri. Censet de eadem Baronius, quod cum ea, quæ ad Ecclesiasticam pertinent Hierarchiam, jam a temporibus Apostolorum essent composita, & ordinata, æquum sit existimare aliqua tantum antiquæ formæ ab Hygino fuisse addita, vel eadem illustrata; & id quidem non admodum a veritate alienum satis credibile est; nam sicut Evaristus, qui 40. circiter annis ante Hyginum claruit, titulos in Urbe Presbyteris divisit, ut unusquisque suæ Parœciæ terminis contineretur, ita Hyginum Clerum composuisse, & gradus distribuisse,

Quamvis eorumdem nonnulla internoscantur apud antiquos secundi seculi Pontifices vestigia.

Ita

ita ut alii superiores, alii inferiores, Presbyteri, & Diaconi, & Clerici minorum Ordinum inter se discernerentur, profecto indubium esse videtur. Et sane id ab antiquo ita fuisse dispositum perspicue constat ex praxi hujusmodi, & disciplina circa hos Ordines per insequentia secula in Ecclesia fideliter observata, qua dicti gradus, & Ordines distincte diversis personis collati leguntur, uti ex Tertulliano, Cypriano, Optato Milevitano, & Cornelii Epistola ad Fabium Antiochenum, aliisque ab Eminentissimo allatis testibus evincitur id a seculo tertio ineunte usitatum fuisse, & quidem in omnibus Ecclesiis; exemplo enim Ecclesiæ Romanæ omnium Matris, & Magistræ, quæ tunc circiter centum minorum Ordinum Clericos habebat, cæteras saltem aliquot hujusmodi inferiores Ministros habuisse pro certo est.

Item in seculo tertio ex Caji Papæ constituto.

Patet insuper ex Caji Papæ, qui eodem seculo, & non multo post Cornelium vixit, Constituto, de quo legitur in Libro Pontificali: *Hic constituit, ut omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderet, si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur.* Neque vero Cajus ipse primus hos Ordines, eorumque gradus instituit; sed jam ab Apostolorum temporibus institutos constituit, ut scilicet Episcopus electus, & consecrandus per eorum singulos ad summum Sacerdotium ascenderet, ne deinceps, quod antea a nonnullis fortasse fiebat, ordinandi, minoribus Ordinibus prætermissis, ad majores promoverentur. Id satis evincitur, ultra memoratos Patres, præcipue ex sæpe laudata Cornelii Papæ, qui 30. annis Cajum præcessit, Epist. ad Fabium Antiochenum, de qua Eusebius Hist. Eccl. lib. 6. cap. 43., ubi loquens de Novatiano, *ignorabat*, inquit, *unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat Presbyteros quidem esse quatuor, & quadraginta, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis* 52. Hinc si Summus Pontifex septem Ordines recenset, quales etiamnum Romana servat Ecclesia, neque recens institutos, aut ad majorem sacri ministerii splendorem inventos dicit, sed eos e contra velut sua ætate notissimos, & in Occidente pervulgatos enumerat, profecto supponit, atque evidenter innuit illam Ordinum distinctionem primitus in Latina Ecclesia viguisse.

Ex quibus, aliisque manifestissimi erroris convincitur Hæresiarcha Calvinus.

Quæ cum ita sint, atque ex antiquissimis, perspicuisque Ecclesiasticæ Historiæ monumentis fulcita, profecto manifestissimi erroris reus convincitur Hæresiarcha Calvinus, qui temere lib. 4. Inst. cap. 19. §. 24. dicere audet Ordines minores esse inventum novitium, de quo nusquam legitur, ait, nisi apud ineptos Rabulas Sorbonistas, & Canonistas; siquidem ante hos omnes, ut vidimus, ex allatis ab Eminentissimo, & nobis veterum testimoniis, quibus addimus Concilium Laodicenum, in cujus Cap. 24. omnes minores Ordines nominantur, Sanctum Hieronymom, qui in Cap. 2. Epistolæ Pauli ad Titum enumerat omnes Ordines, præter Acolythos; quotum meminit in Epistola ad Nepotianum de vita Clerie. & S. Isidorum, qui lib. 7. Etymolog. cap. 12. eosdem singulos recenset, ac nominum eorum rationes exponit, profecto evidentissime constat ipsos minores Ordines non novitium inventum esse, ut nequam ille blaterat novissimæ falsitatis inventor Calvinus, sed antiquissimæ institutionis, proinde juxta regulam, quam Sanctus Augustinus affert lib. 4. contra *Donatistas* cap. 24., si quod in Ecclesia universa, & omnibus retro temporibus servatum est, merito ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, ut ab Ecclesia potuerit institui, cum viderimus hucusque a primis Ecclesiæ Patribus, qui non multum aberant ab Apostolorum temporibus, tamquam jam in Ecclesia constitutos dictos minores Ordines memorari, nec ab ipsis eorum originem indicari, hos procul dubio, ut diximus, ab Apostolis derivari credendum est, uti ex supracitata Concilii Tridentini sess. 23. cap. 2., & 17. ubi *ab ipso Ecclesiæ initio, & ab Apostolorum temporibus Sanctorum Ordinum functiones a Diaconatu ad Ostiariatum in Ecclesia laudabiliter receptas* fuisse affirmat, idque *semper a Catholica Ecclesia traditum esse* docendum præscribit Catechismus Romanus tit. de Sacram. Ordinis num. 12. Plura de his minoribus Ordinibus, deque eorum antiquitate, & numero erudite congerunt post Morinum de Sacr. Ordinat. Emmanuel Schelestratius in Concil. Antioch. cap. 17. art. 2. pag. 518. ac seqq. Franciscus Hallier de Sac. Elect. Parte 2. pag. 364. & seqq. Natalis Alexander Theolog. dogmat., & moralis lib. 2. de Sacram. Ord. cap. 1. art. 4. Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. part. 2. lib. 1. cap. 8., & seqq. Ern. Zegerus Vanespen in Jus Eccl. Univ. parte 2. tit. 9., aliique plures, quos recensere non vacat.

Olim ob paucitatem fidelium unus, idemque Clericus pluribus simul officiis in Ecclesia fungebatur

(2) *Ecclesiasticarum functionum Ministris.*) Ita apud veteres Christianos, præcipue in minoribus oppidis, cum exiguus esset Clericorum numerus, unum, eumdemque Clericum duorum, aut trium munera exercuisse, & pro pluribus inservisse constat, tum ex Actis Sancti Procopii Martyris anno Christi 303. apud Ruinartium Act. Martyr. sincer. & sel. pag. 373. hic enim in Ecclesia Scythopolitana tribus simul officiis perfunctus dicitur, Lectoris scilicet, Interpretis, & Exorcistæ, tum etiam ex Actis S. Romani Mart. apud Eusebium de Martyribus Palestinæ cap. 2., qui etiam in Cæsariensi Ecclesia Diaconi simul, & Exorcistæ ministerio fungebatur. De prisco hoc primitivæ Ecclesiæ more ita loquitur vetus Author Quæstionum veteris, & novi Testamenti, quæst., seu cap. 101. inter Opera Sancti Augustini edit. Mon. S. Mauri Tom. 3. Append. col. 77., ubi de Romanæ Ecclesiæ Diaconis, ait:

Quod & veterum monumentis ostenditur.

Quamquam Romanæ Ecclesiæ Diaconi modice inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt, ut autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum; nam utique & Altare portarent, & vasa ejus, & aquam

in

in manus funderent Sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias. Et paulo post: *Major enim ordo intra, & apud se habet & minorem; Presbyter enim & Diaconi agit officium, & Exorcistæ, & Lectoris.*

Consonat Amalarius Metensis Diaconus, qui seculo nono floruit, lib. 2. de offic. Eccl. cap. 6. in Bibl. PP. Lugd. Tom. XIV. pag. 971., ubi sic prædicta confirmans, ut ex ipso familiare illud exemplum, quod affert Cardinalis noster, hominis, cui bonorum proventus, ac reditus in dies augeantur, idem desumpsisse videatur, hæc ibi, postquam asseruit duos esse in Ecclesia Ordines necessarios, quos Sanctus Paulus ad Timoth. I. cap. 3. appellavit, Presbyterorum scilicet, ac Diaconorum, addens, inquit: *Cæteri Ordines his adjecti sunt: Crescente Ecclesia crescit officium Ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum.* Et post pauca: *Illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur; illis etenim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii., quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit; unde nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur, sed alii quidem eorum lectionum officium implent, alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent ministeria &c.*

Lectoris officium in Ecclesia Græca nedum Diaconi, sed & Presbyteri, quandoque Episcopi perfuncti.

(3) *Morinus parte 3. exerc. 14.*) Cæterum Lectoris officium in Ecclesia Græca Diaconos, Presbyteros quandoque, & Episcopos exercuisse perhibet Sozomenus Hist. Eccl. lib. 7. cap. 19., *& illic quidem* (Alexandriæ), ait: *solus Archidiaconus sacrum Codicem legit, alibi vero Diaconi; in multis autem Ecclesiis soli dumtaxat Presbyteri. Alicubi in præcipuis festivitatibus Episcopi legunt, ut Constantinopoli primo die Paschalis festivitatis*, quod & sua ætate observatum mansisse scribit Nicephorus Calistus lib. 12. cap. 34., addens præterea non solum in die Paschæ, sed etiam anni initio Kalendis Januarii Patriarcham Constantinopolitanum Evangelium in Ecclesia legere solitum, atque hanc lectionem dupliciter fieri; quantum enim recitat Episcopus, tantumdem subinde recitari a Diacono, cujus rei plures causas ibidem affert idem Author, quas hic iterum referre supervacaneum est. In Ecclesia Latina etiam Episcopos vice Lectoris functos discimus ex Augustino sermone 362., ubi ait: *Non tantum disputatoris, sed etiam lectoris officio fungor*; porro observatu dignum, quod de eadem Alexandriæ Urbe tradit Socrates lib. 5. cap. 82., ait enim ibi: *In eadem Urbe Alexandriæ Lectores, & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt tam Cathecumeni, quam fideles, cum tamen omnes ubique Ecclesiæ non nisi fideles ad hunc gradum promoveant.* Sed id facile Novatiani hominis commentum est; neque enim credibile, necdum baptizatos Alexandriæ ad Clericatum fuisse promotos. Socratem porro, nec in dogmatibus accuratum fuisse pronunciat Photius in Biblioth. cod. 28., & in pluribus mendacem testantur nonnulli viri docti, Cardin. Baronius Præfat. in Annales, & alibi plerisque locis, prout in eorum Indice generali voce *Socrates*, Franciscus Turrianus, Card. Bellarminus, Aubertus Miræus, aliique, quapropter illi hac in re nullatenus attendendum. Potiori jure quoad veterem hujusmodi disciplinam audiendus S. Augustinus, qui ad Quintianum Presbyterum scribens Epist. 64. novæ edit. innuere videtur eum inter Lectores deputandum non esse, nisi aliquoties in Ecclesia Scripturas canonicas legerit: *Miror, inquit, utrum jam potest Lector deputari, qui nonnisi semel Scripturas etiam non canonicas legit; si enim propterea jam ille Lector Ecclesiasticus, profecto & illa Scriptura Ecclesiastica est, si autem illa Scriptura Ecclesiastica non est, quisquis eam quamvis in Ecclesia legerit, Ecclesiasticus Lector non est.* Sed de Lectoribus, eorumque officio iterum infra §. sequenti, & lib. 2. cap. 6. num. 3., & cap. 7. num. 1.

In Ecclesia Latina etiam Episcopi Lectoris vices olim interdum exercebant.

(4) *Non ignoro hæc duo Concilia a quibusdam criticis supposititia censeri*) Et quidem Romanum illud sub Silvestro Concilium ab omnibus passim exploditur, si nonnullos excipias, quibus non placet Constantinum Romæ baptizatum fuisse; alterum vero Concilium pauciores sane rejiciunt, quos inter Justellus in Præfat. ad Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, & Dupinius Tom. 2. Biblioth. Eccl. pag. 623. verum Synodum illam genuinam esse demonstrant Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in Dissertat. de veteri collect. Canon. Schelestratius Dissertat. 3. de Ecclesia Africana cap. 8., aliique; immerito tamen Schelestratius Dissertat. 2. cap. 7. pag. 110. n. 4. Auctorem nostrum tamquam opinionis Justellianæ patronum traducit; neque id ex Emin. Viri doctrina colligi potest, cui cum solemne sit sententias suas indubiis dumtaxat testimoniis comprobare, non potuit Carthaginensis hujus Concilii Canones tamquam certos proferre, cum videret eos a Viris doctis in quæstionem vocari. Quanti vero fecerit Cardinalis Bona hujus Concilii auctoritatem, Lector probe agnoscet ex variis hujus Operis Liturgici locis, in quibus passim testimonia hujus Concilii producit.

Card. Bona a Schelestratio notatus vindicatur.

(5) *In Ecclesia Romana Acolythos duos, & quadraginta*) Acolythorum ordo, qualis in Ecclesia Latina, in Græca antiquitus non extabat, uti notat Schelestratius de Concil. Antiocheno Dissert. 4. cap. 7. pag. 526., & ex ipso Edmundus Marteue de Antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. pag. 308., & quamquam in recentioribus Græcorum Ritualibus aliquoties hujus officii nomen occurrat, nihilominus illam tantum appellationem ordinis Hypodiaconorum esse Schelestratius affirmat; verum infra nota 8. in fine aliter fuisse demonstrabitur. In Ecclesia autem Latina Acolytharum peculiarem esse Ordinem a Subdiaconatu distinctum expresse significat Cornelius in dicta Epistola ad Fabium; ibi enim cum quadraginta duos Acolythos in Ecclesia Romana fuisse perhibeat, Subdiaconos dumtaxat

Acolythatus ordinem apud Græcos nullum. olim fuisse plerique affirmant, sed infra confutantur.

taxat septem extitisse dicit. Porro Acolythi græce, latine Ceroferarii dicuntur a cereis deportandis, uti ex Isidoro Etymolog. lib. 7. cap. 12., & ex Innocentio III. de Mysteriis Missæ lib. 1. cap. 3. Et quidem in sua ordinatione cereum gestandum Acolythus accipit, & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Sacrificio, prout ex Concil. Carthag. IV. Can. 6., & ex Pontificali Romano; sed & alia sunt Acolythi officia, de quibus in §. sequenti. Item Acolythi ideo in Ecclesia Romana numero plures erant reliquis minorum Ordinum Clericis, quia in tres classes distribuebantur, alii enim dicebantur Palatini, scilicet qui Pontifici inservirent, alii Stationarii, qui assistebant in Templis, ubi Stationes celebrarentur; alii Regionarii, ita ex Urbis Regionibus dicti, in quibus cum Diaconis ministrabant. De quibus omnibus vide item infra §. sequenti nota 4., & Macros fratres in Hierolexico, cumque duo eorum per vices simul inservire deberent ad cereos deportandos, si septem erant Diaconi, totidemque Subdiaconi, istos Acolythos quatuordecim fuisse ex qualibet classe perhibetur, qui ex tribus classibus ter ducti consurgunt numero quadragintaduo; additur item, quod cum Acolythi officium etiam sit thuribulum ante Sacerdotem in Missa ad Evangelium deferre, ut ex Amalario, & Honorio Augustod. in Gemma animæ cap. 178. mirum non est, cur tot fuerint Acolythi.

Acolythi in Ecclesia Romana in tres classes distributi.

(6) *Et Lectores cum Ostiariis*) Meminit etiam Ostiariorum Sanctus Epiphanius in Exposit. fid. num. 22., & Concil. Laodicenum Can. 24. Item Justinianus Imperator Novella 3. c. 1. Ostiarios etiam in Ecclesia Græca extitisse indicat; *insuper centum existentibus iis, qui vocantur Ostiarii*, licet Habertus in Pontif. Græc. parte 5. observat. 1. pag. 47. non in omnibus Græcorum Ecclesiis, neque per multa secula Ostiariorum officium ibidem durasse contendat. Atque hic obiter observandum Ostiarios olim Donatistas nullos in Ecclesiam intrare permisisse, quos prius non interrogarent, cujus essent communionis, ut docet S. Augustinus serm. 46. novæ edit. n. 31.

Olim primis Ecclesiæ seculis potestas in dæmones Christianis omnibus communis.

(7) *In nomine meo dæmonia ejicient.*) Atque hanc gratiam, & potestatem omnibus Christianorum Ordinibus olim fuisse communem tradit Tertullianus in Apolog. cap. 23. *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet, jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Deinde post multa in id argumenti allata pro tuenda justa adversus Gentes Christianorum causa, ita inter cætera concludens ait: *Jam ergo subjecta est Christianis divinitas vestra, nec divinitas deputanda est, quæ subdita est homini &c.* Itemque post alia in hujus demonstrandæ veritatis producta: *Omnis hæc nostra*, inquit, *in illos*, (dæmones scilicet) *dominatio, & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia expectant, Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi*. Quibus verbis, inquit Priorius ad hunc locum, Tertullianum respicere ad exorcismos, quibus utitur Ecclesia ad pellendos dæmones, atque fugandos absque dubio est. Sed & ante ipsum Justinus Martyr in Orat. ad Gent. *Complures*, ait, *dæmonum intemperiis correptos homines per orbem totum, & hanc vestram urbem, quos alii incantatores, & venefici curare non potuerunt, permulti hominum nostrorum, Christianorum*, inquam, *per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurantes sanarunt, atque etiam nunc sanant, exarmantes, & exigentes ab hominibus, quos illi obsederunt, dæmones*. Idem confirmat Origenes lib. 7. contra Celsum edit. Spenceri pag. 334. *Non pauci*, inquit, *Christiani ejiciunt ex obsessis corporibus, idque sine omni curiositate Magorum, & Veneficorum, sed solis precibus, adjurationibusque simplicibus, nam plerumque plebei homines id faciunt per verbum suum, coarguente dæmonum infirmitatem Christi gratia &c.* Denique de Sancto Gregorio Thaumaturgo speciatim observat Socrates, *quod dum adhuc laicus esset, multa fecit miracula, nunc ægrotos sanans, nunc dæmones per Epistolam fugans*. Quia vero sensim intepuit fides, quam hæc signa sequuntur, & multorum refriguit charitas, sine qua nemo in Deo manet, nec Deus in eo; ideo Ecclesia particularem Exorcistarum constituit Ordinem, sublata cæteris hujusmodi potestate, ut optime advertit Eminen. Author, quam quidem tribus prioribus Ecclesiæ seculis pii quique fideles habebant, tamquam extraordinarii Ecclesiæ Ministri, cum ordinarii in Ecclesia Exorcistæ essent Episcopi, & Presbyteri, ut paulo ante notat idem Eminentissimus Cardinalis, quod & confirmatur ex Prudentio in Apotheosi contra Judæos, ubi sic canit.

Intepescente postmodum fide hujusmodi potestas cæteris sublata, ab Ecclesia singulariter Exorcistis tradita est.

. . . . . . torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudato Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini: fuge callide serpens, &c.

Vides inde ex his Sacerdotes seculo exeunte quarto, quo Prudentius floruit, Exorcistæ munus exercuisse.

Quo autem tempore extra eosdem audiri cœperit hic Ordo in Ecclesia, difficile est definire, licet antiquissimum esse certissimum sit; & quidem S. Ignatius Martyr Apostolorum discipulus, quidquid sit de ejus Epistola ad Antiochenos suos, quam Critici rejiciunt, in eadem inter Ecclesiasticos Ordines, & officia Exorcistas recenset. Deinde jam a seculo III., nam sæpe memoratus Sanctus Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum scribens apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 6. cap. 43., affirmat in Ecclesia Romana post Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quos numerat, *Acolythos duos, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quinquaginta duos*: ut supra jam dictum est, quos utique in Ecclesiasticum hujusmodi ministerium ordinatos fuisse credendum erit; etenim

id

id non obscure indicare videtur S. Cyprianus eidem Cornelio coævus, sic scribens ad Magnum Epist. 76. *Hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus* &c. Quando vero ab Ecclesia fidelibus laicis exorcizandi potestas adempta fuerit, id in Laodiceno Concilio seculo vergente IV. can. 26. statutum est his verbis: *quod non oportet exorcizare eos, qui ab Episcopis nedum promoti sunt, neque in Ecclesiis, neque in Ædibus*. Hinc statuta in Concilio Carthaginensi IV. canone 7. Exorcistarum ordinationis formula, sicut & reliquorum minorum Ordinum, jussumque iisdem Exorcistis ibid. can. 90. & 92. ut omni die Energumenis manus imponant, ipsisque in domo Dei assidentibus victus quotidianus opportuno tempore ministretur. Formula autem conferendi Exorcistatus sic in dicto Concilio præscripta hæc est, dum enim ordinandus Exorcista de manu Episcopi libellum acciperet, in quo scripti essent exorcismi, illi dicebat Episcopus: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum*. Quæ formula dein inserta fuit antiquis Ecclesiæ Ritualibus, & legitur præcipue expressa in Missali Francorum apud Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. 3. p. 301., qui etiam ordinationis ritus hactenus in Ecclesia observatur, uti videre est in Pontificali Romano. Hoc autem loci notandum est exorcismos huic Ordini assignatos eos esse tantum, qui in Energumenos fiunt, non vero qui ad baptismi cæremonias pertinent; ii enim ad Sacerdotes solos, & Diaconos ordinarios ejusdem Sacramenti ministros ex veteri instituto spectant; Hinc Episcopus Exorcistas initiaturus Deum rogat ut famulos suos in officium Exorcistarum benedicere dignetur; ut per impositionem manuum, & oris officium, potestatem, & imperium habeant spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint medici Ecclesiæ gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati. Idque satis declarant illa verba, quibus idem Episcopus eos ex Romani Pontificalis præscripto alloquitur ordinatos. *Studete*, inquit, *ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis: discite per officium vestrum &c.*

Et cæteris fidelibus adempta seculo IV.

(8) *Seu minores computatum extitisse*) Infimum etiam Exorcistarum gradum in Ecclesia statuere videtur Venantius Fortunatus lib. 10. Poem. 25., ubi hic nitidæ venæ Poeta, ut ait Card. noster in Harm. Psal. Eccl. ita seculo VI. canebat:

De Tyrone Duces veniunt, de milite Princeps,
Ut reliquos taceam, Justinianus erat.
Hoc & in Ecclesia Christo tribuente refertur
De Exorcista aliquo, Pontificalis honor.

Cum autem hujusmodi Ordines minores conferendi facultas, non solum Episcopis ex ordinario, & communi jure, verum etiam Chorepiscopis, utpote Episcoporum vices gerentibus, jam a seculo quarto, anno scilicet 341. ex Antiocheni Concilii can. 10. tributa fuerit, ut optime notat Card. noster, Lectori forte ingratum non erit, si integrum dictæ Synodi textum, ex quo duo observanda proveniunt, afferamus. En illius verba ex Concil. Labbei tom. 2. pag. 577. *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Si quis autem transgredi &c.* Porro observandum primo est Lectores in hoc canone ante Subdiaconos nominari, non alia crediderim ratione, nisi quia Lectoris officium Clericis etiam majoribus commune erat, quo item fungebantur, ut vidimus, Presbyteri, & Episcopi ipsi; Secundo notandum quod ibidem Acolythi, & Ostiarii non nominantur, quasi hos ordinare Chorepiscopi non potuissent; sed cum dicit *Subdiaconos, atque Exorcistas*, primum & ultimum eo tempore inter minores ordines, idem utique de intermediis intelligendum est. Quod autem de Chorepiscopis statutum in hac Antiochena Synodo, jam antea in Ancyrana indictum fuerat an. 314. can. 12. & 13. atque in aliis deinceps confirmatum. Quia vero dicti Chorepiscopi sua potestate sæpius abutebantur, vel quam non habebant, sibi usurpabant, ideo paullatim in Ecclesia sublati sunt. Extat hac de re inter Capitularia Regum Franc. apud Baluzium tom. 1. p. 943. Caroli Magni capit. 121. lib. 6. his verbis: *Placuit ne Chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus a nescientibus SS. PP. & maxime Apostolicorum decreta, suisque quietibus, ac delectationibus inhærentibus facti sunt.* Vide etiam cap. 284., & lib. 7. cap. 187. 310. 318. 329. Concil. Parisiense an. 829. lib. 1. cap. 27. Meldense an. 845. c. 44. Metense an. 888. c. 8., & Flodoardum Hist. Franc. lib. 3. cap. 10. De Chorepiscopis denique multi ex professo scripserunt, Duarenus lib. 1. de Sac. Eccl. Minist. cap. 9. Card. Bellarminus Controv. tom. 2. lib. de Clericis cap. 17. Morinus Exercit. sac. cap. 11. & de sac. Ordinat. par. 3. Exerc. 4. Cellotius de Hierarch. lib. 4. cap. 14. Puccinellus in Zodiaco Mediol. par. 3. cap. 16. &c. Thomassinus de vet. & nova discipl. parte 1. lib. 2. cap. 1. & 2. Honor. Tournelly de Sacram. Ordinis quæst. 5. art. 1. in fine; aliique plures, quos consulere Lector curiosus poterit.

Chorepiscopi qui, & quales olim fuerint, eorumque in ordinandis minoribus Clericis potestas.

Præstat hoc loci tum pro coronide, tum etiam pro confirmatione dictorum, adferre, quæ de his minoribus Ordinibus docte scribit nuperrimus Author R. P. D. Cajetanus Maria de Petio Cler. Reg. in Add. ad P. Felicis Potestatis Moralem Theol. Append. xl. Disser. 5. num. 3. pag. 206. ait ille ibi: „ Nec dubitandum, Ordines etiam minores semper in

Concluditur ex P. Cajetano M. de Petio omnes Minores Ordines semper in Ecclesia fuisse.

„ in Ecclesia fuisse; Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *Presbyteratus, ac Diaconatus recensitis*, inquit, *ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usum fuisse cognoscuntur*. Idipsum perpetua traditio firmat; Patres ducenti quatuordecim, inter quos Magnus Augustinus, quarto seculo testantur in Concilio Carthaginensi IV. anno 398. septem recensitos Ordines enumerantes, singulis Ordinibus propriam materiam, ac formam, & sacrum Ministrûm assignant, *can.* 3. *& seqq.* de illis, ut de re antiquissima, & a Patribus accepta, nihil innovando loquentes. Medio seculo 3. de his septem Ordinibus distinctissime, & nihil innovando loquitur Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium *Historiæ Eccl. lib.* 6. *cap.* 35. enumerans in Ecclesia Urbis Romæ, *Presbyteros quadraginta, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadragintaduos, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquagintaduos*. Hinc Lectoratus, & Exorcistatus meminit seculo 2. Tertullianus *lib. de præscriptionibus cap.* 41. Lectoratus, & Acolythatus seculo 3. Cyprianus meminit in suis Epistolis 24. 42. & aliis; singulorum, Ostiariatum si excipias, Siricius, & Zosimus, Romani Pontifices meminerunt, primus in Epistola ad Himerium Taraconensem, alter in Epistola ad Hesychium Salonitanum Episcopum: S. Hieronymus singulorum in suis Epistolis meminit, ad Nepotianum, quæ est secunda; ad S. Augustinum, quæ est 91. in Commentario *cap.* 2. Epistolæ ad Titum: & in argumento primæ Epistolæ ad Thessalonicenses, ut certum habet, Ordines minores tempore fuisse Apostolorum; cum dicat Epistolam illam per Oneum Acolythum fuisse ab Apostolo missam. Unde & satis verisimile est illorum quoque meminisse Apostolum Paulum sub nomine *Diaconorum* ad Philippenses *cap.* 1., & nomine *Ministrationum* 1. *ad Corinth.* 12. siquidem illarum vocum eadem est significatio, & *Diaconus* idem sonat, ac *Minister*. Cum ergo inquit Auctor libri de Ecclesiastica Hierarchia sub nomine Diouysii Areopagitæ, tres esse Ecclesiasticos Ordines, nempe Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, cæteri omnes inferiores Ordines veniunt sub nomine *Diaconi*.

Atque alim etiam in Ecclesia Græca.

„ Minores quosdam Ordines, nempe Acolythos, Exorcistas, Ostiarios numquam in Ecclesia Græca fuisse, contendunt juniores cum Morino, Martene, Ivenino, Boucat, Tournely; sed oppositum antiqua documenta ostendunt; & quidem jam adducta sufficerent; non enim de illis Ordinibus, ut de peculiari alicujus Ecclesiæ ritu loquuntur, sed illum non magis antiquum, quam universalem supponunt. Cæterum *de Acolythis* expresse meminit Eusebius de vita Constantini *lib.* 3. *cap.* 8. cum dicat, Concilio Nicæno innumeros interfuisse Presbyteros, Diaconos, Acolythos, aliosque Clericos; meminit quoque Joannes VIII. summus Pontifex in Epistola ad Basilium Imperatorem data anno 879. *De Exorcistis, ac Lectoribus* meminit Concilium Antiochenum medio seculo IV. habitum *can.* 10. *de Lectoribus, & Ostiariis* meminit Synodus Trullana sub Justiniano Imperatore anno 692. *can.* 6. *de Lectoribus, Ostiariis, & Exorcistis* meminit *can.* 24. Concilium Laodicenum seculo IV. habitum; sed quo anno, disputatur apud Pagium, & Cabassutium, Bail, & Baronium. S. Epiphanius in Expositione fidei *cap.* 21. cum Episcopis, ac Presbyteris Subdiaconos etiam nominat, *Exorcistas, & Janitores*: & auctor Epistolæ ad Antiochenos sub nomine sancti Ignatii Martyris cum Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, etiam recenset *Lectores, Ostiarios, Exorcistas*. Nec Morini responsio valet, quod illa nomina non Ordines, sed officia significabant; cum Epiphanius etiam *Laborantes* ibi nominet, quorum erat mortuos sepelire, & Ignatius nedum *Laborantes*, sed etiam *Virgines, & Viduas* ibi nominet. Non, inquam, valet, cum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, nomina esse non Ordinis, sed officii, eadem probari posset instantia; neutrum ergo vel utrumque probat; & quam afferunt ipsi disparitatem, & nos damus.

„ Nec te moveat, quod ait Auctor Constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis *l.* 8. *c.* 26. *Exorcistam non ordinari*; cum ibi de Exorcizantibus ex simplici commissione loquatur; secus vero de Exorcizantibus ex officio, & vi Ordinis, de quibus clare decisum est in Concilio Laodiceno *can.* 26. per hæc verba, *hi qui non sunt ab Episcopis ordinati, cam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint*. Dices, Clerus Constantinopolitanus in libello supplici ad Patres Ephesinos in causa Nestorii, rogat, *ut Scheda Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, necnon Laicis ostendatur*: non ergo alii erant Clericorum Ordines. Nequaquam; cum neque de Subdiaconis ibi mentio fiat; quod si dicas illos venire sub nomine *Diaconi*; dicam ego, alios, minores Ordines sub nomine venire *Lectoris*. Dices iterum, octava Synodus generalis habita anno 869. *Act.* 10. *can.* 5. supponens quatuor tantum Ordines esse apud Græcos, statuit ad Episcopatum nullum esse promovendum, nisi *in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotii quatuor annos expleat*. Contra, non de omnibus Græcorum Ordinibus loquitur ibi Concilium, sed de Ordinibus tantum probationis, in quibus immorari debebat, atque probari, qui erat in Episcopum eligendus; notissima sunt verba Canonis. Quam probationem in Subdiaconis requisierat octava Synodus, tantum in Acolythis voluit Joannes VIII. in Epistola ab Basilium Imperatorem, ibi, *Volumus, ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus, postea Diaconus,*

Exceptiones in contrarium prolatæ convelluntur.

tum

„ *tum Presbyter, post hæc Episcopus*.
„ Dices tandem, in nullis Græcorum Ritualibus (Achilleum hoc est Morini argumentum) mentio reperitur Acolythorum, Exorcistarum, Ostiariorum: quos certe minime omisissent, si fuissent in usu. At satis Morino facit Cabassutius etiam ipse Presbyter Oratoriensis in Gallia, in Notitia Ecclesiastica *diss*. 9. *num*. 3. circa finem; per hæc verba, *cum vero nonnulli negant esse nunc Græcorum ullos Ordines, quam Lectorum; si hoc ita sit, nuperum est, cum ex superius adductis priscorum Græcorum testimoniis, per omnem Græciam viguisse minores Hypodiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, & Ostiariorum liquido constet*. Recentes hos esse Græcorum Rituales, jam dicta demonstrant; & nonnisi post sæculum undecimum illis usi sunt Græci; cum neque sæculo IX. Photius, neque sæculo XI. Cærularius implacabiles Romanæ Ecclesiæ hostes, Ordinum excessivam multiplicitatem unquam opposuere Latinis; uti & in aliis fecerunt, in quibus Ecclesia Latina non erat Græcæ conformis; nec ante sæculum XIII. Romana Ecclesia hunc in Ordinibus defectum Græcis opposuit: constat ex Innocentio IV. in Epistola ad Othonem Tusculanum Cardinalem Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum, quæ data est anno 1254. sic dicente, *Volumus, & expresse præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de cætero conferant; cum hucusque tres de Minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur: illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur*. Nihil ergo mirum, si in recentibus his Ritualibus, Acolythorum, Exorcistarum, & Ostiariorum nulla sit mentio: cum quo bene stat, Græcam Ecclesiam nonnisi post sæculum undecimum illos Ordines omisisse; ut in dictis clare fuit ostensum „. Hactenus eruditissimus Scriptor Theatinus. Sed ad quæque singulorum Ordinum officia describenda procedendum est.

Et præsertim quod in nullis Græcorum Ritualibus minorum Ordinum mentio reperiatur.

§. XVIII.

Quæ sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & Oblationarios. De Archipresbyteris, & Archidiaconis.

Officia singulorum Ordinum ex Romano Pontificali hæc sunt. Acolythi debent ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare. Olim ex Ordine Romano ferebant patenam, sindonem, sacculos, & chrisma ante Pontificem, quando procedebat ad Stationes: vasa sacra Diaconis porrigebant, manutergium portabant, & aquam ad lavandas manus ministrabant (1). (1)
Exorcistam oportet abjicere dæmones, & dicere populo, ut qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Lectoris munus est scripturas in Ecclesia legere, unde & nomen accepit: & panem ac omnes fructus novos benedicere. Antiquitus Epistolam, & Evangelium legebant, ut suo loco patebit. Apud Græcos Lector, qui illis est Anagnostes, omnes scripturas legit præter Evangelium: cereos, & lampades accendit: ignem affert, cum aqua calida calici infundi debet, de quo ritu infra agemus: luminaria fert ante mysteria in magno introitu, cum scilicet e prothesi ad altare deferuntur: hymnos Cantoribus præcinit: panem, vinum, & aquam defert Sacerdoti, cum sacris operaturus est: Ecclesiam ornat, & præparat quæ in ea sunt necessaria (2). Ostiarius percu- (2)
tit cymbalum & campanam: Ecclesiam & sacrarium aperit & claudit: & librum aperit ei qui prædicat (3). Ex his autem ministris quidam in (3)
Ordine Romano, & apud Anastasium in vitis Pontificum dicuntur Regionarii (4), qui per regiones distributi Pontifici in illis ministrabant. Alii Stationarii, qui eidem aderant in Stationibus celebranti. Erant & Basilicarii seu Palatini, qui in Basilica Lateranensi per vices serviebant. Erant denique Oblationarii, ad quos spectabat oblationes suscipere, & deferre Archidiacono. Abiit nunc in desuetudinem hæc distinctio, quæ Diaconos, Subdiaconos, & Acolythos tantum comprehendebat. Desierunt quoque mino-

Lectoris apud Græcos Anagnostes dicti officium Scripturas omnes legere præter Evangelium.

minorum Ordinum officia, quæ plerumque a pueris, & ab hominibus
mercede conductis, nullisque Ordinibus initiatis exercentur. Priscis tem-
poribus nemo Clericus ordinabatur, qui alicui Ecclesiæ non esset addictus
(5). Admissi autem pueri in consortium Cleri primo litteras, cantum, & (5)
ritus Ecclesiasticos edoceri solebant, ut passim legimus in vitis Pontifi-
cum: tum Ostiarii, deinde Lectores ordinabantur, & sic per gradus ad
reliquos Ordines ascendebant, cum prius singulorum officia exercuissent.
Atque hinc oriebatur, ut Rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent, in
quibus fuerant ab ipsa pene infantia enutriti. Collabi cœpit hæc discipli-
na ante annos circiter quingentos, donec paulatim ad illos mores deven-
tum est, quibus nunc utimur & vivimus.

Episcopo solemniter celebranti plures Ministri assistunt, qui cum Pres-
byteri vel Diaconi sint, non est de illis specialis disquisitio instituenda.
Eminet inter Presbyteros Archipresbyter (6), inter Diaconos Archidia- (6)
conus (7), de quorum officio, & dignitate quicquid ex prisco Ecclesiæ (7)
usu dici potest, vir diligentissimus Jo. Morinus in unum collegit, & so-
lerter discussit lib. de sacr. Ord. *P.* 3. *exerc.* 16. Isaacius item Habertus
de antiquo gradu & officio Archidiaconi erudite disseruit *ad P.* IX. *Ar-
chieratici observat.* 6. His igitur prætermissis, reliquum est ut de Canto-
ribus agamus, quorum officium versatur in quibusdam Liturgiæ partibus
decantandis.

(1) *Aquam ad lavandas manus ministrabant*) Olim etiam Acolythorum erat officium sacram Eucharistiam, quæ tunc appellabatur *Fermentum,* Dominicis diebus per Titulos ad Presbyteros missam deferre, ut constat ex celebri Innocentii I. Papæ Epistola 29. ad Decentium Episc. Eugubinum, ubi loquens de iisdem Presbyteris, *quia*, ait, *die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*. Ex eorum numero erat Sanctus Tharsicius Martyr, *qui cum quodam die deferret Christi Corporis Sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tamdiu est fustibus, & lapidibus ab eis maceratus, quo usque exhalaret spiritum*, uti ex Usuardo, & Martyrol. Rom. ad diem 15. Augusti. Imo eamdem Eucharistiam olim Pontifici ad Altare procedenti præferebant in capsis, ut supra monuimus §. 12. n. 2., quas tenebant apertas dum Pontifex sancta adorasset, atque ex eis particulam assumi jussisset in usum sacrificii, quod mox ab ipso celebrandum erat. Peracto postea sacrificio sacculos ad confringendas in Missa oblatas consecratas portabant, easque Sacerdotibus confracturis exhibebant, ut patet ex antiquioribus libellis Ordinis Romani. Quapropter antiquitus in sua ordinatione in signum hujus muneris, & officii sacculos ab Episcopo accipiebant, quæ postea observantia in desuetudinem abiit, & ex supra laudato Concilio Carthaginensi IV. statutum, ut in eorum ordinatione ceroferarius cum cereo, & urceolus vacuus iisdem tantum daretur. Item antiquitus Acolythi fistulam in manu tenebant, per quam fideles Christi sanguinem ex calice haurirent, quam suo tempore, scilicet quando iidem fideles communicaturi erant, tradebat Subdiacono calicem gestanti, ut eamdem cum ipso iis porrigeret; Patenam etiam ab eodem Subdiacono acceptam tenebat supponendam ori cujusque communicantis, ne quid de Corpore, aut Sanguine Domini a Diacono per Hostiam, & Subdiacono per Calicem ministrantis in terram deflueret, uti ex antiquis Ritualibus, & Ordine Romano. Acolythorum insuper officium erat baptizandorum nomina, & susceptorum scribere; iidem signabant Catechumenos in scrutiniis, eisque manus imponebant, orabantque super eos, ac symbolum pro infantibus recitabant. Ita ex Edmundo Martene de antiq. Eccl. Rit. tom. 1. pluribus in locis.

Nonnulla alia peculiaria officia Acolythis olim demandata recensentur.

(2) *Quæ in ea sunt necessaria*) Officium etiam Lectoris erat Episcopo suo Notarii munus implere, acta scilicet Ecclesiæ suæ, Martyrum passiones, Epistolas, Omilias, aliaque id genus ab Episcopo demandata scripto consignare. Hinc Lector, & Notarius in Ecclesia Romana synonima erant, ut colligitur ex can. 9. dist. 77. apud fratres Macros in Hierolex. verbo *Notarius*; Porro de hujusmodi officio Lectorum in chartis Ecclesiasticis describendis disertissime proloquitur clar. Abbas Dominicus Franciscus Bencinus de Litteris Encyclicis dissert. 2. cap. ult. §. 4. pag. 576. & seqq.

Olim Lectoris officium Notarii munus implere.

(3) *Librum aperit ei, qui prædicat*) Ostiariorum item munus est in Ecclesia antiquitus præcipue observatum portas Templi custodire, ne quis impiorum ad speculationem & ludibrium Ecclesiæ intret, & ne quis illorum, qui intus sunt, Christianorum per negligentiam exire possit ante tempus; Ita ex Constantino Cabasila in Respons. ad Quæsita Joannis Citri Episcopi, cui consonant ea, quæ habet Isidorus junior in Epist. ad Liutfredum: *Ad Ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraque custodiat, fideles recipiat, infideles, & excommunicatos rejiciat*. Atque ideo

Ostiariorum alia munia olim eorum propria.

Ostiarii

Ostiarii antiquitus Æditui dicebantur vocabulo ab Ethnicis ad Christianos translato. Hinc apud Græcos Ostiarorum ordo Νεωκόρων τάξις appellatur, quod nomen proprie Æditurum sonat. Paulinus etiam Nolanus ita Ostiarium vocat Ep. 6. ad Severum, *nam testor ipsum, quia & ab Æditui nomine, & officio optavi sacram incipere servitutem*: quo etiam notandum Paulini tempore Ostiarii munus primum Clericatus gradum extitisse. Flodoardus Remensis Canonicus Carm. de summis Pontific. in Hadriano Papa:

Ampliat Æditui locupletans dotibus Ædem.

Item eorum officium extra Ecclesiam erat de statuto precationum, & conventuum Ecclesiasticorum tempore fideles commonere, quod utique urgente persecutione peculiare requirebat signum, ne forte alias detegerentur.

Præter dictos minores Ordines erant olim alia officia, & ministeria in Ecclesia.

Præter hos quatuor minores Ordines erant & alia Ecclesiastica officia, ac ministeria, Psalmistæ scilicet, seu Cantores dicti, de quibus infra §. 20. Copiatæ, sive Fossarii, quorum officium erat exequiarum curam agere, & mortuis fidelibus præcipue honestam sepulturam prospicere. Horum mentio est in incerti Epist. 13. ad Rusticum Narbonensem inter Opera S. Hieronymi tom. 9., ubi legitur: *Primus in Clericis Fossariorum Ordo est, qui in similitudinem Tobiæ Sancti sepelire mortuos admonentur*. Item in Cod. Theod. lib. 13. tit. 1. leg. 1., de quibus tamen optime notat Gothofredus not. in eumdem Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. leg. 15. eos separari *hac lege a Clericis, cum tamen alias Clericorum numero censeantur*. Hi etiam dicti fuerunt alio nomine Laborantes, de quibus Ignatius Epist. ad Antiochenos, & Epiphanius in Compendio Doctr. eosdem satis explicat, dum ait: *Laborantes corpora eorum, qui obdormierunt, obvolvunt, & cooperiunt*. Vide Baronium ad ann. 34. num. 288. Alii item erant in Ecclesia Ministri Parabolani dicti, quod ad curandia debilium ægra corpora deputati essent, de quibus in eod. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. lege 42. At idem Imperator lege sequenti 43. eos e Clericorum numero excludit, ait enim de his loquens: *Placet nostræ clementiæ, ut nihil commune Clericis cum publicis actibus, vel ad Curiam pertinentibus habeant*: quidquid in contrarium sentire videatur Gothofredus not. ad legem anteced.. Vide etiam laudatum Card. Baronium Append. ad tom. 5. Annal. edit. Rom. mihi pag. 691. Erant denique alii Catechistæ dicti, quorum tamen non erat ab aliis distinctus Clericorum Ordo, cum essent ex quovis alio ordine electi. Et de his omnibus, aliisque diverso nomine nuncupatis, quia nullum in Liturgia peragenda ministerium obibant, hæc dicta sufficiant.

De Ministris Regionariis, Stationariis, ac Palatinis dictis.

(4) *Dicuntur Regionarii*) Septem antiquitus erant Regiones Ecclesiastici Ordinis Urbis Romæ, ut habet Ordo Rom. I. apud Mabillonium pag. 3., postea vero, nimirum tempore Honorii II. fuerunt XVIII., demum additis duabus aliis, creverunt ad numerum XX., ut idem in Comment. præv. 17. p. affirmat. Tres in his regionibus Ministrorum Ordines describit Eminentissimus Author, fortasse ex Paulo Aringhio in sua Roma subterranea tom. 2. seu lib. 4. cap. 25. videlicet Regionarios, Stationarios, & Palatinos. Verum duo tantum Acolythorum maxime genera primis temporibus extitisse ex Ordine Romano primo, & tertio apud dictum Mabillonium manifeste intelligitur, Regionarios scilicet, ac Titulares, quorum illi Diaconis Regionariis, & Pontifici, hi Presbyteris titularibus serviebant. Palatini erant & Lateranenses dicti, qui Pontifici Maximo in Palatio Apostolico, & Lateranensi Basilica ministrabant; Stationarii vero erant ex Regionariis assumpti, & Ordo Romanus ab Hittorpio vulgatus *Parochianos Clericos* vocat p. 51., idemque agens de eorum ordinatione pag. 89. singulos ad *titulum* ordinatos aperte declarat, quod & de ceteris majoribus Ministris Altaris, Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris affirmat pag. 91. Porro Stationarii sic a Stationibus dicti erant, quid autem, & quotæ fuerint antiquitus Stationes, luculenter describit Mabillonius præfatus ibidem p. XXXI.

Omnes olim Clerici ministeriis Ecclesiæ perpetuo mancipati.

(5) *Nemo Clericus ordinabatur, qui alicui Ecclesiæ &c.*) „ Omnes olim Clerici (inquit Franc. Amatus Pouget Congr. Orat. Gallic. Presb. instit. Cathol. in modum Catech. tom. 2. parte 3. sect. 1. cap. 7. pag. 470.) „ erant „ Ministeriis Ecclesiæ perpetuo mancipati, „ nec licebat illis a proposito resilire, sicut „ nunc Subdiaconis, aliisque Clericis majoribus hoc non licet. Id constat ex pluribus „ Conciliis, ex Chalcedonensi Oecumenico, „ ex Triburiensi, ex Hispalensi, ex Libris „ Capitularium. Patet id quoque ex Legibus Imp. Justiniani, & Leonis Philosophi. „ Viget etiamnum hæc disciplina in Oriente, „ vigebat & in Occidente ad seculum usque „ decimumtertium, ut patet ex S. Raymundo de Pennafort, qui jussu Gregorii IX. „ summorum Pontificum decretales Epistolas in ordinem redegit, & in quinque libros partitus est. Tandem jure novo alia „ disciplina invecta est, quæ jam toto in „ Occidente viget, ut Clericis in Minoribus „ constitutis liceat ad secularia vota transire, „ & privare se ultro privilegiis Clericorum, „ habitum, & tonsuram clericalem abjiciendo. Hæc summatim Gallicani Oratorii Presbyter, & sacræ Facult. Parisien. Doctor, qui & plura in id argumentum subdit, ac veterum authoritatibus firmat. Eamdem jam propugnaverat sententiam Gaspar Ivenin dictæ Congreg. Sodalis tom. de Sacram. Disp. 9. quæst. 8. cap. 4. hujusmodi exposita duplici conclusione, quarum prima sic est: *nemo Clericus seu in Oriente, seu in Occidente per duodecim priora secula poterat Clericatum abjicere*: Et hanc iisdem ferme ac similibus antiquorum monumentis, ut laudatus Pouget, stabiliendam censuit. Altera his verbis exprimitur: *Medio XIII. seculo constitutis in minoribus Ordinibus primum indultum est ut a Clericatu resilirent*: quam etiam suis probationibus communitam ostendit. Et sane, ut quæcumque hac de re momenta, quæ proferri possent, taceam, Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. iis tantum conferri debere tonsuram clericalem mandat, *de quibus probabilis*

bilis conjectura sit eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Et cap. 6. loquens de Clerico prima tonsura initiato, aut etiam in minoribus Ordinibus constituto, sic definit: *is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat*. Ex quibus colligitur juxta novam disciplinam a quingentis circiter annis introductam hoc unum hisce Clericis præscriptum, ut ii qui habitum, aut tonsuram clericalem non deferunt, fori privilegio destituantur.

Archipresbyteri dignitas antiqua in Ecclesia.

(6) *Eminet inter Presbyteros Archipresbyter*) De Archipresbyteris, & Archidiaconis primus fortasse meminit Hieronymus Ep. 4. ad Rusticum Narbon., ubi ait: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur*. Post Hieronymum Socrates lib. 6. cap. 9. & Sozomenus lib. 8. cap. 12. Archipresbyteri mentionem faciunt. Extant porro particulares ordinationes Archipresbyteri, & Archidiaconi apud Syros Maronitas, quas exhibet Edmundus Martene de Antiq. Eccl. Rit. tom. 2. pag. 546. & 550. De reliquis Ecclesiæ Officialibus vide Tournely in fol. tom. IV. pag. 310. insuper Assemannum Bibl. Orien. tom. IV. p. 738.

Sicut & Archidiaconi.

(7) *Inter Diaconos Archidiaconus*) Primum Archidiaconi nomen legitur S. Cornelii Papæ I. tempore referente Photio in Biblioth. Cod. 280., ubi ex Eulogio Alexandrino Archiepiscopo lib. 6. contra Novatum: *Dicit autem* (inquit) *Novatum Cornelio Pontificatum Romæ obtinente primum gradum Diaconorum a Cornelio accepisse; Hanc vero legem tunc in Ecclesia Romana obtinuisse, ut Archidiaconus mortuo Episcopo in Episcopatu illi facta manuum impositione subrogaretur, Cornelium vero rum divina inspiratione eum videret imperium affectantem, & novis rebus studentem, indignum tali dignitate inter Presbyteros ordinasse, & viam illi ad Pontificatum Romæ omnino præclusisse*. Novati loco lege Novatianum, ille enim erat Chartaginensis Ecclesiæ Presbyter sub Sancto Cypriano, hic vero Romanæ Diaconus sub Cornelio, quod sane Græcis Scriptoribus non satis compertum fuit; Novatum siquidem cum Novatiano perperam ii confundunt, licet aliunde Novatiani schismatis historia accurate apud Eusebium describatur lib. 6. cap. 43. Archidiaconi porro nomen, & officium in Ecclesia Alexandrina sortitum fuisse magnum Athanasium legimus apud Theodoretum Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 26. *versabatur autem* (ait de Athanasio) *in convictu eximii Alexandri ætate juvenis ipse quidem, sed princeps ordinis Diaconorum*: Ita de Evagrio Pontico legitur in Palladii Historia Lausiaca cap. 86. *Post Basilii obitum a Gregorio Nysseno Diaconus factus, a Gregorio Nazianzeno cum Constantinopolitanum Episcopatum accepit, Archidiaconus Ecclesiæ ejusdem*: quod & confirmat Sozomenus hist. lib. 6. cap. 30. Denique de Archidiaconi officio eruditissime scripsit Abbas Franc. Dom. Bencinus Dissertat. 2.

§. XIX.

Cantus Ecclesiastici origo. Quando cœperit Organorum usus. Olim plebs fidelis in Ecclesia canebat: tum instituti Cantores.

A Primordiis Ecclesiæ Psalmos & Hymnos in Conventu Fidelium decantatos fuisse Apostolus asserit ad Ephesios scribens cap. 5. *loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & Canticis Spiritualibus*: quæ verba de mutuo & alterno cantu intelligenda esse Interpretes docent: nec Sectarii audent negare hunc usum semper in Ecclesia viguisse. *De Hymnis & Psalmis canendis*, inquit Augustinus Epist. 119. cap. 18. *ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta & exempla & præcepta*. Uberrime tractarunt hoc argumentum viri docti, quos cito in Tract. de Divina Psalmodia *cap.* 17. §. 2. *num.* 3. Sed & Plinius ethnicus Scriptor de cantu primorum Christianorum testimonium perhibuit in Epistola ad Trajanum, qua eorum mores describens ait, *solitos fuisse stato die ante*

S. Ambrosius alterni cantus ritum juxta Orientalium morem primus in Italia introduxit.

lucem convenire, & carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem, al-
terna videlicet modulatione (1). Quod autem Theodoretus *lib.* 4. *Hist.* (1)
Eccl. cap. 26. Ephræm Syro, & Augustinus *lib.* 9. *confess. cap.* 7. Ambrosio Mediolanensi Ecclesiastici cantus originem tribuisse videntur, id explicat Theodoretus de Hymnorum modulatione, & certa quadam harmonia, quam Ephræm ad Harmonii impias cantiones explodendas instituit: Ambrosius vero ad fidelium in Ecclesia excubantium consolationem Hym-

Hymnos & Psalmos secundum morem Orientalium partium cantari præcepit, quem morem a Mediolanensi Ecclesia ad alias pene omnes Occidentis migrasse asserit Augustinus: quod certe non absolute de cantu intelligi potest, quem semper usitatum fuisse constat: sed de modo canendi alternatim, quem Ambrosius introduxit, cæteri imitati sunt (2). No- (2)
tabile est quod Synodus Antiochena ad S. Dionysium Papam apud Eusebium *lib.* 7. *hist. cap.* 30. scripsit: nam inter scelera Pauli Samosateni refert, quod psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, ex quo arguitur Ecclesiastici cantus antiquitas, abolevérit, & mulieres magno Paschæ die psalmos quosdam in Ecclesia canere ad sui ipsius laudem instituerit. Postea labentibus annis musicæ vocali addita est organica sive instrumentalis tempore Vitaliani Papæ, ut plerique existimant (3) de cujus usu (3)
Organa quando in Ecclesias introducta. in Ecclesia disserui loco citato Divinæ Psalmodiæ *n.* 4. At in Galliis ignota fuisse organa ante Pipinum auctor est Sigebertus *an.* 766. referens a Constantino Imperatore ipsi dono Missa, antea nunquam visa: idemque narrant Annales Metenses *anno* 757. Tempore Apostolorum & aliquot subsequentibus sæculis universus Fidelium cœtus Sacerdoti solemniter Celebranti respondere, & simul cum Clero psallere solebat, ut ex Liturgia S. Jacobi, & ex lib. 8. Constitut. Apostolicarum manifestum est. Cyprianus lib. de Orat. *Sacerdos*, inquit, *parat fratrum mentes dicendo* Sursum corda, *ut dum respondet plebs* Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere*. Justinus Martyr *Apolog.* 2. idem asserit dicens, *Præpositum preces fundere, & populum fauste acclamare* Amen. Chrysostomus etiam *hom.* 36. *in* 1. *ad Cor.* confirmat hunc morem dicens, *conveniebant olim omnes, & psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus*. Et Hieronymus *Præf. lib.* 2. *comment. in Ep. ad Gal.* Romanæ plebis fidem laudat magno studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulcra concurrentis, *ubi*, inquit, *ad similitudinem cœlestis tonitrui* Amen *reboat*. Cæsarius denique Arelaten. ut Cyprianus in ejus vita commemorat, compulit laicos & populares homines psalmos & hymnos promere, altaque & modulata voce instar Clericorum alios græce, alios latine prosas & antiphonas decantare, ne illis spatium suppeteret ad fabulas in Ecclesia effutiendas. Quia tamen vix fieri poterat, quin Ecclesiasticæ harmoniæ concentus populi canentis imperitia turbaretur, Patres Concilii Laodiceni *c.* 15. statuerunt, *non oportere præter Canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & ex diphtera seu membrana cantant*, quod nos dicimus ex libro, non autem memoriter, *alium quemlibet in Ecclesia psallere*. Verum hic Canon non fuit ubique receptus, ut ex allatis Cæsarii & Chrysostomi testimoniis constat; idemque ipse Chrysostomus clarius ostendit hom. 1. de verbis Isaiæ *vidi Dominum*, in qua acriter reprehendens psallentis populi cacophoniam, & immodestiam, non eos ut sileant monet, sed ut scite & modeste concinant. In Gallia popularis cantus consuetudinem sublatam existimo paucis annis post Cæsarium: Synodus enim II. Turonen. c. 4. sancivit, *ut laici secus altare, quo sacra mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quam ad Missas stare penitus non præsumant; sed pars illa, quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum* (4). (4)

Consuetudo alternatim psallendi a primis seculis in Ecclesia introducta primum in Oriente. (1) *Alterna videlicet modulatione*) Hanc consuetudinem alternatim psallendi ab antiquissimis temporibus, ac primis seculis Orthodoxa habet Ecclesia, ab Ignatio nimirum, qui post Evodium Antiochenæ Ecclesiæ Antistes Pontificatus gratiam, ut ait Theodoretus lib. 1. hæretic. fabularum, per magni Petri dexteram accepit. Hic in mentis excessu vidit Angelos alternis hymnis Sanctissimam Trinitatem collaudantes, uti scribit So-

crates Hist. Eccl. lib. 6. cap. 8., & psallendi rationem, quam in illa visione animadverterat, Ecclesiæ suæ Antiochenæ tradidit, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus demum Catholicis recepta est. Illius rei nullum testem, ait Valesius in notis ad hunc locum, Socrates citat. Verum clar. Pagius in Critica Baronii ad ann. 400. num. 15. „ Bona Card., inquit, de Div. Psalm. cap. 16. observavit Theodoretum, (adde Suidam, aliosque, qui ad Flavianum, & Diodorum Antiochenos Monachos, Constantii Imperatoris tempore, hanc institutionem referunt) non de quocumque alterno cantu, sed de solis Davidicis Psalmis intelligendum, & Flavianum, ac Diodorum psallentium choro in duas partes diviso, Psalmos Davidicos alternis canendos, primos instituisse; eam Psalmodiæ speciem ex Syrorum lingua in Græcam traduxisse, ac ideo Socrati fidem non esse denegandam. Ea autem alternatio non statim in omnes terræ partes propagata, cum Cassianus lib. 2. de Instit. Cœnob. cap. 5. & seqq. referat suo tempore hunc morem viguisse, ut sedentibus cæteris, & omni cordis intentione ad vocem Psallentis intentis, unus in medio integrum Psalmum solus cantaret. Immo quantalibet multitudo convenisset, numquam amplius, quam quatuor Monachi psallebant in Synaxi; quod etiam hodie in quibusdam Galliarum Monasteriis servari accepi. Viguit etiam apud Ethnicos cantus alternatio, cum Homerus Iliade I. versu 604. Musas alternatim canentes describat; Christiani autem profanos Gentilium mores in veri Dei cultum transferre soliti erant. Quare perperam Valesius in dubium revocat, quod a Socrate scriptum, *Ignatium* nempe Martyrem primum in Ecclesia Orientali huic ritui initium dedisse; quod enim ipse scribit, discere potuit a Scriptoribus, quorum Opera ad nos non pervenere „. Hactenus Pagius. Et sane quod de visione Angelorum, deque institutione ab ipso Ignatio Ecclesiæ Antiochenæ tradita, ut choro in duas partes diviso Psalmi canerentur, scribit Socrates, confirmat Gregorius Bar-hebræus, qui & Abulpharagius, in 3. Parte Chronici Syriaci in vita S. Simeonis Episcopi Seleuciæ, ac Mart., ubi disserte tradit eum ritum ex imitatione Ecclesiæ Antiochenæ in Orientem ab eodem Simeone invectum, uti observat sæpe a nobis supra laudatus Joseph Sim. Assemanus tom. 2. pag. 399. & tom. 3. par. 1. pag. 321. Biblioth. Orient. Passus est Simeon sub Sapore Persarum Rege Constantii Imp. tempore, seculo ineunte quarto, & de ipso gloriosa est memoria in Martyrol. Rom. ad diem 21. Aprilis; quare non aliter, quam ex Syrorum antiqua traditione Abulpharagium, etsi recentem seculi XIII. Scriptorem, dicta exarasse credendum est. Porro quod de veteri modo Ecclesiastici cantus scribit Theodoretus Hist. lib. 2. cap. 24. non ita intelligendum erit, quasi Diodorus, & Flavianus eam primum consuetudinem alternis choris Psalmos canendi absolute instituerint, sed quod Laicis & reliquis Clericis potestatem fecerint, ut choro in duas partes diviso Hymnos Davidicos alternatim canerent, quos antea soli Cantores ex primæva S. Ignatii institutione psallebant, ut recte advertit Thomassinus de vetere, & nova Eccl. Disciplina tom. 1. parte 1. lib. 2. cap. 72. n. 6.

Valesius ex Pagio notatus.

(2) *Sed de modo canendi alternatim, quem Ambrosius &c.*) Quamvis, ut diximus, Ecclesiastici cantus alternatio in Oriente introducta fuerit, nondum tamen in Monasteriis ubique recepta, nec statim in omnes terræ partes propagata fuit, uti ex Cassiano didicimus, & licet ex Gregorio Nazianzeno illa alternatio deprehendatur, qui in quodam Carmine de Monachis psallentibus ita canit Jamb. 18.

Que tamen statim in omnes terræ partes propagata, & in Occidente per S. Ambrosium instituta fuit.

Noctu ne cernis ut canat laudes Deo
Naturæ uterque sexus oblitus suæ?
Quot, quamque sancti! cernis Angelicum chorum,
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit.

Id tamen vel de aliquibus, vel de Orientis tantum Monasteriis intelligendum est; quotquot enim in Latina, & Occidentali Ecclesia de sacris ritibus scribunt (inquit Card. noster de div. Psalm. ut supra, cap. 16. §. 10. num. 2. in fine) beatum, aiunt, Ambrosium Mediolanensem Episcopum primum fuisse, qui Græcorum imitatus exemplum, hunc canendi modum per antiphonas tradiderit, quem postea Damasus Papa Pontificali authoritate confirmarit. Atque hinc fortasse quorumdam Historicorum error defluxit alterni cantus authorem B. Damasum asserentium, quem tamen ipse non introduxit, sed ab Ambrosio institutum Apostolico Decreto stabilivit. Ita candidus, & purpuratus Scriptor, qui postea id assertum suum irrefragabili S. Augustini testimonio confirmat. Ait sanctus Doctor Confess. lib. 9. cap. 7. num. 1. (*Tunc* (idest sub Ambrosio Episcopo; a Justina Imp. vexato, de quo paullo ante loquitur) *Hymni, & Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus.* Quem tamen Augustini textum hoc loco idem Cardinalis optime interpretatur non de cantu absolute, quem semper usitatum fuisse constat, sed de modo canendi alternatim, quem Ambrosius introduxit.

Quod vero hunc canendi modum ab Ambrosio institutum S. Damasus Papa Pontificali auctoritate confirmarit, & Apostolico decreto stabilierit, uti loco mox indicato exprimit Cardinalis eruditissimus, hanc opinionem firmat vetustus Author in Chronologia Lirinensi apud Haeftenum Disquisit. Monast. lib. 7. tract. 4. Disq. 5. & Mabillonium Præf. in 2. partem seculi IV. Bened. num. 210. ubi de S. Agricolo qui de Lirinensi Cœnobio ad Avenionesis Ecclesiæ Cathedram raptus fuerat, eoque alternum cantum inducere voluerat, istud his verbis traditum ibi legitur: *voluit etiam horas canonicas, & divina officia deinceps in*

in eadem Eccleſia eodem modo, quo ſolerent in Monaſteriis, alternis videlicet cantibus recitari; nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damaſus Pontifex maximus invexerat: Hanc, inquam, opinionem, cui forte ex hoc teſtimonio motus adhærere videtur Edmun. Martene de antiq. Monach. Rit. lib. 1. cap. 3. num. 45. errore non vacare advertit æque doctus alter Monachus Congr. S. Mauri Ord. S. Bened. Petrus Couſtantius in ſuis Rom. Pontif. Epiſtolis, & Decretorum Damaſi cenſura num. 13. col. 613. ait enim ibi: Si ab eo tantum tempore, quo Ambroſium Juſtina perſequebatur, quod anno 386. contigit, cæpit hæc conſuetudo, quomodo illam potuit confirmare Damaſus, quem anno 384. obiiſſe, ac Siricium ab initio ſaltem anni 385. ſucceſſorem habuiſſe, ipſius Siricii ad Himerium Tarraconenſem Epiſtola fidem facit? Et vero cum Auguſtinus morem illum brevi per totum pene orbem propagatum memoret, hanc tamen Damaſi confirmationem prorſus ſilet. Ac longe probabilius eſt, ſingulas Eccleſias ſancta quadam æmulatione potius, quam ulla Pontificali authoritate illum arripuiſſe. Certe in Avenionenſi Eccleſia cum S. Agricolus ejus adminiſtrationem ſuſcepit, nondum obtinuerat mos iſte, ut ſupra vidimus: idem dicendum & de Arelatenſi cum ei præfectus eſt Cæſarius, qui cum tandem impetraſſet ut & illa conſuetudo admitteretur, gaudium ſuum continere non valens, illud ſingulari ſermone, qui nunc apud Auguſtinum 284. in Appendice tomi v. extat, aperuit: *Plures enim*, inquit, *erant anni quod pro hac re æſtuabat animus meus, & tota cordis intentione deſiderabat ut illam pſallendi conſuetudinem vobis pius Dominus inſpiraret . . . . Cum enim vos ego ita pſallere deſiderarem quomodo in aliis civitatibus pſallebatur, taliter præparavit Deus animum veſtrum, ut hoc etiam melius adjuvante Domino compleatis*. Sane ſi Summi Pontificis ea de re præceſſiſſet generale mandatum, tam celebres Eccleſiæ in Italiæ confinio poſitæ ei parere tandiu non diſtuliſſent, nec Cæſarius Apoſtolicæ Sedis vices gerens prætermiſiſſet tam gravem commendare authoritatem, ut quod tanto animi æſtu exoptabat, citius conſequeretur. Neque tamen ait: *cum enim vos ego ita pſallere deſiderarem*, quomodo Sedis Apoſtolicæ præcepto jubebatur; ſed hoc tantum, *quomodo in aliis vicinis civitatibus pſallebatur*. In ſuperiore autem loco ex Chronologia Lirinenſi notandum eſt, quod illa verba: *Nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damaſus Pontifex maximus invexerat*: non ſancti Agricoli ſunt, ſed Chronographi, qui ipſius Acta ſcripſit. Quare ex his plane concludendum a S. Ambroſio quidem introductum hunc alterni cantus modum juxta Orientalium morem, non autem a Damaſo inſtitutum, aut confirmatum fuiſſe, quem poſtea pia quadam æmulatione reliquæ Occidentis Eccleſiæ imitatæ ſunt. Ex his omnibus plane conſtat Pſalmodiam, cantumque Eccleſiaſticum a primis Eccleſiæ naſcentis incunabulis obtinuiſſe, quidquid Wicleffi aſſecla Calvinus garriat inſtit. lib. 3. cap. 20. §. 32. quem ſecuti ſunt Magdeburgenſes Centuriatores, cum id veterum Canonum, & SS. Patrum authoritate, qui primis ejuſdem Eccleſiæ ſeculis vixerunt, locis bene multis firment Steph. Durantus de Rit. Eccl. Cath. lib. 3. cap. 21. Jacobus Severtius in Chronol. Hiſt. Choppinus lib. 1. de Sacra Polit. tit. 3. §. 5. Card. noſter de Div. Pſalm. aliique. Verum, ut tradunt Iſidorus lib. 1. de Off. Eccl. cap. 5. & Rabanus lib. 2. de inſtit. Cler. cap. 48. *Primitiva Eccleſia ita pſallebat, ut modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare, ita ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti*. Idque maxime perſecutionum tempore obſervatum puto, ne ex alto cantu Chriſtiani a Gentilibus dignoſcerentur; Quod etiam factitatum in Eccleſia Alexandrina S. Athanaſii ævo meminit S. Auguſtinus Confeſſ. lib. 10. cap. 33.

(3) *Tempore Vitaliani Papæ, ut plerique exiſtimant*) Organa audiri cœpiſſe in Eccle- *Organorum uſus antiquiſſimus.*
ſiis permittente Damaſo Pontifice, quidam aiunt apud Ludovicum Creſolium in ſuo Myſtagogo, ſeu de ſacrorum hominum Diſciplina cap. 27., uti noſter Eminentiſſimus ſcribit loco ſuperius citato de Div. Pſalmodia cap. 17. §. 11. num. 4. Inter eos autem, qui Vitaliano Pontifice eadem audita ſcribunt, eſt Leander Albertus, qui in Latii Deſcriptione de Signia agens, *Urbem hanc*, inquit, *Vitalianus Pontifex Maximus Anaſtaſii filius ortu illuſtravit, a quo modulationes, quibus Eccleſia Romana utitur, compoſitæ, organaque inventa, quemadmodum Petrarcha tradidit*, cui adſtipulantur plerique etiam viri docti; At non primum Vitaliani Papæ tempore inventa organa, quaſi hæc Romæ uſque tunc incognita fuiſſent, cum illorum uſus ne dum hoc Pontifice antiquior extiterit, ſed & ſanctam Chriſti Virginem, & Martyrem Cæciliam, quæ ſeculo tertio anno ſcilicet 232. paſſa eſt, legamus in ejus vita cantantibus organis ſoli Domino decantaſſe, & quamvis ut optime obſervat Antonius Boſius in notis ad Acta S. Cæciliæ num. 7. apud Jac. Laderchium eorumdem Act. tom. 1. pag. 48. varia Muſicorum inſtrumentotum genera nuptiali lætitiæ antiquitus adhibita uno nomine græce organa appellarentur, quod idem ex variis Poetis probat, taliaque organa in S. Cæciliæ nuptiis, & non quæ hodierno in uſu ſunt, necdum fortaſſe inventa, pulſata fuiſſe probabiliſſimum ſit; nihilominus, ſi Julio Cæſari Bulengero fides, organa pneumatica ætate Juliani Apoſtatæ adinventa fuiſſe, ipſe tradit in Tract. de Theatro lib. 2. apud Grævium Theſ. antiq. Rom. tom. 9. pag. 575. Et quidem extat ejuſdem Cæſaris Parabatæ Epigramma in organum a P. Martinio Morentino relatum Præf. in illius Miſopogonem, quod hic exſcribere non ingratum erit.

Quam cerno alterius naturæ eſt fiſtula, nempe
Altera produxit fortaſſe hanc ænea tellus,
Horrendum ſtridet, nec noſtris illa movetur
Flatibus, at miſſus taurino e carcere ventus
Subtus agit læves calamos, perque ima vagatur.

Mox aliquis velox, digitis insignis & arte
Adstat, concordes calamis pulsatque tabellas:
Ast illæ subito exiliunt, & carmina miscent.

Vides hic jam a seculo quarto organum pneumaticum, quale nunc habemus, graphice descriptum, quod item reperies inter Joannis Brodæi Epigrammata Græca, & Lubini Eilhardi Antholog. var. Epigr. Græc. Latine redd. lib. 1. cap. 64. Præclarum etiam testimonium de organis idque duplex eodem ævo, & Augustini tempore habemus apud ipsum in Psalm. 56. ubi ait: *Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum. Non solum illud organum dicitur quod grande est, & inflatur follibus, sed quidquid &c.* Item in Psal. 98., ubi loquit, *rogamus pro illis, ut qui delectabiliter audiunt organum, delectabilius audiant vocem Dei*. Item plura de organis Hieronymus Epist. ad Dardanum, & S. Joannes Chrysostomus Serm. 4., qui est de dicto ad Abraham Tom. 6. pag. 40. ubi organum pneumaticum musicum describit.

An Organa a Patribus memorata ea sint uti hodierna, disquiritur.

An autem organa ab his Patribus memorata ea sint, quæ follibus inflantur, uti hodierna, id improbabile censerem; organum enim Isidoro teste Etym. lib. 3. cap. 20. vocabulum est generale vasorum musicorum, cujus inventio merito Jubali attribuitur, cum dicitur Gen. 4. 21. *Pater canentium cithara & organo*, de cujus Musica erudite Vossius lib. 1. de Natura Artium cap. 4. num. 31., & seqq. Cæterum Organa harmonica in sacris adhibita colligi videntur ex Prudentio, qui seculo exeunte 4. floruit, in sua Apotheosi adversus Judæos sic autem canit.

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano vomit ingens spiritus haustu
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent
Æmula pastorum, quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum.
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.

Quæ tamen sistra potius e pluribus calamis, quam Organa dixerim. Expressius Julianus Halicarnassæus secta Eutychianus integro seculo Prudentio posterior ad cap. 31. Job in Junii Patricii Catena Græcorum Patrum, ubi explanans verba illa: *Si autem ambulavi cum irrisoribus, vel cum vanitate*, ita inquit, *verum longe aliter res se habet, neque enim Organorum usus probibitus erat, quandoquidem hoc ipsum cum pietate fieri potest; in templis enim sunt illis ipsi usi*. Crediderim nihilominus, & denuo censuerim Organa mox memorata psalteria potius fuisse ex sistris, seu calamis compacta, quam Organa eo sensu, quo nunc intelliguntur, pneumatica scilicet, quæ follibus inflantur; ista namque ex Walafrido Strabone libro de rebus Eccl. cap. 25. a Græcis inventa fuisse; sicque ab Oriente in Occidentem ab ipsis invecta anno 757., uti mox infra ex aliis etiam tradit Eminentissimus Author. Psalterium quippe in Glossis, Papia, Calepino, aliisque, etiam antiquis, Organum dicitur. Hinc facile assentior Ferrario, qui in suis Sanctis Italiæ ubi de S. Vitaliano Papa, *Organa*, inquit, *cantui addidisse quidam putant, quod tamen cum Ecclesia Romana Organis minime utatur præsente Pontifice, minus probabile videtur*. Et sane si Organa non nisi integro post Vitalianum seculo a Græcis, ut dicitur, inventa, & in Galliam invecta fuere, uti Sigeberto, & Metensi Annalistæ suffragantur Eginardus in vita Caroli Magni, & Monachus Sangallensis in lib. 2. de Vita ejusdem Imp. cap. 10. apud Duchesnium Script. Hist. Franc. Tom. 2. quomodo jam Romæ inventa Vitaliani tempore, cum tunc ibi in usu fuisse in Occidente nullo constat argumento? Venantius quidem Fortunatus, qui seculo sexto floruit, anno scilicet 568. in Carmine decimo libri secundi de S. Germani vita restatur in Parisiensi Ecclesia *Cymbalicas voces calamis misceri acutis solitas*, ex quo hallucinatus Joannes Grancolas Doctor Sorbonicus in suo Commentario Historico ad Breviarum Romanum lib. I. cap. 17. ait longe ante Vitalianum Papam organa, cum aliis Musices instrumentis in Galliis adhibita fuisse; at optime Venantium Fortunatum consideranti constabit ejus verba de Organis æreis intelligi non debere, sed ea figurate dicta esse, scilicet de varietate vocum diversa instrumenta musicalia figurantium, uti scite advertit Mabillonius Præfat. I. in seculum III. Bened. num. 105. Et quidem ait ibi Fortunatus loquens proculdubio de varia, & multiplici Cantoris voce: sic enim inquit ibi:

Et Psalteria potius ex sistris compacta, quam organa nostris similia probabilius creditur.

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde senex largam ructat ab ore tubam,
Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Quæ utique de vocis humanæ organo, non de musico organi instrumento intelligi debere quisque conspicit. Roboratur insuper hæc nostra assertio, & Vitaliano Pontifice organa Romæ in usu non fuisse comprobatur ex eo, quod cum tempore Jo. Papæ VIII. qui duobus & amplius seculis post Vitalianum sedit, plures in Gallia florerent artifices, qui musica organa scite conficerent; inter quos Haimoinus lib. 4. de Gestis Franc. Gregorium quemdam valde celebrem recenset, idem Pontifex Annoni Episcopo Frisingensi scribens apud Labbeum Concil. Tom. IX. inter cætera hæc habet: *precamur autem ut optimum organum cum artifice, qui hoc moderari, & facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem musicæ disciplinæ nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas*. Ubi vides neque organum, neque

que qui illud pulsaret tunc Romæ, seculo scilicet nono extitisse.

Card. Bona ex se ipso emendatus.

Quare circa illud tempus organa ibidem in usu recepta fuisse, non antea, valde exploratum est, quidquid in contrarium prædicti scribant Authores, & quamvis Emin. Scriptor de Div. Psalm. cap. 17. §. 2. num. 5. in fine affirmet, *quod verior & communior sententia Platinæ est asserentis eorum usum tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 66. in Ecclesiis incæpisse*; cui sententiæ subscribunt nonnulli recentiores, inter quos Pagius junior Brev. Gest. Pontif. in Vitaliano; nihilominus hoc in Paragrapho vir summus, qui Liturgicum illud opus eruditorum judicio, purgatiori criterio elaboratum præ Psallentis Eccl. Harmonia in minoribus annis edita, doctissimus, & undequaque scientissimus senex confecit, dictam opinionem moderatus eamdem retractare videtur, nostræque adhærere, dum dicit Musicæ vocali additam fuisse organicam, sive instrumentalem tempore Vitaliani Papæ, ut plerique existimant; quibus ultimis verbis satis se de hujusmodi asserto subdubitare, & non illi firmiter assentiri ostendit. Cæterum utcumque sit de tempore introducti organorum usus in Italia, sive sub Vitaliano, sive sub Joanne VIII. Pontif. seculo nono, quamquam non desint & nostro ævo plus æquo rigidi veteris disciplinæ zelatores, nimiumque indiscreti novarum etiam legitime introductarum observationum censores, qui organorum usum in Ecclesiis, maxime vero cœnobiticis improbent, organum appellantes instrumentum infirmiorum Christianorum, qui ad mentem in Deum elevandam hisce rebus indigeant; ac propterea extent ad hanc diem insignes Ecclesiæ, præsertim in Gallia, quæ Organorum, & Musices usum ignorant, inter quas Lugdunensis; quæ Cardinali nostro teste loco mox indicato, novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit: Attamen, ut idem Purpuratus subdit, damnari non debet moderatus organorum usus, cum a sanctissimis, & sapientissimis viris, ac novissime a S. Concilio Tridentino approbatus, & permissus sit Sess. 22. Decr. de evit. & observ. in celebr. Missæ, atque inde plurium item Provincialium Synodorum authoritate firmatus, ut Trevirensis, Senonensis, Coloniensis, & Mediolalensis seculo XVI. habitarum, dum nihil quod seculare sapiat modulari cautio sit. Sane lætificat organorum concentus tristes hominum mentes, & supernæ civitatis insinuat jucunditatem; sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem. Qui Deum diligunt, ait Climacus gr. 15. ad hilaritatem, & divinam dilectionem, atque ad lacrymas, & ex mundanis, & ex spiritualibus canticis ac melodiis excitari solent. Porro de organorum usu in Ecclesia plura scribit Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus Eccl. Cath. cap. 23. postque ipsum idem Card. noster loco indicato, Mabillonius Præf. in Sec. III. Bened. num. 105. aliique.

Organorum usus in Ecclesiis vindicatus, & commendatus.

(4) *Psallentium pateat Clericorum*) Attamen viget adhuc hæc consuetudo in Ecclesia Orientali, & in Occidentali quidem multa sunt oppida, & ea maxime ab urbibus distantia, in quibus Populus Ecclesiasticum cantum discit, simulque cum Clero concinit; loca enim hujusmodi a Civitatibus remotiora tenacius hærent antiquitati, & serius ad ea perveniunt, quæ noviter instituuntur. Sed & olim, inquit Grancolasius Comment. Hist. in Breviarium Rom. lib. 1. cap. 18. licebat quoque mulieribus in Ecclesia canere; silentium enim, quod illis S. Paulus in sacris locis atque conventibus imponit, revera de concione, sive docendi munere intelligendum est. Hinc videre est apud Isidorum Pelusiotam lib. 1. Epist. 90. mulieres cantantes in Ecclesia. S. Gregorius Nazianzenus matrem suam laudat, quod altum silentium in officio servarit, neque os nisi ad canendum aperuerit, atque Presbytero celebranti respondendum; *Amen* scilicet, qua voce Populus iis, quæ Sacerdos dicebat, respondere solebat. Capitularia Caroli M. lib. 2. cap. 76. sinunt mulieres alternis choris cum viris in funere cantare, idque ad tollendas Paganicæ superstitionis reliquias, quæ in funerum ritu adhuc apud Gallos supererant. *Quæ de Paganorum ritu remanserunt*. Viri *Kyrie* præcinebant; mulieres autem, succinebant: *Viris incohantibus, mulieribusque respondentibus, alta voce canere studeant*. In Belgio *Beguinæ*, genus quoddam Religiosarum mulierum, alternatim cum Ecclesiasticis singulos officii versiculos canebant; quod olim usu receptum quoque erat apud Religiosas Poissenses, quæ cum Dominicanis canebant. Ad *Te Deum* Organa Versiculum modulabantur. Dominicani alterum canebant, tertium vero Religiosæ. Apud Religiosas Franciscanas, e Fratribus Minoribus unus rem Divinam facit, Religiosæ vero in Choro officium peragunt. Hactenus Grancolasius; atque ab ipso allatis SS. PP. Græcorum textibus addo & magnum Latinæ Ecclesiæ Doctorem Ambrosium Præf. in Psal. *Mulieres, quas Apostolus in Ecclesia tacere jubet, Psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui: hunc juvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris, puellulæ sine prolapsione verecundiæ cum sobrietate gravitatis Hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur*.

Mulieribus olim canere in Ecclesia permissum.





§. XX.

§. XX.

Schola Cantorum Romæ, & alibi instituta. Quale fuerit olim Ecclesiastici cantus studium. De Cantorum ordinatione in Ecclesia Orientali.

CUm in cantu Ecclesiastico & Clericalis disciplinæ vigor, & Christianæ Religionis, sacrarumque functionum majestas maxime eluceat: summo semper studio Romani Pontifices, & aliarum Ecclesiarum Antistites curarunt, ut Clerici a teneris annis canendi regulas ediscerent, dato eis magistro, qui, ut scite loquitur Tertullianus lib. de Pallio cap. ult. *primus* esset *informator literarum, & primus edomator vocis*. Ideo Romæ Schola Cantorum instituta fuit, cujus originem Petrus Episcopus Urbevetanus in Scholiis ad vitam Leonis IV. sic describit: *Quamvis circa tempora Silvestri Papæ plures fuerint in Urbe Ecclesiæ, non tamen singulæ Clericos vel Monachos habebant, qui in illis officia obirent. Presbyteri enim titulis, & Diaconi Diaconiis Præfecti, suo quisque tantum officio vacabant, illi Sacramentis administrandis, hi pauperibus procurandis. Ideoque ordinata fuit Schola Cantorum, quæ in Urbe communis erat, & stationes, processiones, ac festa principalia Ecclesiarum Urbis sequebatur: qua in Schola pueri in cantu, lectione, & moribus sacris instituebantur, in communi vivebant, & Primicerium, cujus tunc magna erat in Urbe dignitas, Præfectum habebant* (1). Hinc ad reliquas civitates eadem institutio propagata est: nam Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus ad Carolum Magnum scribens ait, *habeo Scholas Cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint*. Synodus Valentina sub Lothario can. 18. *ut de Scholis tam Divinæ, quam Humanæ literaturæ, necnon & Ecclesiasticæ cantilenæ juxta exemplum Prædecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri, statuatur & ordinetur*. Crodegangus Metensis Episcopus in Regula Canonicorum a Luca Dacherio primum edita *tom.* 1. *sui Spicilegii* de Cantoribus & Schola Cantorum agit *cap.* 50. Primam vero hujus Collegii sive Scholæ institutionem quidam Hilaro Papæ, alii Gregorio Magno tribuunt, cui etiam debetur Ecclesiastici cantus in meliorem formam instauratio. Licet enim, ut diximus, ab initio Ecclesiæ usus canendi Romæ fuerit, nescimus tamen quales ante Gregorium fuerint Ecclesiasticæ modulationes, quæ canentium disciplina. Joannes Diaconus in ejusdem Gregorii Vita *lib.* 2. *cap.* 6. scribit eum constituisse Scholam Cantorum, & ei cum nonnullis prædiis duo habitacula fabricasse, unum sub gradibus Basilicæ B. Petri Apostoli, alterum sub domibus Patriarchii Lateranensis. Porro cantus ab eo institutus ille est planus & unisonus, quem ab ipso Gregorianum nuncupamus, progrediens per certos limites & terminos tonorum, quos modos, seu tropos vocant Musici, & octonario numero definiunt, secundum naturalem generis diatonici dispositionem. Huic cantui, quo hactenus usa est Ecclesia Occidentalis, cum Galli & Germani nonnulla miscuissent, Religiosissimus Imperator Carolus Magnus ad primigeniam S. Gregorii harmoniam restitui curavit, ut idem Joannes Diaconus ibidem asseverat. In vita ipsius Caroli a Monacho Engolismensi conscripta *cap.* 8. inter Scriptores historiæ Francorum, prolixe narratur contentio habita Romæ inter Gallos & Romanos Cantores, quis melius caneret: quam litem diremit Carolus pro Romanis lata sententia, utpote qui a B. Gregorio

Schola Cantorum a S. Gregorio Magno potius, quam ab Hilaro Papa instituta.

(1)

gorio instructi fuerant; petiitque ab Adriano Papa Cantores, quos misit in Galliam, ut veram cantandi normam docerent. Qua in re admirabilis fuit Pii Regis solicitudo, ut fusius docet Monachus Sangallensis in lib. de Ecclesiastica cura Caroli M. *cap*. 5. *& sequentibus*. Ordo Romanus ait ex prædicta Schola pueros nobiles cubicularios Summi Pontificis fieri consuevisse. Transferebantur nimirum in Oratorium Pontificis, quod olim cubiculum vocabatur, ut docet Baronius in Martyrologio *ad diem* XI. *Junii*, & inter Clericos Pontificios numerabantur. Sic a tenera ætate enutritus fuit Sergius I. de quo hæc refert Anastasius. *Hic veniens Romam tempore Adeodati, quia studiosus erat & capax in officio cantilenæ, Scholæ cantorum pro doctrina est traditus, & Acolythus factus per ordinem ascendens a Leone II. in titulo S. Susannæ Presbyter ordinatus est*. Sergius item II. cum puer esset a Leone III. scholæ Cantorum traditus ad erudiendum literis, & cantilenæ melodiis, ascendens deinde per omnes gradus Summus Pontifex creatus est (2). Similia scribit Anastasius de Gregorio II. Stephano III. & Paulo I. Hujusmodi scholam, in qua pueri cantu, & literis ac moribus instruerentur, ducentis fere annis ante Gregorium Magnum extitisse in Africa Victor Episcopus indicat *lib*. 5. *de pers. Africana sub impio Rege Hunnerico*, ubi describens multitudinem fidelium pergentium in exilium, separatos ex illis ait, suggerente quodam Terchario, qui cum Lector catholicus esset, accesserat Arianis, duodecim infantulos strenuos & aptos modulis cantilenæ, quos ipse in Ecclesia discipulos habuerat. Hi revocati Carthaginem, & variis suppliciis affecti, ut orthodoxam fidem desererent, in ea semper constantes tormentis supervixerunt. *Quos nunc Carthago*, ait Victor, *miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum. Una degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur*. Favet Augustinus, qui quantum vigeret in Africa studium Ecclesiastici cantus, luculenter ostendit *lib*. 10. *Confessionum cap*. 33. In Gallia quoque Carolus Magnus *lib*. 1. *Capitularium cap*. 72. hoc de iisdem scholis decretum edidit. *Scholæ legentium puerorum fiant: psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam, per singula Monasteria, vel Episcopia discant*: Quandonam Romæ sublata sit schola Cantorum sub Primicerio communiter vivens, nusquam reperio. Adhuc tamen vigebat seculo decimo tertio, nam Cæsar Rasponus Cardinalis in erudito opere de Basilica Lateranensi *lib*. 2. *cap*. 4. ponit conventionem anno 1232. initam inter Lateranensem Ecclesiam, & Primicerium, ac scholam Cantorum, qua assignantur quidam proventus ipsi Primicerio cum decem Cantoribus pro officio in die S. Jo: Baptistæ, & in Stationibus ejusdem Ecclesiæ. Apud Græcos ordinantur Cantores eodem ritu quo Lectores, ut constat ex Euchologio, & ex variis Ordinationum Græcarum libris editis a Morino. Diversum tamen a Lectore ordinem Psaltes sive Cantor constituit, ut observat Habertus *ad partem* IV. *Pontificalis Græcorum observ*. 4. nisi quod ille recitat, hic concinit: unde illi in ordinatione liber Apostolicus, huic Psalterium præbetur (3). At vero Maronitis diversa est Lectoris, & Cantoris ordinatio, estque apud illos Cantoratus gradus ad Lectoratum. De disciplina psallendi hæc sancivit Synodus Trullana Can. 75. *eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere: nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt & apta non sunt, adsciscere; sed cum magna attentione & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre*. Congessit in notis ad hunc Canonem plura, quæ ad Cantum ejusque disciplinam

Plerique Summi Pontifices e Schola Cantorum, in qua pueri litteris eruditi fuerant, prodiere. (2)

Apud Græcos Cantores ordinati eodem ritu ac Lectores, secus vero apud Maronitas. (3)

plinam spectant, Christianus Lupus. Diaconos psallere in Ecclesia Gregorius Magnus prohibuit in Concilio Romano, cujus acta in ejus Regesto descripta sunt *lib.* 4. *Epist.* 44. sed solos Subdiaconos, & Clericos minorum Ordinum hoc munere fungi constituit; ac propterea Scholam Cantorum pro puerorum institutione aut primus erexit, aut restituit. Clericos autem Ecclesiæ adscriptos debere per seipsos psallere Justinianus Imperator edixit *C. de Episc. & Clericis l.* 42. §. 10. additque causam edicti dignam ponderatione. *Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eas debeant Sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis a ministrantibus piis Clericis Deus colatur.* Et initio dixit se ideo hoc sanxisse, *ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant; nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes.*

(1) *Præfectum habebant*) Hæc Petrus Urbevetanus, cujus liber Scholiorum ad vitas Pontificum extat MSS. in celeberrima Bibliotheca Barberina.

(2) *Sergius item II. . . . . . . Summus Pontifex creatus est*) De hoc Pontifice in Scholam Cantorum admodum propenso ita scribit Anastasius Bibl. in ejus vita: *Idem vero almificus, & beatissimus Papa Scholam Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, & præ nimia vetustate in ruinam posita, atque confracta videretur, Dei annuente clementia a fundamentis in meliorem, quam olim fuerat statum, noviter restauravit.* Ex quo conspicimus Cantores olim juxta Basilicam, cui addicti erant, habitationem habuisse, sicuti etiam constat ex paulo ante allato Joanne Diacono in Vita S. Gregorii Magni. Stephanus item VI. ut tradit Guillelmus Bibliothecarius in ejus Vita in Scholam Cantorum munificus fuit: *Et in Schola* (ait) *Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, Heptateuchum unum obtulit.* Porro ex Orphanotrophiis suppletam fuisse Cantorum Scholam docemur ex libro Diurno Rom. Pontif. cap. 7. tit. 19. apud Joannem Garnerium. Exinde in alias Ecclesias derivatas Scholas Cantorum, ut optime notat Card. noster discimus ex Leidradi Lugdun. Archiep. Epist. ad Carolum M. Imp. apud Mabillonium Analect. vet. Tom. 3. p. 28. ubi ait: *Nam habeo Scholas Cantorum, &c.* Id autem fuit ex præcepto ejusdem Imperatoris. Ansegisus enim sive Lobiensis, quem Sigebertus, vel Flaviacensis, aut Lexoviensis, ac demum Fontanellensis Abbas, ut varii varie volunt, qui eodem seculo 9. ineunte floruit, in Capitularibus Caroli M. quæ collegit lib. 1. apud Car. Cointium Annal. Eccl. Franc. ad ann. 827. & Steph. Baluzium. *Carolus siquidem*, ait, *constituit in singulis Monasteriis, & Episcopiis Scholas esse, ubi ingenuorum, & servorum filii Grammaticam, Musicam, & Arithmeticam doceantur.* Ab illo instituto est quod & hodie plerisque Canonicorum Collegiatis Ecclesiis uni eorum etiamnum Cantoris appellatio maneat, ut & infra dicemus. Quia vero sensim hæ Scholæ defecerant, eas restaurari jusserunt Concilium Lateranense, Innocentius III. & Honorius III. Summi Pontifices, uti in lib. 5. Decretal. tit. 5. & præcipue Sancta Synodus Tridentina OEcumenica Sess. XXIII. de Reformatione cap. 18. ubi forma erigendi Seminarium Clericorum præscribitur in qualibet Episcopali, ac majoribus Ecclesiis, prope quas peculiari domo ad id extructa pueri, ac juvenes Ecclesiæ ministerio addicti, varias in classes distributi, inter cæteras Schola Cantorum existat, ubi cantu erudiantur.

Cantores olim juxta Basilicam, cui addicti erant, habitabant.

(3) *Huic Psalterium præbetur &c.*) Consonat Bellarminus de Clericis lib. 1. cap. XI. ubi ait: *Etsi Episcopus, & Presbyter distinguuntur; tamen quantum ad Sacrificium, idem omnino ministerium exhibent; proinde unum ordinem, non duo faciunt, sicut etiam Lector, & Cantor, seu Psalmista.* Et ante hos Martinus Bracarensis Episcopus in Collectione Canonum apud Justellum Biblioth. Jur. Can. Tom. 1. Append. pag. 7. & Concil. Labbei Tom. 5. pag. 503. Parte I. cap. 45. Psalmistam, & Lectorem unum, & eumdem facit; *non liceat*, inquit, *in pulpito psallere, aut legere, nisi, qui ab Episcopo Lector est ordinatus.* Hinc Durandus in Rationali lib. 2. cap. 2. optime advertit falli eos, qui Cantoratum ordinem esse dixere, quia nomen est officii, non autem Ordinis. Concilia vero, sacri Canones, aut sancti Patres, ubi dicunt Cantorem ordinem minorem esse, intelligendi sunt, non de Canonico, sed de Clerico prima Tonsura initiato, prout etiam paulo ante ipse Durandus ibidem cap. 1. observaverat, quem Cantorem Antiqui in Ecclesia Latina appellarunt, & Græci Psaltem, seu Psalmistam vocant, de quo idem Durandus cap. 3. mentionem facit. Cantoris, seu Psalmistæ meminit Concilium Carthaginense IV. Can. 10. ubi totam ejus creationem paucis hisce verbis indicit. *Psalmista, idest Cantor potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes:* Quod & in fine Pontificalis Romani legitur, ubi hæc adduntur: *Et si Episcopus ordinans Clericum hæc faciat, bene facit.* Olim in Ecclesia Romana Cantores erant ex Subdiaconis, ita ex Sancti Petri Damiani testimonio apud Baronium ad an. 1057. n. 19. & 22. ubi ait: *Subdiaconi sunt omnes numero viginti, & unus . . . . . septem alii, qui dicun-*

Cantoratus non Ordinis, sed officii nomen.

dicuntur Schola Cantorum, qui cantant tantummodo, quando Summus Pontifex celebrare consuevit. Quia vero Cantores de hujusmodi sibi injuncto officio nonnulli superbire dignoscebantur, ideo Concilium Aquisgranense anno 816. eos coercuit Canone 137., & ad debitum modum redegit. Atque inde processu temporis Cantorum, seu Psalmistarum Ordo, ut observat Edm. Martene Tom. 2. de antiq. Eccl. Rit. pag. 305. num. 4. ab annis circiter trecentis videtur extinctus, & ad meram insigniorum Ecclesiarum dignitatem redactus. Certe seculo XI. adhuc viguisse Cantorum Scholas testatur Domnizo lib. 1. de Vita Comitissæ Mathildis cap. 2. sic canens in Monum. Tegnagelii pag. 127.

Cantorum Schola adhuc seculo XI. vigens.

Post hæc excelsum studuit sibi fingere templum,
Divinasque Scholas, canerent quæ dulciter horas
Nocte dieque Deo.

Hic autem, ubi in Ecclesiastici cantus studio, ac Schola Cantorum explicit Card. nostri Rerum Liturgicarum liber primus, cum eadem & ego huic secundo Commentationum Tomo colophonem imponens, inter divinas hujusmodi laudes Eucharisticas, sive gratiarum actionis, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi, confidens hoc ipsum, quia qui cœpit, & ipse perficiet, confirmabit, solidabitque quæ ad majorem sui gloriam adhuc addenda supersunt. Sic itaque laudans Dominum in vita mea, & psallens Deo meo quandiu fuero in hac terra aliena & miseriarum valle, faxit ipse, ut post hoc exilium in cœlesti Patria cum Angelicis supernorum Civium Choris tandem aliquando hunc Psalmum dicam: *Misericordias Domini in æternum cantabo* præstante Domino Nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto est super omnia laudabilis & benedictus in secula, dum interim ad id pro viribus impetrandum dilectæ ipsius Sponsæ, Sanctæ scilicet Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, quam Matrem unice colo minimus ejus filius, judicio & censuræ hæc, qualiacumque sint, scripta libens toto ex corde subjicio.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



APPENDICES,

ET

SUPPLEMENTA

SIVE

COLLECTANEA MONUMENTORUM ALIQUOT
Ad Cap. XXIII. & Cap. XXV. §. 10.

Ex nonnullis selectis Authoribus desumpta,

QUIBUS

Eadem amplius disquiruntur, & illustrantur.



PRÆFATIO.



UPERFLUÆ; Tibi, benigne Lector, nunquam videantur Appendices istæ, seu Supplementa, quæ dum de optimo Cardinalis Bona thesauro, vetera simul & nova copiose proferuntur, nulli prorsus Erudito displicere poterunt. Hæc etenim exhibent, quæ proxime elapso seculo a plerisque doctissimis viris excitatæ fuêre opiniones quoad celebrem Controversiam circa Panis Eucharistici necessariam qualitatem, an scilicet Azymus, vel Fermentatus, aut uterque promiscue ad Sacrificium adhibitus fuerit primis Ecclesiæ seculis in Ecclesia Latina. Principaliores hac de re dictorum Illustrium Scriptorum Sententias jam in Propylæo, seu Monitione ad Lectorem initio Capitis XXIII. *pag.* 141. *& seqq. ubi de eadem a Cardinali luculenter disquiritur, sufficienter descripsimus, videlicet Clar. Jacobi Sirmondi e Soc. Jesu Presb. in Gallia, qui inter recentiores Theologos primus de eadem quæstione ex professo scripsisse videtur, & Fermentatum panem ex solito ad Missam pro Sacrificio a Fidelibus Sacerdoti oblato usque ad nonum seculum consecratum fuisse contendit; Item in Gallia Joannis Mabillonii Ord. S. Bened. Congr. S. Mauri, qui ex adverso, non Fermentatum panem adhibitum, sed perpetuum in Occidentali Ecclesia fuisse ab Apostolorum ævo Azymorum usum ostendere conatur. Nostri denique Cardinalis, qui medius inter utrumque, ab eodem tempore usque ad Photianum Schisma, Fermentatum, Azymumque panem alterutrum promiscue sacrificatum eximie probat. Quia vero plures alii non ignobiles Theologi in hanc ipsam arenam descendentes de eadem materia scripsêre, ac majori ex parte Mabillonio potius, quam Cardinali nostro adhærentes, visi sunt, Eruditis omnibus, atque bujus tam agitatæ disquisitionis studiosis non ingratum fore censuimus, si horum circa eamdem placita breviter perstricta referamus, ut sic de singulis unicuique judicare*

care

care sit liberum , neque dignoscant non ita eidem Liturgico Scriptori deferre , ut cæteros in sua opinione despiciam . Habes igitur hic ex cap. 7. Art. 5. Emm. Schelestratii Bibl. Vatic. Præfecti Differt. de Disciplina Arcani excerptam Latinorum antiquam de Azymis traditionem , tum Joannis Ciampini conjecturas de perpetuo Azymorum usu in eadem Occidentali Ecclesia ex variis Authorum opinionibus depromtas , quibus variorum argumenta pene omnia , quæ pro hujusmodi affirmativa sententia allata sunt , simul collecta proferuntur . Succedunt recentiores alii hac eadem de re post Ciampinum Scriptores , inter quos Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson , Ord. Præd. in sua Hist. Eccl. qui ad Card. nostri sententiam accedere videtur , quemadmodum & Honoratus Tournely Doctor alter Sorbonicus in suis Prælectionibus Theologicis de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento , quibus tamen refragatur Gallus item Theologus post ipsos sequens Antonius Boucat Ord. Minimorum S. Francisci de Paula Parte 3. de Sacram. Quæ autem hinc inde super eamdem materiam a dictis auctoribus discutiuntur , distincte refert Honoratus a Sancta Maria Carmel. Excalc. Animadv. in regulas , & usum Critices Tom. 2. Lib. 4. Differt. 4. neque vero , cui adhæreat , sententiam proponit . Sequuntur novissimi Joannes Laurentius Berti Ord S. Augustini Theologus pro antiquo usu Azymi apud Latinos cum Mabillonio adversus Cardinalem nostrum pugnans Tom. 7. de Theol. Disciplinis , & e contrario eidem Eminentissimo favens Cajetanus Maria Meratus Cler. Regul. Tom. 1. commentar. in Gavantum Observ. prælim. num. 13. Horumque ultimus agmen claudit ejusdem Religionis & nominis vir Clarifs. de Petio Addit. ad Felicis Potestatis Theol. Mor. pag. 229. ac sequentibus , qui cæterum ibi dicto contubernali suo adversatur .

His expositis , cum in hac intricatissima quæstione , ubi veritas , quia in obscuro posita est , delitescit , & rationes pro ipsa inquirenda invicem adversantes non difficulter ad placitum cujusque sensum utrobique reducibiles existant , nihil propterea certi pro alterutra parte definiri possit , fas erit , ut diximus , liberumque , cuiquam ex tot . ac tam discrepantium Scriptorum opinionibus , cui voluerit suffragari . Porro hac etiam in acie adnumerandi , inque eodem stadio decertantes illustres , ac non infimi subsellii viri Natalis Alexander , Gaspar Ivenin , & Anonymus de Re Sacramentaria adversus Hæreticos , aliique recenseri omissi sunt , tum ne justo longior

gior hæc prima Appendix evaderet, tum quod Authores isti, utpote Cardinali nostro faventes, ipsius argumenta pro Azymi ac Fermentati promiscuo usu bene multa, quæ in hoc Capite ex Editione præcipue Billaineana Parisiensi descripserunt, nec quidquam novi, quod sciam, ab aliis intactum afferant, tum denique, quia non omnibus ignoti facile obvii esse possint, ac proinde supervacaneum visum est jam actum agere, magisque hujus controversiæ studiosis satisfactum adjudicavi adversæ partis momenta potius, quam Cardinalis vindicias proferendo, quæ tamen suo loco dabuntur, ut ita huc illucque docte spatiari valeant Eruditi. Gratior demum præ cæteris hisce additamentis, & acceptior tibi profecto erit, humanissime Lector, Appendix altera, sive selectarum Collectio Epistolarum, quas tum ipse Card. Bona ad varios sublimis notæ Theologos scripsit, tum isti ad eumdem direxerunt de dicta celebri circa Azymum & Fermentatum controversia. Harum pleræque sunt Dacherii, & Mabillonii Monachorum S. Mauri, ac Claudii Castellani Canonici Parisiensis; omnes numero XIX. *quæ iterum cum cæteris Eminentissimi Principis Epistolis suo ordine disponendæ, ac proprio contentæ tomo, separatim reimprimentur. Coronidem his supplementis imponunt breves duæ de Libris Liturgicis Dissertationes, prima Guillelmi Cave quoad Græcos, altera Cajetani Mariæ Merati quoad Latinos. Hæc sunt, quæ in hujusmodi monumentorum Collectione pro secundi Tomi complemento tibi exhibentur, Liturgice Philalethes; his fruere, & profice, atque ex Apostoli Doctoris Gentium præscripto ad Corinth.* I. *cap.* 5. 8. *expurgato veteri fermento sis nova conspersio, sicut es Azymus, & epulare non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis; quod tibi, & mihi sua benignitate largiri dignetur Jesus Christus Dominus noster Ecclesiæ Sponsus, qui est super omnia benedictus in secula.*

Ad menda Typographi
Jambicum carmen.

Errata porro, ut deleas, Lector candide,
Obtestor antequam distincte legas;
Quæ si legendo, uti par est, correxeris,
Rem feceris gratissimam, & pro te Deum
Precabor expers semper ut sis criminum.

APPEN-

AD CAP. XXIII.

Ubi de celebri controversia circa Panem Eucharisticum Azymum, & Fermentatum.

EX EMANUELIS A SCHELESTRATE
S. T. D. BIBLIOTH. VATICANÆ PRÆFECTI
DISSERTATIONE APOLOGETICA
DE DISCIPLINA ARCANI CAP. VII. ART. 5.

Antiqua Latinorum de Azymis traditio ex Disciplina Arcani confirmata.



Ravis est controversia, quæ de pane Azymo exorta est inter præcipuos nostri sæculi eruditos, quibusdam cum Sirmondo & Eminentissimo Cardinali Bona perpetuum Azymorum apud Latinos usum impugnantibus; aliis cum Joanne Mabillonio & Christiano Lupo defendentibus. Et Cardinalis quidem Bona, ut opinionem suam de indifferenti Azymi, & Fermentati apud Latinos usu confirmet, asserit lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. num. 16. ad eum comprobandum præteriri non debere Romanorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii decreta: Melchiadis nimirum, de quo hoc decretum refertur in ejus vita: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*. Siricii, cui istud in Pontificali tribuitur: *hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*. Et Innocentii I. qui Epistola ad Decentium Eugubinum cap. 5. *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.*

Putabat Eminentissimus Annalium parens Baronius, hic nullam mentionem de Eucharistia fieri, sed potius de Eulogiis, seu pane benedicto, quem fermentatum apud Latinos in usu fuisse, non negavit. Verum convenit inter Eruditos tam illos, qui perpetuum Azymorum apud Latinos usum sustinent, quam alios, qui oppugnant, in istis decretis agi de primitivæ Ecclesiæ consuetudine, qua Episcopus ad Urbis Presbyteros, qui Sacrificio ipsius diebus Dominicis adesse non poterant, Sacramenta mittebat. Notat eruditus Lupus Tomo III. Conciliorum in Responsis ad Michaelis Cærularii calumnias, primis Ecclesiæ temporibus ob paucitatem fidelium non fuisse in Civitatibus plures quam unam Ecclesiam, in Ecclesia unum, non plura Altaria, & ad Altare illud, unum, non plura Sacrificia eodem die fuisse oblata. Probat hæc omnia ex variis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, & ex his ostendit, usum obtinuisse, quod Episcopi diebus Dominicis in Ecclesia Sacrificium offerendo præsente populo ex oblatis communicarent, ad absentem vero ex oblatis consecratis mitterent. Et hoc est, quod ait, Justinum Martyrem in Apologia pro Christianis testari, dum narrat, diebus solis, seu Dominicis Sacramenta per Diaconos ad absentes delata fuisse. Intelligit autem Lupus per absentes non solum infirmos, & captivos, sed etiam Sacerdotes, qui Missæ Pontificali adesse non poterant. Exponit de eadem consuetudine testimonium Irenæi Lugdunensis in Gallia Episcopi, qui in Epistola ad Victorem Papam refert, ab ipsius Prædecessoribus ad diversarum Ecclesiarum Presbyteros, seu Episcopos Romam adventantes Eucharistiam transmissam fuisse.

De hac itaque consuetudine intelligendum est Melchiadis Decretum, quod ubi plures ob multitudinem fidelium essent institutæ Ecclesiæ, oblationes ex consecratu Episcopi, diebus nimirum Dominicis, dirigerentur. Et illud Siricii, quod non solum in Pontificali ab Anastasio Bibliothecario conscripto, sed & in antiquo Romanorum Pontificum Catalogo tempore Justiniani Imperatoris exarato, reperitur, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi die Dominico consecratum Episcopi suscepisset. Hæc enim Innocentius primus clarissime explicat in Epistola ad Decentium Eugubinum loco superius allato; fatetur enim, die Dominico per titulos intra Civitatem constitutos consecratum mitti consuevisse, quod Acolythi ad Presbyteros, qui illa die propter

plebem sibi creditam Sacrificio Pontificali interesse non poterant, perferebant; vocat autem Innocentius hoc ipsum consecratum *Sacramenta*, negatque, ad Cœmeteria extra Urbem constituta destinanda esse; *quia*, inquit, *non longe portanda sunt Sacramenta*, quod de Corpore, & Sanguine Christi intelligendum esse, vix negari potest.

Supposito itaque contra Baronium, quod antiqua hæc Romanorum Pontificum decreta intelligenda sint de Sacra Eucharistia, non statim sequitur, Romanam, aliasque Occidentis Ecclesias in pane Fermentato confecrasse. Quamvis enim id concludere videatur Emin. Card. Bona ex eo, quod Sacramenta *Fermentum* in decretis illis nominentur, notandum tamen, aliud quid esse fermentum, aliud quid ob certas rationes eo nomine appellari. Dicit Melchiades Papa de oblationibus ab Episcopo consecratis, *quod declaratur Fermentum*; & Siricius: *quod nominatur Fermentum*. Quibus verbis innuunt iidem Pontifices oblationes illas potius Fermentum vocatas fuisse, quam ex pane Fermentato constitisse. Rationem ingenue professus est Jacobus Sirmondus in Disquisitione de Azymo cap. 5. ubi „ Eucharistiam hic „ constat Fermentum ex eo dictam, non „ quod ex pane esset fermentato, sed quod „ ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem „ præstaret, eisque unionis inter se vinculum „ esset, sicut Fermentum Massæ, cui commiscetur. O *Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis!* ait „ Augustinus in Joannem tractatu 27. Quod „ ergo illi nomen congruentius potuit imponi, quam ut Fermentum diceretur? „ Plura hac de re habet Sirmondus, & plura a me dicta fuissent de hac materia, nisi de illa tractatum integrum Ill. Dom. Ciampinus de republica literaria optime meritus pararet, unde ab uberiori expositione hic abstinebo, quod ex dictis sufficienter constet, mentionem Fermenti in decretis Pontificum nihil facere contra antiquum Azymorum apud Latinos usum &c.

EX JOANNIS CIAMPINI

LIBRO, CUI TITULUS

Conjecturæ de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina, vel saltem Romana, &c.

CAP. IV.

Vox Fermenti *in Melchiadis, & Siricii Decretis, ac in Epistola Innocentii I. ad Decentium Episcopum contenta, in quo sensu a nonnullis Scriptoribus accepta sit.*

Licet quæstio Azymorum in undecimo seculo acerrime agitata, in Florentina tandem Synodo finem habuerit, nosque his, quæ superius attulimus, satis, superque in tanta rerum caligine demonstraverimus ab ipso etiam Ecclesiæ nascentis exordio, ac in sequentibus seculis Azymum usitatum fuisse; sciendum tamen est non defuisse, qui dubitandi ansam desumpserunt ex infra scriptorum Pontificum decretis, ac Epistola.

Porro in Melchiadis vita, qui floruit in principio IV. seculi in libro Pontificali descripta, qui sub Anastasii nomine circumfertur, sic legitur: *hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*. Item habetur in vita Siricii, qui in fine ejusdem seculi Romanam Ecclesiam rexit; *hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*. In Epistola autem Innocentii ad apicem Pontificatus assumpti in principio quinti seculi, quæ prima est, & habetur in cap. 5. prædictus Pontifex Decentio Episcopo Eugubino circa Fermentum respondet his verbis: *de Fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, qui die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto: quia longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per Cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus; & Presbiteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Hæc tantorum Pontificum monumenta, cum plurimum Scriptorum mentes in varias partes distraxerint, adeo ut varia eorumdem sententia sit in statuendo, quidnam vox illa *Fermenti* denotet, Nos singularum opiniones hic solita brevitate referre, eosque ad quatuor Classes redigere decrevimus. Prima igitur eorum est, qui licet de voce *Fermenti* meminerint, nihilominus aut mole difficultatis pressi, aut alia de causa, rem levi calamo tetigere, ut effecisse videntur antiquus quidam Auctor Anonymus a Pamelio in suo Liturgico Latino relatus, ac Petrus Episcopus Urbevetanus, necnon Franciscus Maria Florentinus, qui morte præventus dissertationem suam absolvere haud valuit.

Secunda illorum, qui Eucharistiam sub voce *Fermenti* a præfatis Romanis Pontificibus acceptam fuisse clare fatentur. Viam hanc

iniere

iniere, Espencæus, Latinus, Sirmondus, Cardinalis Bonas, qui etiam ad Fermentatum eam extendit, & Christianus Lupus.

Tertiam tuentur ii, quibus *Fermentum* accipere placuit non pro Eucharistia, verum pro Eulogiis, seu panibus benedictis, qui communionis, & Christianæ charitatis conservandæ causa, mitti ad fideles solebant. Hanc opinionem sequuti sunt Cardinalis Cusanus, & Baronius, Binius, Raynaudus, Macedo, Altassera, & Cabassutius.

Quarta opinio amplectitur illos, qui medium tenentes, *Fermenti* nomen in allegoricum sensum traxere: opinantes, eo nomenclaturæ genere, quasi sub larva quadam ex pia industria, ac per artem excogitata, Eucharistiam ipsam fuisse mystice; & allegorice subindicatam, ut hoc fuco Mysterium, & Sacramentum infidelibus absconderetur. Ita opinati sunt Antonius Augustinus, & R. P. Mabillonius.

Hæ supra allatæ opinionum varietates videri satis deberent, sed ne dum brevis esse laboro, obscurus fiam, satius eorumdem Scriptorum dicta exponere duco. Tum etiam, quia ex eisdem nonnulli admodum breves sunt, alii vero adeo prolixi, ut incommodum, tædiumque Lectoribus afferant, quibus ego gratissimum fore crediderim, si eorumdem auctorum, quos citavi, libros in compendium redigam, ac sub oculos juxta supra distinctas Classes exhibeam.

C L A S S I S I.

Eorum, qui licet de voce Fermenti *disseruerint, nihilominus, quid ea denotaret, non expresserunt.*

§. I.

Anonymi sententia de FERMENTO.

PRimus, quem sciam, qui de *Fermenti* voce scribere sit aggressus, est Auctor quidam incertus, cujus nominis, aut temporis, quo vixit, aut scribere cœpit, nulla ad nos usque adhuc notitia pervenit; validis tamen conjecturis antiquiorem reliquis hac de re scribentibus illum existimo. Hunc Pamelius in suo Liturgico Latino Tom. 1. pag. mihi 489. incertum auctorem vocat MS. librorum quinque de divinis officiis.

Iste igitur Anonymus lib. 1. ex Pamelio, de Fermenti voce, ait: *constituisse S. Siricium Papam, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum, juxta quod Beatus Melchiades Papa primum fecit oblationes consecratas ab Episcopis, propter Hæretites, per Ecclesias dirigi, quæ certi gratia Mysterii declarantur sub nomine* Fermenti. *Dominus enim & Salvator noster docet cavendum esse a Fermento Pharisæorum. Quod Evangelista exponit, doctrinam esse, & traditionem eorum, dicens eos sine causa colere Deum, docentes doctrinas, & mandata hominum. Qui cum negligunt Azyma sinceritatis, & veritatis rite comedere in nova conspersione, qua per novitatem fidei unus panis, & unum Corpus multi dicimur existere, nesciunt forsitan discernere vetus Fermentum, quod dicit Apostolus esse Fermentum malitiæ, & nequitiæ. Propter hanc igitur hæresim Pharisæorum; qui dicuntur divisi ab unitate scilicet ordinis Ecclesiastici, sive propter communionem Episcoporum, quo significatur debere Presbyterum perseverare in doctrina Apostolorum, atque Apostolicorum virorum, quorum successores sunt Episcopi: propter hæc inquam, jubetur, sicut in libro de gestis Pontificalibus legitur, ut nullus Presbyterorum Missas celebrare præsumat per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati suscipiat declaratum, quod nominatur* Fermentum. *Hinc etiam S. Papa Innocentius, scribens ad Decentium Episcopum, de Fermento,* (inquit), *quod die Dominico per titulos mittimus &c.*

Hæc ad verbum ex Anonymo a Pamelio relato transcripta sunt: quid autem ipse Anonymus præter mysticum sensum denotare voluerit, obscurum est. Patet autem nihil ad quæstionem nostram fuisse loquutum. Nihilominus ipsum afferre duximus, ne aliquid in hujusmodi rebus inausum, & intentatum remaneat.

§. II.

Petri Episcopi Urbevetani judicium de Fermento.

SEcundus, qui ad explicandam *Fermenti* vocem stilum converterit, fuit Petrus Urbevetanus Episcopus, ut judicat Eminentissimus Cardinalis Bona Liturgicorum lib. 1. cap. 23. num. 8., ac ex Ughellio in sua Italia sacra in Episcopis Urbevetanis n. 38. fuisse credimus Petrum Boetium, qui ob insignem Canonum scientiam ab Urbano V. Urbevetanus Episcopus anno 1364. pronunciatus est. Ejus opera inedita servantur in celeberrima Bibliotheca Barberina.

Petrus ergo in scholiis, sive notis ad Melchiadis vitam, sic ait: *diebus Dominicis mittebat Romanus Pontifex per titulos Urbis* Fermentum *confectum ab ipso, per suos Acolythos, ut a communione ejus Plebs non putaret se separatam, quia recipiebat Corpus Christi de* Fermento *ab ipso consecrato. Ad Ecclesias autem Cœmeteriorum extra urbem positas non mittebatur, quia Sacramenta longe deferri non possunt.*

Ecce alterius quoque Auctoris eruditione, ac dignitate Illustrissimi, altum de clara expositione vocis *Fermenti* silentium.

§. III.

Francisci Mariæ Florentini de Fermenti *voce cogitatum.*

ANno 1680. posthumum opus prodiit Francisci Mariæ Florentini, typis mandatum a Mario Florentino Auctoris filio, cui libro titulus: *tumultuaria disquisitio de antiquo usu Fermentati panis, & Azymi.* Ubi sentit Auctor in primitiva Ecclesia tam Azymum, quam Fermentatum panem adhibitum pro Eucharistia fuisse. Quia vero hæc nihil ad nos attinet, cum nec verbum quidem de voce *Fermenti* habeatur, consulto omittemus.

CLASSIS II.

Illorum, qui Fermenti *voce Eucharistiam denotari putarunt.*

§. I.

Claudii Espenæi Parisiensis Theologi conjectura de Fermento.

AUctor iste, qui docte admodum, & erudite anno Domini 1570. scripsit de adoratione Eucharistiæ lib. 2. cap. 4. demonstraturus Eucharistiam Catholicis supervenientibus asservatam missam, participatamque fuisse, inter alia Melchiadis utitur auctoritate, sed verba illa omittit; *quod declaratur Fermentum.* Non casu, ut opinor, sed ex consilio, ut videlicet scopulum declinaret. Isthæc igitur sunt verba Espenæi: *apparet enim ex Historia Ecclesiastica Episcopis Catholicis Romam aliunde ventitantibus, Romanos Episcopos non hanc tantum, ut sospitibus tesseram, sed & quidem multo magis, ut communionis, & catholicissimi symbolum solemniter transmisisse. Sic Irenæus in jejuniosa illa, ut ita loquar, sive Paschali controversia scribit ad Victorem I. Papam, & Martyrem:* Præcessores (*ait*) tui Romani Episcopi, aliter quam nos Pascha licet observantes, nostratibus Episcopis suo more, atque secus quam vos, id observantibus, Eucharistiam tamen miserunt, ejusque illis ministerium pacis, & honoris ergo Romæ permiserunt. *Quem morem in legem abiisse conjicere est ex constitutione Melchiadis Papæ itidem & Martyris, ut ex Episcopi consecratu oblationes propter Hæreticos (haud dubie internoscendos) dirigerentur per Ecclesias (indubie Catholicas) Narrant liber Pontificalis Bedæ, & Adonis Martyrologia: & qui ad Damasum, aut Rusticum Narbonensem fertur Heronymi liber de septem gradibus Ecclesiæ, in sexto, qui Sacerdotum est,* Eucharistiam (*inquit*) jam pridem per Presbyteros benedictam, si usus exegerit Episcopi accipere debent, neque id ad injuriam revocare, quod a minori ea scilicet sit benedicta. Nec dico præsentibus, & Altari Episcopis astantibus, Presbyteros posse Sacramenta conficere (eorum, credo, injussu) sed si forte usus exegerit, ut venientes ad Ecclesiam Sacerdotes (Episcopi) eisdem, quibus horis oblatio, aut parata non sit, aut etiam offerri non possit, non debent Episcopi repudiare Eucharistiam, si ponatur in Altare, quam accipi oportet propter Christum, quoniam Corpus Christi est. *Ubi audis Eucharistiam jam pridem ab alio confectam Adventori Episcopo porrigi solitam, & hunc in usum antepparari. Idem videtur sanxisse de Diaconis Concilii Nicæni Canon XIV. ut Eucharistiam, vel ab Episcopo, aut Presbytero præsente sumerent, vel si non fuissent in præsenti Episcopus, aut Presbyter, proferrent ipsi, & manducarent, ab illorum scilicet altero prius consecratam (non idem Canon negat Diaconos sacrificii hujus offerendi habere potestatem), & in usum petentium, aut petiturorum, cum aliorum, tum Diaconorum asservatam. Etsi non est dissimulandum hanc particulam non esse in fonte Græco, nec in alia translatione, ubi ponitur hic Canon in ordine XVIII., & a Gratiano eumdem Canonem citante, prætermitti.*

Hæc Espenæus ex conjecturis potius, quam ex necessariis demonstrationibus asseruit. Quibus ad hanc vocem *Fermenti* sententiam suam aperuit, ipsam scilicet Eucharistiam significatam fuisse opinatus. Hunc autem eumdem explicandi modum ab Espenæo ii, qui post ipsum scripsere nuperi Auctores, ut Latinus Latinius, aliique fortasse mutuati sunt.

§. II.

Latini Latinii sententia de Fermento.

LAtinus ergo, qui anno redempti orbis 1576. de *Fermento* scribere aggressus est, ita testatum reliquit: *Fermentum verum Sacramentum Eucharistiæ, idest Corporis, & Sanguinis Domini videtur omnino fuisse: Appellabatur* Fermentum *non quia aliquid haberet commune cum* Fermento, *quo utimur ad Panem Fermentandum, sed ea fortasse ratione, vel quia velut* φύραμα. *idest* Missa, *&* consperso *esset utriusque partis Sacramenti, Corporis videlicet*

delicet, & Sanguinis, ita mixta, ut nullo modo separari posset, quod eo Consilio fiebat, uti Manichæi, qui vinum tamquam fel Principis tenebrarum aversabantur, atque ea de causa calicem sumere renuebant, ejusmodi argumento proditi manifesti fierent, & a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellerentur: vel quia proprie Fermenti *vicem obtineret in alia majori massa fermentanda, quæ satis esse posset ad Populum cujusque Tituli communicandum; cum enim Titulares Urbis Presbyteri, quorum curæ Populus commissus erat, de Dominico pascendi gregis sui munus per se ipsos necessarie peragerent, essetque etiam tum Romæ consuetudo, ut cives singuli in proprias Ecclesias ad sacram Synaxim convenirent, nulla videbatur ad Manichæos deprehendendos expeditior potuisse ratio inveniri, quam quæ prudentissime a summis Pontificibus illis excogitata fuit. Nam cum esset cuique Presbytero suæ plebis capitum descriptus numerus, non poterat quisquam Manichæorum Hæresi imbutus eo die abesse ab Ecclesia, quin se ejus Hæreseos suspectum redderet: Cogebatur ergo invitus convenire, ut suspicionem eam a se amoliretur. Sed in Sacramenti sumptione difficillime latere poterat, si palam post Sacramentum corporis sumptum, calicem recusaret.*

Insuper aliam addit rationem: *Quod Fermentum a summis Pontificibus confectum mixtionis corporis, & sanguinis Christi Titulis mittebatur ad hoc, ut per eorumdem Presbyteros Plebi universæ adstanti declararetur Fermentum illud a summo Pontifice confectum, & consecratum, cum admixtione utriusque speciei, eo consilio fuisse, ut qui cum Catholica Ecclesia sentirent, & in ejus communione manere vellent, dum illud sumerent, profiterentur, se sub specie panis, & vini simul mixta, Eucharistiam accipere, & tam panis, quam vini creatorem Deum agnoscere, & non Principem tenebrarum, ut de vino in creatoris omnium injuriam Manichæi blasphemi asserebant.*

Hæc inter alia Latinus: Quibus existimasse satis colligitur voce *Fermenti* utriusque speciei, corporis nempe, atque sanguinis Domini commixtionem significatam fuisse.

§. III.

R. P. *Jacobi Sirmondi sententia de* Fermento.

Doctissimus e Societate Jesu Presbyter Jacobus Sirmondus anno 1651. *Fermenti* materiam tractans, dissertationem suam in sex capita partitus est. Eorum in primo conatur ostendere. Fermentatum Panem in Missa olim a Latinis consecrari solitum ex promiscuis Populi oblationibus fuisse. Quod cum totius sit Sirmondianæ disquisitionis basis, visum est adamussim ipsius verba transcribere, tum quod innumeris ejus dissertatio eruditionibus referta est, tum quod ejus exemplaria ut plurimum desiderantur.

Ita ergo Sirmondus: *Vetus in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque Sacrificii partem adferret. Itaque quod in præcipuis quibusdam celebritatibus cum in cœlitum numerum cooptatur quispiam, vel cum inaugurantur Principes, aut consecrantur Episcopi, atque in privatis etiam nuptiarum, & exequiarum solemnibus fieri nunc cernimus, ut Panem, vinumque offerant ii, quorum interest; id fere olim, non ab uno aliquo, sed ab omnibus præstabatur. Cujus quidem consuetudinis apud Priscos Ecclesiæ Antistites, tanta fuit religio, ut hanc ex Synodicis decretis, ne obolesceret, sanciendam putarint, & dissimulanter non ferendum, si quis violaret. Matisconensis sane Concilii II. Canon. IV. aperte extat constitutio:* Decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus offeratur, tam Panis, quam Vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes: *Cyprianus vero divitem fœminam, quæ hoc more neglecto nihil offerebat, graviter increpans in lib. de opere, & eleemosynis:* Locuples (*inquit*) & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod Pauper obtulit, sumis? *Et auctor incertus, sed antiquus in serm. qui 214. numeratur inter Augustinianos:* Oblationes (*ait*), quæ in Altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. *Ex quibus omnibus liquet profecto non solum obtulisse in Missa singulos, qui poterant, ita ut sola excusaret inopia, verum has ipsas oblationes consecrari in Altari, atque immolari consuesse, unde & sacrificium dictæ sunt a Cypriano. Quod ipsum ex ordine quoque Romano intelligere est. Tametsi non omnes consecrari solitas docet, sed quantum communicaturis sat esset.* Archidiaconus (*inquit*) accipiens oblatas ponit tantas super Altare, quantæ possunt Populo sufficere: *Hoc idem denique confirmant, atque hinc lucem pariter accipiunt verba illa sacris operantis Sacerdotis, in quibus subinde Populi sacrificium, vel hostias commemorat. Quale est, quod Populum ipsum appellans.* Orate (*inquit*) fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile *sit* apud Deum. *Et quod Deum alloquens:* Memento (*ait*) Domine omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium. *Et:* hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus, ut placatus accipias. *Et illa rursum, quæ in feriis Paschalibus frequentatur:* Suscipe quæsumus Domine preces Populi tui cum oblationibus Hostiarum. *Aliaque id genus plurima, quæ priscum illud tempus respiciunt, ex eoque interpretanda sunt, quando Populi oblationes consecrabantur.*

Quo igitur argumento doceri clarius poterat Latinos tunc Azymis in Altari usos non esse, quam unde constet oblatum a Populo panem consecrasse, quem minime dubium erat usitatum sibi, ac Fermento de more temperatum obtulisse? Nunc enim si quando, ut dictum est, in Missa Panis offertur, ideo non consecratur, quia Azymus.

mus non est , & sola hodie apud nos Azyma consecrantur . Quod si Azymus offerretur , consecrari fas esset . Vidimus aliquando ipsi non injucundo spectaculo in Armoricis apud Leonices , antiqui moris imaginem referentem Matronas aliquot , quæ die festo communicaturæ , cum in Dominicum venissent , adstantique ad Altare Missam celebraturo Sacerdoti singulæ suam oblatam , sed puram , & Azymam , vel domo allatam , vel e sacrario petitam obtulissent , ubi peracta consecratione ad communionem ventum est, ita omnes communicarunt , ut mutuas inter se hostias participarent , nec culpari ulla posset , si de alterius (ut Cyprianus loquitur) sacrificio sumeret , cum suam ipsa vicissim alteri concederet .

Secundo capite Fermentati usum in latina Ecclesia ab ejus incunabulis perstitisse , ac per multa sæcula continuasse demonstrat , ac pro sua hac firmanda sententia , asserit etiam per multa sæcula ex usuali , ac quotidiano pane confectas fuisse Hostias ; idque probare intendit sancti Ambrosii auctoritate , qui lib. 4. de Sacramentis cap. 4. sic loquitur : *tu forte dicis : meus Panis est usitatus : sed Panis iste , Panis est ante verba Sacramentorum : ubi accesserit consecratio , de Pane fit caro Christi . Hoc igitur astruamus ; quomodo potest , qui Panis est , Corpus esse Christi ? Consecratione . Consecratio igitur , quibus verbis fit , & cujus sermonibus ? Domini Jesu .* Quam firmum autem , validumque sit argumentum istud , deducitur ex ipsamet Missa Ambrosiana a Pamelio relata , ubi hæc habentur : *oblatio Panis Azymi* . Qua de re male Sirmondus interpretatus est locum D. Ambrosii , cum pro pane usuali venire etiam possit Azymus . Citat etiam locum Cypriani , de quo jam supra , prout etiam S. Radegundæ , ac Matronæ Romanæ oblationes , de quibus supra in sæculo 6. disseruimus , necnon Canonem VI. Concilii XVI. Toletani , qui potius in Azymi , quam Fermentati favorem trahitur , ut in 7. sæculo exposuimus .

Tertio Photiani schismatis tempore nondum recepta fuisse azyma , eademque , cum Leone IX. summo Pontifice in usu essent , a Græcis impugnari cepta , demonstrat .

Quarto , ait oblatas studio paratas fuisse forma rotundas , crucisque titulo insignitas .

Quinto , propius ad rem nostram *Fermenti* vocem explanat , cumque id ad argumentum præsens spectet , non abs re fuerit , si Auctoris verba retulerim .

Sic ergo Sirmondus prosequitur : *de Fermento in vita Melchiadis , ac Siricii , & in Epistola Innocentii ad Decentium , quæ leguntur , quonam referenda sint , an ad Eulogias , quas Eucharistiæ vice dari mos fuit , quod Cardinali Baronio visum est ; an ad Eucharistiam ipsam , quod ille fateri vehementer refugiebat , anceps quorumdam judicio , & ambigua est disputatio . In qua ego si quid sentiam exposuero , non vereor ; nec contra Baronii mentem , votumque facere videar , cum omnes ad hoc ipsum , ut suam libere promant , invitarit ; nec me ab ejus sententia discedere indignabitur quisquam , qui meminerit , illum pro singulari modestia solitum aliena haud gravate audire , & si meliora suis cognosceret , amplecti libenter . Inde autem commodius ordiemur , quam unde suam ipse dissertationem auspicatus est , ab eorum scilicet verborum commemoratione , quæ controversiam peperetunt . De Melchiade igitur ejus vitæ auctor sic scribit* , hic fecit &c. (*Verba Melchiadis omittuntur , cum satis supra sint relata*) *In his omnibus locis negat Baronius adduci se posse , ut Eucharistiam credat Fermentum appellatam . Quid ita ?* quia notissimum est, *inquit*, Romam, ac simul occidentalem Ecclesiam, nonnisi in Azymo pane consuevisse Eucharistiam conficere . *Quid tum vero ? Et si enim falsum id esse , quod compertum putat , dudum probavimus ; pro vero tamen exploratoque nunc habeatur : Quid hoc tandem ad nos , si Eucharistiam hic constat* Fermentum *ex eo dictam , non quod ex Pane esset fermentato , sed quod ipsa quocumque ex Pane fieret , Ecclesiis , ad quas mittebatur , Fermenti vicem præstaret , eisque unionis inter se vinculum esset , sicut Fermentum Massæ , cui commiscetur ?* O Sacramentum pietatis ! o signum unitatis ! o vinculum charitatis ! *ait Augustinus in Joannem Tract. XXVII. quod ergo illi nomen congruentius potuit imponi , quam ut* Fermentum *diceretur ? cum Evangelicæ quoque Parabolæ Fermentum optimi quinque interpretes diversis verbis , sed uno sensu pronuntiarint esse :* Τὴν τῆς ἀληθείας διδασκαλίαν . Veritatis doctrinam . *Origenes :* Τὸν θεῖον λόγον . Sermonem divinum *Basilius :* Τὸ κήρυγμα . Prædicationem : *Chrysostomus , propterea quod , ut ait Origenes :* Καθάπερ ἡ ζύμη μιγεῖσα τῷ ἀλεύρῳ ὅλον μεταβάλλει πρὸς τὴν οἰκείαν ποιότητα ἰσχὺν , ἔτι ὁ λόγος Θεοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς ψυχαῖς ἐμπεσὼν πάσας μεταμορφοῖ . Quemadmodum *Fermentum* farinæ commixtum massam universam in propriam transmutat qualitatem , sic & Dei sermo in rationales animas accidens , totas ipsas transfigurat in se ipsum . *Maneat igitur , quod in principio institueramus , per oblationes consecratas in Decreto Melchiadis , sacram Eucharistiam intelligi , non Eulogias . De hoc* Fermento , *sic enim nominabant , ut ad Ecclesias ab Episcopis mitterentur , primo loco sanxisse Melchiadem Presbyteris Ecclesiarum , ne Missas , nisi hoc suscepto celebrarent , interdictum a Siricio . Quo autem die , & quas ad Ecclesias destinari oporteret , traditum ab Innocentio . Die scilicet Dominico , & ad solas Ecclesias , seu titulos Civitatum , non ad Parochias foris sparsas per Diœcesim . Quamquam enim usus inolevit , ut Parochiæ nunc aliæ sint urbanæ , aliæ rusticæ , aliter olim res habuit . Nam rusticarum proprium id nomen erat , ideoque Parochias Civitatibus opponebant , ut in Concilio Aghatensi Canone XXI. cum jubentur iis , quibus oratoria per Agros extra Parochias habere , atque in his Missas tenere permissum est , in præcipuis tamen festivitatibus* , non nisi in Civitatibus , aut in Parochiis *eas tenere . Et in Concilio V. Aurelianensi Can. VIII.* , aut in Civitatibus , aut per Parochias ordinare Clericos . *Quod discrimen non ignorans Dionysius Abbas , quia* Fermentum *sciebat ad Civitatenses tantum Ecclesias dirigi , Titulum Innocentii Decreto congruentem affixit .* De Fermento Civitatis Presbyteris dirigendo . *Parochiarum porro , & Cœmeteriorum Urbis Presbyteris , quibus expectandi Fermenti lex imposita non erat ,*

confi-

conficiendorum Sacramentorum integrum jus fuit, atque licentia. Quare his ad hunc modum explanatis, & scrupulus opinor exemptus est Baronianus, & ad intelligentiam reliqua patefacta & aperta sunt omnia.

Ex quibus liquido jam apparet, Sirmondum opinari, Eucharistiam olim ex quocumque pane ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio confectam fuisse. Deinde per multa sæcula sic continuatam, unde *Fermenti* sumpserit denominationem, eo quod instar Fermenti, quod Panis Massam commiscet, fideles vinculo pacis sociaret.

§. IV.

Eminentissimi Cardinalis Bonæ sententia de Fermento.

ANno 1671. Eminentissimus Cardinalis Bona duos Rerum Liturgicarum libros Romæ edidit, qui denuo anno 1676. Parisiis impressi fuerunt, at notabiliter aucti. Deinde sequenti anno Bruxellis, iterumque Parisiis anno 1678. Ut saltem hinc colligas eorum librorum eruditionem, atque doctrinam.

Hic igitur laudandæ ubique gentium, mihique inter cæteros maxime honorandæ mem. Eminentiss. Auctor Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 12. n. 16. videtur Sirmondi opinionem circa *Fermentum* sectari. Verumtamen *Fermentum* ipsum sumit pro Fermentato: quod nec Sirmondus, nec Latinus asseruerunt. Demonstrare ulterius nititur Fermenti usum ad nonum usque sæculum viguisse, *Fermentumque* Eucharistiam fuisse, non Eulogias: refert etiam Epistolas Latini Latinii, & Antonii Augustini, & eorumdem opinionem refellit. Concludit denique Eucharistiam jure *Fermentum* denominari potuisse, quia ex Fermentato erat. Symbolice etiam, eo quod unitatis signum esset, & vinculum charitatis. At post Romanam Editionem, suam hanc opinionem sequenti declaratione, pagina ad partem impressa, suoque Rerum Liturgicarum libro adjuncta temperavit, ut infra.

§. V.

Christiani Lupi Judicium de Fermento.

REparatæ salutis anno MDCLXIII. vir eruditissimus iste edidit tertiam partem Decretorum, & Canonum, Synodorum generalium, provincialiumque, ubi, uti cætera, de actis Sancti Leonis IX. dissertationem elegantissimam texuit, eamdemque in sexdecim capita dispertivit. In quorum nono, quod subdividitur in quæstiones, & instituto, intentionique nostræ conducit, de præfatis Melchiadis, & Siricii Decretis, atque Innocentii Epistola, plura congerit.

Porro in prima quæstione quærit quisnam hujusmodi *Fermenti* mittendi scopus, ac ratio fuerit? respondet cum eodem Innocentio: *Ut se a nostra communione præsertim illa die non judicent separatos*; atque hoc magni momenti rationibus adstruit.

Indagat præterea secunda quæstione, num primus fuerit Melchiades, qui sæpe dictum decretum ediderit? idque negat, exemplo, seu historia ductus Tharsitii Acolythi, & Martyris (fuit Melchiade antiquior) quem cum Ethnici comperiissent Dominici Corporis Sacramenta asportantem, atque eadem constantissime occultantem, tandiu fustibus, & lapidibus ceciderunt, donec animam exhalaret.

In tertia quæstione examinat quænam fuerint Urbis Cœmeteria?

In quarta an *Fermentum* fuerit Eucharistia? sequiturque Sirmondum, id esse affirmantem contra Baronium.

Quærit in quinta, an *Fermentum* hoc fermentatum revera fuerit? idque negat.

In sexta autem plurima prosequitur circa transmissionem *Fermenti*, quæ tamen cum nostra nihil intersint, Missa faciemus, id peculiariter animadvertentes, Christianum Lupum sentire una cum Sirmondo, *Fermentum* idem, ac Eucharistiam fuisse.

CLASSIS III.

Sententiam illorum expromit, qui Eulogias sive Panem Benedictum Fermenti *vocem denotare crediderunt.*

§. I.

Reverendissimi Nicolai Cardinalis Cusani, sive de Cusa sententia de Fermento.

SAlutis nostræ anno MCCCCXXXI. celebrata fuit Synodus Basileensis, ad quam cum evocati essent, ac se contulissent Bohemi, variis, & iniquis postulationibus Ecclesiam perturbarunt. Harum postulationum præcipua fuisse creditur communio sub utraque specie. His permotus Reverendiss. Cardinalis Nicolaus Cusanus sive de Cusa Brixinensis, vir de litteris optime meritus, Epistolam scripsit ad Bohemos 2. Octobris anno 1452., quæ inter ejus Epistolas septima est: in hac omni nisu contendit instantiam Bohemorum, petitionemque repellere, atque improbare. Inter cætera autem, quæ in hac Epistola exequitur

quitur, hanc de Fermento sententiam profert. *Romana Ecclesia Fermentum Panem benedixit pro Populo, azymum consecravit; & Romani Pontifices per Acolythos diebus Dominicis miserunt Fermentatum Sacerdotibus, qui tunc in Titulos celebrabant, ne saltem pro illis diebus communione Pontificis carerent, ut in antiquis observationibus legitur: Fuit enim statutum, quod saltem in Dominicis Missæ dicerentur in Parochiis. Ideo tunc Sacerdotes erant in titulis & communicabant cum Pontifice per Fermentatum; & sicut Pontifex misit Sacerdotibus infra Urbem: ita Archidiaconi sacerdotibus extra Urbem. Una autem Ecclesia non habebat, nisi unum Sacerdotem, & cessavit rigor primitivæ Ecclesiæ.*

Sentit ergo Cusanus *Fermentum* a Romanis Pontificibus mitti solitum, non Eucharistiam ipsam, seu consecratum Panem, sed benedictum dumtaxat, scilicet Eulogias, significasse.

In hac igitur Cardinalis Cusani allegatione duo notatu digna videntur. Primum ipsum non solum dicere, quod Pontifex mittebat *Fermentum* Presbyteris intra Urbem, verum etiam quod Archidiaconi ipsum sacerdotibus extra Urbem *Fermentum* mittebant. Sed Archidiaconos hanc *Fermenti* missitationem fecisse, nullum apud Auctorem reperi. Secundum, quod hic in Urbe pro ut in aliis Civitatibus unus tantum Archidiaconus erat. Unde fortasse hic Amanuensis lapsus est, qui loco *Archidiaconus* posuit *Archidiaconi*.

§. II.

Eminentissimi Cardinalis Baronii judicium de Fermento.

Hic utique & sapientia, & dignitate Eminentissimus Auctor, qui duodecim suis libris, & mole, & omnigena eruditione amplissimis universam Ecclesiam, atque Ecclesiasticam Historiam ornavit, atque in immensum locupletavit, ad annum 313. n. 49. & sequentibus, de *Fermento* sententiam instituens, refert primo Melchiadis, & Siricii decretum, necnon supra memoratam Epistolam Innocentii I. subjicit postea: hæc continentur in quodam antiquo Rituali, nempe: *Quinta Dominica in quadragesima sabbato datur* Fermentum *in Consistorio Lateranensi*.

His præmissis de voce *Fermenti* suam tententiam profert, asserens Fermentum in Romana Ecclesia symbolum unionis fuisse, idque nonnullis argumentis probat. Primo, quod *Fermenti* consecratio idem est ac benedictio. Deinde quod *Fermentum* erat idem, ac oblatio, unde inquirit quidnam oblatio esset, eamque fuisse ostendit, quæ a Populo offerebatur, qua postea benedicta, & minutim concissa, ejus particulæ Eulogiæ denominatæ in singulos fideles distribuebantur, ut qui e sacratissima Eucharistia minime communicassent, hoc saltem alio communionis signo, Fideles esse reputarentur. Diversis inde auctoritatibus pro sua firmanda sententia relatis, ita concludit. *Ex his igitur omnibus constat, nihil aliud fuisse* Fermentum, *quam Fermentatum Panem benedictum, quo ob communicationis symbolum ab Episcopo impartirentur cuncti parochiales Presbyteri, qui eumdem sub se constitutis Fidelibus distribuerent certis diebus: ipsum vero diversis nominibus appellatum, nimirum* Fermentum, *ad distinctionem azymi panis; ex quo soleret confici Eucharistia, dictumque esse Sacramentum ob sacræ rei signum, nempe catholicæ unionis sacerdotali benedictione consignatum; ob idque benedictionem itidem, & Eulogias dici consuevisse.*

§. III.

Severini Binii sententia de eadem Fermenti *voce*.

Baronium, ut in aliis, ita & in *Fermenti* explicatione, sequutus adamussim est Severinus Binius egregius cæteroqui scriptor, qui notis illis eruditissimis, quas adjecit Conciliis, non solum hæc, sed universam etiam Ecclesiam, atque eruditorum rempublicam illustravit.

Binius igitur hisce verbis Melchiadis decretum exponit: Locus *sane obscurus, ita tamen explicandus: Melchiades Pontifex instituit, ut Panem Fermentatum a Populo, aut a Presbyteris oblatum, ab Episcopis consecratum, singulorum titulorum, aut Paræciarum Presbyteri, in symbolum catholicæ unionis, ac communionis, non modo ipsi acciperent, verum etiam aliis fidelibus sub se constitutis, qui sacratissima Eucharistia non communicassent, certo tempore distribuerent. Explicatio hæc declaratur optime ex antiquissimo Canone Pii Papæ, & Martyris superextante, qui sic habet*: Ut de oblationibus, quæ offeruntur a Populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quod deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & conveniente, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias, (idest panem benedictum) omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat. *Item ex illo Innocentii Epistolæ ad Decentium Cap. V. ubi sic ait*: De *Fermento* vero, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue non consulere voluisti: cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die isto propter plebem sibi commissam nobiscum convenire non possunt, ideo *Fermentum* a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxima illa die non judicent separatos. *Unde patet ipsum panem in symbolum unionis, & communicationis catholicæ consecratum acceptum, ac distribu-*

distributum, alibi Fermentum *benedictum, alibi oblationem, alibi Eulogias, seu benedictiones, aut consecrationes, alibi (nimirum Epistola quadam Epiphanii ad Hormisdam Papam) Sacramentum appellari diversas ob causas, ad distinctionem panis Azymi, ex quo Eucharistia conficiebatur, nominabatur* Fermentum, *seu Panis ex Massa fermentata formatus, quia ex Pane fermentato Massa coagmentata ad benedicendum, a Plebe, vel a Presbyteris offerebatur, idem symbolum unionis, dicebatur oblatio. Quod Episcopali consecratione Panis oblatus benediceretur, Eulogia, benedictio, aut consecratio nominabatur. Demum, quod ad significandum Catholicam unionem, Episcopali benedictione consignaretur, Sacramentum est appellatum; hanc cæremoniam non tantum in Romana, & Occidentali, sed etiam in Orientali Ecclesia servatam fuisse ex Canone XIV., XXXII., & XLIX.* Concilii *Laodiceni constat; ubi dicemus, præter publicas Eulogias, de quibus hic, fuisse alias privatas, quas amici intra se ultro, citroque dare, atque accipere consueverant.*

Hæc Binius, qui etiam in Innocentii Epistolæ verba: *intra civitatem sunt constitutæ*, has notas addidit: *De titulis tantum intelligit, ad quos ait* Fermentum *mitti solere; non quidem, quod non essent in suburbiis aliæ complures Ecclesiæ, atque Sanctorum memoriæ, sed quod nulla prorsus Titularis esset, in qua Populus colligi consueverit; cujus rei causa ait se non mittere* Fermentum *ad Presbyteros per diversa Cæmeteria constitutos, quod illi Plebem sibi subditam, quam colligerent, non haberent, ac proinde nullus posset esse usus Fermenti, quod ob catholicæ communicationis symbolum confectum esset. Quod itaque non ipse faceret Pontifex, ut ad Presbyteros extra Urbem in Cæmeteriis constitutos* Feementum *mitteret, significat id minus facere debere Presbyteros Titulares, ut ad positos extra mœnia* Fermentum *mitterent. Hoc est quod subdit.* Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta. *Erant enim instituta, ut singuli fideles in suas ipsorum Ecclesias diversis licet in locis positas convenientes, eo communicationis symbolo catholici esse censerentur; ac proinde nequaquam absentibus impertienda erant, qui eo ipso, quod cum cæteris præstituto die non convenissent, se illis indignos reddiderant, neque facile, nisi legitime probata causa, vel non sine pœnitentia in communicationem fidelium imposterum juxta Canones admitti deberent. Unde id quod Innocentius Decentio respondit, facile intelligi potest. Interrogabat Decentius; an exemplo Romani Pontificis ad absentes* Fermentum *mittentis, liceret etiam Episcopo ad rurales Ecclesias idem* Feementum *mittere? Respondit Innocentius id exemplo Romanæ Ecclesiæ, superflue quæri, cum illæ omnes Ecclesiæ, ad quas Papa* Feementum *mittit, intra Urbem sint constitutæ: foras afferri non permittat, quod Sacramenta non sunt longe portanda, ac proinde Romanæ Ecclesiæ exemplo* Fermentum *extra mœnia ab aliis Ecclesiis non recte mittatur.*

Non longe portanda sunt Sacramenta. *Fermentum hoc loco Sacramenta appellat; ideo quod sit sacræ rei, catholicæ nimirum unionis signum sacerdotali benedictione consignatum, ut supra diximus. Per Sacramentum hoc loco nequaquam Eucharistiam intellexisse, satis superque sufficiet notissimum illud adducere, Romanam, ac simul Occidentalem omnem Ecclesiam non nisi in Azymo Pane Eucharistiam conficere consuevisse.*

Ex quibus luce clarior appaeet mens Seveeini Binii Baeonium sequentis, sumentisque *Fermentum* pro Eulogiis, eo quod Eulogiæ confici ex Pane feementato solerent, ad discrimen Eucharistiæ, quæ ex solo Azymo perficiebatur.

§. I V.

Theophili Raynaudi sententia circa Fermentum.

Post Binium Theophilus Raynaudus plurimæ lectionis, atque eruditionis vir, qui anno 1645. in suo *Candelabro sancto divinæ Mensæ*, Avenione Typis mandato sectione 4. cap. 4. pag. 305. de *Fermento* loquens, opinatur, quod licet olim summi Pontifices Eucharistiam ad Episcopos in fraternæ Charitatis signum mittere consueverint, ad reliquoe tamen Christianos non Eucharistiam, sed loco ejus communem Panen Fermentatum, seu benedictum, transmitteeent. Idem auctoe in alio opeee, cui titulus *Christus Deus homo*, Antuerpiæ impresso lib. 2., sect. 5., cap. 12., n. 395. de eodem *Fermento* sermonem habens, eefert primo superius a nobis allata loca Melchiadis, Siricii, atque Innocentii, postmodum recensita sententia Baronii, suam sic aperit: *Nolo judicium scriptoris æterna memoria dignissimi interpellare.* Feementum *tamen ab ipso Pontifice, sive Episcopo benedictum pro Pane ex eo* Fermento *confecto accipiendum esse, non video, quid evincat; cum missum potius Panem Fermentatum ab Antistite ipso benedictum, proclivius sit existimare. Declaratum item* Feementum *idem esse, quod denominatum, ægre persuadetur; cum sit in promptu nativa vocabuli notio opportune cadens in hunc locum, ferensque, mysteria in* Fermento *latentia, quum dirigeretur, declarata fuisse, sive ex brevi quapiam formula tunc recitata, sive ex doctrina declarata in Ecclesia, innotuisse dantibus, & accipientibus* Fermentum *illud; nempe, non modo ad signum communionis catholicæ, sed etiam, & quidem primo ad designandam radicem nostræ inter nos, & cum Christo communionis, quæ ex unione humanitatis ad verbum Dei illam fermentans, est derivata. In hanc siquidem conjunctionem primo, ac præcipue collimasse mysterium illud, & Sacramentum* Fermenti, *(sic enim Innocentius supra nominat quod Justellus ad Canones universæ Ecclesiæ, & alii nonnulli perperam acceperunt de Eucharistiæ Sacramento) argumentum est, quod hæc sit primaria* Feementatio, *cujus est in scripturis mentio: Unde quoque nostra cum Deo* Fermentatio, *& in unam fidem conjunctio ortum habuerit.*

Vides jam Raynaudum accedentem Baronio, *Fermentum* videlicet accipere pro *Fermen-*

cato Pane, eoque benedicto, non autem consecrato. Quocirca supervacaneum fuerit, alia ejusmet auctoris testimonia referre, quæ habentur Tom. 6., sect. 4., cap. 2., §. 3., n. 22. pag. 153. Et Tom. I. locis citatis 224. postremæ, ac magnæ Lugdunensis Editionis anno 1665., ac prædictam ipsius opinionem confirmant.

§. I V.

P. Francisci Macedo placitum de Fermento.

VIx lucem publicam sortiti fuerunt sacræ Liturgiæ libri Eminentissimi Cardinalis Bonæ, in quibus quid ipse de *Fermento* sentiret, ostenderat, cum plurimæ, diversæque de eadem re opiniones insurrexerunt. Primus autem in hac Urbe publice dissentire visus est R. P. Macedo, qui Veronæ anno 1673. librum edidit, cui titulus: *Disquisitio Theologica de ritu Azymi, & Fermentati*. Quia vero plurima in eo sunt, eaque profecto non inerudita visum mihi est paucis quidquid in Auctoris hujus dissertatione continetur, amplecti.

Porro hanc auctor in sexdecim capita divisit, in quorum primo usum consecrandi in Azymo Christi exemplo introductum ostendit.

In secundo eumdem hunc usum Romanæ Ecclesiæ familiarem olim fuisse.

In tertio non modo latinam, verum etiam Ecclesiam Græcam ante Michaelis Cerularii tempora in azymo consecrasse.

In quarto nunquam apud latinam Ecclesiam ante Cerularium prædictum, & Leonem IX. Papam in usu *Fermentum* fuisse. Prosequitur hanc eleganti methodo usque ad undecimum, licet ab instituto nostro plurimum divagetur.

Undecimo tamen capite propius ad rem, de qua agimus, pertractandam accedens contra sumentes pro Fermentato *Fermentum*, sic arguit; *sive illud Fermentum sit Eucharistia, sive non, non sequitur consecratio Eucharistiæ in Fermento; Si est Eucharistia, potuit Panis azymus Fermenti nomine appellari*. Subdit postea: *Sentio illud Fermentum non esse Eucharistiam, sed Eulogiam ex* Fermento, *sive ex Pane Fermentato confectam, eoque nomine appellari, ut distingueretur ab Eucharistia*. Ac deinde: *vox enim* oblationes *in Melchiadis decreto relata, sonat panes illos benedictos, qui caritatis fraternæ causa per Ecclesias mittebantur. An ne Eucharistia consecrata ab Episcopo ad alias Ecclesias mitteretur? Quid absurdius, quid a decore alienius? Nonne erant in his Ecclesiis Sacerdotes, qui Eucharistiam consecrarent? Solus Episcopus in sua Diœcesi consecrabat? Expectanda erat omnium ab eo solo communio? alii Presbyteri otiabantur? non sacrificabant? non consecrabant?*

At respondebit quisquam, Episcopum non mittere illam Eucharistiam pro communione omnium, sed tantum unum Panem consecratum per singulas Ecclesias, qui esset symbolum, & signum unionis. Hoc autem negat, interrogatque.

Ille Panis Eucharisticus manebat ne integer in sacrario? inclusus, intactus, & illibatus, an distribuebatur, & divisus in partes sumebatur a Fidelibus? Respondet. *Integer non manebat, nam per singulas Dominicas mitti consueverat, quod argumentum est non remanere integrum alium, antea missum: nec enim renovari opus esset, cum ille superesset. Igitur sumebatur pro communione: ex quo sequitur, quod assumserant, ex eo communicare Fideles, non ex consecrato a suis Parochis. Deinde unus Panis satis non erat omnibus communicaturis; oportebat igitur plures mitti, & omnes ex iis participare, ac proinde superflua erat consecratio Parochi. Præterea admisso, ex eo* Fermento *Eucharistico communicare omnes, & ad eum finem mitti Eucharistiam, sequitur omnes Fideles singulis quibuscumque Dominicis sumere Eucharistiam, ad idque consuetudine teneri, quod abhorret ab historiarum veritate.*

Nec opponas Eucharistiam mitti ad eum solum finem, ut esset symbolum unionis, & charitatis. Nam iste finis non decebat tanti mysterii dignitatem, poteratque fieri per panes benedictos, & Eulogias.

Ponderat deinde Siricii verba: *Nisi consecratum Episcopi, quod nominatur* Fermentum; *Si Fermentum declaratum* (ait) *erat consecratum, ac proinde Eucharistia, igitur illis diebus Presbyteri non consecrabant, sed accipiebant ab Episcopo Eucharistiam, & ex consequenti minime celebrabant*; Deinde: *quid opus erat missitari toties sacrosanctam Eucharistiam?* Subditque: *vox illa* declaratum *significat aliquam notam impressam Pani, ut discerneretur ab alio pane vulgari, ac minime benedicto, quæ nota est aliena a sacrosancta Eucharistia, quæ non indigebat illo signo, ut discerneretur ab aliis Panibus: satis enim per se distinguebatur, & sua reverentia prodebat: igitur illud* Fermentum *erat Panis benedictus, atque adeo Eulogia.*

Pergit ad examen Epistolæ Innocentii de *Fermento*, quod die Dominico mittebatur, quod sic exponit: *Fermentum illud, quod mittebatur die Dominico, non erat Eucharistia, cum illo nec Populus, nec Sacerdos indigeret, & nova conjectura id suadetur, quia de eo non dubitaret Decentius, si Eucharistia esset. Deinde causa ab Innocentio allata Eucharistiam non esse probat. Ea hujusmodi est: Non posse Presbyteros secum convenire ad significationem coram exhibendam concordiæ, & unionis inter se; idcirco mitti* Fermentum, *quod suppleret illam absentiam, & testaretur conjunctionem animorum. An tu dixeris lector, ideo mitti Eucharistiam, ut suppleret Eulogiam? Finis ille*: ut se a nostra communione illa die non judicent separatos, *longius abest ab Eucharistiæ dignitate, quam ut eo sit revocanda. Exceptio autem illa.* Per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, *meam sententiam corroborat. Non enim opus erat ad Ecclesias remotas illud symbolum charitatis mittere, cum longitudo itineris obstaret, sicuti nec ad Cœmeteria, cum essent recondita, & abstrusa, & nonnulla extra Civitatem. Poterat quippe* sup-

suppleri illud symbolum Fermenti *Pontificis per aliud* Fermentum *confectum a Presbyteris in iis Parochiis, & Cœmeteriis constitutis, qui mutuo se possent iis Eulogiis ad charitatem invitare*. Observa lector illa verba *in fine*: Eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam, *idest Panum benedictorum, Eulogiarum, non Eucharistiæ rem continere: ad hanc enim consecrandam non indigebant Presbyteri jure, ac licentia, cum ad potestatem ordinis pertineret, in quam non quadrant* jus, & licentia, *qui sunt termini Ecclesiasticæ potestatis, imo iis verbis significatur, aliis etiam, non Presbyteris illud jus, ac licentiam convenire*. Insuper addit: *Illud Fermentum mitti solebat per Acolythos, ut est in textu, non autem per Presbyteros, aut Diaconos, quorum proprium erat Ministerium deferendi Eucharistiam*.

Opponit deinde se variis, verbosisque rationibus opinioni Latini Latinii, atque ita differit: *Si Panis, qui mittebatur, erat consecratus, Presbytero bis sumendum erat Christi Corpus, & quod consecrarat in Missa, & quod missum erat a Pontifice. Tum quod: tanta Populi multitudo non poterat ex illo* Fermento, *sive Eucharistia missa communicare, cum unus tantum Panis mitti soleret, nisi dicatur plures, & qui satis essent, ad communionem Fidelium mitti, quod videtur improbabile: quomodo enim posset tanta copia Panis parari? Quomodo posset sufficere multitudini fidelium concurrentium? Quantis canistris opus esset ad illam turbam reficiendam? Cum præsertim singuli pro se quisque de illa Eucharistia, quæ a Papa veniebat, participare cuperent, atque adeo major esset turba convenientium, quam ut iis sufficeret Panis delatus*.

Aliam etiam pro suæ sententiæ robore rationem addit, videlicet: *Illud Fermentum ponitur sine ulla mentione consecrationis vini, nec enim usquam legitur simul cum vino, sed invenitur solitarie confectum, & seorsim missum; Hoc autem pugnat cum consecratione Eucharistiæ, quæ intra sacrificium fieri debuit, debetque; evertit ergo illud* Fermentum *rationem sacrificii*. At cum respônderi possit consecrari *Fermentum* simul cum calice, sed mitti separatum, replicat, quod *erit difficile: nam loquendi modus auctorum indicat seorsim tum confici, idque innuit particula illa*: a nobis confectum. Et post paullum: *& observo vocem* confectum *non quadrare in Eucharistiam, cujus materia confecta supponitur, non conficitur a Sacerdote. Conficitur quidem Eucharistia in Pane, vel ex Pane sive azymo, sive fermentato, sed non conficitur Panis a Sacerdote*. Paucisque interjectis: *Si illud ergo* Fermentum *erat Eucharistia, congruentius esse videbatur, si cum vino pariter mitteretur, quando simul cum vino consecrabatur: cum præsertim iis temporibus communio sub utraque specie frequentaretur*.

Verum agnosco, quidem in his me nimis diu moratum esse, & in longum sermonem traxisse: at eruditio scriptoris in caussa est, quem ex his, quæ fuse retulimus, facile unicuique agnoscendi facultas est, haud umquam *Fermenti* nomine Eucharistiam venire censuisse.

§. VI.

Antonii Dadini Altaserræ sententia de Fermento.

ANno MDCLXXX. eruditissimus vir Antonius Dadinus Altaserra edidit librum, cui titulus: *Notæ, & observationes in Anastasium de vitis Romanorum Pontificum*: In his autem notis, ubi agit de Melchiade, & Siricio, opinatur *Fermentum* pro pane fermentato accipiendum esse, non quidem consecrato, sed solummodo benedicto. Quare quum ipse paucis se expediat, paucis etiam ejus sententiam refero.

§. VII.

Joannis Cabassutii de Fermento *judicium*.

ECclesiastica eruditione clarissimus Joannes Cabassutius in sua notitia Ecclesiastica secundo edita anno 1685. in sæculo II. Differt. 12. agit de *Fermento*, & quidnam inter priscos Ecclesiæ Romanæ ritus fuerit. Ad hanc autem quæstionem enodandam, Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. Romanorum Pontificum loca superius adducta breviter perpendit. Subjungitque, quod si quis dixerit pro *Fermento* accipi *consecratum, vel Sacramentum*, responsio in promptu est, quoniam ejusmodi vocabulis Eulogias quascumque exprimere consuevere. Qui vero hæc opinati sunt, nonnullos errores introduxerunt.

Primum: *Fermentum* nihil aliud fuisse, quam adorandum Christi corpus.

Secundum: Erroneam fuisse persuasionem Ecclesiæ Romanæ, aut nunc esse, quod ab initio Fermento consecrasset. Nunc vero oppositum ab eadem Romana Ecclesia doceri, & distincte juberi, quasi Petri, & Pauli inviolabile præceptum, ut non aliter in Romana Ecclesia, nisi in Azymis sacrificetur.

Tertium: etiamsi pace Ecclesiæ stabilita, & plures in hac Urbe sparsæ essent Basilicæ, Pontificio decreto cautum fuisse, ne plusquam in una ejusdem Urbis Ecclesia, neve plus una per totam Civitatem Missa Dominicis, & aliis festis solemnioribus, quisque Sacerdos celebrare posset, atque sine ullo Sacerdotum, vel Populi crimine, tota Urbs interdicto subjaceret, adeo ut vix duo, aut tres homines ex quinque millibus, Dominicis, & aliis Paschalibus diebus sacro interesse potuissent. Eumdemque ritum præscriptum, servatumque in quibusvis aliis Provinciarum occidentalium Ecclesiis, ita ut ipsarum Sacerdotes numquam propemodum in tota eorum vita sacrificare potuerint.

Quartum: non solum Romanum Pontificem proprias viciniores oves sacro cibo privasse, verum etiam aliis Pastoribus aliarum

Ecclesiarum hoc idem jussisse.

Quintus error est, per octingentos annos penes latinas, sive Europæ, sive Affricæ Ecclesias, Eulogiarum usum nullum fuisse.

Concludit postmodum *Fermentum* nihil aliud denotare, nisi Eulogias, quod & nonnullis rationibus confirmare conatur.

CLASSIS IV.

HActenus, qua potuimus brevitate, tres auctorum sententias in tres Classes divisas exposuimus. Superest modo quartam illorum expendere, qui ad mysticum sensum *Fermenti* vocem traxerunt, cui opinioni subscribere duos tantum invenimus, nempe Antonium Augustinum, & P. Mabillonium.

§. I.

Antonii Augustini conjectura de Fermento.

ANno 1577. Latinus Latinius clarissimum virum Antonium Augustinum sciscitavit, quidnam esset *Fermentum*? Latino autem hæc Augustinus respondit, ut ex ejus Epistola in Tom. 2. Latini Latinii pag. mihi 171. *Quod me de Innocentiano* Fermento *superioribus diebus interpellasti, non potui ante hanc diem rescribere. Tum, quia Tabellarius aliquot menses in Gallia vinctus fuit; tum quia perdifficilis quæstio mihi visa est. Nam sive dicamus* Fermentum *appellari consecratum Panem, sive Eulogiam; a consuetudine rerum, & usu verborum discedemus. Sed & Leonis IX. testimonio constat semper latinos* Fermento *abstinuisse in Dominicæ Cœnæ Mysteriis, quamobrem azymitæ a Græcis dicebantur, quasi Judæorum Azymis delectati, quos multis verbis Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus jure reprehendit. Cum vero Innocentii verba considero,* Fermenti *appellationem non veram esse, sed usurpatam existimo, & qua vulgus uteretur pro azymis illis sinceritatis, & veritatis: inde fortasse appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua læti omnes participes fierent Sacræ Mensæ post longam quadraginta dierum inediam, eadem verba de* Fermento *audirent, & pro Græco Azymorum verbo, latino uterentur contrariæ significationis. In hac sententia confirmor Damasi verbis in Melchiadis Pontificis vita.* Hic (*inquit*) fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur *Fermentum. Vides hic oblationes consecratas* Fermentum *dici, &*, quod declaratur, *significat quod ita appellatur. Idem invenies in vita Siricii, qui Damaso suffectus est. Verba tamen mendosa mihi videntur, quæ tu, ut soles, in aptiora mutabis: Quod igitur Innocentius ait:* De Fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, *& mox*: Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, *de consecrata hostia dici ostendunt alia verba, quibus &. communio, & Sacramentum appellatur*: ut se a nostra communione non judicent separatos. *Item*: quia non longe portanda sunt Sacramenta. *Durum autem videtur, & a consuetudine alienum, ut absentis ratio haberetur; sed id quoque factum fuisse olim invenio apud Justinum Martyrem in Apologia posteriore apud Antoninum Pium. Notum autem est solum Episcopum solitum esse sacra facere, Presbyteros vero, atque etiam Episcopos, si præsentes essent, ab eodem sacram Eucharistiam accipere, mox cæteros; qua de re videnda sunt Irenæi verba ab Eusebio Græce relata lib. 5. cap. 26. Hist. De Romanæ Urbis Presbyteris Cardinalibus, quibus solis Tituli Urbis committebantur, aperte Innocentius III. testatur solitos fuisse cum Romano Episcopo convenire, & celebrare mysteria lib. 4. cap. 26. de Myst. Miss. Hæc in oriente adhuc obtinent, & apud Græcos, qui in Italia sunt, ut semel tantum sacrificium fiat. Absentibus mitti quidquam non puto. Sic igitur interpretor Innocentii constitutionem, ut noluerit extra Urbes hæc sacra mitti ad eas Parochias, quæ in pagis certos Curiones haberent. Possunt enim illi conficere Sacramenta, at Urbani nequeunt, sacrificante Pontifice. Idem existimat de his, qui in Cœmeteriis sunt Presbyteri. Habes opinionem meam; velim tuam audire sententiam, ac si meliora attuleris, ab his facile discessero.*

Quibus apertissime liquet Augustinum in allegoricum sensum *Fermenti* vocem traxisse, cum ipsum aliter, quam proferatur, esse accipiendum existimet.

§. II.

Joannis Mabillonii judicium circa Fermentum.

POst Lupum, & Macedum anno 1674. Lutetiæ Parisiorum suam de *Azymo*, & *Fermentato* Dissertationem edidit R. P. Joannes Mabillonius Benedictini, immo totius Ecclesiastici ordinis ornamentum: instante scilicet Eminentissimo Bona, ut Mabillonius ipse in nuncupatoria Epistola, & Præfatione ad Lectorem testatur. Dissertationem hanc suam in undecim capita partitus est.

In I. probat Eucharistiam in Azymis a Christo Domino institutam fuisse.

In II. docet exemplo Christi haud imponi necessitatem in Azymis consecrandi.

In III. an Græci in principio Ecclesiæ *Fermento* usi sint?

In IV. quali Pane utantur aliæ societates Christianæ.

In V. Varias de Azymo Latinorum sententias adducit.

In VI. Quædam dubia fidei testimonia pro Azymo Latinorum expendit.

In VII. Proponuntur conjecturæ, & argumenta quædam pro antiquo usu Azymorum apud Latinos.

In VIII. Aliæ probationes ex forma, & conditionibus hostiarum. Ubi explicantur Canones duo, unus Concilii Turonensis II. alter Toletani XVI.

In IX. Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii discessum.

In X. Expenduntur argumenta pro usu *Fermenti* apud Latinos.

Tandem in undecimo præmissorum conclusio continetur.

Cæterum capite decimo, ubi nonnulla de *Fermento* exponuntur, existimat contra Baronium *Fermentum* Eucharistiam fuisse, idque multis rationibus adstruit, confirmatque. Quærit deinde cur hoc nomine Eucharistia dicta sit; pro qua re postquam Sirmondi conjecturam expendit, suam profert, afferens hoc vocabulo appellatam Eucharistiam, ut sub hujusce nominis cortice atque velamine mysterium hoc gentes lateret. Per ea enim tempora mos Patribus erat, ut Eucharistiæ Sacramentum non nisi ænigmatice designaretur.

CAP. V.

Josephi Mariæ Thomasii Presb. Reg. prisci Fermenti *nova expositio.*

POstremo loco Josephum Mariam Thomasium adjicimus in Ecclesiasticis ritibus, & præsertim antiquis exercitatissimum, deque literaria Republica præclare meritum ob graves, eruditosque labores in eruendis, & eripiendis e tenebris oblivionum egregiis libris, quos Typis mandavit. Hunc inquam Auctorem postremo loco dumtaxat ea de causa recensemus, quod postremus omnium scripserit. Cæteroqui omne jus, omnisque ratio postularet, ut ei primas inter recensendos Auctores deferrem. Is igitur in quadam sua Dissertatione hac de re: *primum mihi momentum*, (ait), *quod ad* Fermentum *spectare videtur*, (*ut in sequentibus dicemus, quodque fugit quotquot de* Fermento *scripserunt*) *occurrit sub Sancto Zephyrino Papa, qui ad finem secundi, initiumque tertii Christiani seculi Romæ sedit, quod ita exhibetur in vetustissimo Romanorum Pontificum Catalogo edito in actis Sanctorum a Godefrido Henschenio in principio Tom. I. mensis Aprilis*. Fecit Zephyrinus constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesia Ministri portarent: dum Episcopus Missam celebraret ante se haberet Sacerdotes omnes adstantes, sic Missæ celebrarentur; excepto cum jus Episcopi interest, ut tantum clerus sustineret, omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi jam coronam constitutam acciperet Presbiter tradendam Populo. *Hæc ibi. De S. Meltiade, sive Melchiade, qui Pontificatum gessit initio IV. sæculi, hæc referuntur in laudato Catalogo apud Henschenium*. Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur *Fermentum*.

De S. Siricio, qui Ecclesiam regebat ad finem IV. seculi, item in eodem Catalogo dicitur: constituit ut sine consecratu Episcopi loci cujuslibet Presbytero non liceret consecrare. *Hactenus Catalogus ille. Id quod in libro Pontificali sic affertur*: hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem Hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur *Fermentum*.

S. Innocentius Papa in Epistola sua ad Decentium Episcopum Eugubinum data XIV. Kal. Aprilis Theodosio Augusto VII. & Palladio V. C. Conss. his verbis illi respondit. De *Fermento* vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, qui die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, id circo *Fermentum* a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus: & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, & licentiam. *Hactenus S. Innocentius*.

Hæc sunt vetera documenta de Fermento, *quæ qualem, quantamque crucem attulerint Ecclesiasticis Tractatoribus, eorum Commentaria monstrant. Tot enim verborum ambagibus implexi pene visi sunt sistere gressus, nec ultra pergere in tam affusa usquequaque caligine, quam tu Christianæ Lector depelles, hac tantum face contentus, quam tibi sine invidia communico. Accipe cuncta paucis*.

In celebri Monasterio S. Galli Ordinis S. Benedicti in partibus Helvetiorum habetur vetustissima membrana, in qua Ecclesiasticus Ordo *Romanæ Ecclesiæ continetur. Ex Romanis Ordinibus impressis, & MSS. hic S. Galli Ordo inter puriores sincerior mihi visus est, nam varios aliarum Ecclesiarum ritus non admiscet, quod raro in cæteris Ordinibus reperitur: scriptus est hic S. Galli Codex ad finem octavi seculi. Fit enim in eo hæc Papæ Adriani mentio, ubi agitur de Feriis Quadragesimæ*. Simili modo agitur secunda Feria, quarta Feria, sexta Feria, & Sabbato per totam Quadragesimam, nam Sabbato tempore Hadriani institutum est, ut flecteretur pro Carolo Rege, antea vero non fuit consuetudo. *Quibus verbis apparet Codicem non diu post Adrianum Papam I. defunctum anno 795. fuisse conscriptum; nam præterquamquod absolute Adrianum appellat absque designatione numeri, quod indicat nundum*

Adria-

Adrianum II. Pontificem extitisse, ipsamet locutio recentia tempora Hadriani, & memoriam adhuc non deletæ anterioris consuetudinis innuit. Cumque Carolum Regem dicat, haud Imperatorem, aliquis fortassis existet, qui ante inaugurationem Caroli in Imperatorem, scilicet ante annum DCCI. ipsum Codicem scriptum dicet, cujus exemplum humaniter accepi a D. Hermanno Sherz ejusdem Cœnobii Bibliothecario eruditissimo, meique amantissimo, cui gratias & habeo, & agere debeo plurimas. In eo itaque Codice statim initio habetur hic Titulus.

Incipit ordo Ecclesiasticus Romanæ Ecclesiæ, qualiter Missa celebretur. Primo omnium observandum est septem esse Regiones Ecclesiastici ordinis Urbis Romæ, & unaquæque Regio &c. *Ut in postrema descriptione Missæ Papalis (quamquam varie interpolata) in lib. de Divin. Offic. edito a M. Hittorpio Coloniæ MDLXVIII. Hanc vero postremam clausulam præfati ordinis, scilicet,* deinde Mansionarii juniores, & intrat in secretarium; *alter Commentariolus cum suo titulo excipit, qui nusquam est editus, quique si in lucem fuisset emissus, tot, tantique doctissimi Viri in* Fermenti *caligine non hæsissent.*

Integrum Commentariolum ipsum fideliter transcribam, ut satis superque Lectori satisfaciam. Titulus sic incipit.

Si autem Summum Pontificem, ubi Statio fuerit, contigerit non adesse, hæc sunt, quæ ab alio Episcopo dissimiliter fiunt.

IN primis, quod non ille, sed Diaconi præcedunt cum Cereostato, vel Thuribulo.

Secundum namque, quod non sedit in sede post Altare.

Tertio: non dicit orationem post Altare, sed in dextro latere Altaris.

Quartum, non ipse Episcopus, sed Diaconus in eo loco, ubi consuetudo est, * cinnat.

* *Locus mendosus.*

Quinto loco, ubi legitur post finitum Canonem, ubi dicit *Per quem hæc omnia Domine*, non levatur calix ab Archidiacono.

Sexto loco: quando dici debet: *Pax Domini sit semper vobiscum*, deportatur a Subdiacono oblationario particula *Fermenti*, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono. Ille vero porrigit Episcopo. At ille consignando tribus vicibus, & dicendo: *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem.

Nam ex hoc dissimiliter facit, quod Apostolicus non confringit, ipse vero super pallam, quæ corporalis dicitur, in Altare confringit. Deinde communicant omnes præter Episcopum tantum, quod non sua manu communicat, sed in ipsius manum mittit partem, & ipse se communicat cum propria manu. Similiter facit Presbyter Presbytero, & Diaconus Diacono; nam reliqua omnia similiter, ut Summus Pontifex facit.

Similiter etiam & a Presbytero agitur, quando in Statione facit Missas, præter: *Gloria in excelsis Deo*, quia a Presbytero non dicitur nisi in Pascha. Episcopi, qui Civitatibus præsident, ut Summus Pontifex, ita omnia peragunt.

Feria quarta initium Quadragesimæ.

Colligunt se omnes ad Ecclesiam Sanctæ Anastasiæ circa horam septimam. Ingreditur Pontifex in Secretarium, induit se vestibus &c. *notantur mox ritus aliquot in Quadragesima servandi, quos hic alius titulus subsequitur.* Incipit ordo a Dominica Mediana, usque octavas Paschæ.

His itaque exhibitis de Fermento *monumentis, maximeque hoc postremo, quod nunc primum depromitur, restat, ut ex his omnibus, &* Fermentum, *& illius usum ediscamus. Fidem solvam, si constitutum illud S. Zephyrini supra allatum ante explicem, ad* Fermenti *enim rationem pertinere non dubito, licet omnes de* Fermento *scriptores latuerit. Quod vero de* Fermento *inibi agatur, cuivis patebit, si collatis simul Melchiadis, Siricii, & Innocentii testimoniis consideretur, hoc unum ab illis differt, ut quod illa subobscurius, hoc obscurissime tradat: non abs re putavi eidem S. Zephyrini constituto, quam potero, lucem hic afferre brevi paraphrasi. Ita vero inquit:* Fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas *in Missarum solemniis, &* Populi *communione* ante Sacerdotes, Ministri, *idest Diaconi* portarent: & ut dum Episcopus Missam celebraret, ante se haberet Sacerdotes omnes, *secundi ordinis* adstantes, *sibique concelebrantes*, & sic Missæ celebrarentur, excepto cum jus, *sive jurisdictio tantum, & non corporalis præsentia* Episcopi interest: & ut *tunc* tantum *sive eatenus* Clerus sustineret, *& expectaret*, *quoad* omnibus præsentibus ex ea consecratione, *quæ facta est ab Episcopo reliquis Sacerdotibus adstantibus*, de manu *ejusdem* Episcopi, jam *per Acolythum transmissam* coronam, *sive oblatam sphericæ figuræ* consecratam acciperet Presbyter, tradendam Populo.

Hanc esse hujus constituti veriorem explicationem opinor, nec aliud mihi occurrit, unde dubitem. Recenseba modo quæ ex relatis testimoniis pro Fermento *sunt colligenda.*

Primo vocabulum Fermenti *a nostris majoribus institutum, non ex eo tantummodo, quod infidelibus, & catechumenis sacratiora Mysteria per notiora vocabula non proderent, verum quod hæc vox* Fermentum *satis apta esset ad id significandum, quod per hujusmodi* Fermenti *usum volebant intelligi. Quod utique aliud non erat, quantum ex Epistola Sancti Innocentii superius allata discimus, præterquam istud, ut Presbyteri Titulorum, quia die Dominico propter plebem sibi creditam una cum Pontifice convenire non poterant,* Fermentum *id circo ab ipso Pontifice confectum per Acolythos acciperent, ne ab ejus se communione maxime illa die separatos judicarent. Ad communionis ergo tesseram, charitatis mutuæ vinculum, membrorumque cum capite nexum,* Fermenti *constitutio collimavit. Cui rei significandæ quæ aptior vox, quam* Fermenti? *Sicut enim modicum* Fermentum

totam

totam farinæ, cui injicitur, massam fermentat; sic unicum illud Pontificis Fermentum per Titulos missum, veluti unam Massam, & Corpus fideles unius Urbis copulabat: quoniam unus Panis (inquit Apostolus) unum corpus multi sumus: omnes, qui de uno Pane participamus. Fermentum igitur Ecclesiasticum mystica tantum ratione hujusmodi nactum est nuncupationem. Quamobrem in Melchiadis constituto optime dicitur, quod declaratur Fermentum, & in Siricii: nisi susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum. Quid, quæso, opus erat dicere hujusmodi oblationem a Pontifice consecratam, declarari, nominari Fermentum, si eam ob causam ita appellaretur, propterea quod Fermentata esset? Accedit, quod inter Fermentum, & Fermentatum multum sit discriminis, ut vel ipsi Grammatici norunt. Unde non mirari non possum, viros alioqui perspicacissimos, hinc pro Fermentati usu in Missa Romana argumenta desumsisse; adeo ut propterea Fermentum vel ad Eulogias relegaverint, (quas Fermentatas admittere non formidabant) vel Fermentatum Panem Eucharisticæ consecrationi intruserint: nihil horum me angit, quin etiam fatear Ecclesiæ Romanæ Fermentum Azymum fuisse. Certe per id temporis, quo scriptus est Ecclesiasticus hic Ordo Romanus in Monasterio S. Galli servatus, Azymorum usus in eadem Ecclesia Romana existebat: nusquam enim adducar, ut credam Caroli Magni tempore Ecclesias omnes occidentales, ne dum Romanam aliter, quam in Azymis consecrasse. At tunc Fermenti particula mittebatur in calicem ab Episcopo, vel a Presbytero absente Summo Pontifice; Fermentum itaque illud Azymum erat: nam rationem non video, cur offerrentur, & sumerentur in Missa panes Azymi, & postea in Calicem consecratum ex Fermentato particula injiceretur: accedit quod Romanus Pontifex ex iis panibus, quos in sua Missa consecrabat, oblatas consecratas desumeret Presbyteris transmittendas per Acolythos; Panes vero, quos Papa in sua Missa consecrabat, Populoque communionis tempore distribuebat, Azymi erant; Fermentum itaque sive oblata ex reliquis panibus consecratis decerpta, Azyma item erat. Igitur Caroli Magni tempore, ut panes Missæ Azymi erant; ita & ipsæ oblatæ (sive ut hodie dicimus) Hostiæ ad Fermenti usum Azymæ erant. Eas tamen Fermentum nominabant. Ob hanc utique causam, quia Fermenti instar, civitatensem totam Ecclesiam veluti unam Massam fermentaret; dum ex eo Calice cuncti communionem sumerent, in quo ex Episcopi consecratione particula extabat: quamobrem sicuti omnes uni communicabant capiti, hoc est Episcopo, ita unum se Corpus esse ostendebant.

Secundo, forma, sive figura Fermenti fuit in modum Coronæ: Panis nimirum erat rotundus, & solidus, sed pressior, ut cæteri Panes ad Missam offerendi; quales in antiquioribus picturis adhuc videre licet cruce signatos. Hinc in Zephyrini constituto Corona consecrata vocatur: quod si conferas cum constituto Melchiadis, in quo habetur oblationes consecratæ; intelliges jam ab antiquioribus manasse temporibus, ut Panes ad Missas offerendi Coronæ oblationis vocarentur. Etenim ad ætatem usque S. Gregorii hæc nuncupatio perseverabat: inquit enim ille lib. 4. cap. 4. Dialogorum: tunc duas secum oblationum Coronas detulit. Quod si Panes Sanctissimæ Eucharistiæ destinati, speciali nomine vulgo censebantur, quid mirum, si speciali item confectione, eaque faciliore, nitidiore, ac significantiore, solius nimirum Farinæ, cum aqua absque alio Fermento conspersione etiam vulgo pararentur? Quod obiter licet pro vetustiore Azymorum usu in Ecclesia Romana sit dictum.

Tertio, Fermentum an consecratum fuerit, & revera Sanctissimi Corporis Christi Sacramentum, quod in Missa offertur & sumitur, celebrior fuit hac de re eruditorum omnium quæstio: sed rei veritas ultro se offert, ut fateamur priscum Ecclesiæ Fermentum fuisse re ipsa Dominici Corporis Sacramentum, quod Eucharistiam dicimus. Primo quia in constituto Zephyrini hæ de eo voces usurpantur, ex ea consecratione de manu Episcopi; & Coronam consecratam: in Melchiadis constituto Oblationes consecratæ, & ex consecratu Episcopi: in Siricii, ut sine consecratu Episcopi loci cuilibet Presbytero non liceret consecrare, sive, ut apud Librum Pontificalem, ut nullus Presbyter Missas celebraret, nisi consecratum Episcopi susciperet: & in Epistola Innocentii ratio redditur, cur Fermentum extra Civitatem non mitteretur, nimirum, quia non longe portanda sunt Sacramenta: quæ consecrationis & Sacramentorum vocabula juxta consuetum loquendi Ecclesiæ morem, quid aliud sonant, nisi consecrationem Eucharisticam, & Dominici Corporis Sacramentum? Item in eadem Epistola dicitur Fermentum mitti absentibus Presbyteris, ut a Pontificis communione non se judicarent separatos; quod de Eucharistica communione (quæ totius est Ecclesiasticæ communionis cardo, ac centrum) rite est intelligendum. Quid certe prohibuisset a meridie, aut vesperi in sacris tantum precibus, & orationibus Pontifici communicare Presbyteros, sumentes Panes, Episcopi tantum precibus benedictos, si de quovis communionis symbolo tota cura fuisset? Præterea cum ibidem dicatur, Presbyteros per Cœmeteria constitutos eorum conficiendorum (utique Sacramentorum, nam ad aliud referre nequit illud participium) jus habere, & licentiam; quid aliud indicat, nisi ejusdem fuisse generis Sacramenta a Presbyteris Cœmeteriorum confecta, perinde ac ea, quæ Presbyteris per Titulos Urbis mittebantur? His enim jus, & licentia non erat Sacramenta conficiendi, idest Missarum solemnia celebrandi, nisi ab Episcopo potestate sibi facta per Fermenti transmissionem. Sicut ergo nemo negaverit veræ Eucharistiæ Sacramenta Cœmeteriorum Presbyteros confecisse; sic quisque necesse est fateatur ejusdem fuisse generis sacramenta per Titulos transmissa, quæ Fermentum nominabantur. Quid plura? Habemus rem meridiano sole clariorem in relato Fragmento Ordinis Romani Monasterii S. Galli; in sexto namque discrimine Episcopalis Missæ celebratæ in Statione absente Summo Pontifice, dicitur: quando dici debet: Pax Domini sit semper vobiscum, deportatur a Subdiacono oblationario particula Fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono;

cono; ille vero porrigit Episcopo, at ille consignando tribus vicibus, & dicendo: *Pax Domini sit semper vobiscum*; mittit in calicem. *En* Fermentum *ab Apostolico Papa consecratum, & missum in calicem Sanguinis Christi eo loco post Canonem, quo etiam hodie Hostiæ consecratæ Fragmentum in Calicem Sanctum mittimus. Quis modo negare ausus fuerit, revera fuisse Christi Corpus sub specie Panis occultum,* Fermentum *illud, cum in ejusdem Christi Sanguinem vini specie tectum mitteretur? Res pluribus non indiget, adeo est aperta.*

Quarto, Fermentum *a Pontifice Romano conficiebatur, sive consecrabatur: id plane dicitur ab omnibus supracitatis testimoniis Zephyrini, Melchiadis, Siricii, Innocentii, & Ordinis Romani.*

Quinto, Fermentum *ab ipso met Pontifice mittebatur per Acolythos, ut ex Epistola Innocentii Papæ constat. Id quod mihi facit in mentem venire Sanctum Tharsitium Romanæ Ecclesiæ Acolythum post medium tertii a Christo seculi martyrio coronatum: quem Pagani (ut in martyrologio Romano dicitur 15. Augusti) cum invenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret: at ille indignum judicans porcis prodere magaritas, tandiu ab illis mactatus est fustibus & lapidibus, donec exhalaret spiritum: & revoluto ejus corpore, Sacrilegi discussores, nihil sacramentorum Christi in manibus, aut vestibus invenerunt. Opinarer hunc Sanctum Acolythum Episcopi Romani consecratum, sive* Fermentum *Presbyteris tunc temporis portasse, jam enim antea constitutum fuerat sub Sancto Zephyrino, ut ex Episcopi consecratione acciperet Presbyter, unde Populus communicaret. Favet conjecturæ Acolythi ministerium, favet delatio Sacramenti: nec obstat, quod extra Urbem via Appia Sacramenta detulerit; cum persecutionis tempore multa licuerint, quæ postea pace reddita, certis limitibus arctata fuerunt.*

Sexto, Presbyteris per Titulos, sive per Ecclesias, ut nunc loquimur, Parochiales constitutis Fermentum *mittebatur. Quod tituli vocarentur Parochiales Ecclesiæ, res est adeo clara apud eos, qui in Ecclesiastica Historia sunt versati, ut tempus tererem, si hoc probare vellem. Puto tamen ante generalem Ecclesiæ pacem etiam extra Urbem missum consecratum* Fermentum: *cum frequentius in suburbanis Cœmeteriis sacri conventus fierent, & divina Mysteria peragerentur.*

Septimo, Presbyteri Titulorum Missas non celebrabant, certe non consecrabant, sed expectabant cum Clericis, & plebe sibi credita eatenus, quoad Acolythus consecratum a Pontifice Fermentum *attulisset. Tunc Missas celebrabant, & consecrabant de more,* Fermentique *particulam tribus vicibus consignando: & dicendo,* Pax Domini sit semper vobiscum, *in calicem mittebant: reliquum* Fermenti, *sive consecratæ Coronæ, putaverim Populo, pro ut satis erat, distributum juxta Zephyrini Papæ constitutum; reservata tamen bona parte pro aliis per Hebdomadam Missis celebrandis. Hæc ex allatis monumentis liquent. Hinc causam mihi videre videor; cur Presbyteri ab hora tantum tertia Missas exordirentur; cum Romanus Pontifex diluculo, ut in Ordinibus Romanis habetur, ad stationem pergere consueverit, & in prima parte diei S. Leone Papa teste Missas celebraverit: oportebat namque bene mane Pontificem celebrasse, quo temporis satis esset,* Fermentum *ab eo ipsamet die Dominica confectum per Titulos mittendi. At de hora publicæ Missæ alias forte Deo dante: nam quæ vulgo de hora tertia circumferuntur, antiquiorem Ecclesiæ morem non redolent; olim enim diluculo, vel statim ab ortu solis Missæ publicæ diebus festis dicebantur.*

Octavo, ex Constitutionibus Zephyrini, & Siricii videtur inferri, quod Presbyteri in eo loco sive Civitate consistentes, ubi Episcopus aderat, nullo die Missas celebraverint, nisi consecratum ab Episcopo ipso Fermentum *habuissent, ut vel sic mutuæ communionis membrorum, & capitis ex hac dependentia monstraretur, Presbyteri vero longius dissiti hæc non servabant, quia non longe erant portanda sacramenta.*

Nono, die Dominica potissimum a Pontifice confectum Fermentum *mittebatur, sive quod eo vel maxime die publice cum Populi frequentia Missæ celebrarentur; sive quod eo die confectum per totam Hebdomadam Presbyteri custodirent, frustatimque quotidie, vel quarta saltem feria, atque sexta in solemnibus uterentur, quod postremum consonat Ordinis Romani Fragmento allato, ubi apportatur* Fermentum *Episcopo celebranti in Statione absente Summo Pontifice ac ipso die per se non celebrante, nec per consequens* Fermentum *conficiente.*

Decimo, quæ a Presbyteris in Titulis suis, hæc eadem ab Episcopis publicas saltem Missas celebrantibus, in Urbe servabantur in usu Fermenti *a Romano Pontifice consecrati, ut in sæpe laudato Ordinis Romani fragmento aperte declaratur.*

Undecimo, Fermenti *confectio, transmissio, & communio, nedum Romæ, sed in aliis quoque Civitatibus usurpabatur. Id quod ex Decretis Zephyrini, Melchiadis, & Siricii colligere possumus, cum non ad Romanam tantummodo Ecclesiam, sed ad cæteras item extendi possint, vel eas maxime, quæ loco propiores imitatione etiam fuerint conjunctiores. Luculentius hoc ipsum edocet nos rescriptum Innocentii ad Decentium Eugubinum Episcopum, cum enim in eo dicatur:* De Fermento vero; *satis indicatur, Decentium de Fermento prius consuluisse Summum Pontificem. Quod si consulit, de re propria consulit, & fortassis Eugubii, (quæ est Civitas Umbriæ) erant Tituli, sive publicæ Ecclesiæ extra Civitatem, ut propterea interrogandum Pontificem censuerit, an ad eas* Fermentum *mittendum esset. Hinc Pontifex respondet:* cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, *quasi diceret; secus accidit nostris, ac vestris Ecclesiis.*

Duodecimo, quo tandem tempore Fermenti *confectio, & usurpatio desierit, ignoro. Tempore Innocentii III. jam obsoleverat, cum per id tempus consueverint Presbyteri Cardinales Romano Episcopo solemniter celebranti concelebrare. Is enim lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 25. ita scribit.*

Cum autem interdum uni Pontifici multi Sacerdotes, si forte non omnes; simul consecratoria verba pronuncient, quæritur, an

ille

ille solus conficiat, qui primus pronunciat? Quid ergo cæteri faciunt? an iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere, quod ille non conficit, qui celebrat principaliter, & ille conficiat, qui secundario celebrat, & sic pia Celebrantis intentio defraudabitur. Sane dici potest, & probabiliter responderi, quod sive prius, sive posterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cui principaliter celebranti concelebrant; & tunc omnes insimul consecrant, & conficiunt, quamquam nonnulli consentiant, quod qui prius pronunciat, ille consecrat, nec aliorum defraudatur intentio, quia factum est, quod intendunt. Consueverunt autem Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem recipere, significantes Apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes, sacram de manu ejus Eucharistiam acceperunt, & in eo quod ipsi concelebrant, ostendunt, Apostolos tunc a Domino ritum hujus sacrificii didicisse.

Sed hanc Fermenti *abolitionem ad anteriora adhuc tempora referrem, nam in XI. & in XII. sæculi Ritualibus altum de* Fermento *silentium observo. Hinc ad annum circiter M. conjectabar* Fermenti *usum durasse, postea prætermissum, tum quod paulatim sacri ritus mutationem subierint, tum quod ob frequentiores Urbis per ea tempora perturbationes sæpius Romani Pontifices Roma discesserint, quibus absentibus, &* Fermentum *ab ipsis confectum omnino cessaverit.*

Hæc de prisco Ecclesiæ Romanæ Fermento *satis. Tantum addiderim, quæ ad* Fermenti *rationem accedere videntur: consuevisse nimirum Romanos Antistites Presbyteris Urbanis a se noviter ordinatis sacram hostiam consecratam tradere: unde per consequentes octo dies communicarent. Sic in ordine Romano MS., & edito legitur.*

Tollit Pontifex oblatas integras, & dat singulis novitiis Presbyteris, ut inde communicent usque octo dies. *Idem in Episcopi consecratione Pontifex servabat, si dierum numerum exceperis. Dicitur enim in eodem ordine.* Cum venerit ad communicandum Dominus Pontifex, ponit ei formatam, atque sacratam oblationem integram, suscipiensque eam Episcopus ipse ex ea communicet super altare, quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum unoquoque die usque quadraginta dies completos. *Hactenus Ordo Romanus. Quod autem per hujusmodi subsequentes dies in quotidiana Missarum celebratione de hac oblatione communicaverint, eamque aliqui saltem in Pergameno in hos usus parato involutam servaverint, discimus ex Fulberti Episcopi Carnotensis Epistola ad Finardum apud eruditissimum Hugonem Menardum in notis ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ pag.* 312.

Vides jam hic (accurate Lector) qualis fuerit Thomasii circa *Fermentum* opinio: sentit enim nihil aliud fuisse, quam Eucharisticum Panem, seu clarius Dominicum Corpus, quod mittebatur in Calicem, ubi Christi sanguis aderat, sicut etiam hodie in calicem sanctum particula, seu fragmentum injicitur, atque hunc opinandi modum collegisse se ait ex pervetusto Ordine Ecclesiastico, quem e Cimelio percelebris Monasterii Sancti Galli in partibus Helveticorum in lucem rovocavit. Ubi §. VI. loco prædictæ projectionis Corporis Christi in calicem fit mentio.

Fateor hanc Thomasii opinionem verisimillimam esse, & veritatem propinquissime attingere, aut saltem non parum splendoris huic controversiæ attulisse. Quia vero adhuc res latet, ac nonnullis velaminibus obducta est, relinquitur hinc locus aliqua superaddendi ex propria sententia, ut detracto omni cortice, veritas ipsa, ceu sol fugatis tenebris, elucescat.

CAP. VI.

Refelluntur argumenta Eminentissimi Bonæ, quibus probare intendit Fermentatum *in Ecclesia Latina usque ad Schisma Michaelis Cerularii, vel per ea tempora usitatum fuisse.*

HAnc *Fermenti* quæstionem jam per nonnulla &c. *quod caput* integre, & ad literam typis non mandatur, quia ponetur refellendum in Tomo IV.

CAP. VII.

Auctoris sententia de Fermento *proponitur.*

REtulimus jam, Lector, in tui gratiam commoditatemque, omnium, quos hac de re scripsisse sciamus, Auctorum sententias, & eorum libros non sine magno labore in compendium reduximus: e quibus vidisti profecto quorumdam adeo obscurum scribendi genium, ac stylum, ut sepias imitatos putaveris, quæ atramentum per aquas effundunt, ne capiantur. Quorumdam etiam invicem se se impugnantium docta dissidia: denique nonnullorum facilitatem, qui Græcis manus dantes, apud Ecclesiam latinam in usu panem fermentatum fuisse existimarunt.

Adduximus etiam Thomasii sententiam, qui tandem hujusmodi *Fermentum* quid esset aperuit. Sed ferrum radici haud admovit, cum

adhuc de pluribus dubitandi locus superſit, pro quibus, quoad fieri per nos poſſit dilucidandis, ſententiam noſtram, quæ inferius non perfunctorie probanda eſt, tandem aliquando ita proponimus.

I. Chriſtus Dominus cum Apoſtolis in ultima ſacra Cœna diſcumbens, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, ut ſcribit Evangeliſta Matthæus cap. 26. num. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus Panem, & benedixit, & fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum &c.*

II. Diſcipuli, quod præceperat Magiſter, poſt ejus obitum in uſum deduxerunt, ut habemus in Actibus Apoſtolorum cap. 2. & num. 42., & 46. ubi: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos Panem ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum.*

III. Iſte diſcipulorum, cæterorumque Fidelium conventus, poſtea *Eccleſia* denominatus fuit, quæ vox ipſis locis, in quibus congregabantur, *Eccleſiæ* nomen impoſuit.

IV. Creſcente poſtea in univerſi Orbis partibus chriſtiana Religione, Epiſcopi, qui in locum Apoſtolorum, Presbyterique, qui in locum Diſcipulorum electi fuere, Salvatoris noſtri exemplo (qui: *Acceptis quinque Panibus, & duobus Piſcibus, aſpiciens Cælum, benedixit, & fregit, & dedit Diſcipulis Panes; Diſcipuli autem turbis*, Matth. 14. num. 19.) in Eccleſiis Populo, præmiſſis orationibus, oblatum Panem frangebant.

V. Unuſquiſque Fidelium non ſolum offerebat panem, ſed etiam vinum.

VI. Fideles antiquarum traditionum haud ignari, nempe quod omnes ſui majores de eodemmet Pane ab Apoſtolis benedicto participaverant, ipſi quoque omnes ejuſdem Panis, quem Epiſcopus conſecraverat, participes fieri curabant. At quia vel ob locorum diſtantiam, vel Cœli intemperiem, aut alia quavis de cauſa, in unum omnes convenire non poterant, ne id ipſis graviſſimum videretur, & animo angerentur, a Patribus modus excogitatus fuit, quo niſi in totum, poſſent ſaltem in partem de eodemmet Pane ab Epiſcopo conſecrato participare; ac proinde Pontifex plures oblatas conſecrabat, e quibus unam frangebat, dividebatque in tot partes, quot erant Eccleſiæ titulares, ad quas inde hæ particulæ mittebantur.

VII. Singulæ partes potius in vaſis vitreis, quam in ſacculis ſingulis Acolythis traditæ fuere, qui eas ad ſingulos titulos ferrent.

VIII. Presbyteri Titulares non conſecrabant, niſi poſtquam præfatam particulam a Pontifice conſecratam acceperant, quam ſimul cum oblata ab ipſiſmet conſecrata ponebant; quare particula illa Pontificis ita cum oblatione Titularis commixta, *Fermentum* dicta fuit.

Hæc itaque de *Fermenti* voce noſtra ſententia eſt, quam rationibus, & auctoritatibus confirmare debemus.

Et quia quæ primo, & ſecundo numero ſupra expoſita ſunt, jam ſacræ ſcripturæ locis fulcivimus, ad tertium deſcendimus, in quo dictum eſt, Chriſti Fidelium conventum, ſive congregationem *Eccleſiam* denominatam fuiſſe.

III. Eccleſia igitur, quæ græca vox eſt, nempe Ἐκκλησία a Græcis Patribus ſic definitur. Ἐκκλησία dicitur ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν. *Ab evocando*. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. XVIII. φωτιζομ. pag. 177. Ἐκκλησία καλεῖται φερωνύμως, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι, καὶ ὁμοῦ συνάγειν. *Apte Eccleſia vocatur, quaſi dicas* convocatio: *propter omnium convocationem, & congregationem.* Apud Athanaſium quæſt. 37. de Parabolis Scripturæ Tom. 2. pag. 402. Ἐκκλησία καλεῖται, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι. *Eccleſia vocatur* evocatio, *quia omnes evocantur*. Verum a Sancto Joanne Chryſoſtomo in Pſal. 150. *Congregatio, ſeu conventus* definitur ſic: Ἐκκλησία συστήματος, καὶ συνόδου ἐστὶν ὄνομα. *Eccleſia congregationis, & conventus nomen eſt*, & a Sancto Ignatio in Epiſtola ad Trallenſes *ſynagoga* vocatur; ait enim: Ἐκκλησία ἐκλεκτὴ συνάθροισμα ἁγίων, συναγωγὴ ὁσίων. *Eccleſia electa, cœtus Sanctus, ſynagoga Sanctorum*. Plures aliæ Græcorum auctoritates adduci poſſunt, quæ tamen brevitati ſtudentes omittimus, latinos Patres allaturi, qui hanc vocem in eodem ſenſu acceperunt, ut ex Actis Apoſtolorum cap. 29. *Et cum hoc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam*. Ac ex S. Auguſtino Epiſtola 157. *ſicut* (inquit) *appellamus Eccleſiam Baſilicam, qua continetur Populus, qui vere appellatur Eccleſia, ut nomine Eccleſiæ, ideſt Populi, qui continetur, ſignificemus locum, qui continet* &c. Idem in quæſt. ſuper Levit. lib. 3. quæſt. 57. *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur*. Idque etiam patet ex Amalario lib. 3. de Eccl. off. cap. 2. *Eccleſia eſt convocatus Populus per Miniſtros Eccleſiarum ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Ipſa domus vocatur Eccleſia.* Sed de hoc ſatis.

IV. Quod Epiſcopi in locum Apoſtolorum, ac Presbyteri in locum Diſcipulorum ſucceſſerint, ſuadet primo Sancti Cypriani auctoritas, qui Epiſtola 65. vocat Epiſcopos *Apoſtolos*, & in Epiſtola Firmiliani ad Cyprianum legitur apertiſſime Epiſcopos ordinatione vicaria ſucceſſiſſe Apoſtolis. Idem ait Divus Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium, ac fuſe Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 25. ubi etiam agitur de Presbyteris, qui LXXII. Diſcipulis ſucceſſere. Epiſcopos autem, & Presbyteros, Chriſti Salvatoris exemplo, Panem oblatum, conſecratumque Populo ſacris adſtanti frangere, ac diſtribuere ſolitos fuiſſe teſtatur tertius Ordo Romanus, qui incipit: *Primum omnium*, ubi hæc habentur. *Poſt hæc* (ſcilicet poſtquam Pontifex eos, qui erant in ſenatorio, communicaverat) *Epiſcopi communicant Populum annuente eis primicerio*, &c. Et paulo inferius: *Presbyteri autem annuente Primicerio communicant Populum, & ipſi viciſſim confirmant. Nam mox, ut Pontifex cœperit in Senatorio communicare, ſtatim ſchola incipit antiphonam ad communionem, & pſallunt uſque dum communicato omni Populo, annuat Pontifex, ut dicat* Gloriam: *Et tunc repetito verſu quieſcunt*. Quod in ſequentibus etiam Ordinibus legitur, ut videre eſt,

V.

V. Fideles in Missæ sacrificio Panem, & vinum offerre consuevisse, testatus est Sanctus Justinus Martyr in secunda Apologia, seu, ut alii malunt, in prima sub finem, ubi sic ait. *A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur Panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur &c.* Necnon S. Cyprianus de *Operibus, & Eleemosyna*, etsi de solo Pane loqui videatur, ubi in mulierem locupletem invehitur, quæ sine oblatione Dominica die ad Ecclesiam conveniret, sic inquit: *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis? quæ in Dominicum sine sacrificio venis? quæ partem de sacrificio, quod Pauper obtulit, sumis?* Eadem est querela Sancti Augustini, sive Cæsarii Arelatensis Episcopi serm. 215., ac in recent. impress. in append. 265. ubi sic: *Oblationes, quæ in Altario consecrentur, offerte; erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.*

Quales autem fuerint hæ oblationes, legitur in Ordine Romano, qui incipit: *denuntiata Statione*, ubi sic: *deinde* (idest post credo) *salutat Episcopus Populum, dicens:* Dominus vobiscum. *Postea dicit:* Oremus. *Tunc canitur Offertorium cum versibus; Tunc venit Subdiaconus, ferens in brachio dextro patenam, & in sinistro calicem, in quo recipiuntur amulæ Populorum, & super calicem corporale, idest sindonem, quod accipiens Diaconus ponit super altare a dextris, projecto capite altero ad Diaconem secundum, ut expandant. Deinde transit Sacerdos ad suscipiendas oblationes. Interim cantores cantant Offertorium cum versibus, & Populus dat oblationes suas, idest Panem, & Vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminæ: novissime vero Sacerdotes, & Diaconi offerunt, sed solum Panem, & hoc ante Altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur Archidiaconum; & Pontifice oblationes Populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem tenente eum Subdiacono, quem sequitur cum scypho super planetam Acolythus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem a Pontifice suscipit Subdiaconus, & ponit in sindonem, quæ eum sequitur, quam tenent duo Acolythi.* Fusius quoque ritus in offertorio observandus exprimitur in 4. Ordine, ubi sic: *Post Evangelicam ergo Lectionem reponitur Liber Evangeliorum in paratorio quodam sive in secretario; sed Acolythus tenens calicem in brachio sinistro porrigit corporale suprapositum Diacono; ut ipse desuper calicem accipiens, illud expandat super Altare, projecto ad sequentem Diaconum capite altero. Pontifex autem sustentatus hinc inde dextra lævaque a Primicerio Notariorum, & Primicerio Defensorum descendit ad Senatorium, quod est locus Principum, ut suscipiat oblationes eorum. Archidiaconus vero post eum amulas suscipit, & in calicem majorem, quem Subdiaconus Regionarius sequens portat, vacuum refundit: qui cum fuerit impletus, refunditur in scyphum, quem ibi tenebit sequens Acolythus. Oblationes vero Principum Subdiaconus Regionarius a Pontifice suscipit, ac sequenti Subdiacono porrigit, & ipse in sindonem, quam tenent duo Acolythi, eas ponit. Sed Episcopus Hebdomadarius suscipit post Pontificem oblationes reliquorum, quas ipse manu sua mittit in sindonem, quæ sequitur eum. Post quem Diaconus sequens amulas suscipit, & in scyphum manu sua post Archidiaconum eas refundit. Similiter transiens Pontifex in partem Matronarum explet omnia, ut supra. Deinde redit ad sedem tenentibus Primiceriis manus ejus. Archidiaconus autem stans ante Altare lavat manus suas expleta susceptione. Post hoc in faciem Pontificis respicit, & cum ei annuerit, resalutato eo per humilem inclinationem ad Altare accedit. Tunc accipiens per Subdiacones oblatas hinc inde porrigentes eas, ponit tantas super Altare, quantæ possint Populo sufficere. Composito igitur Altari, & ornato, Archidiaconus deinde sumit amulam Pontificis de Subdiacono oblationario, & refundit in calicem super colatorium, deinde Diaconorum, ac deinde Primiceriorum, & Secundiceriorum: postea autem Subdiaconus sequens descendit in scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphonistæ, ac defert ad Archidiaconum, & ille infundit, faciens crucem in calicem. Ascendentibus vero Diaconis ad Pontificem, Primicerius, & Secundicerius Notarii, & Defensores Regionarii descendunt, & in loco suo consistunt. Tunc Pontifex surgens a sede descendit ad Altare, & salutat Altare, & suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii, & Diaconorum, atque Primiceriorum. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis de oblationario, & dat Pontifici; quas dum posuerit Pontifex in Altari, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarii, & ponit eum super Altare juxta oblatam Pontificis a dextris, atque cum offertorio in cornu Altaris posito involvens per ansas calicem, stat post Pontificem. Et Pontifex paululum inclinans se ad Altare, respicit ad scholam, & annuit ut debeant silere.* Confirmat hæc Amalarius de Eccl. off. lib. 3. cap. 19. ubi: *Populus* (ait) *dat oblationes suas, idest Panem, & Vinum secundum ordinem Melchisedech. Panis, quem offert, & Vinum exprimunt omnia desideria pia intrinsecus latentia, sive sint pro immolatione, sive pro hostia viva.* Notandum hic est, quod cantores aquam tantummodo offerebant, cur autem aquam offerrent, rationem reddit Amalarius loco citato, ubi sic: *Omnis Populus intrans Ecclesiam, debet sacrificium Deo offerre: ac cantores, qui sunt de genere Levitarum, propter instantem necessitatem cantandi, non habent licentiam huc, illucque discurrendi, ut singuli offerant cum cæteris. Statutum est eis, ut penitus non sint extorres a sacrificio, custodire aquam, & hanc unam offerre pro cæteris. Populus offert vinum, Cantores aquam. Sicut vinum, & aqua unum fiunt in calice, sic Populus, & Cantores in Corpore Christi. Cantores more Levitarum antiquorum, qui omnia necessaria Tabernaculi providebant, quærant aquam ad fontem, & servent eam coopertam usque ad tempus sacrificii; & tunc mundam eam offerant.*

VI. Fideles omnes curabant ex eodem sacro Pane ab Episcopis consecrato participare, nostri Salvatoris exemplo, qui benedixit, ac fregit Panem, deditque Apostolis secum discumbentibus, ac Virgini Matri, aliisque mulieribus cum illa seorsim adstantibus, ut tradit Georgius Metropolita Nicomediensis, qui tempore Heraclii Imperatoris floruit, nempe in principio septimi sæculi. Ille enim in suo sermone VIII. ait: *Quia ergo filium videbat ad salutarem properantem passionem, ne ad breve quidem tempus ab eo disjungi ferebat: Quamobrem cum ubique sequeretur, nec cum celebrata sunt Mysteria, defuit: non ita ut recubuerit cum duodecim, sed ut ejusdem cum eis lecti particeps fuerit. Ipse quidem, quoniam festinabat discipulis Mysteria tradere, ac altæ humilitatis exempla præbere, solos secum duodecim fecit recumbere; Matrem autem scivit habere curam Mulierum, quæ ministrabant, ac eis præesse, ejusque opera suo eas convivio vicissim impertivit*. Notat hic P. Combefis, quod Sanctæ Mulieres in illa eadem domo Pascha cum Christo concelebraverint, ac ipse Eucharistiam eis impertierit.

Hic ritus a Domino institutus, ab ejus Discipulis observatus fuit, ut videtur innuere S. Paulus ad Corinth. cap. 10. num. 17. *Quoniam unus Panis, unum Corpus multi sumus omnes, qui de uno Pane participamus*. Id etiam conjicitur ex Sancto Ignatio Martyre, Episcopo Antiocheno in ejus Epistola, quam scripsit ad Ephesios: *Date* (inquit) *operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei*. Et mox: *omnes nominatim congregemini una, & communi fide, frangentes Panem unum, quod pharmacum immortalitatis est*. Hæc profecto est Ignatii sententia, juxta veterem ipsius Epistolæ editionem ab antiquis de catholica Religione bene sentientibus pro legitima quidem habita, sed a Joanne Dallæo, aliisque de rebus fidei male scribentibus pro interpolata, ejusque loco altera ex celebri Mediceo librorum Cimelio deprompta est, subrogataque, ac in maxima Bibliotheca Patrum novæ Lugdunensis impressionis pro genuina etiam inserta, quæ an hunc titulum mereatur, meum hic indicare non est: Scio tamen, quod in prællegata auctoritate, quoad sensum Epistolæ secum concordes sunt, licet solummodo in quibusdam vocibus discrepent, ut videre est ex recentioris impressionis fragmento, quod hic subjicimus: *Festinate igitur* (ait Sanctus Martyr) *crebrius convenire in gratiarum actionem Dei, & gloriam*. Deinde: *communiter omnes in gratia, ex nomine conventus in una fide, & in Jesu Christo unum Panem frangentes, quod est pharmacum immortalitatis*. Quare nullo pacto infirmanda, & in dubium revocanda videtur tam magni viri, ac Martyris auctoritas, & præcipue cum etiam legatur in Sancto Justino Martyre in supracitata secunda Apologia, & infra clarius demonstrandum sit morem istum participandi ex eodem sacro Pane, adeo in primis Ecclesiæ sæculis viguisse, ut illis, qui sacris adesse non poterant, in signum mutuæ communionis, sive tesseræ mitteretur. Pulcherrimum hujus rei nobis exemplum exhibet Eusebius lib. 5. cap. 24. Hist. Ecclesiast., ubi in Epistola Policratis ad Victorem Romanæ Urbis Episcopum, qui floruit anno 192. de dissensione Ecclesiarum Asiæ: *Verum* (ait) *illi ipsi, qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt*. Quam transmittendæ Eucharistiæ consuetudinem apprime suadet, probatque locus ejusdem Sancti Justini Martyris in eadem Apologia, ubi sic: *Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & Populus universus apprecatione læta eam comprobavit. qui apud nos vocantur* Diaconi, *atque* Ministri *distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, Panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur* Eucharistia, *quod nulli alii participare licitum est*; & paulo inferius subjungit: *Et distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur*. Id quod in actis Sancti Luciani Martyris ad diem 7. Januarii a Bollando relatis describitur, nempe quod ipsius Martyris Discipuli desiderabant ultimam a Magistro consequi Mysterii divini celebrationem, & cum in carcerem mensa pro sacrificio inferri non posset, & Discipulos suos solari volens, jussit suo pectori imponi signa divini sacrificii; postquam autem hæc fecisset, in Cœlum prorsus sustulit obtutum, & preces peregit consuetas. Deinde cum divina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aberant.

Hanc veritatem agnoscens Eminentissimus Bona in suo Rer. Liturg. Libro I. in fine cap. 23. sic ait: *Tanta enim erat mutuæ unionis, & societatis inter fideles religio, & zelus, ut si omnes de uno, & eodem Pane ab eodem Sacerdote consecrato, participare potuissent, id libentissime in tota Terrarum orbe fecissent, quo sic ostenderent se omnes in Christo unum esse. Ideo non solum Romanæ, sicut supra diximus, sed aliarum etiam quarumdam Ecclesiarum usus fuit, ut ab Ecclesia primaria civitatis ipsa Eucharistia ad singulas parœcias ab Episcopo mitteretur, quatenus scirent omnes, qui ab uno Episcopo regebantur, se cum illo unum Corpus efficere*. Quod totum belle, pleneque confirmat ea, quæ supra diximus, nempe Pontificem consecratas oblatas in tot partes divisisse, quot erant Presbyteri Titulares, & ad eosdem hasce particulas per Acolythos mittere consuevisse, ut iidem ex eodemmet Pane, quem ipse consecraverat, in signum mutuæ unionis, sive communionis participarent, quod signum unionis, seu communionis cum Pontifice ad Fideles Presbytero Titulari subjectos quodammodo se extendebat, videlicet sicut Presbyter Titularis ob particulam sibi a Pontifice missam cum eodemmet Pontifice communicabat, seu eidem uniebatur; ita etiam Fideles ex Pane a Presbytero consecrato participantes, ibi cum Presbytero communicabant, ipsique uniebantur, ac per consequens etiam Romano Pontifici ob vulgatam regulam, quod accessorium sequitur naturam Principalis. Quod

potest

potest etiam exemplo demonstrari, nam cum Episcopus celebrat, ac dicit: *Pax tecum* Assistenti, qui respondet, *& cum spiritu tuo*, ipse deinde assistens dat Pacem Primatibus, postea Diacono, qui eam dat Subdiacono. Mox idem assistens eamdem dat uni ex Ministris, a quo ad reliquos omnes defertur, atque ita omnes si non immediate, mediate saltem ex eadem met pace, ab Episcopo annunciata participant.

Præterea alio modo præfati Fideles Presbytero Titulari subjecti quodammodo missi a Romano Pontifice *Fermenti* participes erant. Presbyter enim postquam illud ab Acolytho acceperat, mittebat in calicem, quando pronunciabat: *Pax Domini sit semper vobiscum*. Postea secrete dicebat: *Hæc commixtio & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam, amen*. Mox sumpto Corpore Dominico, quod a Pontifice missum acceperat, antequam Sanguine confirmaretur, parum ex eodem Sanguine in calicem majorem, sive ministerialem, qui Scyphus etiam in nonnullis Ritualibus appellatur, refundebat, in quo copia erat vini non consecrati pro confirmando Populo. Quare in IV. Ordine Hittorpii dicitur, quod *Vinum etiam non consecratum, sed Sanguini Domini commixtum sanctificatur per omnem modum*. Quomodo autem intelligendus sit locus iste: *sanctificatur per omnem modum*; & quod populus per hanc commixtionem vini non consecrati cum vino consecrato confirmaretur, sequenti capite VIII. demonstrabimus. Propterea concludimus, quod cum fideles ex eodem vino gustassent, in quo positæ fuerant illæ guttæ vini consecrati cum Pontificio *Fermento* commixti, quodammodo de ipso *Fermento* participabant.

VII. Nolumus partem aliquam intentatam relinquere. Diximus enim supra singulas oblatarum partes singulis Acolythis traditas fuisse, ut eas ad singulos Titulos deferrent. Colligitur id ex supracitata Epistola Innocentii I. ubi istæ partes denominantur *Fermentum*, quod per Acolythos Presbyteris Ecclesiarum intra Civitatem constitutis mittebatur. Duplex autem hic oritur dubium, primum an olim permissum esset Acolythis Sacratissimam Eucharistiam deferre? secundum an ipsa Eucharistia in vase, aut in alia re deferretur? Primum fusius infra discutiemus. Quo vero ad secundum si legantur 1. 3., & 4. Ordo ab Hittorpio relati, dicendum est Acolythos in sacculis Eucharistiam detulisse. In primo enim sic legitur: Accedentes Subdiaconi cum Acolythis, qui sacculos portant a dextris, & a finistris; & extendentibus Acolythis brachia cum sacculis, stant a fronte, ut pareant sinus sacculorum Archidianono ad ponendas oblationes prius a dextris, deinde a sinistris. Tunc Acolythi vadunt dextra, lævaque post Episcopos circa Altare. Reliqui descendunt ad Presbyteros, ut frangant Hostias, Patena præcedit juxta sedem, deferentibus eam duobus Subdiaconibus ad Diaconos, ut frangant. *In* 3. *vero*: Accedentes Subdiaconi sequentes cum Acolythis, qui sacculos portant a dextris, & a finistris Altaris, extendentibus Acolythis brachia cum sacculis, Subdiaconi sequentes stant a fronte, ut parent sinus sacculorum Archidiacono ad ponendas oblationes, prius a dextris, deinde a sinistris. Tunc Acolythi vadunt dextra lævaque per Episcopos circa Altare, reliqui descendunt ad Presbyteros, ut confringant hostias. Patena præcedit juxta sedem deferentibus eam duobus Subdiaconibus Regionariis ad Diaconos, ut frangant. Idem legitur in quarto Ordine supra citato, & in ordine Sangallensi. Ex quibus clare deducitur Acolythos detulisse sacculos ad recipiendas oblationes consecratas, ut eædem confringerentur. Licet hæc assertio veritati consentanea sit, verisimile tamen est particulam *Fermenti* utpote parvæ molis, decentius in aliquo vase, quamvis in sacculo, ad Titulos delatam fuisse. An deinde hujusmodi vasa ex vitro, vel ex alia materia constarent, certum est ex Casalio de veter. Sacr. Christianorum Ritibus cap. II. primis Ecclesiæ seculis sacra vasa ex qualibet materia constitisse, usitatiora tamen fuisse vitrea, tamquam puriora, & nitidiora, quod etiam arguitur ex Decreto Zepherini de vasis vitreis, ubi dicitur, quod Ministri in Ecclesia portarent ante Sacerdotes Patenas vitreas: confirmatur etiam ex multis rotundorum vitrorum fragmentis, quæ fuisse vasa demonstrat Severanus Rom. subterran. lib. 4., cap. 37. & 47., & lib. 6. cap. 30., eorumque varias figuras refert, quibus addi possunt alia nonnulla, quæ habentur in Cimeliis Eminentissimorum D. D. Cardinalium Chisii, & Carpinei, quæque illinc a me transcripta in tractatu *De sacris, profanisque Calicibus*, cum per ocium licebit, juris publici faciam: sane vitreus adhuc integer, intactusque conservatur in eodem Cimelio Eminentissimi Chisii. Quod si vellimus ulterius adducere antiqua exempla pro sacris vasis vitreis, pulcherrimum est illud; quod refert D. Hieronymus in Epistola 4. ad Rusticum Monachum de Sancto Exuperio Tolosæ Episcopo, ex quo deducitur vas pro sanguine fuisse vitreum, pro corpore autem vimineum. Hieronymi verba hæc sunt: *S. Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptensis imitator esuriens pascit alios, & ore pallente jejunis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro*. Hoc allatum exemplum confirmat indiculus directus a Joanne Episcopo, vel ab Epiphanio Presbytero de Thessalonica, qui habetur in Conciliorum tomis post Epistolam 67. Hormisdæ Papæ. In hoc enim indiculo Thessalonicensium crimina narrantur, inter quæ iisdem objiciebatur, quod *tanta Sacramenta confecerant, ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente* (sicut dicebant) *persecutione, communicare non possent*. His allatis exemplis addi posse videtur aliud, quod habetur in lib. 1. cap. 7. Dialogorum B. Gregorii Papæ de Sancto Donato Episcopo, & Martyre, qui inter cætera virtutis opera, fractum Ca-

licem

ficem orando restauravit. Usus autem Calicis vitrei quibusdam in locis duravit usque ad tempora Caroli Magni, ut docet Baronius in Martyrologio ad diem 7. Augusti. Nec silentio prætereunda celebris sententia Sancti Bonifacii Episcopi, & Martyris a Valafrido Strabone de Reb. Eccl. cap. 24., ac a Rodulfo Tungrensi de Can. observantia Propositione 23. relata; cum interrogatus Bonifacius an liceret in vasis ligneis sacramenta conficere, respondet: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus*. Nec obstat hoc dictum assertioni nostræ, quod vasa essent vitrea, quoniam in gravi nascentis Ecclesiæ paupertate etiam ligneis Calicibus usos priscos Fideles, pie credendum est. At quia bibuli erant, & Sacro Sanguine imbuebantur, in vitreos a Zephirino Papa mutati fuere. Utramque sententiam de facculis, & vasis vitreis, ac vimineis ideo retulimus, ut Lector eam, quæ sibi potior visa fuerit, amplectatur.

VIII. Ea autem, quæ supra num. 8. asseruimus comprobanda: videlicet quod Presbyteri Titulares ante adventum particulæ consecratæ a Pontifice celebrare non possent, plane colligitur ex Decreto Siricii Summi Pontificis, ut habetur in ejus Vita sub his verbis: *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem Hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur* Fermentum. Hoc vero cum Latino Latinio quamplurium dubiorum materiam dederit, libet hic exponere, quæ ad ipsorum solutionem cap. 23. supra citato num. 4. & seqq. Cardinalis Bona congessit. Accipe igitur: *sic expedita videri poterat &c.*

Hujus ergo celeberrimi Cardinalis sententiæ libenter subscribo, sed quia Populus ex eademmet particula a Pontifice missa communicare non poterat, cum verisimiliter ad integrum Populum communicandum satis non esset, ideo censeo Populum ex Pane a Presbytero consecrato communicasse, qui Panis & ipse sanctificatus erat, sive ut hac voce utar, *Fermentatus*, mixtione præfatæ particulæ Panis a Romano Pontifice consecrati, & ad Titulares Presbyteros missi.

Ulterius ad hæc eadem magis confirmanda, superius jam adducta ordinis Romani loca huc referenda putamus, & primo circa Presbyteros noviter consecratos, de quibus sic: *Tollit Pontifex oblatas integras, & dat singulis novitiis Presbyteris, inde communicent usque dies octo*. Et paulo post. *Qui ibi ordinati sunt, oblationes offerant ad manus Episcopi, & ab eo consecratas accipiant*; Inferius autem de Episcopis hæc habentur: *cum autem venerit ad communicandum Dominus Pontifex, porrigit ei formatam, atque sacratam oblationem integram, suscipiensque eam Episcopus, ipse ex ea communicet super Altare. Quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum unoquoque die, usque quadraginta dies expletos*. Id ipsum quoque de Episcopo noviter consecrato traditur in quodam venerandæ antiquitatis volumine, collationes omnium Ecclesiasticorum Ordinum continente, quod asservatur in celebri Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Casanate de Literaria Republica optime meriti, ubi, & quidem in Calce auratis literis legitur LANDOLPHI SUM, scilicet, *Landolphus est Dominus meus*, quem ex variis conjecturis, quas hic referre supervacaneum, Landolphum fuisse censeo postremum Landolphi senioris Capuæ Comitis filium electum Capuanæ Ecclesiæ Episcopum circa annum Domini 81., ut ipsius voluminis character indicat, variis, curiosisque figuris interseptus; & quidem post duodecimam figuram, ubi fit mentio de consecratione manuum Presbyterorum, infrascripta leguntur: *Lectio Apost.* Deinde ℟. & Evang. *omnes enim, qui consecrantur, eodem die & offerunt, & communicant, & dantur singulis Presbyteris die eodem consecrationis singulæ oblatæ sanctificatæ ab Episcopo, ex quibus per totam sequentem hebdomadam oraria Presbyteri semper appensa in collis suis deportent, excepto si jacuerint, aut ad secessum abierint*.

Ex hucusque dictis satis aperte deduci posse existimo novos Presbyteros per hebdomadam quotidie celebrasse, & tempore communionis particulam oblatæ de manu Episcopi susceptæ, & eam, quam ipsimet consecrabant, sumpsisse: atque hoc idem de oblata missa a Pontifice per titulares Presbyteros factum, eidemque propterea *Fermenti* nomen impositum.

Cum interdum in eruditis collocutionibus habitis cum Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Angelo de Nuce sermo inciderit in hanc vocem *Fermenti*, ejusque significatione, idem Illustrissimus Præsul suam propalare sententiam non dedignatus est, quam, ne in oblivionis tenebris delitescat, hic annectere duco. Putat igitur *illi particulæ Eucharistici Panis nomen* Fermenti *inditum fortasse fuisse ad eludendum curiosas interrogationes Paganorum. Cum enim missitatio* Fermenti *frequens esset inter mulieres panificas, si Acolythus deferens Eucharistiam requisitus fuisset, quid gestaret, facile expedire se potuisset, & eludere importunam interrogationem, dicendo se portare* Fermentum, *quod creditu facile erat ob frequentem illius missitationem ultro, citroque. Ideo facile fuisset ea responsione effugere infidelium ulteriorem inquisitionem, & occultare Mysteria, ne impiorum ludibrio exponerentur. Quo ergo vulgatior erat vox* Fermenti, *eo tutius occultabat Mysterium, idcirco ab Acolytho consulto usurpabatur. Nihil igitur Arcanum in hac* Fermenti *voce quærendum. Neque dici debet, quod Fideles participabant* Fermentum *missum ab Episcopo, sed participasse dicendi sunt de Pane consecrato, qui nihil* Fermento *simile habebat, sed tantum vocabulum prudenter usurpatum in illius missitatione ad ejus occultationem Arcani Sacramenti*.

Hucusque ex Ciampino..

HONO-

IGNATIUS HYACINTHUS AMAT DE GRAVESON,

Ordinis Prædicatorum Sacræ facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus,

ITA DE AZYMI CONTROVERSIA SCRIBIT

Tom. III. Historiæ Ecclesiasticæ sec. 7., & 8. Colloquio VI. circa initium.

CUm maxima cura, & singulari pietate præparabatur Panis, qui super Mensam Domini in Sacrificio offerri debebat, isque erat integer, nitidus, super cæteros albus, & diversus a pane usitato, & communi, sicut statuitur in Concilio Toletano decimo sexto habito anno DCXCIII. Can. sexto his verbis: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotes non panes mundos, & studio præparatos super Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed de Panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum ostenditur. Unde id unanimitatis nostræ elegit conventus, ut non aliter Panis in Altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Cæterum an Panis, qui seculis septimo & octavo in Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali offerebatur in Missæ Sacrificio, esset Azymus, an Fermentatus, non convenit inter Doctores Catholicos; *Jacobus*, siquidem *Sirmondus* in singulari, quod edidit *de Azymis* opusculo, probandum suscepit, Romanam Ecclesiam, non nisi aliquandiu ab obitu *Photii* Patriarchæ Constantinopolitani Azymis Panibus in Missæ Sacrificio uti cœpisse, idque colligit ex silentio ejusdem Photii, qui cum multiplices latinorum ritus, mores, ac cæremonias maligne carperet, nullam eis propter Azyma litem moverit. At mihi multo probabilius videtur Ecclesiam Romanam ante obitum Photii, qui nono seculo Ecclesiam Græcam diro schismate a Latina divulsit, Panem Azymum in Missæ Sacrificio adhibuisse. *Alcuinus* quippe, qui octavo Ecclesiæ seculo sub Carolo Magno florebat, initio nascentis Hæresis Felicis Urgellitani, & Elipandi Toletani Antistitum, hoc est ante Synodum Francofordiensem celebratam anno DCCXCIV. scripsit Epistolam ad Lugdunenses, in quo consuetudinem improbat Hispanorum quorumdam, qui sal in Panem oblationis mittebant, *quod*, inquit, *nec universa Ecclesia observat, nec Romana custodit auctoritas*. Tum subinde pergit Alcuinus: *Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua, & vinum. Panus, qui in Corpus Domini consecratur, absque Fermento alterius infectionis debet esse mundissimus.* Ex quibus verbis perspicuum est, Panem dumtaxat Azymum, non Fermentatum, tempore Alcuini, hoc est octavo Ecclesiæ seculo ad Aram adhibitum fuisse ab Ecclesia Romana. Verum celebrem istam controversiam de materia Sacrificii Eucharistici, utrum videlicet perpetuus fuerit solius Azymi Panis in Ecclesia Latina usus, sicut contendit doctissimus *Mabillonius* in disquisitione *de Pane Eucharistico*, vel utrum solus Azymi Panis in Ecclesia Latina usus a tempore tantum Schismatis *Photii* adhiberi cœperit, ut docet *Sirmondus* in suo *de Azymis* opusculo, hanc, inquam, celebrem controversiam opportunius expendemus in colloquiis in Historiam noni Ecclesiæ seculi, quo cœpit schisma Photianum.

Idem Historia Eccl. Sec. IX. Colloquio III. circa finem.

CIrca Azymorum apud Latinos antiquitatem tres præcipue versantur Theologorum sententiæ. Prima est *Sirmondi* Societatis Jesu, qui in disquisitione de *Azymo* contendit, usum Fermentati octingentis, & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse, usum vero Azymorum medio illo intervallo, quod a schismate Photii usque ad Michaelem Cerularium effluxit, fuisse dumtaxat in ea receptum. Altera Sententia est Cardinalis *Bona* lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 23., quæ in hoc tantum discrepat ab opinione Sirmondi, quod Sirmondus per octingentorum, & amplius annorum spatium excludat in Ecclesia Romana Azymorum usum, at vero Cardinalis *Bona* usum tam Azymi, quam Fermentati promiscue, & licite per ea secula in Ecclesia Romana adhibitum esse doceat. Postrema sententia est doctissimi *Johannis Mabillonii*, qui tam in Præfatione seculi III. Benedictini, quam in Dissertatione singulari *de Pane Eucharistico Azymo, & Fermentato* probat, perpetuum fuisse in Ecclesia Latina ab Apostolorum temporibus Azymorum usum. Inter tres illos laudatos primi subsellii scriptores rem acu tetigisse videtur Cardinalis *Bona*, qui asserit Ecclesiam Romanam per octingentorum, & amplius annorum spatium Panem, sive Azymum, sive

Fermen-

Fermentatum pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis indiscriminatim adhibuisse. Suppetunt siquidem gravissima monumenta, queis evincitur, Ecclesiam Latinam per multa secula Pane tam Azymo, quam Fermentato in consecratione Eucharistiæ indifferenter usam fuisse. Azymorum apud Latinos ab ipsis Apostolorum temporibus usum probant omnia argumenta, quæ adducit Mabillonius, & præsertim testimonium Sancti *Leonis* noni Romani Pontificis, qui adversus Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum scribens asserit, a morte Christi Servatoris nostri usque ad suum Pontificatum, hoc est, per mille, ac ferme viginti annos Ecclesiam Romanam Azymos Panes in Missæ Sacrificio adhibuisse. Verum quemadmodum ex Mabillonii argumentis evincitur, antiquissimum esse in Ecclesia Romana usum consecrandi in Pane Azymo, ipsisque Apostolorum temporibus coævum, ita non minus evidentia extant argumenta, quibus probatur, Ecclesiam Romanam per aliquot secula Panem tam Fermentatum, quam Azymum in confectione Eucharistiæ adhibuisse. Id primo colligitur ex more, qui antiquitus in Ecclesia obtinebat, juxta quem Populus Christianus, sicut legitur in multis Conciliis, Panem a Sacerdote consecrandum in Sacrificio Missæ offerebat, quem deinde in sacra Communione participaret. Porro hic Panis, quem offerebat Populus, & quem Sacerdos consecrabat, alius sane non erat, quam panis communis, & usitatus, cum in primis Ecclesiæ seculis, grassante atrociter Tyrannorum persecutione, sæpe in cryptis & in carceribus, sæpe occulte, & ex occasione Sacrificium Missæ celebrari oporteret, nec Azymum ubique conficere, aut paratum Fideles, præsertim pauperes habere haud possent. Hinc Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. ait: *non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur*. Facile autem scire potuisset maritus, vel saltem aliquid suspicari, si panis, quem mulier ad sacrificium offerebat, & quem a Sacerdote consecratum domi clanculum, vel coram marito manducabat, non fuisset usitatus, sed Fermentatus. Externa enim species, quam his Panis consecratus a specie panis communis, idest Fermentati, diversam habuisset, aliquam confestim suspicionem marito ingessisset. Id etiam confirmari potest diserto testimonio Sancti Ambrosii lib. 4. *de Sacramentis* cap. 4. sic Fidelem alloquentis: *Tu forte dicis: meus Panis est usitatus? sed Panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de Pane fit caro Christi*. Panem autem Azymum nemo, quem sciam, appellavit unquam Panem *usitatum*. Ad hæc accedunt Decreta Romanorum Pontificum *Melchiadis*, *Siricii*, & *Innocentii* I., qui oblationes in Altari consecratas appellant *Fermentum*. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*. Idem de *Siricio* Papa legitur in ejus vita. *Innocentius* vero hujus nominis Primus in Epistola, quam scripsit ad Eugubinum Episcopum, vetat, ne Fermentum a se confectum, quod per titulos Urbis Romæ, idest per Parochias mitti solemne erat, extra Urbem per Parochias deferretur, *quia*, inquit, *non longe portanda sunt Sacramenta*; quibus verbis aperte innuere videtur Summus ille Pontifex *Fermentum* istud fuisse sacrosanctam Eucharistiam, non vero *Eulogias* simplices, ut visum est Baronio: Eulogias siquidem longe deferri nihil omnino prohibebat. Præter quam quod hæc *consecrationis* vox, quam usurpant Summi Pontifices *Melchiades*, & *Siricius*, cum loquuntur de hoc *Fermento*, quod per Ecclesias mittebatur, non obscure insinuat, hoc *Fermentum* non fuisse *Eulogias*, quæ ut constat apud omnes, in Altari non consecrabantur, sed solum precibus benedicebantur, & in Symbolum Catholicæ in fide, & in charitate communionis Fidelibus distribuebantur, & ad absentes, juxta priscum Ecclesiæ usum, deferebantur. His itaque momentis patet, Ecclesiam Romanam per aliquot secula Panem tam Azymum, quam Fermentatum in consecratione Eucharistiæ promiscue adhibuisse, ac subinde mirum non esse, quod Photius Patriarcha Constantinopolitanus, dum perstrinxit Latinorum Ritus, nullam eis litem de Azymis moverit, cum Ecclesia Romana tempore Photii consuetudinem adhuc retineret conficiendi Eucharistiam tam in Pane Azymo, quam in Fermentato. At in undecimo Ecclesiæ seculo *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus controversiam contra Latinos *de Azymis* excitavit, & propter eorum usum Latinam Ecclesiam proscidit, quia Ecclesia Latina illo temporis intervallo, quod Photium inter, & Cerularium intercessit, non permisit amplius promiscuum usum conficiendi Eucharistiam in Pane, seu Azymo, seu Fermentato, sed sanxit, ut deinceps in solo Pane Azymo Latini Eucharistiam consecrarent. Hic tamen obiter velim observes, quod licet Ecclesia Romana permittat etiam num Græcis Catholicis usum consecrandi Eucharistiam in Pane Fermentato, usus tamen Ecclesiæ Romanæ in Azymo consecrantis longe Scripturæ sacræ convenientior est; quippe qui defenditur exemplo Christi Domini, quem in Azymo pridie quam pateretur sacrosanctam Eucharistiam instituisse, ex sacris Evangelistis *Matthæo*, *Luca*, & *Marco*, omnique argumentorum genere demonstravi speciali Disertatione in Tractatu, quem edidi *de Misteriis, & annis Christi*, quam si tibi per otium liceat, lectitare poteris.

HONORATUS TOURNELY

Sacræ facultatis Parisiensis Doctor Socius Sorbonicus, & emeritus Professor &c.

PRÆLECT. THEOLOG. DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Quæst. IV. Articulo V.

De antiquitate usus Panis Azymi apud Latinos, & Fermentati apud Græcos.

VARIÆ OPINIONES.

I. SAnctus Thomas in 4. Sentent. distinr. 11. q. 2. quæstiuncula 3. Alexander Alensis parte 4. de Sacramento Eucharistiæ q. 10. membro 4. art. 1., & alii veteres Scholastici, existimarunr utramque Ecclesiam Græcam, & Latinam, Azymo Pane usam fuisse usque ad exortam Ebionitarum Hæresim, qui cum legem simul & Evangelium observandam esse contenderent, Panes Azymos idcirco in conficiendis mysteriis usurpabanr. Occasione igitur hujus Hæreseos existimant citati Scholastici, in odium illius, ac detestationem, rejectis Azymis, Panem Fermentatum utramque Ecclesiam adhibuisse; post extinctam vero illam Hæresim Latinam Ecclesiam ad priorem' Azymorum usum rediisse, Græcam vero usum Fermenti retinuisse.

II. Azymorum originem quidam recentioris ævi Historici referunr ad Alexandrum I. S. Pontificem, qui obiit anno 130. Ita Martinus Polonus: ad annum Christi 132. Platina in vita Alexandri, & Barlaamus Calaber ex Monaco Basiliano Episcopus Hieracensis, in prima ad Græcos Epistola pro unione.

III. Nichetes Archiepiscopus Nicomediæ in Dial. 3. quem cum Anselmo Havelbergensi Episcopo habuit, & extat Tom. 13. Spicilegii pag. 233. docuit Fermentum in Ecclesia Latina a Melchiade, & Siricio RR. Pontificibus institutum fuisse; quo deleto, Azymorum usus ab aliis viris Apostolicis introductus fuit.

IV. Nonnulli Græci schismatici Azymorum originem revocanr ad Leucium, seu Felicem nescio quem Apollinaris discipulum, quem ajunt Romam venisse, & ad Summum Pontificatum assumtum, qui ut probaret Christum non habere animam, & mentem humanam, utebatur exemplo Panis Azymi, qui Fermenti expers, quasi sua anima carere censetur. Ita Simon quidam Jerosolymitanus apud Allatium exercitatione 28. in Historiam Concilii Florentini.

V. Sunt inter Græcos, qui existimant ab Apostolis, Petro, & Paulo universæ Ecclesiæ tradita esse Azyma, & modico tempore permissa propter ingentem Judeorum multitudinem, qui Apostolorum prædicatione ad Fidem conversi sunt: postea confirmata, & roborata Christiana Religione, abolita fuisse, sicut & alios Ritus Judaicos. Ita Petrus Patriarcha Antiochenus, Tractatu de Azymo, apud Allatium locn citato, exercitatione 24. Econtra Georgius Corcyrensis Metropolita, de quo idem auctor in Diatriba de Georgiis edita cum Historia Georgii Acropolytæ, scripsit Commentarium de Sancta Communione, quo probare intendit Panem Fermentatum traditum Ecclesiæ ab Apostolis, & diu in Ecclesia Romana usurpatum fuisse.

VI. Alii finxerunt sextæ Synodi Canone prohibitum, & damnatum usum Azymorum, sicut observat Hilarion Monachus Græcus L. de Pane Græcorum mysticn, & de Azymo Latinorum. Sed fabulam esse manifeste colligitur: confundit enim ille Synodum sextam cum Trullana, quæ revera Can. 11. damnat Azymos Panes non quidem simpliciter, & absolute, sed ritu, & animo Judaico oblatos. Verum his omissis opinionibus, quæ nullos fere jam habent in schola patronos, tres aliæ supersunt, in quas tota dividitur peritorum natio.

Prima est Jacobi Sirmondi Societatis Jesu, viri eruditissimi, in Disquisitione brevi, sed nervosa de Azymo, inserta Tom. 4. ejus operum postremæ editionis Regiæ. Ibi contendit usum Fermentati octingentis, & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse: recepta vero Azyma medio illo intervallo, quod a schismate Photii usque ad turbas Michaelis Cerularii effluxit, idest ab anno circiter 886. ad annum 1053.

Secunda est Patris Mabillonii Benedictini, viri toti orbi ob singularem eruditionem notissimi, tum in præfatione seculi tertii Benedictini, tum in dissertatione singulari de Pane Eucharistico Azymo, & Fermentato; & Christiani Lupi Ordinis S. Augustini, ac Doctoris Lovaniensis Tom. 3. Scholiorum in Decreta, & Canones Conciliorum, dissertatione de Actis S. Leonis IX. c. 7., & sequentibus. Contendunt illi ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina perpetuum, ac constantem fuisse Azymorum usum, nunquam receptum Fermentatum. Eamdem opinionem seculo undecimo propugnaverat Leo IX. & Cardinalis Humbertus; duodecimo, Rupertus; decimo tertio, Jacobus de Vitriaco Innocentius III. & alii.

Tertia denique opinio inter utramque velnti media est Cardinalis Bona, dignitate non minus, quam pietate & eruditione Emi-

nentissimi L. I. Rerum Liturgicarum cap. 23. postremæ editionis, ubi docet I. apud Græcos usum Fermenti semper constantem, & perpetuum fuisse 2. apud Latinos primis Ecclesiæ seculis promiscuum fuisse Azymi, & Fermentati usum, pro ut temporis, & locorum opportunitas postulabat; nec ante seculi decimi initium Azymum lege communi, ac generali ubique receptum. A Sirmondo in hoc discrepat, quod ille Azymum admittat, quem Sirmondus excludit.

Ex ista vero summorum virorum sententiarum varietate judicare quisque facile potest, quam anceps, dubia, & obscura sit præsens quæstio, quæ cum sit mera facti quæstio, sola veterum auctoritate, ac testimoniis dirimi potest, quæ si clara fuerint, & certa, certo, & evidenter; si vero obscura, & incerta, probabiliter tantum atque ex conjecturis solvetur; quod ut fiat, fit.

PRIMA CONCLUSIO.

Græcos Azymo pane in consecranda Eucharistia primis temporibus usos interdum fuisse, probabiliter conjici, demonstrari certo non potest.

Probatur, quia probabilia tantum, non vero certa, & invicta nobis suppetunt ex veteribus monumentis argumenta; hæc autem sunt.

I. Quia veteres Græci Origenes Tract. 35. in Matth. S. Chrysostomus Hom. 81. 82., & 83. in Matth. S. Cyrillus Alexandrinus, & alii inferius referendi, censent Christum Pascha celebrasse tempore, & ritu per Legem præscripto; adeoque Azymis panibus, pro ut Lex mandabat, usum fuisse. Igitur non improbabile videtur veteres Græcos propter exemplum Christi panem Azymum interdum usurpasse.

II. Verisimile videtur veteres illos Asiaticos, qui tam religiose Pascha celebrandum contendebant Luna decimaquarta, in quemcumque incidisset diem, propter Legis mandatum, Azymos quoque panes, quos Lex eadem præscribit, adhibuisse.

III. S. Justinus Dialogo cum Triphone pag. 159. ait: *Oblationem similæ pro iis, qui a lepra purgabantur, fuisse figuram Panis Eucharistici*: illa autem oblatio erat absque Fermento, Levitici 7. v. 12.

IV. Armeni, & Maronitæ in Azymis consecrant. De Armenis testis est Demetrius Cyzicenus in Tractatu de Jacobitarum hæresi, quem Pater Combefisius ex Dominicanorum Ordine juris publici fecit. Unde quando ad fidem Catholicam, & ad concordiam cum Ecclesia Græca redeunt, tenentur Anathema dicere iis, qui in panem oblationis non immittunt fermentum, & sal. Ita refert doctissimus Cotelerius in notis ad lib. 5. Constitutionum Apostolicarum. Non satis certa est origo hujus immutationis apud Armenos. Clemens Galenus lib. 1. cap. 17. refert circa tempora sextæ Synodi, postquam illi ad Eutichianam hæresim defecissent, ex Decreto conciliabuli cujusdam a Joanne Ozniensi Patriarcha coacti, statutum esse, ut Fermentum a Sacrificio excluderetur. De Maronitis constat tum ex Morino, præfatione in ordinationes Maronitarum, tum ex Guillelmo Tyri Archiepiscopo lib. 22. cap. 8. Historiæ, quam conscripsit. Porro consuetudo hæc, quam Maronitæ testantur in suis Ecclesiis esse antiquissimam, innuere videtur, saltem ut divi, probabiliter, olim apud Orientales frequentatum fuisse panem Azymum.

V. Hinc conjici potest, quare Photius, qui nono seculo tam multa, aut falsa, aut levissimi momenti Latinis objecit, de Azymorum usu siluerit: quia forsan noverat etiam a suis usurpatum.

VI. Cardinalis Humbertus in sua Dissertatione de Azymo apud Baronium Tom. II. Annalium pag. 691. asserit, Ecclesiam Jerosolymitanam in Azymis offerre Sacrificium; & Michael Cerularius in litteris ad Petrum Antiochenum Patriarcham, apud Baronium eod. Tom. ad an. Christi 1054. n. 31. *ad aures suas pervenisse Patriarchas Alexandrinum, & Jerosolymitanum non solum recipere in Azymis tescentes, sed etiam aliquando in Azymis ros sacrum conficere Sacrificium*. Si autem undecimo seculo, quo adeo confirmatus erat apud Græcos fermenti usus, nonnullæ tamen Ecclesiæ aliquando in Azymo consecrarunt, qui non possumus de primis seculis suspicari?

VII. Probari verisimiliter potest ex prisca consuetudine, quæ viguit olim in Ecclesia, ut Episcopo vel Presbytero solemniter celebranti, omnes qui adessent Episcopi, vel Presbyteri simul celebrarent, & ejusdem sacrificii participes fierent, sicut nunc fit, quum novi Sacerdotes inaugurantur; idemque honoris gratia, ac in signum Catholicæ communionis servari solebat, cum Græci apud Latinos, & Latini apud Græcos hospites, & advenæ diversabantur: cujus rei multa exempla suppeditat Christianus Lupus in Dissertatione de Actis Leonis IX. cap. 14., quo posito conjicere non immerito possumus, aut nullum olim fuisse panis discrimen in Ecclesia, aut Græcos apud Latinos in Azymis, & Latinos apud Græcos in Fermentato indifferenter communicasse, ut ibidem observat Lupus.

VIII. Denique S. Thomas, aliique antecitati veteres Scholastici auctoritate sua saltem probabilem reddunt conclusionem nostram: etsi enim falsum sit fundamentum, quo illi nituntur, sequitur saltem illos in ea fuisse mente, quod veteres Græci panibus Azymis usi sint usque ad exortam Ebionitarum hæresim: falsum autem esse fundamentum illud, constabit ex mox dicendis conclusione sequenti; & reipsa nullus veterum testis afferri potest hujusce opinionis.

Momenta autem mox adducta plane certa, & invicta non sunt: neque etiam nos hanc ipsis

vim

vim adscribimus, novimus enim quid responderi possit; sed probabiliter saltem, atque ex verisimilibus conjecturis conclusionem nostram firmare nobis videntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Antiquum esse, & a primis temporibus usum Fermentati panis apud Græcos, probabile est: nullum tamen extat ante finem sexti seculi invictum, & evidens ea de re testimonium.

PRima pars probatur. Quia momenta, quæ vel a Mabillonio, vel a Cardinali Bona proferuntur, invicta, & decretoria non videntur, nec probabilitatis metas excedere.

Probat Mabillonius cap. 3. suæ Dissertationis 1. ex indole Græcorum, qui majorum suorum ritibus tenacius semper adhæserunt. Verum Græcos lenitate animi cæteras nationes superare notum est, eosque in pluribus a majorum suorum placitis ac moribus recessisse, ostendit Leo Allatius lib. 3. cap. 13. de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis. 2. Probat ex Historia Ecclesiastica, in qua refertur nonnullas rituum varietates inter utramque Ecclesiam fuisse, salva pace, & charitate, ut scribit Eusebius lib. 5. Hist. cap. 24. inter quas varietates existimat Auctor citatus, numerari posse Panis Eucharistici discrimen. Verum conjectura mera est, nullo firmo nixa fundamento, de qua ne verbum quidem apud Eusebium. Probat 3. auctoritate Origenis in caput 16. S. Matth. Tomo 12. editionis Huetianæ pag. 271. ubi agens de Fermento Pharisæorum, ait, *ita etiam Fermentum super Altare non offertur*: verum ex lectione contextus incertum plane est, an de veteri, vel novo Testamento loquatur Origenes. Probat 4. ex Chronico Dacii Mediolanensis Episcopi, in quo legimus Sanctum Ambrosium in suis Officiis Ecclesiam Græcam imitatum fuisse, & in præcipuis festivitatibus Græcorum Fermentatum cum Azymo nostro consecrasse. Verum, inquit Cardinalis Bona, jam pridem viri eruditi observarunt suppositititium esse illud Chronicon, ex quo colligeretur S. Ambrosium simul & Fermentatum, & Azymum panem consecrasse, quod verisimile non videtur. Probat 5. ex Photio, qui Epistola 64. agnoscit discrimen esse per varias Ecclesias in mysticis sacrificiis. Verum quodnam sit discrimen illud, non exponit Photius: neque de Fermentato, vel Azymo pane vel minimum loquitur. Accedit denique auctoritas Humberti Cardinalis in Dissertatione de Azymo apud Baronium T. II., ubi pag. 712. & 713. narrat tempore sextæ Synodi Latinos suo ritu sacrum celebrasse, unde Imperator occasionem sumpsit percunctandi, quo pane uterentur Latini in Sacrificio Missæ, illos vero respondisse, pane absque Fermento; ex quo non obscure colligere est, Græcos non Azymum, sed Fermentatum panem tunc usurpasse. Verum Humberti viri undecimi seculi testimonium infirmum videtur ad probandum usum priorum temporum, & quod ex sexta Synodo narrat, ex Archiviis quidem, ut creditur, Romanis eduxit, sed cum non extet in actis hujus Synodi typis excussis, fidem apud nos vix habere potest: quamquam & supposita veritate narrationis nihil adversus conclusionem nostram inferri posset; ad summum enim testimonium foret pro septimo Ecclesiæ seculo, quo celebrata est sexta Synodus: conclusio autem nostra de primis agit Ecclesiæ temporibus.

His igitur momentis rejectis, Cardinalis Bona ad alia se convertit, ut rem eamdem conficiat. 1. Laudat auctoritatem veterum Sanctorum Patrum, Justini, Irenei, Gregorii Nysseni, Cyrilli Jerosolymitani, qui ajunt panem consecrandum esse panem communem, vulgarem, & usitatum: talis autem est solus Fermentatus. Verum ipsemet Cardinalis observat, utrumque panem, tum Azymum, tum Fermentatum, in usu fuisse apud Romanos, aliosque Populos. Deinde citati Patres panem consecrandum communem appellant, prout opponitur sacro, & divino; non prout solet communi & ordinario hominum usui inservire: sicut eumdem panem facta consecratione ajunt non esse communem; idest non esse profanum & naturalem, sed divinum, sacrum, supernaturalem, uno verbo, Corpus Christi. Ita colligere est ex testimoniis, quæ antea laudavimus in primo argumento ex Traditione pro fide realis præsentiæ. Probat 2. ex S. Epiphanio hæresi 30. num. 16. ubi agens de hæresi Ebionitarum, tamquam rem speciali nota dignam refert, quod mysteria in Azymis celebrarent. *Ex Christianorum*, inquit, *& Ecclesiæ imitatione mysteria quædam quotannis celebrant*, in quibus Azymos panes, & ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent. Verum ex illo testimonio oppositum plane collegit S. Thomas, nempe Ecclesiam Azymis panibus usam fuisse tempore, quo exorta fuit hæresis Ebionitarum. At nostro quidem judicio, neque Azymi usus, neque Fermentati ex illo testimonio certo, & efficaciter erui potest: Azymi, quia cum ait S. Epiphanius, Ebioneos ex imitatione Ecclesiæ mysteria celebrare, in quibus panes Azymos offerunt, mens ejus non est, Ecclesiam tunc Azymos panes usurpasse, alias & dici posset Ecclesiam quoque tunc temporis solam aquam in sacrificio adhibuisse; utrumque enim ex imitatione Ecclesiæ usurpasse illos Hæreticos, scribit S. Doctor: vult igitur tantum Ebioneos in offerendo sacrificio imitatos esse Ecclesiam, hoc est, eos suum quoque habuisse sacrificium ad imitationem Ecclesiæ; imitatio ergo illa substantiam, ut ita dicam, sacrificii spectabat, non modum in, quo profecto multum distabat praxis Ecclesiæ a praxi Ebio- Tom. 1. p. 39. D.

Ebioneorum. Neque etiam emi potest ex citato testimonio usus Fermentati: namque Sanctus Epiphanius non reprehendit Ebioneos ea præcise de causa, quod Azymos panes usurparent, sed quod animo, & ritu Judaico eos usurparent, contendendo necesse esse legem cum Evangelio conjungi, & observari. Quod vero ex Theodoro Arbucara Cariæ Episcopo opusculo 22. profertur, conclusionem nostram non attingit: est quippe testimonium noni seculi, non priorum seculorum, de quibus nostra intelligenda est conclusio. Ex probabilibus igitur dumtaxat indiciis, atque conjecturis colligere possumus Fermentati panis usum sex prioribus seculis apud Græcos fuisse receptum, non ex certis, & invictis argumentis, quæ tantum sexto labente seculo primum deprehenduntur: unde.

Secunda conclusionis pars probatur; quia Joannes Philoponus, qui scribebat sexto labente seculo, in disputatione de Paschate edita, cum ejus Tractatu de operibus sex dierum, ideo probare nititur Christum ultimam cœnam ante dies Azymorum peregisse, quia si in Azymis Eucharistiam instituisset, *hoc etiam*, inquit, *nunc fieret*: ab hoc autem tempore videmus semper constantem apud Græcos Fermenti usum, ut colligimus ex omnibus Liturgiis ante Schisma scriptis, in quibus legere est panem integrum, & turgidum, justæque magnitudinis. Hinc coacti sunt septimo seculo Armeni anathema dicere iis, qui in panem oblationis Fermentum non immitunt, ut ex dictis antea constat.

Dices: neque Joannes Philoponus, neque alii subsequentes Græci de Fermentato pane loquuti sunt, tamquam de re nova, & recenti, immo tamquam de usu antiquo, & apud se constanti, ac perpetuo; ergo ante sextum seculum certum est viguisse illum usum.

Resp. reipsa Joannem Philoponum de tali usu tamquam novo, ac recenti loquutum non fuisse, sed quid inde? Hoc unum, quod nostra fert conclusio, scilicet probabile esse usum hunc perantiquum esse apud Græcos; sed quum ante illum Joannem Philoponum nullum certum, evidens, ac invictum extet ea de re testimonium, hinc diximus, rem certo, ac demonstrative definiri non posse.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabile est Latinam Ecclesiam primis seculis Azymo, & Fermentato pane promiscue, & indiscriminatim usam fuisse: neque certo potest demonstrari, in ea, excluso Fermento, Azymum ante nonum seculum ubique, & communi Lege receptum fuisse.

PRima pars conclusionis probatur: quia suppetunt nobis probabilia tum pro Azymo, tum pro Fermentato argumenta. Dico probabilia, non certa, & invicta, ut ex eorum attenta consideratione, ac scriptorum de illis ad contrarium probandum judicio intelligi facile potest: multa enim pro Fermentato adhibet Sirmondus, quæ alii ad Azymum inflectunt; & vicissim.

Itaque Latinos primis seculis Fermentato pane nonnumquam usos esse, probabiliter conjicimus.

I. Ex primis fidelibus, qui Act. 2. v. 42. perseverantes erant *in doctrina Apostolorum, fractione panis, & orationibus*. Quo loco per fractionem panis Eucharistiam intelligi, communis est Sanctorum Patrum, & interpretum sententia: at probabile est, panem illum Fermentatum fuisse, qualem scilicet Apostoli obvium habebant in domibus Hæbreorum.

II. Cum ferverent adversus primos Christianos persecutiones, ac in carceribus inclusi, vel in privatis domibus, in cryptis, aut in speluncis latere cogerentur, probabile est eos ad sacra facienda eum adhibuisse panem, quem fors, & necessitas eis offerebat: adeoque communem & usualem: præsertim cum maxime solliciti forent, ne in Paganorum notitiam venirent sacræ mensæ mysteria. Hoc innuit Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 5. *non sciet*, inquit, *maritus* (infidelis) *quid*
P. 169 B. *secreto ante omnem cibum gustes; & si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*, scire autem illud potuisset, si panis ille non fuisset communis, & usualis, sed ab eo diversus.

III. Probabiliter conjicimus ex veteri, ac receptissima consuetudine, quæ vigebat apud Christianos, deferendi ad Altare panem, & vinum, ex quibus consecrabatur Eucharistia. Panem autem, & vinum usuale fuisse, quale communibus usibus inservire solebat, verisimile prorsus est: in omnibus enim veteribus monumentis, quæ hujusce oblationis a fidelibus factæ mentionem faciunt, nihil est unde concludi possit panes illos Azymos fuisse potius quam Fermentatos; immo Fermentatos fuisse probabiliter conjicitur ex testimo- pag. 218.
niis Sancti Cypriani l. de opere, & eleemosynis, ubi reprehendit divitem matronam, quod nihil illa offerret, sed alienæ oblationis fieret particeps. S. Ambrosii, qui l. 4. de Sacramentis cap. 4. occupans objectionem quamdam contra veritatem Eucharistiæ, ait: *Tu forte dicis, meus panis est usitatus*, at Tom. 2. p. 368.
respondet S. Doctor: *Panis iste est quidem panis ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit Corpus Christi*. Audis objicientem, *panis meus*, idest, quem obtuli, *est usitatus*, talis autem est Fermentatus. Hinc referente Joanne Diacono in vita S. Gregorii Magni l. 2. c. 41. mulier quædam interrogata cur risisset, quando communionem accipiens audivit Ministrum dicentem, Corpus Domini nostri conservet animam tuam: respondit; *Quia panem, quem propriis* Tom. 4.
manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus Do- p. 58. D.
minicum perhibebas. Panis autem, quem illa

ignara

ignara mulier confecerat propriis manibus, haud dubie Fermentatus erat, seu communis, & usualis.

Hinc denique quotquot Concilia prohibent aliud ad consecrandam Eucharistiam offerri, quam panem, & vinum, ut Carthaginense III. Trullanum, Bracarense IV., quæ supra articulo IV. conclusione I. ubi de materia Eucharistiæ, citavimus, nullam singularem in pane, & vino conditionem requirunt, sed simpliciter panem, & vinum determinant; idest qualia solent ordinario hominum usui inservire. Non est quod plura alia ejusdem veteris consuetudinis, quæ certa est, exempla proferam, ut Libri Sacramentorum S. Gregorii, Ordinis Romani, Canonis Missæ, Concilii Matisconensis II. an. 585. Can. 4. ubi jam inclinari incipientem Fidelium pietatem in oblationibus ad Altare deferendis, excitat de novo; & Concilii Nannetensis II. Can. 9. quo Presbytero mandat, *ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase nitido*, quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Hinc subscribere non possumus Doctissimo, & Illustrissimo Albaspineo lib. I. observationum c. 5. & sequentibus, ubi contendit ex illis fidelium oblationibus nullam fuisse partem sepositam pro conficienda Eucharistia; sed illas in duas partes divisas esse, quarum una fidelibus præsentibus, & aliquando absentibus sub Eulogiarum nomine in signum communionis mutuæ; altera in Sacerdotum, Clericorum, & pauperum alimentum distribuebatur. Verum licet hunc illarum oblationum usum fateamur, negari tamen non potest, ut ex adductis testimoniis perspicuum est, quin pars aliqua illarum oblationum prius seponeretur ad conficiendam Eucharistiam. Expresse id testantur Concilium Carthaginense III. Ordo Romanus, & alii IV. Denique probabiliter usum fermentati apud Latinos colligimus ex SS. Pontificibus Melchiade, Siricio, & Innocentio I. qui Eucharistiam appellant Fermentum.

Tom. 9. Concil. p. 470. C.

De Melchiade hæc in ejus vita leguntur: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.*

Tom. 1. Concil. p. 1304. A.

De Siricio hæc scripta sunt. *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum.*

Tom. 2. Concil. p. 1016. A.

Innocentius vero I. Epistola ad Decentium Eugubinum in Umbria Episcopum capite 5. consultus an exemplo Romani Pontificis fermentatum ad absentes mittentis, liceret quoque Episcopo ad rurales Ecclesias idem Fermentum mittere, sic respondet: *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta.*

Ibid p. 1247. B.

Quæstio quidem est inter eruditos, an per Fermentum debeat Eucharistiæ Sacramentum intelligi; negat Baronius ad annum Christi 313., contenditque simplices intelligi debere Eulogias, quæ in signum mutuæ communionis, & charitatis, ad absentes mittebantur. Verum opposita sententia probabilior nobis videtur. 1. Quia vox ipsa *consecrationis*, qua utuntur laudati Sancti Pontifices, verisimiliter Eucharistiam designat 2. Id quoque innuere videtur ratio, quam subjicit Innocentius I. *Quia*, inquit, *Sacramenta non sunt longius portanda*. Verisimile autem est ibi Sacramenti nomen in propria, & stricta significatione usurpari, quo sensu cap. 8. ejusdem Epistolæ appellat unctionem extremam, *Sacramentum*. 3. Quia etiam ante Innocentium primum obtinuisse consuetudinem mittendi ad absentes, & exteros Eucharistiam, antea probavimus, ubi de asservatione Eucharistiæ, ex Litteris Sancti Irenei ad Victorem Romanum, apud Eusebium lib. 5. c. 24.

Ibid p. 248. B.

Si vero quæras, an Presbyteri, ad quos die Dominica mittebatur Eucharistia, ex illa Missam celebraverint; an vero ipsi propriam consecraverint. Respondeo rem esse valde obscuram & intricatam. Innocentius citatus immediate post verba adducta videtur significare, idcirco Missam fuisse Dominica die Eucharistiam ad illos Presbyteros, ut ex illa ipsi participarent, aliisque dividerent fidelibus, quia licentiam non habebant sacramentorum conficiendorum. Sic enim pergit: *nec nos per Cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus* (nempe Sacramenta) *& Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam*. Ergo alii, quibus destinabatur ea die Eucharistia, jus non habebant, atque licentiam Missam celebrandi, & Sacramenta conficiendi. Nihilominus Cardinalis Bona Lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. num. 17. probabile putat illos Presbyteros simul cum Eucharistia, quam inter Missarum solemnia consecrabant, eam quoque sumpsisse, quam Pontifex in signum pacis, & communionis ad eos direxerat. Sed quidquid sit, adhuc superest difficultas, quare Eucharistia dicatur *Fermentum*: an proprie, quia revera panis, ex quo conficiebatur, erat Fermentatus; an improprie, & symbolice tantum, quia Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem præstabat, ejusque unionis inter se vinculum erat, sicut Fermentum Massæ, cui commiscetur. Hunc postremum sensum defendit Mabillonius; & quia invicte, ac certo demonstrare non possumus, non esse verum illum sensum, idcirco sensum utrumque adoptamus, & dicimus probabile videri Eucharistiam, tum proprie, tum symbolice dictam fuisse *Fermentum*: hincque inferes, quatuor momenta pro usu fermenti apud Latinos a nobis adducta, non esse certa, & demonstrativa, sed probabilia dumtaxat ex indiciis quibusdam, ac conjecturis.

Ibid. p. 1247. C.

Dices; hæc nostra conclusio plus æquo Græcis favere, atque sententiæ catholicæ, cui semper fuit persuasum Christum in Azymis consecrasse, nocere videtur.

Resp.

Resp. nego ant. vera enim est Ecclesiæ Latinæ doctrina, qua putat Christum ritu a Lege præscripto cœnam legalem celebrasse; atque adeo Azymo pane usum fuisse in consecranda Eucharistia; sed cum eadem Ecclesia semper quoque persuasum habuerit, exemplum Christi ea in re Legis necessitatem non imposuisse, ac liberum esse, & indifferentem sive fermentati, sive azymi usum (unde nunquam Græcorum morem hac in parte reprehendit) hinc conclusio nostra non favet opinioni Græcorum recentiorum, qui existimant, aut Christum, quo anno mortuus est, non celebrasse Pascha legale, aut saltem antevertisse tempus a Lege præscriptum, de qua controversia dicemus postea. Altera pars conclusionis, nempe Latinos a primis temporibus in Azymo consecrasse, probabilibus quidem conjecturis ostendi potest, sed non certis demonstrari argumentis: magna enim, fatendum est, veterum testimoniorum penuria hic laboramus. Neque enim aut Alexandri I. in Decreto suo, aut Sancti Epiphanii in hæresi Ebioncorum, aut S. Cypriani Epistola 63. aut Dacii in Chronico, aut Missæ Ambrosianæ, aut Leonis IX., & Cardinalis Humberti in suis adversus Græcos disputationibus testimonia, invicte demonstrant usum Azymi apud Latinos. De Epiphanio; & Dacio constat ex dictis conclusione secunda. De Alexandro I. constat inter eruditos, supposititium esse illud decretum, cujus toto seculi undecimi intervallo nullus profertur testis. S. Cyprianus nihil aliud dicit,
P. 103. nisi *Corpus Domini non esse farinam solam, & aquam solam, sed utrumque simul adunatum, copulatum, & panis unius compage solidatum*; sed fermentum non excludit, immo his postremis verbis innuere potius videtur; quod enim *copulat, adunat, & solidat panem*, est Fermentum. Missam vero Ambrosianam suspectæ admodum esse fidei, sicut & Chronicon Dacii, fatentur Crytices periti. Leo vero IX., & Humbertus floruere XI. Ecclesiæ seculo, atque eorum auctoritas pro veteri usu demonstrando tantum valet, quantum momenta, quibus illi innituntur: ea porro valde infirma sunt. Quin quod ait Leo IX. per mille; & viginti annos a passione Salvatoris Azyma invaluisse, defendi potest, modo non excludatur Fermentum: utrumque enim promiscue usurpatum probabiliter conjicimus.

Igitur usum hunc Azymorum probabiliter conjicimus ex Concilio XVI. Toletano anno 693. capitulo 6., ubi perstringens nonnullorum in Hispania Presbyterorum morem, qui ad consecrandam Eucharistiam ex quolibet pane sibi obvio crustulam in rotunditatem præcisam offerebant, sic decernit: *Te-*
Tom. 6. Concil. p. 1341. C. D. *meritatis ejus atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*. Dixi, probabiliter ex illo Canone Azymi usum inferri, non certo, & invicte: siquidem Syrmondus in sua Dissertatione, Cardinalis Bona, cap. 23. lib. 1. Rerum Liturgicarum, ipse etiam Christianus Lupus cap. 8. suæ Dissertationis de Actis Leonis IX. inferunt ex eodem Canone, panem Fermentatum ea ætate receptum fuisse. In hoc uno discrepant, quod Syrmondus ubique illum invaluisse existimet, exclusoAzymo; Lupus vero contendat abusum tantum fuisse in aliquibus Hispaniæ partibus introductum, quo ceteræ immunes fuere Ecclesiæ, & quem Concilium laudatum tollit; Cardinalis vero Bona citato in Canone Fermentum describi existimat, etsi panem Azymum nolit exclusum, sed utrumque indifferenter tunc usurpatum. *Si enim*, inquit, *de-* P. 208.
buissent illi Sacerdotes Azymum panem consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent, quod non Azymum, pro ut mos ferebat, sed panem usualem, & communem, & consequenter Fermentatum panem consecrarent: at qui de hoc plane tacuit Synodus, atque negligentiam tantum carpit eorum Sacerdotum, qui sine ullo delectu, *quomodo unumquemque*, inquit, *aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem offerunt, & consecrant*.

Propter hanc gravissimorum Auctorum in exponendo citato Canone discordiam, diximus Azymi usum ex illo certe, & evidenter non posse colligi, sed probabiliter tantum, his de causis. 1. Quia juxta statutum Concilii Panis Eucharisticus debet esse alius ab eo, qui usibus mensæ communis inservit; sed iste fermentatus est. 2. Debet esse panis mundus, & nitidus, studio præparatus; sed ista melius Azymum, quam Fermentatum describunt. 3. Centum annis post istud Concilium, omnes Hispani cum aliis Latinis in Azymo consentiebant, ut docet Alcuinus: & anno 1050. Concilium Coyacense in Diœcesi Ovetensi, cap. 3. panem Azymum tunc apud Latinos ubique absque dubio receptum, non aliter fere describit, quam Synodus Toletana citata, his scilicet verbis, *Hostia sit ex* Tom. 9 Concil. p. 1064. C.
Fermento sana, & integra. Hinc facile est respondere ad ratiocinium Eminentissimi Bona, reipsa Toletanam Synodum dictos Sacerdotes redarguisse, quod Azymos panes non consecrarent, non quidem clare, ac distincte sub appellatione Azymi, sed panis puri, mundi, seu nitidi, ut ait Synodus, & integri, ac studio præparati, quod in idem revera recidit.

Probari 2. potest ex Joanne Marone apud Faustum Naironum, qui ante sextam Synodum scribens adversus Melchitas, eorum contra Maronitas sententiam profert his verbis. *Et qui in Fermento offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus, & Armenis dicentes, Azymum non esse panem*. Ex quibus inferre possumus ante VI. Synodum Maronitas, & Armenos, & Occidentales Azymo fuisse usos. An vero de aliquibus, aut de omnibus Occidentalibus loquatur Auctor, non satis liquido constat: ut probabile igitur haberi tantum debet istud testimonium.

Probamus 3. eumdem Azymi usum testimonio Egberti Eboracensis Episcopi, qui suarum

rum

rum exceptionum c. 98. hunc Canonem lau- Tom. 6. Concil. p. 1594. D. dat , & probat : *Sacerdotes Dei diligenter semper procurent , ut panis , & vinum , & aqua , sine quibus nequaquam Missæ celebrantur , pura , & munda fiant .* Florebat ille Egbertus seculo octavo : probabiliter autem conjicimus panem illum purum , esse Azymum .

Confirmatur ex Canonibus , qui sub Eadgaro Rege in Anglia collecti sunt an. 967. vigente Azymorum usu , quos inter trigesi- Tom. 9. Concil p. 585. B. mus nonus statuit , *ne quis unquam Sacerdos adeo temerarius sit , at Missam celebret , nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia ; scilicet oblationem puram , vinum purum , & aquam puram .*

Neque est quod dicas , per panem purum intelligendum esse siligineum , seu primarium, qui ex purissima farina , omni prorsus excepto furfure , compingitur : namque ille debet intelligi , qui tunc in usu erat , atqui an. 967. quo Canones illi collecti sunt, an. 1050. quo celebratum est Concilium Coyacense, Azymi usus ubique apud Latinos receptus , & confirmatus erat .

Tertia conclusionis pars probatur : quia ante nonum seculum nullum extat certum , evidens , & invictum pro Azymo in toto Occidente recepto testimonium , ut satis ex dictis colligi potest : obtinuisse tamen illum etiam primis temporibus probabiliter conjicimus ; sed post nonum seculum res esse debet absque controversia .

Constat ex Alcuino , qui initio noni seculi obiit , cujus testimonium non est tantum , ut volunt aliqui , ad Angliam , in qua natus est , restringendum , aut ad Galliam , in qua mansit ; sed pro tota Occidentali Ecclesia probat , Epistola enim 69. ad Lugdunenses sic P. 1583. B.C. loquitur : *audivimus aliquos in illis partibus affirmare , salem esse in Sacrificium Corporis Christi mittendum ; quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia , nec Romana custodit auctoritas . . . Tria sunt , quæ in Sacrificio . . . . offerenda sunt ; panis , aqua , & vinum . . . . panis , qui in Christi Corpus consecratur , absque fermenti illius alterius infectione debet esse mundissimus &c.*

Idem confirmat Rabanus Moguntinus Archiepiscopus discipulus Alcuini , qui obiit an. 856. Libro enim I. de institutione Clerico- Tom. 6. pag. 12. A. p 14. B. rum cap. 31. expresse ait , *panem infermentatum , & vinum aqua mixtum in Sacramento Corporis , & Sanguinis Christi sanctificari oportere . Et istum Ordinem* , inquit , *ab Apostolis, Apostolicisque viris traditum Romana Ecclesia , & per totum pene Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant .*

Inutile est plura ex nono , & sequentibus seculis proferre testimonia : certum quippe est , qua ætate Michael Cerularius , idest an. 1053. usum Azymorum tamquam illicitum , ac Judaicum in Latinis culpavit ; illum ubique in toto Occidente receptum , ac firmatum fuisse , ut ex Leone IX. & Cardinalis Humberti Disputatione manifeste colligimus. A primis quoque temporibus usurpatum fuisse opinamur quidem , ac conjicimus , sed certo definire non audemus , deficientibus certis, evidentibus , ac invictis antiquorum ea de re testimoniis .

Quæres , qua occasione introductus fuerit generalis ille Azymorum usus in Ecclesia Occidentali .

Respondet Cardinalis Bona loco sæpius Pag. 216. citato num. 10. *occasionem non sine manifestis indiciis inde natam arbitror* , inquit , *quod cum paulatim fidelium sacro assistentium , immo & Clericorum communio desierit , sufficeretque modicus panis pro Celebrantis , & Ministrorum in Missis solemnibus communione , in privatis vero pro solo Sacerdote : cumque Populus alicubi vel panem non offerret , vel minus aptum ad Sacrificium , sensim factum est , ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur , ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes , & Clericos pertineret ; & quia Azymus facilius parabatur , nec ullo Canone vetitus erat , hic Fermentato substitui cæpit , & per omnes Ecclesias paulatim propagari.* Ita Eminentissimus Bona .

Dices : usus Azymorum prohibetur a Canone 7. eorum , qui dicuntur Apostolorum, & Canone 12. Concilii Trullani , & a Sancto Epiphanio hæresi 30. , ubi rejicit Ebionitarum Pascha in azymis celebratum ; ab ipso denique Concilio Niczno generali primo statuente , ut Pascha non celebretur luna 14. more Judæorum , qui in Azymis Pascha suum celebrabant , sed die Dominica proxime sequente lunam 14.

Resp. prohiberi usum Azymorum more Judæorum , & ex præscripto Legis Mosaicæ , quasi legalia simul cum Evangelio forent observanda , sicut contendebant Ebionitæ , non vero more Christianorum . Solutio ex ipsa lectione Canonum est manifesta . Concilium vero Nicænum hoc unum dumtaxat prohibet, ne Pascha cum Judæis celebretur luna 14. an vero in azymo , vel fermentato celebrari debeat , silet .



ANTO-

ANTONIUS BOUCAT BITURICUS

Ordinis Minorum Sancti Francisci de Paulæ , Theolog. Patrum

Tom. 7. Edit. Venetæ ,

DE SACRAMENTIS

Parte 3. Dissertat. 3.

DE EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE.

Quod Panis Azymus fuerit semper in usu apud Ecclesiam Romanam.

Probatur : Primo ex traditione .

Usus in hoc solum ponderat, & veritatem adstruit : sed ab Apostolis ad nos usque Ecclesia latina Panem azymum ad Eucharistiam conficiendam assumsit , ergo &c. Probatur discurrendo per sæcula .

Ex primo sæculo , habemus Apostolos , qui dubio procul mysterii testes , eodem modo cum Christo Eucharistiam consecrarunt , maxime cum vel ipso vespertino tempore inter cœnandum ad imitationem Christi multis annis sacram synaxim Fidelibus ministrarint , ut habetur Act. 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum , & communicatione fractionis Panis* ; & 1. Cor. II. ubi quosdam arguit Apostolus , quod spretis debitis dispositionibus , ad sacram mensam indecenter accederent .

Ex secundo sæculo , S. Alexander , qui anno 119. Summus Pontifex inauguratus est , statuit „ ut Hostia Romanæ Ecclesiæ de azy- „ mo esset „ : sic scribit Barlaamus Hieracensis Episcopus Epist. ad Græcos , sic Radulphus Dungrensis lib. de Canonum observantia prop. 23. his verbis : „ Alexander Pa- „ pa præcepit , ut oblatio ex azymo fieret in parva quantitate .

Ex tertio sæculo , S. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium sic loquitur : „ sic vero calix „ Domini non est aqua sola , aut vinum , „ nisi utrumque sibi misceatur , quomodo „ nec corpus Domini potest esse farina so- „ la , aut aqua sola , nisi utrumque aduna- „ tum fuerit .

Porro farina , & aqua adunata solum panem azymum subindigitant .

Ex quarto sæculo : in Missa Ambrosiana, quam ex Codice MSS. edidit Pamelius in Liturgicis , oratio , qua Panis offertur , hunc habet titulum : *Oblatio Panis azymi cum patena.*

Ex quinto sæculo , se prodit S. Augustinus, qui sermone 83. *de diversis* exigit solum ut aqua conspergatur farina , ut ex ea fiat pro conficienda Eucharistia panis : eo quippe loci loquitur de Pane Eucharistico ex multis tritici granis conjunctis facto : tunc concludit unitatem inter fideles resultare , quippe qui omnes eumdem panem percipiant . „ Apo- „ stolus dicit , unus Panis , unum Corpus mul- „ ti sumus . Commendat vobis in isto Pane „ quodammodo unitatem amoris . Numquid „ enim panis ille de uno grano factus est ? „ Nonne erant multa tritici grana ? sed ante- „ quam ad panem venirent , separata erant : „ per aquam conjuncta sunt , & post quam- „ dam contritionem . Nisi enim molatur tri- „ ticum , & per aquam conspergatur , ad „ istam formam minime venit , &c. „ Certe si fermentatum exigeret , non solam farinam aqua conspersam intelligeret ; sed in hoc attendit ad Israelitas , qui de Ægypto compellentibus ipsis Barbaris egredientes , conspersam dumtaxat farinam asportarunt , quia propter angustiam temporum fermentare non valebant : sic habetur Exod. 12. *Tulit igitur Populus conspersam farinam , antequam fermentaretur , & ligans in palliis , posuit super humeros suos .*

Ex sexto , & septimo sæculo , adest Gregorius Magnus , qui in Registro apud Divum Thomam hic quæst. 74. artic. 4. ait : „ Romana Ecclesia offert azymos .

Ex octavo sæculo Egbertus Eboracensis Episcopus , qui Exceptionum cap. 98. sic loquitur „ Sacerdotes Dei diligenter procurent , ut panis , & vinum , & aqua , sine quibus nequaquam Missæ celebrantur , pura , & munda fiant . Quæ verba *pura , & munda fiant* denotant Panem azymum ; cum fermentatus nonnihil impuritatis habeat , quandoquidem Fermentum ex massa a unitate diu inflammata profluat .

Ex nono sæculo , non unus est veritatis laudatæ testis . Alcuinus Epistola 69. ad Lugdunenses ait : „ Tria sunt , quæ in sacrificio „ hujus testimonii offerenda sunt : panis , „ aqua , & vinum . . . panis , qui in Chri- „ sti corpus consecratur , absque fermento il- „ lius alterius infectionis debet esse mundis- „ simus . Concinit Rabanus Maurus lib. 1. de inst. Cleric. c. 31. dicens : „ Panem infer- „ mentatum , & vinum aqua mixtum in sa- „ cramentum corporis , & sanguinis Christi „ sanctificari oportet .

Mitto subsequentium sæculorum testimonia, cum a nono sæculo ad hæc usque tempora azyma in Ecclesia Latina fuerint usitata , quandoquidem tempore Photii Græci in apertum schisma irruentes , decursu tempo-

rum

rum inter commentitia separationis motiva improperarent Latinis, quod Pane azymo uterentur in sacrificio. Quod autem usus hic ab Apostolorum tempore perseveraverit in Occidente, liquet ex Concilio Toletano XVI. anno 693. celebrato, namque Canone 6. quosdam reprehendit Sacerdotes, eo quod partim ignorantia, partim etiam negligentia fermentatum panem in sacrificio adhiberent. „ Ad conventus nostri agnitionem delatum „ est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario usu provocati, non panes mundos, & studio præparatos supra Mensam Domini in sacrificium offerunt; sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia uspiam gestum perpenditur. „ Audis Synodicos Patres azyma ex traditione tenere, nec ex historia sacra probari posse, Panem fermentatum fuisse pro conficiendo sacrificio ab Ecclesia Romana adhibitum. Hinc Rupertus lib. de divinis officiis cap. 2. non solum hunc azymorum morem semper in Ecclesia Romana viguisse testatur, sed subjungit, se nescire, qua auctoritate suffragante, Ecclesia Græca huic consuetudini opponatur.

Secundo, ex summis Pontificibus.

PRæter S. Alexandrum Martyrem jam laudatum, S. Leo IX. hanc veritatem propugnat adversus Michaelem Cærularium Patriarcham Constantinopolitanum, qui primus de azymis movit controversiam, & schisma restauravit. Hunc autem tribus validissimis rationibus confutat Epistola 90. ad ipsum directa. I. ait: eum esse temerarium calumniatorem, quippe qui primus fuerit, qui Ecclesiæ Romanæ improperavit azyma II. Ejus reprehensionem vocat incautam, quæ humanis argumentationibus, & levioribus conjecturis antiquam fidem subvertere molitur. III. Ostendit utriusque testamenti auctoritate falsissimum esse, Christum venerabile sui corporis Sacramentum in fermentato pane commendasse.. Tum a passione Salvatoris ad suum usque tempus, idest per mille, & fere viginti annos usum azymorum sine interruptione in Ecclesia Romana perdurasse testatur, quibus azymis ab instituta Eucharistia omnes quotquot extitere Martyres, signatos fuisse commemorat; subdit vero Romanam Ecclesiam verbo, & exemplo sacramentum Eucharistiæ in azymo consecrandi morem semper docuisse. Quibus expletis sic concludit: „ Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos omnes catholicos, atque „ Divi Petri familiares discipulos, & ejus „ institutionis sectatores cessate subsannando „ azymitas vocare.

Ne quis credat nos auctoritati tanti Pontificis aliquid addere; ecce verba ad Cærularium, & Leonem Acridanum Episcopum directa apud Binium pag. 1097. „ Dicimini „ Apostolicam, & latinam Ecclesiam, nova præsumptione, atque incredibili audacia, „ nec auditam, nec convictam palam damnasse pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ Passionis celebrare: Ecce incauta reprehensio vestra, quando ponitis in Cœlum os vestrum, „ cum lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus, & conjecturis antiquam fidem confodere, & subvertere moliatur: Ecce, nisi quantocius resipiscitis, „ incorporati, & annumerati, quod absit, „ eritis in illa cauda Draconis, quæ tertiam „ partem stellarum Cœli traxit, & in terram misit. Ecce jam post mille, ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem „ sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, „ seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter „ Christus filius Dei vivi dicit: Beatus es „ Simon Bariona, quia caro, & sanguis non „ revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in „ Cœlis, &c.

Divo Leoni succedit Innocentius III., qui lib. 4. myst. Missæ cap. 4. de azymis contra Græcos sic loquitur: „ Ab istis Apostolis Petro, & Paulo, quos vivos habuit sancta „ Romana Ecclesia, & defunctos custodit, „ hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu custodit „ Ecce in his verbis traditio Apostolica pro azymorum usu expressa, & servata. Ergo &c.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRima: Christus injunxit Apostolis Eucharistiam in sui commemorationem celebrare; adeoque in azymo, siquidem per omnia in hoc conficiendo Sacramento debuerunt Domino assimilari: sed Ecclesia Romana a Sancto Petro moribus, & ritibus instituta religiose principis Apostolorum documenta servavit: quinimo perenni Petri successorum fide, ritibusque suffulta, & perseveravit, & ad finem usque sæculi, juxta Christi promissionem, in hoc perseverabit. Igitur usus azymi panis pro Eucharistia conficienda in Ecclesia Romana ab institutione perpetuus fuit. Ista ratio est Humberti Cardinalis lib. contra Græcorum calumnias: „ Quia, *inquit*, „ sufficiente auctoritate novi, & veteris Testamenti, constat Dominum nostrum Jesum Christum commemorationem suæ passionis recolendam in azymo Discipulis sub „ ipsa cœna commendasse, sicut hodieque „ sancta Romana, & Latina Ecclesia noscitur colere, dicere debetis, cujus institutionem in fermentato tam ostinate defenditis.

Secunda: Ecclesia Romana Apostolorum Petri, & Pauli ita strenue propugnavit documenta, ut ne dum in dogmatibus, sed & in ritibus universalem spectantibus disciplinam, nihil quidquam novi introduci permiserit: hinc Affricanis & Orientalibus, qui circa modum

modum baptizandi variabant, restitit S. Stephanus I. dicens: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*. Sed traditum a S. Petro habebat Ecclesia, Eucharistiam conficere in azymo. Igitur semper in azymo consecravit, sin minus, quod absit dicere, novitatem in re gravi fuisset passa.

Tertia: Ecclesia Romana non nisi ab æmulis Græcis, & Schismaticis erroris pro confectione Eucharistiæ insimulata est: videlicet a Michaele Cærulario, qui primus, adeoque post nonum sæculum, hunc ex azymo consecrandi morem reprehendere ausus est. Sed hunc suo perstrinxit stylo censorio S. Leo IX. asserens in hoc Ecclesiam Romanam servare Apostolicam traditionem; sed hunc, & alios Schismaticos debellat Humbertus Cardinalis, Anselmus, & alii; ergo &c.

Fit satis objectionibus.

Objicies: Panis, quem antiquitus offerebant Sacerdotes, vel in ipsa Ecclesia Latina erat usualis: sed dubio procul panis usualis erat fermentatus: igitur Ecclesia prioribus saltem sæculis in fermentato consecrabat: Probatur major, in qua est difficultas: Panis consecrandus ex oblationibus Fidelium assumebatur: hoc ipsum subindigitat Concilium Matisconense II. Can. 4. hoc Nannetense Can. 9. hoc Sacramentarium Sancti Gregorii. Colligitur etiam ex illis canonis Missæ verbis: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, &c.*. His accedit ista oratio secreta: *Suscipe preces Populi tui cum oblationibus hostiarum: Suscipe munera Populorum tuorum*; ergo, &c.

Respondeo primo, distinguendo: Panis consecrandus erat in primitiva Ecclesia usualis, hoc est juxta usum temporis, quo Christus Pascha celebravit, adeoque azymus, concedo: Usualis juxta modum mensæ communis, nego. Quis enim credet primis Ecclesiæ temporibus, quo exardescebat Christianorum zelus, pane communi ad conficiendum tantum Sacramentum usos fuisse Sacerdotes, maxime cum sæviente persecutione aquam brevem, & panem actum, seu rudem, & ut plurimum ex hordeo, vel siligine confectum haberent. Et sic distincta minore, nego consequentiam.

Respondeo secundo negando majorem: Si enim de oblationibus pristinis, perinde ac de eis, quæ ad hæc usque tempora fiunt, loquendum incumbat, certum est ex illis Ecclesiam non sumsisse panem consecrandum, propter duo. Primo quidem, quia oblationes ex quocumque pane indiscriminatim, sicut vel in istis temporibus fit, præsentabantur, quæque, ut non semel oculis nostris vidimus in Villis, constant ex pane quandoque hordeaceo, quandoque triticeo, quandoque etiam siliginoso, juxta offerentium facultates. Quis autem cordatus dixerit, ex simili materia, nonnunquam crassa, & subnigra Eucharistiam confici, cum Patres, & Concilia statuant, materiam hujus Sacramenti & præparatam, & mundissimam debere, sicut decet Mysterium, esse: Secundo, usus, qui invaluit panem azymum, & vinum nostris etiam temporibus offerendi, ex usu primitivæ Ecclesiæ suam ducit originem; nunc autem nusquam fit Eucharistia de pane, & vino a fidelibus oblatis.

Ad id vero, quod dicitur solemne esse apud Concilia commemorare in sacrificio fidelium oblationes, non inde sequitur Eucharistiam ex panibus oblatis confici, sed istas oblationes inter celebrandum sacrificium benedici, & quodammodo rationem sacrificii inducere, quatenus Christiani fide, devotione, & oblatis muneribus cum sacerdote conjuncti, & sua, & se ipsos in sacrificium boni odoris Deo offerunt, quæ quidem cordis contriti, & humiliati sacrificia non despicit Deus, juxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*.

Quod autem hæc sit genuina solutio, patet ex ipsis Secretæ laudatæ verbis: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata*. Non enim in Missa sunt multa munera, & sacrificia, sed una oblatio panis, & vini, unumque Christi immolati sacrificium. Quare igitur multa? nisi quia attendit Sacerdos & ad oblata ab Ecclesia, scilicet ad panem azymum, ex quo conficienda est Eucharistia, & ad oblationes fidelium, quæ remanebant pro usu sacerdotom, quæque etiam omni distribuebantur populo, sicut nunc panis benedictus tribuitur adstantibus.

S. Cyprianus lib. de Opere, & Eleemosynis hunc sensum videtur innuere, cùm fœminam divitem sic increpat: „ Locuples & „ dives es, & Dominicum celebrare te cre„ dis, quæ in Dominicum sine sacrificio ve„ nis, quæ partem de sacrificio, quod Pau„ per obtulit, sumis?„ Quæ quidem verba in adulterinum prorsus sensum adversæ sententiæ auctores sumunt, si cuncta maturo, & prævio examine ponderentur. Igitur multa in hoc S. Cypriani textu observanda sunt. I. Ait mulierem divitem celebrare Dominicum, & tamen sine sacrificio venire, hoc est sine oblationibus pro more faciendis. II. Partem sumere de sacrificio, quod obtulit Pauper: certe hoc non intelligitur de Eucharistia, neque enim mulierem avaram sinebat S. Cyprianus corpus Christi sumere, neque etiam in Missa quotidiana tunc temporis semper sacræ Synaxi, vel ipsi pii, & devoti fideles participabant: igitur intelligit, quod illa dives mulier non de sacrificio quidem oblato a sacerdotibus, sed de oblatis fidelium sumeret. Incassum igitur Eucharistiam primævis Ecclesiæ sæculis ex fermentato pane fuisse factam aliquis propugnaret.

Nec quidquam roboris habent illa canonis verba contra nostram sententiam: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium*. Certe ista verba nostram confirmant sententiam: quodnam enim est illud sacrificium, quod Laici offerunt? Dubio procul non sacrificium Missæ, sed aliud ab eo prorsus distinctum, videlicet cordis contriti, & humiliati, ad imitationem Christi in passione humiliati, cujus Eucharistia memoriale est; vel si vis, qui fide cum sacerdote conjuncti sunt, offerunt sacrificium, sed ex pane azymo, & vino de vite

vite confectum. Perperam igitur nostræ adversantes conclusioni ex verbis istis Canonis sacrificium esse de pane fermentato concludunt. Canon nullam facit mentionem de materia, sed de offerentibus sacrificium.

Instabis: atqui pane fermentato prioribus saltem sæculis in sacrificio utebatur Ecclesia. Ergo &c. Sic probat subsumptum Iveninus art. 4. de Euch. §. 5.. Primo quidem Apostoli, eorumque discipuli furtim, ac clanculum, urgente persecutione, sacris dabant operam, nec erant in promptu azyma, cum ad illum panem faciendum specialis labor, & difficultas sit. II. Qua arte potuissent habere azyma consecranda, ingenti fidelium numero distribuenda? III. Neque facile erat e Diaconorum manibus accipere azyma in privatis ædibus, immo & in cryptis pro Missa celebranda, cum facilis ad synaxes aditus non pateret. IV. Studebant in secreta sacra celebrare mysteria Sacerdotes Dei, hinc fermentatus panis, & usualis erat ad hunc finem conveniens; si enim azymo usi fuissent Apostoli, eorumque in sacerdotio successores, absque negotio hoc deprehendissent Pagani. Hanc rationem subindigitare videtur Tertullianus l. 2. ad uxorem cap. 5. his verbis: „ non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur. „ Porro si panis consecratus sit fermentatus, maritus non scivisset, quippe qui credidisset usualem esse.

Respondeo negando subsumptum. Ab probationem dico, omnia argumenta in contrarium allata panem non fermentatum, sed azymum arguere, quippe qui absque negotio citius fiat, cum e contra requirantur multi dies, ut per tempus liceat massam fermentari. Hinc Israelitæ compulsi ab Ægypto egredi, præcipiente Moyse, tulerunt consperfam farinam, & fecerunt sibi azymos panes; sic enim habetur Exod. 12.: *Tulit igitur Populus consperfam farinam antequam fermentaretur .... coperuntque farinam, quam dudum de Ægypto consperfam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis*. Pari, & consimili ratione Elias fugiens Jesabel, accepto subcinericio pane ab Angelo, quo confortatus ambulavit usque ad Montem Dei Oreb.: Ecce scripturæ verba 3. Reg. 19. timore perterritus propter Jesabel minas, *petivit animæ suæ ut moreretur, & ait, sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quam Patres mei. Projecitque se & obdormivit in umbra juniperi, & ecce Angelus tetigit eum, & dixit illi, surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis*. Audis vel ipso cœlo teste, & ordinante, panem azymum esse panem communem, & usitatum pro justis, qui latent in cavernis & cryptis, tum ad eos refocillandos, tum ad sacra Mysteria peragenda. Ex his liquet levioribus fundamentis Iveninum propugnare Ecclesiam Latinam per sex priora sæcula in pane azymo, vel fermentato indiscriminatim consecrasse. Jam ad singula faciendum est satis.

Respondeo ad primum: urgente persecutione promtius occurrebant ad consecrandum azymi panes, quippe qui in instanti, & absque apparatu facile coquantur, e contra vero fermentati. Hæc ratio ex ipsa colligitur Scriptura Exod. 12. ubi habetur de Israelitis Ægyptios fugientibus: *fecerant subcinericios panes azymos; neque enim poterat fermentari cogentibus Ægyptiis*.

Ad secundum: Retorqueo argumentum. Qua arte panis fermentatus non sine diuturnitate, & labore coquendus, obvius fuisset pro tanto numero Fidelium? qui ut habetur in Actibus, perseverabant in fractione panis: idest sæpius sacram sumebant synaxim, & hoc ad vesperam, ut per omnia Christum imitarentur: ergone omissis azymis, qui in promtu haberi poterant, a vestigiis Apostolorum, utendo pro Eucharistia conficienda fermentato, declinassent? Absit dicere de Ecclesia Romana, quæ a B.B. Petro, & Paulo edocta, & eorum vegetata sanguine, innumeras fundavit Ecclesias, facta ex animo omnium forma, & Mater.

Ad tertium: Negamus, non fuisse facile a Diaconis azyma ad consecrandum accipere, cum brevi tempore fieri possit azymus panis; hinc citra rationem assignatur pro conficienda Eucharistia fermentatus.

Ad quartum: facilis est responsio, cum ex dictis pateat: sed addo azymum esse ejusdem coloris cum fermentato; hinc maritus Paganus mulieris Christianæ, de qua loquitur Tertullianus, poterat credere esse panem usitatum. Quinimmo ex verbis istius Doctoris colligitur fuisse azymum, cum enim non eumdem habeat cum fermentato saporem, ne mysterium homini infideli detegeretur, vult Tertullianus, quod ante omnem cibum mulier Christiana panem consecratum sumat in secreto; qui si fuisset ex pane usuali, & fermentato, non fuisset timendi locus, cum maritus esse usualem autumasset, non enim mysterium, nisi aperta confessione sponsæ, cognoscere potuisset, namque absque negotio panem consecratum ante communem, in hypothesi, quod non adfuisset occultandi tempus, sumere valebat.

Insistes: S. Ambrosius, qui quarto florebat sæculo, ait panem consecrandum esse panem usitatum. Igitur citra dubium erat fermentatus. Probatur antecedens. L. 4. de sacr. cap. 4., ait „ Tu forte dicis: meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est „ ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi; „ Eo loci Sanctus Doctor alloquitur fidelem, qui panem, quo vescebatur in domo sua, vocabat usitatum; cum vero sic edocet de realitate corporis Christi in Eucharistia, replicando hunc ipsum panem communem post verba Sacramentorum carnem Christi evadere. Igitur S. Ambrosius existimavit panem fermentatum tunc fuisse in Ecclesia Romana Eucharistiæ materiam.

Respondeo distinguendo antecedens: S. Ambrosius ait, panem usitatum esse consecrandum, & intelligit azymum, concedo: Et alium ab azymo designat, nego. Tunc temporis Romæ azymus erat in usu, quia vero quod

quod est in usu perpetuo, dicitur usitatum, in isto sensu Sanctus Doctor vocat panem consecrandum usitatum. Ad probationem similiter distinguo: & S. Ambrosius loquitur abstrahendo, quod panis sit azymus, vel fermentatus, concedo: Et determinat pro materia fermentatum, nego. Quæstio non movebatur de qualitate materiæ Eucharistiæ, sed de realitate corporis Christi in Mysterio, hinc ad scopum respondet, panem quicumque foret, post verba sacramentorum esse corpus Christi: Cæterum S. Ambrosius ibidem testatur Ecclesiam Mediolanensem adhærere per omnia Romanæ. Igitur non recedebat ab azymo.

Repones: Multa S.S. Pontificum decreta Fermentatum panem dumtaxat pro Eucharistiæ materia commemorant. Ergo. Probatur antecedens. In vita S. Melchiadis hæc habentur apud Binium Tom. I. pag. 254. „ Hic „ fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias, ex consecratu Episcopi, dirigerentur, „ quod declaratur fermentum „; ibidem pag. 520. non absimilia leguntur de Siricio in ejus actis: „ hic constituit, ut nullus Presbyter „ Missas celebraret per omnem hebdomadam, „ nisi consecratum Episcopi loci designati su„ sciperet declaratum quod nominatur Fer„ mentum „ Quod expressius pro fermentato dicit Innocent. I. in sua ad Decentium Episcopum Epistola cap. 5. „ De fermento „ vero, *ait*, quod die Dominica per titulos „ mittimus, superflue nos consulere voluisti, „ cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem „ sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia „ die ipsa propter Plebem sibi creditam, no„ biscum convenire non possunt, idcirco fer„ mentum a nobis confectum per Acoly„ thos accipiunt, ut se a nostra communio„ ne, maxima illa die, non judicent separa„ tos. Quod per Parochias fieri debere „ non puto, quia non longe portanda sunt „ Sacramenta „ apud Binium Tom. 2. p. 752. In hanc collimasse sententiam videtur S. Gregorius Magnus, qui quamdam mulierem, accepta Eucharistia, ridentem animadvertit, cujus irreverentiæ ab ea sciscitans motivum, respondit, inquit Joannes Diaconus in vita S. Pontificis: „ Quia panem, quem propriis „ manibus me fecisse cognoveram, tu cor„ pus Dominicum perhibebas. „ Quis autem dixerit, panem, quem consecrandum porrexerat mulier, alium fuisse præter usitatum, & fermentatum?

Respondeo primo, distinguendo: Et istæ auctoritates loquuntur de fermentato improprie, propter colorem, nigredinem, & absque figura ordinatum, sic dicto, concedo: De vero fermentato, nego. Cum igitur idem foret sicut fermenti, sic & azymi color, & indeterminata figura, quandoquidem totus magni ponderis panis, in multas dividendus partes, innumeræ prope fidelium multitudini distribuendus, consecrabatur; quia vero extrinsece ad formam, figuram, colorem, & quantitatem fermentati accedebat, usualis nuncupabatur, non quod tamen revera foret fermentatus. Ex Humberto Cardinali ista solutio colligitur, qui in sua ad Cærularium Patriarcham Constantopolitanum pro defensione azymorum Epistola, asserit panem ingentis magnitudinis prioribus temporibus in Ecclesia Romana consecratum fuisse: „ sicut „ sancta Romana Ecclesia, *inquit*, usque nunc „ observat, Panem integrum benedixit Chri„ stus, & fractum singulis particulatim di„ stribuit, dicens: Accipite, & comedite, „ hoc est corpus meum. „ Revera quidem panis azymus erat tempore Paschatis apud Judeos usualis, ejusdem consequenter figuræ, & ponderis cum fermentato, quo extra tempus Paschale utebantur. Quid mirum igitur, si tempore persecutionum Ministri acciperent a Fidelibus præmonitis, & edoctis de azymo pane pro Missa celebranda, ut absque mora consecraretur, & Fidelibus adstantibus distribueretur? Labente vero sæculo undecimo Latini in breviori forma, figura, cum maximo nitore, panem azymum consecrandum sumserunt; sic refert Bernardus Constantiensis Presbyter, qui circa annum 1089. Ordinem Romanum notis illustravit. Hoc idem astruit Ernulphus Episcopus Rostensis in sua ad Lambertum Epistola, quæ refertur Tom. 2. Spicilegii „ Illi, *Apostoli*, panes quotidianos co„ mederunt: de genimine vitis biberunt. Nos „ in forma nummi panem accipimus, vinum „ aqua mixtum potamus.

Respondeo secundo, cum Baronio, decreta laudata loqui de Eulogiis ex pane fermentato factis, quæ in signum unitatis, & pacis ad Fideles mittebantur, sicut nunc in more positum est, eodem motivo, & fine panem benedictum distribuere. Nec una evincit ratio hoc sic contigisse, & in eo sensu a summis Pontificibus laudatis scriptum fuisse; hoc ipsum subindigitant verba Innocentii I. . I. Loquitur de pane, qui per titulos die Dominico mittebatur, adeoque non de pane consecrato, cum ejus tempore omnes familiæ sacram synaxim omnibus diebus Dominicis non sumerent. II. Sermonem instituit de tanta Fidelium multitudine Presbyteris concredita, ut ne quidem eos adire valerent, hinc per Acolythos deferebantur panes, hoc est Eulogiæ, & non Eucharistia, cum vel ipso tempore Sancti Cypriani soli Diaconi, occupatis Presbyteris, sacram dispensarent Eucharistiam, & hoc fine ad Confessores in carceribus pro fide detentos mitterentur, ne inermes descenderent cum persecutoribus in prælium. III. Hac ratione deferri vult panem, ne a communione, illo potissimum die, scilicet Dominico, intelligerentur separati. Dubio procul ad hunc scopum deferebantur Eulogiæ; non enim, qui sacram frequentissime non sumebant Eucharistiam, dicebantur ab Ecclesia divulsi, maxime si semel in quolibet mense illam acciperent. Demum dicit panem, de quo controversia procedit, non esse per Parochias mittendum; sed hoc solum significat Eulogias non omnibus, & singulis mittendas esse, cum sufficeret eas distribuere vicinioribus populis. Cæterum nec quisquam moveri debet, quod Innocentius Eulogias vocet Sacramenta, namque Eulogiæ a solis sacerdotibus benedicebantur, sicut nunc Rectores Ecclesiarum, recitatis quibusdam orationibus

tionibus panem Fidelibus in signum unionis distribuendum benedicunt, hinc sicut panis benedictus dicitur Sacramentum lato modo acceptum, seu quid sacramentale, sic & dicebantur Eulogiæ.

Hanc solutionem suo munivit calculo Anselmus Havelburgensis lib. 3. Dialog. his verbis: „ Melchiadis, & Siricii Decreta non de „ fermentata hostia, sed de Eulogiis potius „ intelligenda sunt, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesiam distribui jubentur.

Ad sancti Gregorii auctoritatem, nego illam mulierem obtulisse panem fermentatum consecrandum: sicut enim his temporibus devotæ filiæ in arca parvula deferunt panes non fermentatos, sed azymos, quos offerunt pro se consecrandos, quum Missa celebratur in Capella, ubi non est Pastophorium multas continens hostias, eis, qui accedunt ad sacram Mensam, distribuendas, sic & tempore D. Gregorii potuit illa mulier præsentare consecrandum azymum a se coctum, & postea ex fragilitate, fortassis involuntarie risisse. Non desunt, fateor, qui propugnent prioribus temporibus Eucharistiam ex pane a Fidelibus oblato factam, ut indigitare videtur S. Cyprianus L. de Opere, & Eleemosynis, Concilium II. Matisconense Can. 4. Nannetense Can. 9., sed duplicis generis panem offerebant, alterum pro sacrificio conficiendo, alterum pro usu Sacerdotum: priorem azymum vocabant, quia sciebant istum solum inservire Mysterio: alterum vero fermentatum, & in isto sensu explicandi sunt Conciliorum Canones, maxime Concilii XVI. Toletani.

Repones: Photius multa Latinis exprobrat, & tamen silet azymos, quod dubio procul præ odio erga Ecclesiam Romanam non omisisset, si tunc temporis azymis usa fuisset, nam hoc ipsum non tacuit Cærularius: sed silentium Photii arguit, Ecclesiam Romanam pro Eucharistia conficienda non semel fermentatum sumpsisse panem. Ergo &c.

Respondeo primo: multa Cærularium dicteriis suis Ecclesiæ Romanæ objecisse, quæ tamen tempore Photii erant in usu, quæque ipse Ecclesiæ Romanæ non objurgavit, v. g. quod Alleluja reiiceret Ecclesia Romana in cantu vigente quadragesima, quod inter baptizandum unicam adhiberet immersionem &c.

Respondeo secundo, negando majorem, cum enim Photius in sua Bibliotheca Cod. 106. scribat Christum consecrasse in azymo, non mirum si abstineat a reprehensione pro isto puncto.

Dices: Auctores gravissimi propugnant oppositam sententiam. Igitur illa, quæ est de azymorum antiquitate, & perpetuitate, non est probabilior.

Respondeo, quæstiones scholæ, salvo dogmate posse in utramque partem defendi, juxta illam Divi Augustini Regulam Epistola 118. ad Januarium cap. 2. „ Quod enim „ neque contra fidem, neque bonos mores „ injungitur, indifferenter est habendum, & „ pro eorum, inter quos vivitur, societate „ servandum est. „ Falsum est autem nostram de perpetuitate azymorum opinionem non esse probabiliorem, ut constat ex probationibus. Et vero alteram sententiam defendit quidem Sirmondus §. 1. in disquisitione de azymo. Eamdem Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. nostram vero Mabillonius Benedictinus, tum in præfatione sæculi 3., tum in dissertatione singulari de Pane Eucharistico azymo, & fermentato: nostram P. Christianus Lupus O. A. Lovaniensis Theologus Tom. 3. Scholiorum in Decreta, & Canones Concil.; rursus in dissertatione de Actis S. Leonis IX. cap. 9. suffragatur Anselmus Havelburgensis, qui Nechiti Archipræsuli hæc respondet cap. 16. „ Ego non facile accesserim ad hoc, quod „ tu tam perfunctorie dictum putas mihi fuisse persuasum, videlicet, quod Romana Ecclesia aliquando fermento usa fuerit, quo postea deposito, azymum assumserit.

EX PATRIS HONORATI

A Sancta Maria

ANIMADVERSIONUM IN REGULAS, ET USUM CRITICES

Tom. II. Lib. IV. Diss. IV.

De usu Panis Azymi in Ecclesia Latina.

Traditione constanti instituti sumus, ut superiore Dissertatione probatum fuit, Jesum Christum Pascha legis celebrasse pridie quam moreretur, scilicet die quarto decimo Mensis Nisan, & primo Azymorum, in quibus interdictus erat omnis Fermentati panis usus. Cum igitur tum in Mensa Christi Azymus dumtaxat Panis esset, perspicue fit, eum secundum vulgatam Patrum Ecclesiasticorum opinionem Panem Azymum adhibuisse, in quo sacram Eucharistiæ institueret.

Fateri tamen necesse est, hoc Domini nostri exemplum nequaquam imposuisse Ecclesiæ legem ejus imitandi. Neque item speciem habet, Jesum Christum habuisse consilium adstringendi Apostolos, eorumque Successores, ut in sanctis Mysteriis celebrandis

lebrandis Azymum Panem Fermentato anteferrent: sed potius summum hac de re Ecclesiæ Catholicæ arbitrium reliquisse. Propterea factum est, ut per Concilium Florentinum integrum esset unicuique Sacerdoti id servare, quod in Ecclesia sua, tum Occidentali, tum Orientali, consuetudine receptum erat. Id autem ita persuasum fuit viris postremorum temporum Litteratis, ut existimaverint, salva Religione, posse se in judicium vocare, utrum Panis Azymus adhibitus perpetuo fuerit ab Ecclesia Latina; vel octo priorum seculorum intervallo Fermentatum Panem in Christi Corpus converterit. Atque istud proponitur nobis hac Dissertatione enucleandum.

Concil. Florent. sess. ult.

ARTICULUS PRIMUS

De illis, qui Azymorum in Ecclesia Latina usum vel propugnarunt, vel oppugnarunt.

Prima Sententia de Azymis.

POst Græcorum Schisma nemo unus dubitaverat de communi Azymorum opinione, quibus usa est Ecclesia Latina in Sacramenti Eucharistici consecratione: donec anno 1651. celeberrimus Sirmondus in lucem edidit opusculum, in quo contendit, non modo Ecclesiam Græcam, sed Latinam quoque seculo non uno in sacrorum Mysteriorum usu Panem Fermentatum usurpasse, & panis Azymi usum post octingentos ferme annos obtinuisse. In eamdem sententiam venerat Laudojus, & pro ipsa Tractationem jamdudum scripserat. Cardinalis vero Bona, qui in eamdem quæstionem tum insudabat, sentit, ante nonum seculum Ecclesiam Latinam Pane Azymo, & Fermentato promiscue usam; sed post Photii ab ejus obedientia defectionem, cœpisse Fermentum penitus abjicere, atque Azymos dumtaxat amplecti. Cum quo facit Bocquillotius Presbyter, juris utriusque Doctor, Canonicus Aballonicensis, & studiosissimus Evangelii Præco, edito anno 1701. Tractatu historico de sacra Liturgia, sive de Missa. Claudius tandem Vetius existimavit, Fermentatum Panem aliquando apud Ecclesiam Latinam in more positum.

Secunda Sententia. Bona lib. 1. Rer. Liturg cap. 23.

Bocquillotius in Liturgiis sacris Gall.

Explicat. Cærem. Ecclesiast Tom. 1. 2 Edit. c 2 pag. 23. Gall.

In fronte tertii seculi Actorum Sanctorum ex Ordine Sancti Benedicti extat erudita præfatio, rebus confecta summa animadversione dignis tum de Ecclesiastica Historia, tum de Profana, inter quas Mabillonius quæstionem de Pane Azymo instituit; atque affert argumenta multa, ut probet, illum ante Photii schisma usitatum in Ecclesia Latina fuisse, adversus præjudicatam Sirmondi, & Bonæ opinionem. Hic porro cum legisset Mabillonii animadversiones, Epistolam ad eum dedit, qua summatim, sed firmiter, objectis respondet in hac Præfatione contentis, illumque hortatur, ut controversiam hanc rursus exagitet.

Tertia Sententia.

Quod profecto eruditum hunc Benedictinum induxit, ut in rem hanc Dissertationem conscriberet, Typis commissam anno 1675. in qua contendit, Panem Azymum tantum adhibuisse semper Ecclesiam Latinam, hujusque Panis usum ante Græcorum Schisma passim invaluisse. Interea tamen dicit haud abhorrere a veri specie, Apostolos in re divina facienda promiscue Azymo, & Fermentato Pani dedisse locum: Et SS. Patres, qui Ecclesiasticam disciplinam primi instituerunt, ratos Dominum nostrum in Eucharistiæ institutione panem Azymum præ manibus habuisse, hoc pariter nos uti æquabilitatis ratione, sanxisse: Contra vero Græcos putantes se non teneri observantia rei ab Judaicæ legis consuetudine manantis, malluisse uti pane communi, & Fermentato. Quam Mabillonii opinionem Lupus quoque Doctor Lovaniensis amplexatus est.

Mabillonius Dissert. de Azymo.

Lupus Tom. III. Schol. in Decr. & Can. Conc. diss. de Actis Leon. IX. cap. 5. usque ad 12.

Ciampinus Pontificiorum Diplomatum Scriptor Capitalis in Opusculo de Disciplina Ecclesiastica tuetur, Ecclesiam Romanam perpetuo more Azymum Panem consecrasse; in quo differt a Mabillonio, qui Apostolis indiscriminatim utriusque panis usum attribuit.

Ciampini conjecturæ de perpetuo azymorum usu.

Quod si momenti quidpiam habere possent acta Martyrii Alexandri I. Pontificis, & quoddam Decretum ipsi adscriptum, opiniones hactenus memoratæ nullo modo defendi poterunt. Cum etenim, ut ferunt, Pontifex hic primus fuerit, qui panis azymi usum in Ecclesiam Romanam inveheret: *Alexander Papa præcepit, ut oblatio ex azymo fieret.* . . . . ., Propugnatores azymorum nequeunt probare, Ecclesiam Latinam temporibus Apostolicis, neque ad annum usque 109., quo Pontifex hic S. Evaristum excepit, azymis usam fuisse; quandoquidem ante Pontificem hunc usitatus erat panis fermentatus: *Non autem ex fermentato, ut antea, fieri mandavit.* Idem Decretum ab imo pariter subvertit opinionem eorum, quibus placet, Panem Fermentatum in Ecclesia Latina adhiberi consuevisse ad exitum ferme seculi noni. Cæterum cum Decretum hoc desideretur in veteribus, & genuinis ejus Martyrii actis, primusque omnium Martinus Polonus, post decem, vel undecim seculorum silentium, de illo meminerit, nihil est, quod labenti adeo fundamento innitamur.

Opinio Theologorum, atque Historicorum.

Martinus Polonus in Chro. ad ann. 132. Platina de Vitis Pont. in vita Alex. I.

Hujus tamen Decreti supposititii Alexandri I. S. Pontificis, atque alterius Leonis Papæ testimonio certum est, Scolasticos, & quosdam Historicos existimasse, utramque Ecclesiam Græcam, & Latinam, exemplum Jesu Christi imitatas, in Azymis sacra mysteria confecisse, donec Ebionitæ veterem Legem cum Evangelio permiscentes in Sacrificiis suis Panem sine Fermento adhibuerunt. Post cujus Hæresis ortum, inquiunt, utræque Ecclesiæ Orientalis, atque Occidentalis, ut ab Ebionitarum placitis se abhorrere indicarent, a Sancto Missæ Sacrificio Azymos removerunt, atque in Fermentato

Alensis 4. quæst. 32. S. Bonav. S. Thomas in 4. dist. 11. qu. 2. Durandus in 4. dist. 11. quæst 4. Scotus in 4. dist. 21. quæst. 5.

solum

solum sacra fecerunt. Hæresi vero dissipata Ecclesia Latina ad Azymos rediit, Græca vero morem alium jamdiu inveteratum retinuit, utendi scilicet Fermentato. Quæ quidem opinio difficillimos habet explicatus, nec tamen aliquo verosimili argumento fulcitur. Eapropter nihil solliciti fuerunt ætatis nostræ studiosi, ut illam prosternerent, cum ipsa tantum facti narratione refutetur.

Hæ sunt præcipuæ super controversia de Azymis sententiæ, quæ sane non parum monent, quanti operis sit, hac de re consilium capere, vel quidpiam producere, quod omnino probetur. Quod si post tot Litteratos viros disputationem hanc rursus attingo; propterea non est quod existimem eam me posse dissolvere: cum potius me peribeatum prædicabo, ubi potuero conjecturas aliquas afferre, quæ ipsorum eruditionem præterierint; & palam facere piam hanc Ecclesiæ Latinæ opinonem de Pane Azymo, in facris faciendis semper adhibito, veri saltem esse simillimam.

ARTICULUS II.

Nullus est apud Authores Ecclesiasticos octo priorum seculorum exploratus locus, qui Azymorum in Ecclesia Latina usum probet, aut improbet.

Loca Patrum, quæ laudat Mabillonius pro Azymis.

Cypr. Epist. 63. ad Cæcil.

QUi Azymi panis in Ecclesia Latina usum tueri susceperunt, eos nihil fugit, quod in scriptorum Ecclesiasticorum Libris priscum hunc ritum confirmare posset. V. Cl. Mabillonius profert verba Sancti Cypriani, monentis in Epistola ad Cæcilium, Corpus Domini nostri consecrari non posse in farina, & aqua tantum, sed copulandas esse. Nihil de fermento haber, inquit Mabillonius, sed farinæ dumtaxat, & aquæ meminit; hic itaque panis Azymus erat. At vero si nullam de eo Cyprianus mentionem facit, ideo fuit quia ad naturam panis, vel Sacramenti materiam minime spectat. Quin immo videtur Sanctus Doctor de illo loqui voluisse verbis istis, *adunatum*, *copulatum*, *solidatum*; Fermentum namque est, quod adunat, copulat, & solidat.

Mabill Diss. de Azymo cap. 7. Ciamp. ubi supra c. 5.

Mabill. & Ciamp. ibid. Gaud. Brix. Tract. 2. de Pasch. August. serm. 85 de diverf.

Consuetudo pariter panis Azymi nititur duobus locis, altero Sancti Gaudentii Brixiensis, altero Sancti Augustini, quorum sensus est, Panem Eucharisticum fidelium unitatem significare; & quemadmodum paucis fit ex granis contritis, commixtis aqua, atque igne coctis, non secus fideles *jejunii humiliatione*, *exorcismi Sacramento quasi moluntur*, aqua consperguntur, & Spiritu Divino sanctificantur. Quis porro dixerit locum hunc rem apprime conficere? Si D. Augustinus fermentatum non memorat, neque illud excludit. Insuper sive Fermento constet panis, sive non constet, Analogia quadrat eodem modo.

Mabill. & Ciamp. ibid

Egbert. Ebor. except. c. 89.

Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in Anglia, medii circiter VIII. seculi scriptor, affert, & approbat Canonem quemdam, jubentem Sacerdotibus ita se gerere, ut panis, vinum, & aqua, quibus utuntur in Sancto Missæ Sacrificio, pura, & munda sint. Quod intelligi nequit, inquiunt, nisi de pane Azymo, qui panis mundus, & purus est. Cæterum panis cum Fermentatus, tum non Fermentatus purus, & mundus censendus est, quoties ex farinæ simila conficitur, & furfure, aliisque id genus purgamentis haud conspergitur. Quapropter Græci *panem purum* appellant Fermentatum panem, quem in Re Divina peragenda adhibere solent.

Chronicon Dacii. Mabill. & Ciamp. ibid.

Locus depromtus e Chronico Dacii, Episcopi Mediolanensis sub medium sexum ævum, satis levem potest sufficere probationem; cujus Author in Codice extante in Bibliotheca Ambrosiana narrat, S. Ambrosium quosdam Ecclesiæ Græcæ mores servare consuevisse, atque in festis solemnibus panem Fermentatum cum Azymis benedicere. Habeo certum profecto pro usu panis Azymi testimonium; verum præterquamquod non sit credibile, S. Ambrosium duplici hoc panis genere usum in consecratione Eucharistiæ; Viri quoque doctissimi in suppostitiis habent Tractatum hunc, atque ipse Mabillonius, a quo producitur in medium, fatetur aperte, se non audere de illius authoritate pronunciare. *

Card. Bona Epistola ad Mabill. Alex Histor. sec. undecimo Diss. 2. Caveus Hist. liter.

Quamvis afferat Mabillonius visionem cujusdam Eldephonsi, Episcopi in Hispania, deductam e Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, nihilo tamen minus Tractatus hic summam ipsi dubitationem parit. Author etenim perquam obscure loquitur de multis, quæ ad Eucharisticum panem attinent: videlicet de inscriptione Hostiarum, de magnitudine, de pondere, figura, & numero earum, quæ in variis anni celebritatibus consecrandæ sunt. Idem Episcopus declarar, hæc sibi divinitus patefacta anno 845., sed ignoramus quinam sit author hic, & cujus Urbis Antistes. Quod si Hispanus erat, æra Hispanica usus fuisset, non vulgata, quæ incipit post octo annos supra triginta. Convenit tandem, opus hoc suppostitium esse, vel certe maxime ambiguum; & propterea nullum inde commodum possumus comparare, ut Azymi panis in Ecclesia Latina usum statuamus.

Mabill. Præmon in opusc. Eldephonsi. Bona ibidem. Alex. ibidem Diss. 2.

Isidorus Ep. ad Redemt. Archid.

Nihil hic memorem de Epistola S. Isidoro tributa, in qua differens de modo præparandi panem, in Christi Corpus convertendum, nullum de Fermento verbum habet; verum super quam quod nihil inde colligere licet, quod panis Azymi consuetudini favear; Epistola insuper ista sine ulla dubitatione adulterina est; non secus atque Tractatus *in Cæna Domini*, a Josepho Vicecomite, & Lupo Sancti Cypriani nomine citatus.

Vicecomes observat. antiq. Tom 3. l. 2. c. 9. Lupus cap. 7. sua Differt.

Car-

* *De hujus Chronici authoritate mihi certo pronunciare* non licet. Mabill. Differt. de Azymo cap. 6.

Humb. in Responf. sive contrad. ad Nicetam.

Cardinalis Humbertus scribit post Synodum VI. OEcumenicam celebratam Constantinopoli Agathonis Papæ tempore, Imperatorem orasse Legatos Pontificis, ut ab eo suo nomine peterent quænam esset Ecclesiæ Romanæ institutio de Sancto Missæ Sacrificio; atque ipsos respondisse, reperiri in actis Sancti Sylvestri sanctionem Pontificis hujus, ut panis sacris faciendis designatus Azymus esset; quam Sanctæ Sedis Apostolicæ traditionem, addit Cardinalis, se percepisse gavisus est Imperator.

Bona Rerum Liturg. lib. 1. cap. 23.

Baron. in App. pend. ad Tom XI.

In hoc autem testimonio momentum maximum esset ad statuendum Azymorum in Occidente usum post seculum saltem VII. si de Canonis hujus veritate liquere posset. Atqui non modo suspicione quam gravi, immo falsitate laborat, ut sentit Bona, atque in VI. Concilii actis non extat; sed acta quoque Sancti Sylvestri non referunt Decretum istud, neque Cardinalis Baronius narrator Disputationis Humberti cum Niceta cognomento *Pectorato*, & testis de Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, a quo illam exscripserat, quidquam obstuit, quin sapientes Canonem istum admodum suspiciosum esse censerent. Prætereo tandem loca veterum alia pro Azymis, quandoquidem vel certo ipsis supposita, vel propositum non efficientia, ut ii ipsi, qui afferunt, fateri coguntur.

Testimonia a Sirmondo prolata Disquis. de Azymo cap. 2.

Ostentat Sirmondus se non leve præsidium sibi quæsivisse in verbis istis Ambrosii: *Tu forte dicis, meus panis est usitatus*. Panis profecto communis, qui plerumque in mensa apponitur, ait eruditus hic Jesuita, panem azymum non significat; sed contra hæc vox *usitatus* panem Fermento commixtum indicat. Cæterum compertum est, S. Ambrosium vocare panem istum communem, non tanquam oppositum pani Azymo, sed pani consecrato, scilicet Corpori Jesu Christi; sive habita ratione ejus, quod verborum sacrorum vi efficitur panis iste, quemadmodum sponte sua reddunt dicta Sancti hujus Doctoris, scribentis: *Panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Quare etiam panis Azymus dici non posset panis communis; quandoquidem ex eadem re constat ac Fermentatus, & Græci, Romani, aliæque Nationes illum nihilo quam alterum minus, in mensa adhibebant.

Ambros. lib. 4. Sacram. cap. 4.

ARTICULUS III.

Disquiritur, quid veniat nomine Fermenti, *cujus mentio fit in Decretis summorum Pontificum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I.*

Alliud Sirmondi argumentum. Ibid. cap. 5.

INter gravissima, quæ adversus Azymorum in Ecclesia Latina usum intentantur, objecta, illud profecto est, quod colligitur ex Decretis Pontificum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I. qui secundum Sirmondi cogitatum appellant *Fermentum*, panem in Christi Corpus conversum, quem ad Ecclesias mittebant; unde conficit eruditus hic Jesuita, Eucharistiam ideo in hoc Decreto *Fermentum* nuncupari, quod fuerit ex pane fermentato compacta.

Vox hæc Fermentum ambigua est. Baronius ad annum 313. num. 49.

Card. Cusan. Theoph. Raynaudus, Franciscus Macedo. Anton. Dadin. Altaserra. Joann. Cabassut.

Anselmus Havelbergens. l. 3. Dialog cap. 13.

Vox hæc *Fermentum* quammaxime ambigua est, adeoque multiplicem habet apud Scriptores subjectam notionem. Baronius, aliique opinantur, Pontifices verbo isto non Eucharistiam, sed Eulogias significasse; Anselmus Episcopus Havelbergensis eadem prorsus explicat ratione, qui cum Lotharii Imperatoris apud Joannem Comnenum, Byzantinum Imperatorem, Legatione fungeretur, celebre colloquium habuit in Ecclesia Sanctæ Sophiæ cum Niceta Archiepiscopo Nicomediensi, atque huic Latinis exprobranti, quod Missam in pane Azymo celebrarent, repugnantibus Melchiadis, & Siricii Decretis, respondit Anselmus, Decreta Pontificum istorum non esse intelligenda de pane consecrationis, sed de Eulogiis, quæ singulis diebus Dominicis in Ecclesia distribuebantur.

Mabillon. de Pane Azymo cap. 10.

Anton. Aug. Claudius Espencæus. Lat. Latinius. Christ. Lupus. Bona.

Alii vero Scriptores consentiunt cum Sirmondo, *Fermenti* nomine, de quo Pontifices loquuntur, Eucharistiam significari; non quod ipsa ex pane fermentato confecta esset, sed *ut*, inquiunt isti, *nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium*. Quod autem Eucharistia Fermentum dicatur metaphorica locutione, comperiet quisque, si modo attendat in vita Melchiadis Papæ dici, *quod declaratur Fermentum*, atque in vita Siricii, *declaratum, quod vocatur Fermentum*. Eucharistia igitur non est appellata *Fermentum*, quod ex hujusmodi pane fiat, ut Sirmondus interpretatur, sed quod nexus sacer esset, qui Fideles Ecclesiarum, ad quas mittebatur, inter se devinceret.

Tom 3. c. 8. pag. 330.

Thomasius, Clericus Regularis *Fermenti* voce explicat partem Hostiæ sacræ, quam Episcopus immittit in Calicem, cum profert hæc verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*; atque iccirco, particulam hanc sacram *Fermentum* nuncupari, quia, instar Fermenti copulantis Massam, Fideles inter se conjungit. Quam sententiam, addit Thomasius, munio antiqui cujusdam Ordinis Ecclesiastici testimonio, quem reperi in Bibliotheca Sancti Galli, quique hujus consuetudinis mentionem facit. * Huic opinioni suffragatur Vertius in explicatione Rubricarum Missæ.

Alia interpretatio Fermenti.

Ego vero sum nescius, an hucusque dictis attexere quis posset, *Fermentum* a Pontificibus memoratum, materiam citius Eucharistiæ, quam Eucharistiam ipsam indicare. Ita conji-

* Hæc sunt ipsa Codicis MS. verba § 6. num. 5 *Quando dici debet: Pax Domini sit semper vobiscum, deportatur a Subdiacono oblationario particula Fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono, ille vero porrigit Episcopo; at ille consignando tribus vicibus, & dicendo: Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in Calicem*. Verum hæc interpretatio Fermenti non congruit Decretis Pontificum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I.

conjicio ex quodam Decreto Joannis III. Papæ, qui in Petri sedem conscendit an. 559. *In vita Joannis Papæ III.* In hujus vita legimus, *hic constituit, ut oblationes, & ampullæ, vel amulæ, vel luminaria eisdem Cæmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur*. Gregorius III. Pontifex renunciatus anno 731. statuta a Decessoribus suis confirmavit: nimirum, ut Sacerdotibus S. Joannis in Laterano præberentur, quæ opus essent ad sacra mysteria celebranda, videlicet *panis, vinum, & lumina*.*

Consideratio prima in rem hanc. Ut autem conjecturam hanc illustremus, adnotationibus istis animum paulisper converte. Prima sit, Melchiadem ad Pontificatum evectum fuisse anno 311., Siricium anno 385., atque Innocentium I. anno 402. Sub exitum Pontificatus Innocentii I. Alaricus Gothorum Rex Urbem Romam obsedit, expugnavit anno 419. ortum est Romæ Schisma inter Bonifacium, atque Eulalium; quorum prior morabatur in Cœmeterio S. Felicitatis, alter in Basilica Constantiniana. Gensericus Vandalorum Rex Urbem rursus delevit anno 455. Temporibus vero Anthemii Imperatoris Romam invasit Ricimerus Dux Exercitus an. 471. Odoacres Rex Herulorum an. 476. & Theodoricus Rex Gothorum anno 490.

Roma igitur Imperio Gothorum subjecta, Gelasius I. Pontifex electus fuit, qui morem mittendi *Fermentum* instaurare curavit; sed illius Decreta irrita fuerunt. Eodem namque die, quo Symmachus Pontificatum inivit, Laurentius Romanam sedem occupavit. Anno pariter 530. aliud Schisma excitatum est, cum Bonifacius II. ad Sancti Petri Cathedram assumptus fuit; quod excepit natum aliud anno 536. obtinente summum Ecclesiæ regimen Silverio. Hoc plane tempore Romæ Belisarius obsidium posuit; atque insequentibus annis 537. 538. eamdem Vitigius depopulatus est; tandemque cæpit Totila anno 545. 549. demolitus est.

Quæ quidem animadvertenda erant, ut Lectori duo constarent. Primo Decreta Melchiadis, & Siricii, atque Innocentii I. vel irrita fuisse, vel brevi obsoleta. Secundo, eorumdem Pontificum Decreta, quæ admodum obscura, atque amplexa sunt, explicanda esse ex Decretis Joannis III. & Gregorii III. qui a Decessoribus suis instituta renovarunt.

Altera consideratio sit, loca Melchiadis, *Consideratio secunda.* Siricii, atque Innocentii distorte tantummodo deduci posse ad mentem eruditorum nostrorum. Locutio hæc Melchiadis non videtur rei consentanea; *oblationes consecratæ ex consecratu Episcopi*. Est ne propria hæc, & accommodata locutio? Hæ porro aliæ in Decreto Siricii: nempe Sacerdotem Missam haud celebrare...... *nisi consecratum Episcopi loci* *Locorum istorum sensus non videtur accuratus.* *susciperet declaratum*. Quænam subjecta sententia est verbis hisce, *consecratum, declaratum*? Verum licet daremus illis, *oblationes consecratas, & consecratum* Eucharistiam indicare; qua ratione cum his component verba Innocentii I. ubi ait, *ideirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*? Fit ne credibile, traditam fuisse Acolythis Eucharistiam, ut eam ad dissita loca deferrent? Denique licet Eucharistia mitteretur, & designaretur vocibus istis: *oblationes consecratæ; consecratum; Fermentum a nobis confectum*; sequitur aperte, Sacerdotes, ad quos missa erat Eucharistia, non fecisse Rem Sacram; quandoquidem non consecrabant: cum tamen nequeant Missam, quin consecrent, celebrare: at qui sancitum est Decretis istis, *ut nullus Presbyter Missas celebraret*; nisi Eucharistiam ab Episcopo recepisset. Presbyteri igitur isti Missam celebrabant; si celebrabant, consecrabant; si consecrabant, quare divinam hanc rem facere non poterant, nisi ab Episcopo Eucharistiam accepissent?

At enim, inquies, mittebant Eucharistiam *Mos Eucharistiam mittendi.* in communionis argumentum, ut monet Innocentius I. *ut se a nostra communione, maxime illa die non judicent separatos*; ajo, equidem, & confirmo, Presbyteros, & Episcopos alias consuevisse in societatis indicium sibi mutuo Eucharistiam mittere **: sed ubinam reperies missum unquam fuisse panem consecratum ad Missam celebrandam, qui Presbyterorum, atque Episcoporum concordiæ specimen daret? nisi si forte in trium Pontificum istorum Decretis secundum interpretationem sapientum nostrorum: unde sane emergit difficultas inextricabilis, donec contendent, verba hæc, *oblationis consecratæ; aut consecratum*, valere idem, atque Eucharistia.

Observandum pariter est, Ducangium in *Ducangius in Gloss. Latino.* suo Glossario Latino adnotasse, verbo huic *consecrare* vim inesse signandi, *terminum constituere, figere*. Cum quo faciunt Calepinus, & Trebellius, explicantes, vocem *consecratum* synonymum esse istarum, *conterraneum, commilitaneum, limitaneum, suffarraneum*. Idem Ducangius verbo *declarari*, ita aperit mentem suam: *declarari apud Gramaticos dicuntur fines confusi, cum ad veram limitum signorumque finalium auctoritatem per Agrimensores redintegrantur*. Quæ cum animadverterimus, non ne congruentius interpretaremur trium Pontificum istorum Decreta sine contorsione verborum, immo cum summa consensione; si pro certo haberemus, ut antea diximus, Decreta Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. referenda esse ad alia Joannis III., & Gregorii III. atque oblationes, de quibus meminerunt isti, ad Basilicam missas S. Joannis in Laterano, accipi, quod monent verba pro pane, vino, & luminibus, sacris mysteriis celebrandis adhibitis? Audi itaque, quo enodanda essent pacto Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I. Decreta.

Cum dicitur de Melchiade: *hic fecit, ut* *Explicantur trium Pontificum loca.* *oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur; quod declaratur Fermentum*: ita vertas licet hæc verba: statuit *oblationes consecratas*, nimirum dispositas, constitutas, definitas, mitti, vel distribui per Ecclesias Diœcesis Episcopi, *ex consecratu Episcopi*, sive quæ positæ sunt intra fines Episcopi: *quod declaratur Fermentum*, scilicet obla-

* *Iisdemq institutis disposuit, ut in Cœmeteriis circumquaque positis Romæ, in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas, per quem præviderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem*. In vita Gregorii Papæ III.

** Eusebius *lib.* 5. *hist. c.* 24. Evagrius *lib* 1. *c.* 13. Nicephorus *lib.* 4. *c.* 39. Jo. Moschus *in Prato Spirit. c.* 2.

oblationes, panem, vinum, & lumina, quæ Missæ celebrandæ opus erant, atque intelliguntur nomine *Fermenti*, quod membrorum cum capite conjunctionem significat.

Eodem pene recidit locus Siricii: *hic constituit, ut nullus Presbyter Missam celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum*: nisi, inquam, reciperet, quod propterea constitutum erat, *consecratum* secundum mensuram, & quantitatem præfinitam, & mandatam ab Episcopo loci, *Episcopi loci declaratum, quod nominatur Fermentum*; quandoquidem hæc omnia Episcopi consociationem cum Presbyteris significant.

Locus vero Innocentii nullo modo discrepat ab his duobus, immo ea illustrat: *de Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus*: hanc vocem *Fermentum* addicit ad indicandas oblationes, Rei Divinæ peragendæ necessarias, ut liquet ex sequentibus: *quorum Presbyteri, quia ipsa die propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt: id circo fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*, Panem videlicet, & vinum consecrandum a nobis paratum, & conquisitum: *ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos*, quod argumento est, panem, & vinum ad eos missa ideo appellari Fermentum, quia communionis Episcopi cum Presbyteris indicium erant.

Sapientum sit judicium ferre, si certe conjecerim. Illud certe apparet, trium Pontificum istorum loca hac ratione optime enucleari; illorum interpretationem nihil distorti, aut obliqui præseferre; omnia egregie concinere inter se, & tandem Decretis laudatis Joannis III. & Gregorii III. optime respondere.

ARTICULUS IV.

Utriusque Sententiæ Patroni eadem adhibent Patrum, & Conciliorum testimonia, cum ut oppugnent, tum ut propugnent usum Azymorum in Ecclesia Latina.

POstquam retulimus loca Patrum, quibus confirmatur usus Azymorum, aliaque, quibus elevatur, & fermentati inducitur consuetudo: sequuntur testimonia, e quibus utriusque partis Patroni commodum aliquod haurire putant, & sibi vicissim objiciunt, tum ad suam opinionem statuendam, tum ad adversarios refellendos.

Locus Tertulliani. *Tertull. lib. 2 ad uxor. c. 5.* Initio recitant locum Tertulliani, in quo hortatur uxorem suam, ubi denuo nubere voluisset, ne hominis Ethnici connubio jungeretur. *Non sciet*, inquit, *maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*. Revera locus hic maxima videtur ambiguitate laborare; adeoque nihil prodest vel panis Azymi, vel Fermentati propugnatoribus. Si fuisset hic panis communis, ajunt, primi, nihil maritus de uxore cogitare suspiciose potuisset, neque anceps esse, quin panis fuerit. Panis itaque Azymus erat. Verum colligitur ne jure consecutio hæc? Aut certe difficile ne est id deprehendere? At alia quoque, quam ex eodem loco eliciunt adversarii, nihilo magis exacta est. Maritus, reponunt, novisset, vel saltem suspicatus fuisset, si panis a communi differret exteriore sui forma, sique panem sine fermento uxor subigeret, illum oblatum iri in sacrificium. Ceterum abludit a verbis Tertulliani interpretatio hæc.

Locus Sancti Cypriani *Sirmondus de Azymo c. 1.* Sirmondus laudat S. Cypriani locum, in quo locupletem fæminam reprehendit, quod crederet, se Divina Officia celebrare, cum accederet sine oblationibus, & partem ejus sibi sumeret, quam Pauper obtulerat. *

Ex quo testimonio efficit, futurum fuisse, si Presbyteri consecrabant panem a fidelibus oblatum, ut hic esset panis passim a divitibus & pauperibus adhibitus, videlicet Fermentatus. Quid vero prohibet, ne responderemus, divitem hanc mulierem haud detulisse oblationes ad Cœnam parandam, quæ plerumque post divinum Cibum apponebatur, nomine *Agapum*?

Mabill. Diss. de Azymo c. 1. Mabillonius ex adverso Author est, ex eodem S. Cypriani loco usum Azymorum probari posse. Si namque panem communem adhibuissent ad sacrificium, supra fidem est, inquit, accessisse quem ad Altare, quin suam oblationem deferret. Quid facilius, quam integrum panem reperire, vel frustum ejus saltem sumere, ut Presbytero offeretur? Aliter tamen se res habet de pane Azymo, qui cura diligenti, & non sine quibusdam cæremoniis conficiendus erat. Quamobrem nil mirum, mulierem hanc locupletem socordem fuisse in eo parando, quem offerre debebat, & de pauperum oblatione sumsisse. At vero quamvis nonnihil utilitatis ex contextu Patris hujus capere posset ad panis Azymi consuetudinem statuendam, quod caret tamen omni specie veri; argumentum hoc certe Mabillonii non concluderet pro temporibus Christianorum insectationis, in quibus parabilior erat panis Fermentatus, & communis pane Azymo, qui per ipsum diligenti cura conficiendus erat.

Locus S. Epiphanii de Ebionitis. S. Epiphanius redarguit Ebionitas, quod singulis annis sancta Mysteria celebrarent in pane Azymo, atque aqua tantum, ut Sanctos, quod ajebant, Ecclesiæ imitarentur. ** Sirmondus ergo in hoc S. Epiphanii loco momentum

* *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Cyprianus Libro de Opere, & Eleemosyna.

** *Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, quotannis in Azymis: alteram autem Mysterii partem in aqua sola*. Epiphanius hær. 30.

tum ponit, ut panis Azymi morem prioribus ævis tueatur. *Quo pacto*, interrogat, *notati ab Orientalibus fuissent Ebionæi, quod de Azymis Mysteria celebrarent, si mos idem jam tum in Occidentalibus Ecclesiis insedisset?* At qui certum est, Hæreticos istos a Sancto Epiphanio minime damnari, quod pane Azymo uterentur; sed quia existimarent veterem Legem esse Evangelio sociandam.

Sirmondus de Azymo c. 2.

Contra Mabillonius, etsi fateatur, hoc Divi Epiphanii testimonium Azymorum usui non favere, haud tamen præterit, quin aliquod ab eo emolumentum percipiat. Videtur etenim, inquit, S. Doctor iste Ebionitas approbare, quod uterentur pane Azymo in mysteriis celebrandis eo consilio, ut ab Ecclesiæ Latinæ exemplo non recederent; atque in eo tantum consuetudinem illorum vituperat, quod alteram sacrificii partem aqua sola perficerent. Dicendum igitur erit, per id temporis Ecclesiam in pane Azymo rem sacram fecisse, atque interpretationem hanc Epiphanii dictis omnino respondere. Interim tamen * multis argumentationibus conglobatis, ut locum hunc ad suam opinionem detorqueret, fateri cogitur tandem testimonium hoc nisi suffragetur azymis, neque pariter fermentato suffragari.

Canon XVI. Concilii Toletani.

Utriusque partis authoribus visus est Canon sextus Concilii Toletani XVI. tamquam decretorius in re hactenus excussa; quapropter nihil intentatum reliquerunt, ut singuli ex eo fructum aliquem perciperent. Bona, & Sirmondus ejus vi ostendunt Fermentati panis in Ecclesia Latina usum: e regione vero Mabillonius tuetur esse a sententia sua Canonem istum, & panem de quo loquitur, Azymum citius esse, quam Fermentatum. Concilium itaque insimulat quosdam Hispaniæ Presbyteros, qui super Altare non offerebant panes mundos, & diligenter paratos; sed satis habebant, ubi crustam panis in orbem redactam consecrarent, cui pravæ consuetudini ut obviam iret, jussit Concilium, ut panis, in Christi Corpus convertendus, esset integer, proprius, in rem hanc de industria confectus, & mediocris magnitudinis. **

Mabill Diss. de Azymo c. 8.

En Canon, qui Sirmondo firmissimum suppeditat, atque a Mabillonio *Achilleum Sirmondi argumentum* nuncupatum: quid namque, inquit doctus hic Jesuita, Concilii hujus Episcopi perstringunt in Sacerdotum istorum instituto? An quia in Pane Azymo Rem sacram non peragerent? Minime gentium. Et tamen id erat primo reprehendendum, si modo azymi tum fuissent materies consecrationis; iique arguendi, quod pane communi, & fermentato, non vero azymo uterentur. De quo igitur arguuntur? Quia nimirum Panes in sacris mysteriis adhibiti mundi non erant, neque de more studiose parati. *Quis hinc confici non videt*, hæc est Sirmondi collectio, *Latinam Ecclesiam ad id saltem usque tempus Azymis abstinuisse?*

Sirmondus de Azymo c. 2.

At quis pariter non videat, argumentum hoc plus æquo probare; cum ex facto singulari ad generalem consecutionem ascendat? Quidam Sacerdotes inscitiæ, vel impudentiæ vitio consecrant crustam panis; igitur Ecclesia Latina Pane Azymo numquam usa erat? Unde porro novit Sirmondus crustam ex Pane Fermentato confectam fuisse; numquid ex Azymis subigi crusta non poterat? Propterea fortasse non offenderunt apud Episcopos Concilii Sacerdotes illi, quod Panem Azymum haud adhibuerint. At enim, inquiunt, *id erat in eis primo reprehendendum, si modo Azymi tum fuissent materies consecrationis*. Ratio hæc in Sirmondum torquetur: si namq; Episcopi Sacerdotes non coarguunt de Sacrificii re, sed dumtaxat de modo parandi, id argumento est, Presbyteros istos usos pane, cujus mos tum in Ecclesia Latina invaluerat. Non diffiteor, Patres Concilii hunc non appellare Azymum Panem; sed neque Fermentatum vocant. Immo videntur, Panem Azymum indicare voluisse, quandoquidem sanxerunt, ut Panis Altaris usui futurus sit *integer, nitidus, ex studio præparatus, secundum quod consuetudo Ecclesiastica retentat*. Quæ omnia ægre admodum communi pani congruerent.

Concil. ibid.

Denique Canon hic, ad vivum resecatus, nonne Sirmondi sententiam sus deque vertit? Secundum Patres Concilii hujus in more Ecclesiæ positum erat uti in sanctis mysteriis Pane *integro, nitido, ex studio præparato, & non grandi, sed modica tantum oblata*. Id omne concinitne cum Patris hujus de Azymis sententia? Hanc quidem in eo statuit, ut alio pane non uterentur Sacerdotes in Altari, nisi oblato a fidelibus, atque ab his passim adhibito. Porro hic panis omnibus ne a Concilii Patribus petitis conditionibus affectus erat?

Insurgit antem continuo Mabillonius, & faventibus præjudiciis omnibus, putat Canonem hunc de Azymo Pane intelligendum. I. Episcopi redarguunt Sacerdotes non consecrantes panes mundos. 2. Jubent eos esse *nitidos*. 3. *studio præparatos*: 4. *integros, & rotundos*. ***

At vero si diligenter perpendas verborum hujus Canonis sensa, persuasum tibi erit, Episcopos Presbyteris istis crimini non dedisse, quod celebrarent sancta mysteria in Pane Fermentato, quodve non uterentur Azymo: neutrius enim verbum ullum facit. Sed criminantur dumtaxat Ecclesiasticos istos, quod contenti essent effari divina verba in crustam panis sui ad orbem redactam: *quod factum*, subjungunt, *nequaquam in sacræ auctoritatis Historia uspiam gestum perpenditur*.

f 2 Quem

* *Si nihil facit pro Azymorum usu, certe non magis favet Fermentato*: Mabill. Diss. de Azymo cap. 10.

** *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos, & studio præparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed de panibus suis usibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum aqua, & vino pro sacro libamine offerant. Unde id unanimitatis nostræ elegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata*. Concil. Tolet XVI. Can. 6 ann 693.

*** *Synodi Toletanæ Patres*, concludit Benedictinus hic eruditus, *non potuerunt apertius ob oculos ponere Azymum panem, quam describendo eo modo, quem supra exposui*. Mabill. Diss. de Azymo c. 8.

Quem abusum ut tollant, cautum esse voluunt, ne Panis ad consecrationem adhibendus, ullo ex his conditionibus careat, superius recensitis. Cui porro controversum erit, eas æquo modo Pani Azymo, & Fermentato quadrare? Id sane doctissimus hic Benedictinus senserat hactenus, ut paginis pene viginti in hujus Canonis sibi commoda interpretatione exaratis, fateri compulsus sit, si Canon hic aperte sententiam pro Ecclesiæ Latinæ Azymis non dicat, neque certe in illos sententiam ferre.

Concil. ibid.

ARTICULUS V.

Conjectationes Mabillonii, quibus Azymorum usum ad seculum usque nonum producit.

Conjectatio prima.

EA insedit erudito huic Scriptori opinio, ut credat satis simile vero, temporibus cum Apostolorum, tum insectationum Ecclesiæ, promiscuum fuisse Azymi, & Fermentati Panis usum; donec constituta Ecclesiastica disciplina, imperatum fuit, Ecclesiam Latinam ab azymorum consuetudine non recedere *: interim dum malluit Græca antiquum morem retinere, atque in sacris mysteriis celebrandis Fermentatum Panem adhibere. Quemadmodum nullum posset Mabillonius sponsorem producere eorum, quæ tradit de promiscuo Azymi, & Fermentati Panis usu prioribus ævis; ita non crediderim ullum eum testem appellaturum alterius narrationis suæ; quod nimirum constituta hac disciplina, Ecclesia Occidentalis, atque Orientalis in varias de materia Sacramenti Eucharistici sententias abierint. Factum igitur istud statuit, nullo prælucente veterum suffragio, & nulla alia favente conjectura, nisi similitudinis cum vero: *sane id vero non absimile prorsus est*. Quod si deest ipsi quodcumque aliud facti hujus Historici momentum, qui poterit docere nos tempus, & modum, quo utraque Ecclesia in suam opinionem concessit, atque illos indicare, qui hæc constituerunt, vel huic partitioni ansam dederunt?

Altera Conjectatio.

Cum itaque per Mabillonium Ecclesia Latina delegerit Panem Azymum, mos hic ad nostra usque tempora constantissime perseveravit. Quod hoc argumento assequitur. Quandoquidem Ecclesiæ Latinæ Patres, qui ante Photium floruere, tradiderunt, Jesum Christum Eucharistiam in Pane Azymo instituisse, & dixerunt, *facto Christi Domini inhærendum esse in istius Sacramenti confectione*; mirum est, eos non expendisse, quamobrem Ecclesia Latina a Fermentato ad Azymos migraverit: quippe qui diligenter scrutati sunt rationem, cur ritus alios longe minus graves immutaverit. Ex quo efficit, Ecclesiam Latinam Panis Azymi consuetudinem semper retinuisse: si namque varietas ulla intercessisset, de ea Patres mentionem facere non præteriissent.

Ibidem.

Mabill. de Azymo c. 7.

Refellitur secunda hæc Conjectatio.

Hæc porro Mabillonii conjectura dubitationem non unam injicere potest. Prima sit: si Patres omnes Latini existimarunt, Jesum Christum Eucharistiam in Pane Azymo instituisse, *& facto ejus inhærendum esse in istius Sacramenti confectione*; unde fiat, neminem eorum sollicitum fuisse, ut nosset, quare temporibus Apostolicis promiscuus fuerit Fermentati, & Azymi Panis usus, quoniam Latinis Patribus persuasum erat, *facto Christi Domini inhærendum esse in Eucharistiæ confectione*? Secunda dubitatio, e priore sponte fluens, est, eccur Doctores isti non reclamaverint adversus morem Græcorum, neque momenta conquisiverint, quibus commoti sunt, ut in Fermentato facerent Rem Divinam, quamvis Jesus Christus Azymum consecraverit?

Tandem antequam Mabilloniano dubio de Patrum silentio respondeamus, oporteret nos ab eo discere, quonam seculo desierit usurpari promiscua hæc Azymi, & Fermentati consuetudo. At qui nemo posset Patris alicujus testimonium recitare ante seculum VIII., qui disertis verbis affirmaverit, Ecclesiam Latinam antehac Panem Azymum perpetuo adhibuisse: neque ullus reperitur apertus Patrum Græcorum, aut Latinorum locus pro usu Panis Fermentati in Ecclesia Orientali. Integrum igitur esset e Patrum silentio colligere, utrasque Ecclesias sine discrimine sacra fecisse tum Azymo Pane, tum Fermentato: Ecclesiam videlicet Græcam sub exitum usque sexti seculi, Latinam autem ad octavum usque.

Quod si porro pergere Authoris hujus negante argumento oporteret, quid est cur Patres Græci, qui non minus, quam Latini persuasum habebant, Jesum Christum in Pane Azymo Eucharistiam instituisse, non revocarunt ad judicium, qua de re Ecclesia sua Divinum Christi Corpus efficeret in Fermentato, atque Jesu Christi exemplo non inhæreret? Num hinc colligendum esset, Ecclesiam Græcam abstinuisse Fermento ad sextum usque seculum? Qui fieri insuper potest, ex vi Mabillonianæ conjecturæ, neque Patres Græcos, neque Latinos, qui diligenter adeo scrutati sunt rationes immutandi tot capita disciplinæ Ecclesiarum suarum, cordi habuisse, ut pensitarent, quamobrem Orientales, atque Occidentales constituerint, illos in Pane Fermentato, hos in Azymo sacrum Christi Corpus conficere? Quoniam itaque Græci, & Latini Patres nihil ad nos traduxerunt super hac mutatione, vero simillimum est, utriusque Ecclesiæ morem tulisse, ut promiscue in Pane Fermentato, atque Azymo sacra facerent; alterius quidem ad sexti seculi occasum, alterius ad octavum usque

* *Primarii auctores apud Latinos Azymorum usum præcepisse non immerito videntur*. Mabill. Diss. de Azymo cap. 11.

usque. Si Mabillonii consecutio recta est, non crediderim hanc meam minus æque colligi posse.

Tertia Conjectatio. Tametsi tertia celeberrimi hujus Azymorum propugnatoris conjectatio ex argumento negante proficiscatur; nihilominus cæteris aliis videtur esse probabilior. Res profecto esset, inquit, admiratione digna, Ecclesiam immutasse quidquam de re Eucharistica, quin reperiretur apud veteres ullum Decreti, aut Legis vestigium, in quo sanciretur vel Panis Azymi susceptio, vel Fermentati abdicatio, vel promiscuus utriusque usus, vel Azymi tantum in Ecclesia Latina. Cum Patres, sequitur, flagranti adeo studio ducti sint ad ea omnia curanda, quæ Sacramentum hoc attingere poterant, & tam præclara ediderint constituta de Altaribus, de Vasis sacris, de ratione efficiendi, sumendi, & servandi hunc Angelorum Panem; quonam pacto fieri potuit: *Si Latini aliquando abjecto fermento admiserint Azymum, id communi consensu factum sine Lege fuisse, nemine reclamante, aut referente?* Mabill. de Azymo c. 7.

Qua in re illud sane accidit perincommode, argumentum hoc revera solidissimum, & quo non parum proficiam, dum partem quamdam Mabillonianæ sententiæ propugnabo, aliam tamen funditus evertere. Si namque maximi roboris est ad persuadendum, nihil in Ecclesia Latina immutatum fuisse super Azymi usu, ex quo ad id Panis genus se addicere voluit; æque tamen persuadet, mirandum esse, si temporibus Apostolicis promiscuus fuit Fermentati, atque Azymi Panis usus, Ecclesiam Latinam Azymo tantum adhæsisse; quin aliquis de hoc verba fecerit, aut contra nixus fuerit, vel Decretum aliquod intercesserit. Quo eodem argumento probatur, indiscriminatim Ecclesias utrasque Azymum, & Fermentum adhibuisse; atque in Orientali ad sextum usque labens, in Occidentali ad octavum usque seculum perseverasse morem istum; quoniam nullum extat Legis, aut Decreti vestigium, quod Ecclesiam Latinam ad Azymos, Græcam ad Fermentatum coegerit. Quis concipiat animo disciplinam hanc in utraque Ecclesia invaluisse, & viguisse constanter, *communi consensu, nemine reclamante, aut referente?*

Alia Mabillonii conjectatio, ex Nummis VI. seculi petita.

Nummi, in quibus ipse Hostiam reperit. NOn est hoc loci prætereunda alia Mabillonii conjectatio, quæ vim in eo facit, quod sexto seculo hostiæ quædam conficerentur eadem ferme ratione ac IX., & nostris quoque temporibus: videlicet admodum tenues, ex ferventi ferro subactæ. Hanc statuit consuetudinem tribus Numismatibus, relatis a Buteruvio, in quorum aversa parte conspicitur quoddam calicis genus, duas ansas habentis, atque in Lunæ resupinæ speciem desinentis, in cujus medio parvus extat circulus, hostiam designans. Ex quo conjecit, hanc esse debuisse hostiam, eadem, qua diximus, ratione confectam; adeoque sine Fermento. (Buteruvius Disquisitiones ictu digna de Numm Galliz pag. 444. Gall.)

Peritus hic antiquarius initio affirmat, Numismata hæc vel Nummos potius esse Cariberti Galliarum Regis anno 161. Primum hujus rei argumentum omnem veri speciem habet, neque de illo controversiam ullam creamus. Secunda tamen conjectura non eadem probabilitate præstat, quippe e multis incertissimis narrationibus depromta. Ait itaque, Caribertum sexto Regni sui anno Concilium Cæsaroduni convocasse, ut quasdam Regni sui perturbationes reprimeret, quæ ad politicam Ecclesiæ disciplinam spectabant: præsertim de loco, in quo Eucharistia asservabatur, nimirum in columbis aureis, vel calicibus ansatis, qui in Altari collocabantur cum Reliquiis, atque imaginibus Sanctorum, *in imaginario ordine*: claudebatur quoque Eucharistia in sacrario, vel in Thesauris Ecclesiæ, *in armario*, quod intra Altare erat, vel aliis in locis. (Conjecturæ Buteruvii de hisce numismatibus.)

Statuta Concilii Turon. ex Buteruv. Synodus Turonensis, instat Buteruvius, cum cogitasset, indecorum plane esse, Eucharistiam cum Sanctorum Reliquiis, atque imaginibus locari, atque includi; atque existimans, illam, majoris venerationis gratia a cæteris semovendam esse, atque in sublimiori, dignoriique sede statuendam: sancit tertio statutorum suorum, ut Eucharistia super Altare sub Cruce poneretur *: nimirum in Vase, vel Calice suspendendam esse sub Cruce, quæ plerumque superponebatur compagi extructæ prope Tabulam pictam Altaris. Decretum hoc, concludit eruditus hic Antiquarius, quod primum, nisi fallor, institutum edidit, occasionem præbens, ut Ciboria super Altaria erigerentur, tanti habitum a Rege fuit, qui Concilium conciverat, ut in ejus rei monumentum insculpserit in nummis omnibus deinceps cusis Calicem, duas habentem ansas, & super ipsum Crucem, sive Hostias, & pro inscriptione locum, in quo cusi sunt. Ex quibus consecutionem elicit Mabillonius, *si certa sint hæc omnia* a Buteruvio narrata, posse se inde argumentum nancisci, quo probet, VI. seculo Hostias fuisse sine fermento; quandoquidem etiam tum fiebant minutissimæ, & tenuissimæ, ut ætate nostra. Deinde asserit tria sibi videri certo constare, Primo, antiquitus Calices duas ansas habuisse. Secundo, Nummos hosce Regis esse Cariberti. Tertio, Calices esse instrumenta illa, quæ in Numismatibus istis sculpta sunt. Ceterum haud ita certo liquet, orbiculos illos, qui in summa Calicis parte eminent, veras Hostias esse: *non quod id mihi omnino verisimile non videatur*. Ut autem noris, quam firma sit conjectura hæc ad probandum Panis Azymi sexto seculo morem, hæc pius diligenter attendito. Mabill. de Azymo c. 8.

Primo

* *Ut Corpus Domini in Altari non imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. Conc. Tur. II. Can. 3. sunt qui legunt *in armario*, non vero *imaginario ordine*.

Animadversio prima in Concil Tur. *Conc. Tur. II. in proœmio.*

Primo nihil videri minus, quam Caribertum hoc Concilium coegisse. In proœmio namque hujus Synodi legimus tantum, Patres illos convenisse: *Christo auspice in Turonica Civitate juxta conniventiam Gloriosissimi Domini Cariberti Regis annuentis*. Quo in loco non reticeo, Cointium vocem hanc *conniventiam* interpretari *evocationem*, *& præceptionem*; sed non hanc subjicit Ducangius sententiam voci huic *conniventia*; immo potius *assensum* reddere docet, atque affert in rem hanc exempla multa, inter quæ aliud e Vita Sancti Projecti; * aliud ex Proœmio ejusdem, quod in manibus est, Concilii II. Turonensis. Caribertus itaque non indixit Concilium, vel haberi jussit; sed assensionem tantummodo dedit & æqui bonique fecit. Id autem ideo animadverti, quia contendit Buteruvius hinc probare, Regem in monumentum Synodi hujus a se coactæ Nummos superius memoratos cudi voluisse.

Concil. hoc congr. non fuit a Rege Cariberto *Cointius. annales Eccl. Franc. Tom. 2. ad ann. 566. num. 14.*

Secun. animadversio.

Secunda animadversio attinet ad rationem, propter quam Concilium istud congregatum fuit. Nimirum quia per Authorem nostrum Eucharistia tum temporis locabatur super Altare cum Reliquiis & Imaginibus Sanctorum festis diebus, vel asservabatur in Sacrariis, aut Ærariis Ecclesiæ: quod cum indecorum visum esset Patribus, Eucharistiam videlicet collocari, vel claudi cum Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum, decreverunt, statuendam deinceps esse super Altare sub Cruce. Quamquam vero Concilium hoc ediderit Canonem istum, qui tertius est, non legimus tamen illud propterea convocatum fuisse, vel eo consilio, quod Buteruvio placuit, Canonem illum condidisse. Eidem Synodo propositum hoc esse non poterat, sed citius constitutiones multæ promulgandæ de Ecclesiastica Disciplina.

Mabil. secul. Benedict. in Præf.

Illud profecto compertum est, ut Mabillonius ipse adnotavit, ante nonum seculum non obtinuisse morem collocandi SS. Reliquias super Altare. Sanctus Odo Abbas Cluniacensis recitat factum Abbatis Bernonis fide, quod ostendit, priscam hanc consuetudinem ejus quoque tempore viguisse. Scilicet exuvias S. Galburgis ab edendis prodigiis abstinuisse, statim ac super Altare positæ sunt, & Sanctam Feminam istam cuidam prodidisse hac de causa ægros non convalescere. Idem ferme accidit de Reliquiis Sancti Bercarii Abbatis Fori Claudii. Cum' namque is, cui concreditum erat sacrum depositum, statuisset illud super Altare, S. Abbas ei se per speciem ostendit, & minis adegit, ut illud in locum suum restitueret. Porro opinio est, Leonem IV. qui medio circiter seculo IX. decessit, concessisse, ut Reliquiæ super Altaria ponerentur. Cautum etenim esse voluit, ne rei cuipiam super Altare locus esset, nisi Sacrarum Reliquiarium thecis, & quatuor Evangeliis **. Idem interdixit Concilium Rhemense ***: atque jam inde passim receptus est mos super Altaria Reliquias collocandi.

Odo Cluniac. Lib. Collat. 2. c 28.

Mabil. secul. 2. Tom 2. Acta SS. Ord. S. Benedicti num 26.

Seculo VI. neque Reliquiæ, neque Imagines super Altaria collocabantur.

Opus est itaque tempore II. Concilii Turonensis non fuisse consuetudinem ponendi Imagines in Altaribus, quandoquidem mos hic non est inductus ante seculum X. cum Leo Papa IV., & Concilium Rhemense vetuerunt, aliud locari super Altare, præter Reliquias Sanctorum, & quatuor Evangelia. Ac si integrum fuisset ibi Imagines statuere, id nominatim expressissent. Quæ omnia longe discrepant a sensis Buteruvii.

Tertia animadversio in Calices, in quibus Eucharistia demittebatur.

Tertia animadversio fit in illud, quod imperat, ut ajunt, Concilium, videlicet Eucharistiam suspendi in aliquo Vase aut Calice sub Cruce. Nihil de hoc tertius Canon; neque ullum suppetit exemplum, Eucharistiam servatam unquam fuisse in calicibus, ut sine ulla ratione contendit Author noster. Mabillonius quidem affert locum, depromtum e Gestis Gregorii III., ubi ait, eum dono dedisse calicem argenteum; *qui pendet in absíde Oratorii*. Verum præterquamquod verba hæc *absíde Oratorii*, incertos admodum, pluresque explicatus * habent; neque item signant, Calicem hunc Eucharistiæ servandæ designatum fuisse. Locus quoque iste non concinit cum Decreto Concilii statuentis, ut Eucharistia super Altare, & sub Cruce poneretur, quod intelligi non potest de *absíde Oratorii*, in Gregorii III. contextu memorata. Nihil hic dico de interpretationibus, quas adhibent verbis III. Canonis Concilii, cum de his Authores varient longe multa. ****

In Gestis Greg. III.

* *Absis, Fornix* in extrema Ecclesiæ parte.

Quarta animadver. in Ciboria.

Quarta spectat ad verba eruditi nostri Antiquarii. *Decretum hoc, nisi fallor, primum institutum edidit, occasionem præbens, ut ciboria* ***** *super Altaria erigerentur*. At vero mos Eucharistiam hoc pacto includendi, multo antiquior est, ut conjicere possumus ex his carminibus S. Paulini ad Severum Sulpicium.

Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus,
Compositisque sacra cum Cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt insignia Christi,
Crux, Corpus, Sanguis Martyris, ipse Deus.

ApudSurium Tom. I. die 1. Jan.

In quinto Concilio Generali, aliquot annos ante Turonense celebrato, mentio fit cujusdam Severi, qui delatus fuit apud Concilii Patres, quod surripuisset Columbam auream pendentem de Altari, in qua Eucharisticus Panis servabatur. Tandem mos hic usitatissimus erat ante Concilium Turonense, ut videre est in Vita S. Basilii. Anastasius in Vita S. Hilarii animadvertit, Pontificem hunc, medio

* *Ex permisso, & conniventia Vuarnecharii optimatis*. Ducang in Gloss. verbo: *Conniventia*.

** *Super Altare nihil ponatur, nisi Capsæ, & Reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia. & buxida, cum Corpore Domini ad viaticum Infirmorum. Cetera in nitido loco recondantur*. Leo IV. Homilia de Cura Pastorali, Tom. 2 Conc.

*** *Nihil super eo ponatur, nisi Capsæ cum Reliquiis Sanctorum, & quatuor Evangelia*. Conc. Rhem. apud Burch. L 3. Decret. c. 97

**** Severinus Binius inquit, Canonem hunc sancire, ut Eucharistia in medio Altari sub Cruce statuatur. Cointius non absimiliter explicat: *ubi supra*. Sirmondus intelligit de pane consecrando: *de Azymo c. 4.* Mabillonius sententiam in eo legit apprime diversam, *Disser. de Azymo c.* 4. Harduinus tandem Jesuita Canonem hunc interpretatus est Diss. quadam impressa Parisiis 1689.

***** *Ciborium* Altaris ædificium erat concameratum, vel circulare, & Columnis innixum, quod aram cooperiebat. Columnæ sublimes erant, fornixque in altitudinem elatus, tabulisque pictis ornatus. Exterius in culmine Ciborii crux erat defixa, atque interius sub Cruce in medio Ciborio columba aurea, vel argentea, in qua Eucharistia pro infirmis servabatur.

medio circiter V. seculo florentem, conficiendam curasse Columbam argenteam pondere duarum librarum. In Testamento Perpetui, quinti a Sancto Martino Episcopi Turonensis, cujusdam ex his Columbis mentio fit, *Columba ad repositorium*.

Tom. 5. Spicileg. Acherian.

Quinto animadvertas id, quod habet, Caribertum tanti fecisse institutum hoc a se inventum, ut in ejus memoriam insculpserit in Nummis omnibus deinceps cusis Calicem, & super ipsum Crucem, sive Hostias. Atqui si Regis hujus Imperio, ut placuit Buteruvio, coactum Concilium fuit, qui fieri potuit, ut pluribus ex ejus Canonibus ratio vivendi Cariberti damnaretur. Canone XX. cautum est, ne quis Virgines Deo sacras violet aut ducat uxores. * XXI. Incestos homines carpit; quem Cointii observatione Patres ediderunt, ut in Regem hujus criminis reum animadverterent. Tanta sane hujus rei offensio fuit, ut Sanctus Germanus Episcopus Parisiensis ipsi Sacramentorum usum interdixerit: *reliquit enim Ingobergam*, quam vivente Patre sibi desponderat, *& Merofledem accepit. Habuit & aliam puellam Opilionis, idest, Pastoris ovium filiam, nomine Theodegildem ..... post hæc Marcovefam, Merofledis sororem conjugio copulavit*; & tres simul apud se detinebat, quæ omnia didicimus a Gregorio Turonensi.

Animadv. 5.

Cointius in annal. Fran. an. 566. n. 37

Lib. 4. c. 26.

Canones XXIV. & XXV. editi sunt in iniquos bonorum Ecclesiasticorum possessores, inter quos Gregorius Turonensis Caribertum recenset; narratque, eum potitum fuisse cujusdam loci, ad Ecclesiam S. Martino ædificandam designati. Post hæc, cui persuasum erit, Caribertum cudendos jussisse Nummos, ut III. Canonis hujus Concilii memoriam celebraret, in quo alii multi Canones pravam vitæ suæ rationem damnabant? At opus erat, Buteruvium eo rem detorquere, ut locus esset conjecturæ de orbiculis illis in calicibus insculptis, & Hostias referentibus. Præterea libenter ab eo disceremus, num aliquando Eucharistiæ forma descripta sit orbiculo quodam, Crucem super se non gerente? Alias globuli illi, in calicibus, de quibus hactenus, insculpti, non magis Eucharistiam significant, quam ii, qui visuntur in ætatis illius Nummis, & ab eodem collecti sunt. Apparent namque multis in locis globi, orbes, aut circuli, iis similes omnino, qui prominent ex calicibus illis. Interdum aliqui super crucem positi sunt, alii ex lateribus, vel alio modo dispositi. Videntur itaque species hujusmodi symbolum Eucharistiæ non esse, nisi Crucem impressam gerant. Saltem res caret exemplo.

Greg. Tur. de Mir. S. Mart. l. 1. c. 29.

Denique licet daremus ultro, rotundas imagines istas, supra Calicem positas, germanas Hostias referre, quonam pacto hinc probabitur usus Panis Azymi VI. seculo? Quod afferunt Mabillonius, & Buteruvius argumentum, ut ostendant, Hostias istas fuisse tenues, exiguas, ferroque, & sine Fermento subactas? Una earum figura de his possumus pronunciare. Ac si libitum fuisset Cariberto exprimere Panes Fermentatos, & crassos, aliane potuisset ratione exprimere in Nummo, qui minutuli denarii magnitudinem non excedit, atque in Hostiis haud majoribus aciculæ capite? Consilium igitur, quodcumque tandem fuerit, cudendi Nummos istos, Calix aliaque adjuncta nihil indicant magis, Panem hunc Fermentatum fuisse, quam Azymum; atque adeo nihil priori favet, vel ejus seculo VI. usui, conjectura.

* *Nullus Sacratam Deo Virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat*. Conc. Tur. II. Can. 20. Gregor. Turonensis observat Marcovefam *Religiosam vestem induisse*.

ARTICULUS VI.

Pensitantur conjecturæ, quibus utitur Sirmondus, ut panis Fermentati usum statuat in Ecclesia Latina.

Primitus consecrabant in pane ad Altare oblato. Sirm. Disquis. de Azymo c. 1.

Mos hic increbuerat primis Ecclesiæ seculis, inquit Sirmondus, *ut qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque Sacrificii partem afferret*. Panis hic Fermentatus erat, quippe Panis vulgo adhibitus; adeoque tum non in Pane Azymo, sed Fermentato, sacra faciebant. Consecutio hæc ita legitima est, ut nihil magis. At principium ipsum vertitur in quæstionem, quod probare nititur Testimonio Canonum, Conciliorum, Patrum Ecclesiæ, Liturgiarum, atque exemplorum innumerorum. Statim itaque pensitemus fundamenta opinionis suæ, ut rationum ejus soliditatem perspectam habemus.

Mos offerendi panem, & vinum vetustissimus est.

Conveniat necesse est, vetustissimum in Ecclesia esse morem offerendi ad Altare Panem, & Vinum. Tertulliani ætate sponte fiebant oblationes istæ *. Temporibus insequentibus decreverunt Pontifices, ut cum homines, tum mulieres singulis diebus Dominicis Panem, & Vinum afferrent **. Id videre est in quodam Pii I. Decreto. Quæ sanctiones in Conciliis aliis non paucis instauratæ fuere, atque hujusmodi oblationes ab Ordine Romano, & Ecclesiæ Patribus memoratæ. Narrat Cyprianus, ætate sua Diaconum enunciare solitum elata voce omnes, qui rem aliquam obtulerant ad Altare; qui tamen mos non probatur Hieronymo, atque ab Innocentio I. Capite 2. Epistola 1. irritatus est.

Conc. Matisc. 2. Gangrens. c. 3. & 8. Carthag. 4. Canon. 92. & alia.

Cyprianus l. 3 Epist. 14.

Porro interest scire, num alius panis, nec ne consecraretur præter illud, quem detulerant

Bifariam olim dividebantur oblationes.

* *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert*. Tertullian. Apolog. cap. 39.

** *Constituit omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris, & mulieribus oblationem tam panis, quam vini fieri*. Tom. 1. Concil. Fabianus Ep. 3. ad Fab.

rant fideles. Quam controversiam, ut in bono lumine collocemus, meminisse oportet, bifariam olim fuisse oblationes. Prima fiebat ante Missæ initium, sive ante Evangelii cantum; Secunda tempore offertorii. In prima fideles offerebant panem, vinum, ceram, aliaque multa ad cultum Ministrorum Altaris necessaria, & viduarum pauperumque alimentum. Quod attinet vero ad Panem, & Vinum oblata, dum offertorium peragebatur, utraque usum habebant in consecratione. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis duplex hoc aperte distinguit oblationum genus, earumque usum. Harum argumentum non pœnitendum sufficit nobis Missa Æthiopum, quæ profecto antiquissima est. Sacerdos ante offertorium orat pro illis, qui rem ullam obtulerant *, dum vero illud canebatur, Christiani oblationes deferebant **, & Diaconus contenta voce clamabat: *Orate pro his, qui obtulerunt munera*. Ex quibus comperimus, Liturgiam hanc mentionem facere duarum oblationum, quarum certe illa, quæ ante offertorium fiebat, non videtur ullum habuisse in Sacrificio usum. In Capitularibus etiam Caroli Magni discrimen est oblationum, quas adhibebant Sacerdotes ad Sancta Mysteria, ab aliis, quæ ad Altare offerebantur.

Hincm. Rhem. ep. 1. art. 16.

Videtur S. Cyprianus de consuetudine ista locutus, cum redarguit mulierem locupletem, quæ sibi persuadebat diem Dominicum celebrare sine oblationibus, & detracta tantum parte ejus, quod pauperes obtulerant. *** Quo loco subdit Menardus, mentio fit duarum oblationum; alterius quidem, quæ consecraretur; alterius, qua pauperes alerentur. Ac Cyprianus non tantum matronam hanc de eo carpit, quod nihil alendis pauperibus præberet; sed etiam, quod oblationes decerperet a pauperibus factas. Concilium quoque Matisconense, & alia nonnulla deinceps citanda duplex oblationis genus distinguunt, quas faciebant Christiani sacris adstantes.

Capit Caroli Magni l. 6. c. 305.

Menard in notis in lib. Sacram. S. Greg. pag. 372.

Duo itaque conveniant necesse est. Primum, dedisse tum Christianos, quidquid necessitatem habebat in Sanctis Mysteriis celebrandis. Alterum, curasse illos, ut in Ministrorum victum vestitumque, & pauperum alimentum nonnihil conferrent. Nodus autem difficultatis in eo est, utrum Oblationes fidelium, quibus utebantur ad rem divinam faciendam, constarent Pane Fermentato, & communi, ut placet Sirmondo ****. Habeto igitur conjecturas, quibus efficere possumus, panem a fidelibus oblatum ejusmodi non fuisse, ac illum, quem proponit nobis scriptor hic eruditus.

Non consecrabatur panis a fidelib. oblatus.

Obtinuit antiquitus in Ecclesia, ne uterentur Sacerdotes alio pane in consecratione, nisi illo, quem per se se confecerant diligentissime, vel coram ipsis confectum fuerat; immo cautum erat ipsis, ne ab aliis subactum panem adhiberent. Theodulphus Episcopus Aurelianensis, medii circiter VIII. seculi scriptor, meminit hujus consuetudinis in Epistola Pastorali ad Diœcesis suæ Presbyteros missa *****, necnon Honoratus Augustodunensis, aliique multi.

Conjectura prima. Panis hic parabatur a Sacerdotibus.

Leguntur in vetusto Manuscripto Bibliothecæ Sancti Victoris cæremoniæ, quas observabant in pane parando pro consecratione. *Hostias de fermento electo, & purissimo in alba faciat sacrista in loco mundissimo, linteis cooperto, cui duo fratres subministrent, ne aliud quam ipsas Hostias tractare cogatur, quorum unus ignem sollicite faciat, alter vero instrumentum ferreum ad coquendas hostias teneat*. Anselmus Episcopus Havelburgensis, qui verba facit de re hac, tamquam de vetustissima, subjungit, panem hunc confici consuevisse, psallendo Psalmos. Rabanus item Maurus nos docet, Sacerdotes parare solitos fuisse panem consecrandum. Quo fit, si panes a fidelibus oblatos consecrassent, supervacaneum fuisse, tot præcavere, & tenere, ut panem mysteriis sanctis designatum præparatent.

Lib. ord. S. Vict. Paris. MS. cap. 20.

Anselmus l. 3. Dialog. c. 18.

Quod primum argumentum alio quodam Textu non minoris firmitatis fulcitur. Nicolaus Cabasilas affirmat, consuetudinem antiquissimam tulisse, ne Sacerdotes in Altari panem consecrarent, cui impressa, non esset species aliqua passionis Dominicæ, v. g. Crux; eamdemque indicat Author Liturgiæ, cui appositum est Sancti Joannis Chrysostomi nomen. ****** Liturgia pariter, quæ reponitur VI. Tomo Bibliothecæ Patrum, & citra dubitationem omnem vetustissima est, aperte admodum loquitur hac de re, cum jubeat, panem consecrationis ita conficiendum esse, *ut in eo celata sit Crux*.

Conjectura secunda Panis debebat esse notatus signo crucis *Nic Cabas. Liturg. c. 6.*

Quid, quod Sirmondus in suo de Pane Azymo Tractatu imaginem nobis exhibuit Panis Eucharistici, quam deprompsisse se scribit e prisco Cod. MS. Bibliothecæ S. Germani Pratensis prope Parisios, & oculis nostris objicit Altare, in quo sunt Hostiæ multæ, quarum unaquæque Sancta Cruce insignita est? Oportet quoque VI. seculo usurpatum fuisse hujus Crucis sculptæ in Eucharistia usum; quandoquidem ita interpretatur eruditus hic Jesuita verba III. Canonis secundi Synodi Turonensis *******. Alii sane litterati viri dissimillimis plane rationibus explicant Canonum istum; sed Sirmondus ait, vi hujus Canonis nullam aliam efformandam esse

* *Rogemus omnipotentem Deum pro his, qui obtulerunt munera . . . . . Sacrificium scilicet primarum Decimarum, gratiarum actionis signum: seu autem quis multum obtulerit, seu parum, seu secreto, seu palam, seu volens, & non habens, omnium amplectatur voluntates Dominus Deus noster*. Bibliot. Patrum Tom. XXVII. pag. 626. Edit. Lugd.

** *Dum cantatur Offertorium, populus dat oblationes suas.*

*** *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* S. Cyprian. lib. de Opere, & Eleemos.

**** *Quem minime dubium erat, usitatum sibi, ac Fermento de more temperatum obtulisse*. Sirmondus Disquis. de Azymo c. 1.

***** *Panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis nitide & studiose fiant*. Theod Epist. ad Presbyt. Aurel. c. 1. Honor. August Gemma Animæ cap. 58.

****** *Sacerdos convertit aliam partem hostiæ, quæ habet sursum Crucem, & dicit Diaconus: Sursum Crucem.*

******* *Ut Corpus Domini in Altari, non imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Conc Tur II. Can. III.

esse in pane consecrando imaginem, nisi Crucem *. Immo non dubito, morem hunc multo antiquiorem esse hoc Concilio Turonensi, a quo renovata tantummodo fuit prisca consuetudo, primis Ecclesiæ seculis invecta: Aringhus namque multis in locis ait, apparere adhuc in Catacumbis picturas veteres, in quibus panis Eucharisticus cruce munitus est.

Aringhus Rom. subter. Tom. 2. pag. 484. item p. 532.

Conjectura tertia fideles offerebant farinam.

Animadvertit Honoratus Augustodunensis, hac voce panis a fidelibus ad Altare oblati non accipiendum panem communem esse, sed farinam, ex qua antiquitus panis pro sacro faciendo componebatur **. Josephus Vicecomes diligentissimus Rituum Ecclesiasticorum scriptor contendit, Fideles ad Altare attulisse cum farinam, tum etiam panem communem; farinam quidem, ex qua panis Eucharisticus conficiebatur; & panem communem; qui benedictione prius affectus non refectis pane cælesti distribuebatur. *Dum oblationem, subjungit Auctor idem, & consecrationum nomine farinam, ex qua panis hic, idest hostia, efficiebatur: Eulogiarum vero, seu panum absolute positorum voce, panes benedictos, qui cælesti pane non refectis dabantur post Missam, intelligunt Concilia*. Quam animadversionem petit Italus hic eruditus a quodam loco Concilii Nannetensis, celebrati jussu Vitaliani Papæ anno 658. *** in quo decernunt Patres, Presbyterorum esse nitide servare in vase frusta panis distribuenda post Missarum solemniis, *qui communicare non fuerint rati*. Hæc autem fragmenta vel ex farina fieri debebant a populo oblata, quæ consecrationis usui superfuit, vel ex panibus a fidelibus oblatis, vel tandem ex panibus ipsorum Sacerdotum.

Joseph Vicec. de antiq. Miss. ritibus Tom. 3 l. 2. c. 10.

Panis servabatur pro Eulogiis.

Considera itaque attentius verba ista: *ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt*, interpretari haud posse, præterquam de farina a Fidelibus oblata, quæque pro consecrationis pane usum non habuerat. *Oblatio* itaque non significat, nisi farinam Pani Eucharistico designatam: at verba, quæ sequuntur, *vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Ecclesiam*, sine alia additione, indicant panem communem, & vulgatum, quem debebant Christifideles offerre, & benedicebatur, populoque Cœlesti Pane non refecto distribuebatur. Idem porro Vicecomes author est, vocem hanc *oblatio*, quæ legitur cap. 4. alterius Concilii Matisconensis; Can. 24. III. Concilii Carthaginensis; atque in Ordine Romano, farinam significare, ex qua conficiebatur Eucharistia, quamque super Altare fideles offerebant.

Oblatio significat farinam.

Eamdem consuetudinem confirmare possumus verbis Sancti Gregorii Papæ, qui ait: *Manifestum esse cujus mensuræ, vel formæ debeant esse Sacerdotum oblata, quæ ex pugillo similæ fieri jubentur*. Fortasse etenim Gregorius *similæ pugillo* eam intelligit, quam pro Pane Eucharistico Fideles offerebant. Simile namque vero fit, si verba divina in panem protulissent a populo Christiano oblatum, hunc non futurum fuisse ejus rationis, quam postulat S. Gregorius. Quod si magni hujus Pontificis locus satis momenti non habet, ut directo probemus, tum adhibitam fuisse in sacrificio farinam, non panes oblatos; efficere tamen videtur non adhibitum in Sanctis Mysteriis panem, quem vulgus hominum apud Altare obtulisset.

Confirmatur usus farinam offerendi. *Greg. Dialog. l. 4.*

Cæterum si argumenta hæc simul juncta quoddam demonstrationis genus non pariunt, nunquam in sacris Mysteriis celebrandis usum fuisse panis a Fidelibus oblati, videntur tamen concludere posse a VI. seculo deinceps confectam non fuisse Eucharistiam in pane communi, quo indiscriminatim divites, & pauperes uterentur. Cum etenim sanxerunt Patres, & Concilia, Panem Consecrationis fieri debere ex simila pura, munda, & tanto studio disposita, non video, quo pacto communis panis his omnibus qualitatibus præditus esse potuerit. Quare fundamentum Sirmondi non videtur fulciri posse, vel certe post sextum Ævum.

A sexto seculo non consecrabant panem oblatum.

Nihil sane dico de seculis primis; at præsumendum quidem est, Apostolos, eorumque successores, qui viva fide summaque præstabant existimatione in sacramentorum omnium augustissimum, quod sane numeris omnibus absolutum potestatis, & bonitatis divinæ opus est, multa prospexisse in delectu Panis in Jesu Christi Corpus convertendi. Si namque Judæi victimas non offerebant, quæ paratæ non essent, & quibusdam conditionibus affectæ; si grandi cæremoniarum instructu Agnum Paschalem manducabant, quis credat, Evangelicæ Legis Sacerdotes nullum alium sacris apposuisse panem, quam qui sordidis fortasse manibus oblatus erat, & usui quoque communi addictus?

Conjecturæ pro pane Azymo.

Si vinum in Sacrificio offerendum optimæ semper notæ seligebatur, & hujusmodi vino alicubi deficiente, aliunde generosi saporis conquirebatur; Si Galli ipsi ut animadvertit Sanctus Gregorius Turonensis, apud quos multis in locis, quemadmodum & impræsentiarum, exquisitum erat, non faciebant tamen, quominus e Gaza, ubi tam exquisitissimum habebatur, compararent; si tandem Ecclesiis vineæ legabantur in pinguibus, vitiferisque terris sitæ, ut ex illis vinum expromerent pro Sacrificio; cui persuasum fiet pro sanctis Mysteriis adhibitum fuisse cujusvis generis panem sine delectu, & Sacerdotes non designasse ad id muneris panem diligenti studio confectum, quandoquidem

Vinum pro Missa melioris notæ erat.

Greg. Tur. l. de gloria confess. c. 64.

* *Ut panis in Corpus Domini comparandus non aliter pro cujusque arbitrio, quam impressa Cruce formetur.* Sirmondus de Azymo c. 4

** *Fertur, olim Sacerdotes de singulis domibus, vel familiis farinam accipiebant, (quod adhuc Græci servant) & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuebant.* Honor August. cap. 18.

*** *Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyteri convenienter partes incisas habeant in vase nitido: ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus Festis exinde accipiant, & illa, unde Eulogias Presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat.* Ecce autem verba benedictionis Eulogiarum. *Domine Sancte, Pater omnipotens sempiterne Deus benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, ut fit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamentum.* Conc. Nannet. I. cap. 9.

tantum operæ, & studii in vino ponebant? Quam itaque id argumento est, vinum a Fidelibus oblatum Missæ celebrandæ non deservisse; tam non apparet, eos usos fuisse pane ante Altare delato, nisi ratione plane singulari confectus fuerit.

ARTICULUS VII.

Alia Sirmondi Argumenta.

Argumentum primum depromptum e Concilio Matisconensi.

Sirm. diss. de azymo c. 1.

PRincipii loco posuit sapiens hic Scriptor e Societate, nullum alium panem divina verba suscepisse, nisi a Fidelibus oblatum; quod eruit e IV. canone secundi Concilii Matisconensis, jubentis, ut singulis diebus Dominicis panem, & vinum deferrent. * At vero Synodus non aperit, an panis hic, a populo oblatus, fuerit nec ne materies consecrationis; adeoque propositum non conficit, cum nemo in dubium verteret, quin vetustissima Ecclesiæ consuetudine receptum esset, panem, & vinum offerre, ut superius probavimus monumentis multo antiquioribus, ac sit secundum Concilium Matisconense. Opus itaque erat, Criticum hunc eruditum ostendere nobis, nullum alium fuisse in divinis rebus faciendis usum panis, nisi ejus, qui a Fidelibus offerebatur.

Quid quod licet daremus ultro Sirmondo, hujus Concilii Canonem non modo panis oblationem imperare, sed panis quoque consecrationis usui futuri: quomodo congruet consuetudo hæc VI. Canoni XVI. Concilii Toletani, quod sequenti capite laudat, statuitque: *ut non aliter panis in Altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiæ consuetudo retentat?* Panis a populo oblatus hujusne rationis erat? Quis dixerit panem *nitidum ex studio præparatum*, & mediocri magnitudine secundum Ecclesiæ morem, fuisse panem mensæ communem, quem divites æque, & pauperes comederent: sive uti vocat, *panem usitatum mensisque quotidianis usurpatum*?

Sirmon. ibid cap 2.

Secundum argumentū.

S. Cypriani locus, in quo perhibetur de muliere nihil offerente, sed de pauperis tantummodo parte sumente, secundum est Sirmondi argumentum; cui attexit alium ex Opere, S. Augustino constanter supposito. Quod vero est S. Cypriani, demonstravimus in ante actis nihil Sirmondianæ opinioni favere.

Tertium argumentum.

Putat etiam utilitatem aliquam capere ab ordine Romano, in quo dicitur: *Archidiaconum accipientem oblatas, ponere tantas super Altare, quantæ possunt populo sufficere*: quæ vox *oblata* non videtur hoc loci significare panem ad Altare a fidelibus oblatum, sed citius Hostias pro sacris faciendis dispositas. Verum enim vero sensibus patet, vocem hanc *oblatas* ambiguitate laborare, & sumi commode posse pro materie consecrationi designata secundum Ecclesiæ consuetudinem, multo ante Ordinis Romani institutionem propagatam. Quod attinet ad verba: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile sit apud Deum*, non sane certo monent, sacrificium ex pane factum fuisse, quem Fideles afferebant: sive etenim totus panis, sive pars ejus tantum, quem dono dederat populus Christianus, in Christi corpus convertebatur. Si totus, qua via explicabis Concilia jubentia, ut quæ superessent, pauperibus largirentur, vel benedicerentur ad Eulogias conficiendas? Si contra partem solum adhibebant, alii igitur partium aliarum largitores sacrificii participes non fuissent. Denique præterquamquod non semper in Missa recitata sunt hæc verba, numquid non ad hanc quoque diem pro Fidelibus efferuntur, qui tamen nihil obtulerunt?

Hæc sunt argumenta omnia eruditissimi Sirmondi, accurate tum ab ipso, tum a nobis producta pro magno illo suo fundamento; nimirum nullum alium panem in re divina locum habuisse præter illum, quem Christi fideles offerebant. At argumenta hæc in duobus deficiunt. Primo quidem, quia nullum, ut antea diximus, ex his testimoniis præsefert, panem, in Christum immutandum, detractum fuisse ex fidelium dumtaxat oblationibus, atque eumdem fermentatum fuisse. Secundo, quamquam auctoritas Concilii Matisconensis, Ordinis Romani, aliorumque probaret in rem suam; id tantum probaret, quod post sæculum VI. more usurpatum fuisset, non vero, quod antea; cum tamen opinio sua flagitet, ut ostendat, quocumque tandem tempore nullum alium consecrasse Sacerdotes panem, præter oblatum a Fidelibus, atque illum ex azymis confectum minime fuisse.

Aliud argumentum a Photii silentio petitum.

Sirm. diss. de azymo c. 3. Bona Rer. Liturg. lib. 1. c. 22. art. 15.

Photii silentium de azymis videtur Sirmondo efficax ratio nullius in Ecclesia illorum usus. Tempore, inquit Nicolai primi, cum Photius, expulso S. Ignatio Patriarcha, Constantinopolitanam Sedem occupasset, Ecclesia Græca a Latina defecit. Cui defectioni, ut rationem aliquam prætexeret Photius, præcipuus schismatis Author, exprobravit Latinis, & crimini dedit mores multos a Græcorum moribus abhorrentes: uti jejunium sabbathi; fidem in Spiritum sanctum, tamquam a Patre, Filioque procedentem; interdictum Sacerdotibus Matrimonium, & id genus alia de moribus, & disciplina: sed de azymis ne verbum quidem. Cui porro non liqueat, silentium hoc constans indicium afferre de nondum in Ecclesiam Latinam introducto illorum usu? Græci profecto, qui consuetudines minoris longe momenti multas in ipsam retorserant, hujus nullo modo obliti fuissent, quemadmodum obliti non sunt tempore Leonis IX., cum Græci recentes a debita Ecclesiæ obedientia discesserunt. Quamobrem (colligit inde Sirmondus) azymorum usus obtinuit in

* *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini*. Concil. Matisc. II. anno 585. c. 4.

in Ecclesia Latina a Photii ætate ad Michaelem Cerularium, nimirum intra annum 867. ad 1054.

Occurrimus silentio Photii. *Photius Biblioth. c. 116.*

Ego vero dixerim, iccirco Photium non redarguisse Latinos de Azymorum usu, quia ratum habebat illum ab exemplo Christi manasse; cum fateatur in Bibliotheca sua, hanc esse Chrysostomi, Ecclesiæque Græcæ sententiam, ut videlicet Christus in Eucharistia instituenda panem azymum adhibuerit. Ad hæc nonne Photii ætate canebatur diebus quadragesimæ canticum *Alleluja* in Ecclesia Latina? nonne Clerici tonsuram deferebant? & manus in Confirmatione non imponebantur? Interea tamen licet hæc omnia, aliaque his similia Ecclesia Latina teneret, non autem Græca, nihilofecius de illis Photius Latinos haud insimulavit. Igitur neque illud consequens est, Ecclesiam Latinam non usam azymis, propterea quod hoc ipsi Photius culpæ non verterit. Postremo quæ vis inesse potest neganti argumento adversus tot probationes aientes, quas deinceps afferemus de Ecclesia Romana ante Photii tempus azymos adhibente?

Aliud argumentum ex genere negantium.

Extat ne, inquit rursus Sirmondus, ullus Concilii Canon ante Photii tempora celebrati, qui azymi panis usum decernat? Dicendum igitur erit, consuetudinem hanc posteriorem esse ætati hominis hujus schismatici. Quod adnotavit Demetrius Chomatenus Bulgarorum Archiepiscopus, *quem utpote Græcum Scriptorem, hic potius audiendum putamus, quam Rupertus Abbas, aliique.*

Refutatio hujus argumenti.

Hæc argumentatio rite ne, atque ordine procederet? a Photio ad Cerularium nullam legimus constitutionem, vel Concilii Decretum, quod sanciat azymos suscipiendos, Fermentum repudiandum. Ergo Ecclesia Latina sacrum non fecit in azymo pane, ducentorum ferme annorum illorum intervallo, qui inter utraque Græcorum istorum Schismata fluxerunt? Attamen Sirmondi ipsius confessione, caput hoc disciplinæ tum temporis in Ecclesia Latina passim invaluerat.

Deinde certo certius est, nullum reperiri apud tot cum Græcorum, tum Latinorum Concilia, Canonem, qui jubeat Ecclesiæ, vel Græcæ, vel Latinæ Azymorum, vel Fermentati usum. Integrum ne porro esset colligere, utramque Ecclesiam numquam fecisse sacra in pane azymo, vel fermentato? Et tamen id ex argumento Sirmondi deduci posset.

Immo vero si longius intendere par esset negans hoc celeberrimi Jesuitæ argumentum, illum fateri oporteret panem azymum, vel fermentatum non fuisse subjectam consecrationi materiam in Orientis Ecclesia ad VII. usque sæculi initium, in Occidentis Ecclesia ad VIII.. Quandoquidem nullus est Ecclesiasticus Scriptor, nullus Concilii Canon, Liturgia nulla, vel Liber Ecclesiasticus, in quo mentio fiat vel azymi, vel fermentati panis in utraque Ecclesia. Quo in loco non loquor de consecutionibus, quas elicere possemus ex dictis Patrum, vel Conciliorum, sed de locis perspicuis, aientibus, & certis pro confirmando utriusque panis usu. Quamvis etenim perpetuo constiterit, panem esse legitimam materiam consecrationis, non tamen verbo vel uno singillatim statutum est, hunc esse debere vel azymum, vel fermentatum.

Aliud argumentum ab exemplis mutuatum.

Tandem Sirmondus nititur munire opinionem suam nonnullis exemplis. S. Radegundes, inquit, panes conficiebat, mittebatque ad Ecclesias pro Sanctorum Mysteriorum usu, uti didicimus a Fortunato. Historiam pariter non præteriit mulieris, Sancto Gregorio respondentis, se risu excellisse, *quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas*. Verum præterquam, quod factum mulierum istarum non probat magis, panem ab ipsis confectum fermentatum fuisse, quam azymum; mihi videor inde inferri posse præsertim ab exemplo S. Radegundis, panem ad consecrationem assumtum non fuisse illum, quem populus fidelis offerebat: sed Sanctam Virginem istam pietatis gratia, suique in sacramentum obsequii per sese panem illum subegisse, ut nitidius pararetur, atque Ecclesiis distribuisse. (*Joann. Diac. in vita Sancti Gregorii.*)

Hic, ut opinor, finis esto omnium, quæcumque Azymorum propugnatores, vel oppugnatores attulerunt, tum ex authoritate Patrum, & Conciliorum, tum etiam e conjectura depromta.

ARTICULUS VIII.

Animadversiones in momenta Eruditorum, usui Panis Azymi tum suffragantium, tum refragantium.

Modestia singularis eorum, qui tres de azymis opiniones propugnant.

PRimo loco illud subit animadvertere, numquam satis admirandam esse, nonmodo reconditam eruditionem, sed modestiam singularem Scriptorum illorum, quos pro tribus de azymis sententiis in medium attulimus. Vis quidem intelligentiæ, & cognitionis illorum in iis, quæ Ecclesiasticam, & profanam antiquitatem attingunt, cuique perspecta est; sed attende argumentum moderationis hujus, tam inter Viros litteratos inusitatæ, quam prævalens esse deberet cujuscumque germani sapientis affectio.

Sirm. disquis. de azymo c. 5.

Cum Sirmondus non possit non improbare interpretationem Baronii ad loca Pontificum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I. de pane fermentato, loquitur in hunc modum: *in qua ego disputatione, si quid sentiam, exposuero, non vereor ne contra Baronii mentem, votumque facere videar, cum omnes ad hoc ipsum, ut sua libere promant, invitarit, nec me ab ejus sententia discedere indignabitur quisquam, qui meminerit illum pro singulari sua modestia, solitum aliena haud gravate audire, & si meliora suis cognosceret, libenter amplecti.*

Mabill. diss. de azymo pag. 3. & 4.

Bona epis. ad Mabill. Romæ 1673.

Mabillonius quoque non putavit sibi propugnandum esse Azymorum usum, a Sirmondo impugnatum, nisi antea publice testatam faceret suam pro ipso existimationem, eamque iisdem ferme sensis, ac pene vocibus indicaret, quibus utitur Sirmondus pro Cardinali Baronio. Tandem Bona eumdem Mabillonio morem gerit, ubi ejus pro azymo argumentis respondet.

Consilium Authoris.

II. Quamquam igitur præ oculis non haberem exempla hæc tantæ virtutis præstantissima, non tamen fecissem, quominus ingenue faterer demissam venerationem meam eminenti summorum virorum istorum sapientiæ; atque hoc loco testarer, me, qui post tot homines litteratos rem hanc retractare suscepi, immo a diversis illorum sententiis discedere, me inquam consilio meo, constitutisque præceptis coactum fuisse, ut in implexa adeo quæstione alias plane semitas ingrederer. Non itaque id factum est animo contradicendi peritis Auctoribus istis, aut spe nixus, qua sententiam meam aliorum sententiis præstare existimarem; sed potius cogitatione, & consilio obtemperandi voluntati ipsorum, qui hortati sunt scribentes super hac re, ut novis viribus conarentur in controversiam istam, totius Historiæ Ecclesiasticæ fortasse occultissimam, altius se insinuare. In spem insuper non mediocrem inducor, fore, ut nemo facinus hocce nostrum redarguat, ubi reputet animo inimitabilem pene criticorum istorum moderationem, qua hilare aliorum doctrinam receperunt, immo suæ non semel prætulerunt, cum veritati propiorem esse censebant. Hæc namque unus laborum, & vigiliarum suarum finis erat, eique libenti animo obsequebantur, ubicumque ipsis obversaretur.

Nihil est apud antiquos magni momenti super hac quæstione.

III. Non magnopere dubitavi, quin explorarum facerem iis, qui non satis diligentem rebus istis operam dederunt, nullum esse quod noverim, inter tot loca, quæ afferunt, in quo firmum argumentum statuere possimus. Expendere nimirum placeat sigillatim testimonia omnia, e Conciliis, Patribus, Librisque Ecclesiasticis depromta; & ne unum quidem reperies apertum, clarum, atque absolutum, cum pro statuendo, tum pro rejiciendo Azymo, vel Fermentato.

Hæc testimoniorum veluti strues, utrinque congesta, plerumque non efficitur nisi locis, & libris certo falsis, aut maxime ambiguis comparatis; vel demum loca eadem laborant ambiguitate, ut tandem nemini profutura sint, nisi longe accersitis interpretationibus, vel consecutionibus: adeoque omnis fere Patrum, vel Conciliorum pro alterutra sententia locus, ad contrariæ opinionis præsidium revocari possit. Voces istæ, *panis*, *oblata*, *oblationes*, *sacrificium*, *fermentum* ambiguæ sunt, & propterea dum hic eas accipit pro se, alter sensum penitus adversum ipsis accommodat; iisdemque dictis aientem, & negantem partem facile ruentur. Quæ pariter verborum ambiguitas magnam affert utilitatem testimoniis veterum expediendis, ab adversariis removendis, atque in suum sensum adducendis.

Nihil in tota antiquitate reperies, quod satisfaciat.

Non est itaque mirum, opiniones fundamentis tantæ levitatis constitutas, neque facere satis ipsarum propugnatoribus, neque expugnatoribus: omnesque ingenue profiteri, ad sæculum VIII. usque nihil extare in tota antiquitate, quod rem concludat; imo per eosdem multi operis futurum, aliquid hac de re proferre, quod non severum dixerim criticum, sed æquum, & rectum hominem expleat. Quod certe singularum opinionum Scriptores impulit, ut tentatis viribus omnibus se se mutuo excitarent, litteratosque alios adigerent ad melioris notæ aliquid experiundum; cum ne ipsi quidem contenti essent disquisitionibus, aut inventis suis, atque argumentorum item suorum futilitatem cognoscerent. Quam igitur post hæc firmæ erunt conjecturæ, quæ testimoniis veterum undique labentibus innituntur? Magnum quidem ipsarum numerum, & reconditarum, undique cogunt: verum præterquamquod leves sunt, plerumque maxime ambiguæ, & sæpe longius deductæ vicissim pariter se confodiunt, atque ut plurimum hinc evertunt opinionem, pro qua illinc excogitatæ sunt.

Via & ratio, quam inire quis posset, ut controversiam istã dirimeret.

IV. Quibus positis animadversionibus, conveniat necesse est, oportere reipsa viarum istarum alteram inire, ut nova aliqua claritas huic de Azymis quæstioni accederet. Prima sit colligere ex Ecclesiastica antiquitate testimonia magis explorata, & certa, quam illa, quæ hactenus producta sunt. At vereor, ne hujusmodi testimonia desint omnino, quoniam, si modo essent, tot sapientum aciem, atque inquisitionem haud fugissent: idemque dicito de novis conjecturis; cum etenim in sensus omnes distraxerint quæstionem hanc, eas profecto detexissent, atque adhibuissent.

Animad. in reg. crit. diss. 3. art. 8. to. 1.

Secunda esset, disputationem hanc principiis aliis fulcire, novisque præceptis moderari. Sum porro nescius, anne lumen aliquod conferret in rem hanc critica Traditio, Ecclesiarumque consensus, & usus. Alias equidem probavi, authoritati, & conjecturæ (quæ duo sunt communia critices principia) addendam esse Traditionem, Ecclesiæque consensionem; & operosum fore, sine præsidio utrorumque istorum principiorum, pleraque facta Ecclesiastica enucleare. Atqui nullibi utiliora mihi videntur esse, quam hic; destituti namque veterum auctoritate, & testimoniis super azymorum controversia, reliquum tantummodo est, ut criticæ Traditioni, Ecclesiæque consensioni adhæreamus.

Traditio est tutior via ad dissolvendam controversiam istam.

V. Præfulgentibus igitur istorum principiorum novorum veluti facibus, ostendere enitar, usum azymorum in Ecclesia Latina non esse christiana ipsa Religione recentiorem, sententiamque istam non modo probabilem esse, sed aliis etiam fortasse probabiliorem. Illud certe commodi præ cæteris habet, ut tot non pateat molestis consecutionibus, quæ in sententiis Criticorum nostrorum vitari non possunt. Nemo itaque præstoletur, nos in medium afferre testimonia ambigua, aut longe petita, vel e voluminibus dubiis, sive Apocryphis decerpta. Si conjecturæ meæ seorsim acceptæ leves esse videbuntur, simul junctæ, nisi fallor, probationem efficient, non

quidem

quidem nullam dubitationem relinquentem, sed quæ faciat satis hominibus illis, qui de rebus secundum adjuncta, argumentique naturam incorrupte pronunciant. Neque vero ullo modo fiet, ut Auctorum sensis adversentur; sententiam meam hinc concutiant, quam illinc propugnaverant; in meipsum retorqueri possint, aut ex ipsis consequentiæ elici, priscum azymorum usum vel tollentes, vel extenuantes.

Quare responderimus argumentis aliorum.

VI. Certo liquet, me rationibus meis veritatem moraliter exploratam haud tribuere, aliorumque momentis omnem cum vero similitudinem haud detrahere. Quod si in eo laboravi, ut argumentis illorum occurrerem, atque ostenderem, tanta, ut sibi persuadent, soliditate non affici; si probavi, authoritates, & conjecturas, quibus fidunt, haud raro prodere caussam suam; si in illos easdem aliquando converti, vel inde consecutiones deduxi parum ipsis faventes: id propterea tantum feci, ut persuasum Lectori esset, sententias illorum gravibus premi difficultatibus, quæ de certa earumdem veritate detrahunt; novas alias cudi posse, quæ non minori probabilitate præditæ sint; atque hærere de opinionum istarum firmitate, cum ratione, ad persuadendum idonea, haud probaverint, quod se probaturos esse spoponderant.

ARTICULUS IX.

Post octavum sæculum Panis Azymus in Ecclesia Occidentis adhibebatur.

Panis azymus in more positus erat sæculo IX.

NEmo unus, quod sciam, vertit in controversiam, panem azymum passim fuisse post medium XI. sæculum in Ecclesia Latina receptum; quod ab Leone IX. supremo tum Antistite Romano didicimus; qui scribens ad Michaelem Cerularium, ait: I. Jesum Christum Eucharistiam in pane azymo instituisse. II. Exemplo ipsius Ecclesiam Latinam nunquam sacra fecisse in pane fermentato; idque consuetudinis obtinuisse in Ecclesia Latina ante annos mille, & viginti, qui a Servatoris morte fluxerant. III. Neminem ante Cerularium ausum esse hanc Ecclesiæ Occidentalis institutionem vituperare. IV. Martyres omnes ab ineunte Christianitate Eucharisticis *Azymis saginatos fuisse*. Denique disciplinam istam ab instituto Petri descendere *.

Humbertus, ab eodem Leone IX. in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, in responsione ad Cerularium contendit, nulla intermissione Ecclesiam jam ab initio panem azymum consecrasse; atque in disputatione, quam habuit Cardinalis iste cum Niceta, cognomento *Pectorato*, morem hunc *Sedis Apostolicæ* Traditionem vocat. Alii quoque Scriptores multi ejusdem ævi, ** aut paullo sequioris crediderunt, consuetudinem utendi pane azymo manasse ab Apostolis, atque in Ecclesia Latina semper perseverasse. Quare Azymorum usus vel Scriptorum istorum ætate in Ecclesia Latina constitutus erat.

Azymorum usus non incepit nisi inter IX. atque XI seculum.

Sirmondus autem, & Bona non dissentiunt, panis azymi morem Ecclesiæ Latinæ communem fuisse tempore Leonis IX, sed negant traditionem hanc ab Apostolis profectam fuisse; asseruntque, eumdem ante Photii schisma ignotum penitus fuisse, atque in Occidentis Ecclesiam invectum tantum ætate labente inter Photium, & Cerularium, nimirum ab anno 867. ad annum 1054., cujus mutationis nullum aliud afferunt argumentum, nisi silentium Photii, qui per illos non abstinuisset, quin Ecclesiam Latinam de hac consuetudine redargueret, si modo schismatis sui initio recepta fuisset.

Quis non videat, parum firmitatis in se se habere argumentum hoc, & ratiocinationem hanc parum æquitatis? Photius id Ecclesiæ Romanæ crimini non dedit: Cærularius vero primus exprobravit; ante Photium ergo ignota erat consuetudo hæc, & non increbuit, nisi spatio illo ducentorum circiter annorum, qui inter utrosque schismaticos istos fluxerunt. Verum nonne opus esset indicare circiter tempus mutationis hujus; quanam acciderit de caussa; quinam duorum supra quadraginta Pontificum, Romanam sedem per illud intervallum tenentium, imperaverit Fermentati desuetudinem, Azymique consuetudinem? Conjectura hæc, ut superius ostendimus, non modo levissima est, sed certo, & constanter falsa; quinquaginta namque ante schisma Photianum annis, videlicet sub initium IX. sæculi, immo sub exitum VIII., Azymorum mos inter Latinos inoleverat.

Hujus sententiæ levitas ostenditur.

Constat manifesto, quod tradit nobis Alcuinus, e vivis sublatus anno 804. in Epistola sua, per id tempus Angliam, & Galliam Azymos adhibuisse. Immo ex eodem Scriptore conficere possumus, apud Ecclesiam quoque

Azymi usus obtinebat ante VIII. sæculum.

* *Illud autem quis non stupeat, quod post Sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti a Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersit, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans in eos, quicumque participarent ex azymis .... Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare.* Leo IX. Epist. adv. Mich. Cerul. & Leonem Acridanum.

** Algerus *omnem Ecclesiam præter Græcam ex Traditione Petri, & Pauli in azymis celebrasse*, lib. 2. cap. 3 Hugo Tuscus, seu Eterianus, *Ecclesiam Latinam azyma perpetuo immolasse*, lib. 2. de Hæres. c. 17 Rupertus Abbas *Ecclesiam Romanam fermentum numquam adhibuisse*, lib. 2. de div. Offic. c. 22. Innocentius III *Ab ipsis Apostolis Petro, & Paulo, quos vivos habuit Ecclesia Romæ*, l. 4. de Missa, c. 4. & alii.

quoque Latinam in more fuisse tum azymum panem. *Audivimus* (etenim ait de Presbyteris quibusdam Hispanis) *aliquos in illis partibus affirmare, salem esse in sacrificium corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec Universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus Testimonii offerenda sunt: Panis, Aqua, & Vinum .... Panis, qui in Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus ... Ex aqua, & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi.*

Alcuinus Ep. 62. ad Lugd.

Anno 819. Rabanus Maurus opus conscripsit de institutione Clericorum, quod in Præfatione solutæ orationis Haistulpho Archiepiscopo Moguntino nuncupavit. In quo postquam animadvertit, usum panis azymi vim habuisse in Ecclesia Latina, & nemini licere alio pane uti, subjungit: *Credimus & panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium sui corporis consecravit, infermentatum esse*; ex quo infert: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in sacramentum corporis, & sanguinis Christi sanctificari oportet.*

Rabanus l. 1. *de Eccl. offic. c.* 31.

Cujus hominis sapientissimi testimonium non modo statuit, panem azymum in Germania, verum in Ecclesia universa. Declarat namque ab ipso Prooemio, sibi propositum esse agere de sancto Missæ sacrificio secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem: adeoque allatis Missæ cæremoniis, & Azymorum usu pertractato, sequitur: *Istum ordinem ab Apostolis, & Apostolicis viris traditum, Romana tenet Ecclesia, & per totum penes Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem Traditionem servant.*

Rabanus ibid. c. 33.

Consequens igitur est, usum Azymorum communem tum fuisse omnibus pene Occidentis Ecclesiis, cum Rabanus Maurus id Operis conscribebat, scilicet quadragesimo plus anno, antequam Photius S. Ignatium e Sede Constantinopolitana depelleret, & multo ante schisma Græcorum. Hæc loca extant in editis voluminibus Auctoris hujus, atque in duobus Codicibus manu exaratis, altero sexcentorum, altero octingentorum annorum; qui quidem ipsius Rabani ætate descriptus fuit, ut observat Mabillonius.

Mabillon. annot. Benedict. Tom. 2. *l.* 28. *n.* 95.

Duo hæc testimonia infestissima sunt magno illi Sirmondiano principio de consuetudine panis azymi, ante Photii schisma penitus ignota. Neque adversantur minus Bonæ opinioni, contendentis, Ecclesiam sibi legem non indixisse utendi azymis, nisi cum id culpæ ipsi verterunt Græci sub Pontificatu Leonis IX. Captus insuper hic est, cum dixit, morem hunc tunc propagari cœpisse, cum numerus refertorum sacris Epulis decrescere cœpit, & modicus panis Sacerdoti simul, & Ministris sufficere.

Operum Litur. 1. c. 23.

Habes, opinor, quod superest tutius, probabilius, & vetustius de Azymorum usu. Non me latet, alios quoque produci Auctores ad confirmandam institutionem hanc eodem sæculo; sed cum loca ista non satis aperta videantur, vel ex dubiis Operibus sint deprompta; iccirco non puto, magnum inde emolumentum comparari posse, non secus atque e Conciliis, vel Patribus, qui VIII. sæculum præcesserunt. Una itaque reliqua traditio est, ut azymorum morem ab VIII. sæculo ad Apostolica tempora traducamus: atque hanc in posterum statuere operæ pretium erit.

Mabill. dissert. de azymo. c. 9.

ARTICULUS X.

Quadrifariam tantummodo usus Panis Azymi obtinere potuit in Ecclesia Occidentis ad VIII., vel X. sæculum.

Quadrupliciter mutari potest Ritus aliquis.

INitio ipso supponendum, quod exploratissimum est, nimirum VIII., aut IX. sæculo Ecclesiam Latinam fecisse rem divinam in pane azymo, & disciplinam istam generatim receptam, institutamque fuisse sæculo X. sive XI., Porro Occidentis Ecclesia consuetudinem hanc recepit, & recipere potuit altero ex his quatuor modis. I. Ex Lege statuta a Superioribus Ecclesiasticis, qui jusserint universis Ecclesiis Latinis, ut a fermentato abstinerent, atque azymos indicerent. II. Mutatio hæc fieri potuit introductione quadam sensim serpente, quæ in aliqua peculiari Ecclesia observari ceperit, quæque obtentu aliquo innovans, Ecclesias cæteras ad sui exemplum perduxerit. III. Sive omnes, sive præcipuæ Ecclesiæ, quæ communi consensione Romanum Ritum amplectuntur, simul conspirare potuerunt, ut fermentatum panem deponerent, azymumque susciperent. IV, Vel demum id moris ad Latinam Ecclesiam manavit per Traditionem, quæ a primis sæculis descenderit, quæque usu perpetuo ad VIII. vel X. sæculum usque servata sit.

Nullum est in Ecclesia disciplinæ caput, sive pertineat ad materiam, vel administrationem sacramentorum, Sanctum Missæ Sacrificium, Officium divinum, Festorum celebrationem, mores, usus, atque in universum quidquid ad Dei cultum spectat, & Ritus, sive Disciplinæ nomine circumscribitur, quod ex his modis aliquo introductum non sit. Quo in loco verba non facio de rationibus extraordinariis, quibus uti potuerit Deus, v. g. revelationis, aut afflatus, Ecclesiæ universæ mutationem hanc indicentis; quamvis etenim Ecclesia aliqua particularis hoc pacto morem quemdam recipere potuerit, ut legimus in Sancti Cypriani Libris, Deum sæpius illum visis, & revelationibus instituisse de multis ad Ecclesiæ suæ regimen pertinentibus: nihilominus caret exemplo divinus hic agendi modus, quo caput aliquod Disciplinæ in Ecclesiam universam invexerit.

Cyprian. Ep. 8. 10. 34. 45. 69.

Non

Usus azymorum nulla lege constitutus est.

Non est opus multis, ut probem, morem adhibendi azymos ad Christi corpus e cœlo vocandum, non obtinuisse in Ecclesia Occidentali primo modo. Ab institutione Eucharistiæ ad sæculum XII. nemo posset indicare Decretum ullum vel Pontificis, vel Concilii, vel Superioris alterius Ecclesiastici, quod fermentatum panem removendum esse decernat. Pontifices quidem, Concilia, atque Episcopi sanxerunt multa de iis, quibus constare deberet panis ad sacrificium designatus, & de ratione illum præparandi; sed nulla ante XII. sæculum extat Lex, quæ Latinam Ecclesiam coegerit, ut azymos amplecteretur, & fermentum respueret. De hac sane nihil norunt, tum quotquot hactenus scripserunt super hac re, tum ipsi panis fermentati propugnatores. Quamobrem jus est nobis affirmandi, mutationem hanc primo ex his modis non accidisse, donec ulterius quis nos erudiat.

Eadem mutatio fieri non potuit secundo, & tertio modo.

Ne longior sim, aut ejusdem rei iteratione molestior, pergo conficere unius tantum dilemmatis vi, mutationem, de qua controversamur, fieri non potuisse secundo, aut tertio modo; eisdem namque probationibus uterque excluditur. Vel usus Azymorum sensim, & veluti gradatim in Ecclesiam Latinam invectus est, vel ab omnibus Ecclesiis simul, eodemque tempore receptus. Porro esset inauditum paradoxon, cunctas Ecclesias particulares, Romanæ Ecclesiæ conjunctas, amplexas fuisse eodem tempore consuetudinem tantæ gravitatis, & defecisse ab alia, quam ab omni vetustate servaverant, sine ullo superioris alicujus Ecclesiastici imperio.

Vel Episcopi omnes contulerunt vicissim cum aliis consilium mutationis hujus, vel singuli in Provincia sua, insciis aliis id innovarunt. Hic secundus modus major est, quam ut illum mente capere quis possit, ut cuidam prodigii generi tribui tantum posset, de quo nunquam fando auditum fuit. Et sane quandonam Dei Omnipotentis virtute id ostentum patratum est? Quod si propositum istud cum aliis contulerunt, Epistolis ne id fecerunt, an Legatis? Simplex recedendi a fermentato propositio sine majori examine satisne fuisset, ut vetusta hæc consuetudo obsolesceret? Quodnam quantumvis pusillum ingenium assentiri potest viæ huic, & rationi extraordinariæ novum Ritum suscipiendi?

Neque vero fit magis simile vero, id paullatim immutatum fuisse ab Ecclesia ad Ecclesiam irrependo: præterquamquod etenim non pauca sufficerent sæcula ad inducendam hoc pacto in omnes Occidentis Ecclesias hujusmodi consuetudinem; cui Ecclesiæ adjudicandus honor erit, quod alias ad sui exemplum revocaverit? Ecclesiæ ne Romanæ, aut Gallicæ, aut Hispanæ, vel Germanæ, vel Anglicæ? Quibus testimoniis, momentis, vel conjecturis id factum constitues?

Probatur mutationem hanc fieri non potuisse.

Tametsi autem concederemus, altero ex his modis Ecclesiam Latinam a Fermentato recessisse, numquid non oporteret nobis tradere, cur tanta mutatio facta sit? Emerserat fortasse labentibus Ævis, Ritum consecrandi in pane fermentato obnoxium fuisse incommodis aliquibus apud Latinos, quibus nunquam patere deprehensus est apud Græcos? Unde factum est, illos non autem istos rem innovasse, si modo ullum occurrisset in usu fermentati panis offendiculum? Porro non dices, schisma Græcorum obtentum dedisse Ecclesiæ Latinæ, ut Fermentum removeret; cum multo ante Ecclesiæ Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. panem azymum adhiberent, ut discimus ab auctoribus contemporaneis, neque ullus ex defensoribus Fermenti in animum induxit adhuc, ut id in Ecclesiæ Græcæ separationem refunderet. Adeoque nullius specie rationis, vel prætextus omnes Occidentis Ecclesiæ priscam institutionem pro nova sumenda reliquissent. Unquam ne tam immane paradoxon auditum est?

Alia de eadem re conjectura.

Verum immanius adhuc attende. Concipere ne potes ex mentis humanæ facultate, mutationem tanti momenti accidisse nullo repugnante? Fieri ne poterit, inter omnes Ecclesias Latinas nullum præsulem extitisse bene animatum adeo, ut in hanc novitatem conclamaret, sive eidem adversaretur? Quid? Omnes Provinciæ, Episcopi, & Populi tanta animi abjectione, vel indulgentia laborassent, ut nulla cogente suprema auctoritate, sed privati hominis alicujus impetu, Sacrum Patrum suorum depositum desererent?

Ecclesiæ Occidentis, quod est Rituum, non modo inter se non conveniunt, sed ab ipsa Romana Ecclesia dissentiunt; vixque ullam reperies Ecclesiam, propriis suis usibus haud addictam, quos noluit umquam deponere, quamvis aliis Ecclesiis ignotos: & persuasum nobis fore putabis, Ecclesias omnes Latinas nulla vi, aut repugnatia deseruisse caput Disciplinæ ad Mysteriorum suorum augustissimum spectans, ut ad aliud se conferret: interim dum laudabilem plane constantiam ostendunt in inviolate retinendis moribus multo minoris momenti, quos vel ab Institutoribus, vel Majoribus suis acceperunt?

Repugnantia Ecclesiæ Gallicanæ a Romano officio admittendo.

Nemo unus ignorat, quam strenue laboraverit Carolus Magnus, Regesque ipsius Successores, ut varia Ecclesiarum officia ad Romanum reducerent, ejusque usum ad ditionis suæ loca propagarent. Verum tot conatibus tum suis, tum Pontificum etiam, eo rem minime deduxerunt, ut non incredibili diffidentia obsisterent Ecclesiæ, quas ad Romanos mores adigere conabantur. Quæque Natio, & Provincia rationes suas in medium adducebat, ut nihil innovaretur; perinde quasi de Patrum suorum Religione deponenda negotium fuisset.

Repugnantia Ecclesiæ Mediolan. de eadem re.

Ecclesiæ Mediolanensi fuit Missa, integrumque officium, ab aliis Ecclesiis, immo a Romana quoque omnino diversum, quod ad hanc quoque diem extat ex parte, & passim vocatur Ritus Ambrosianus, ut ejus a Romano discrimen sit. Verum sive officium istud S. Ambrosii opus sit, ut placet Walfrido Straboni, sive a Sancto Doctore ad peculiarem tantummodo formam redactus fuerit cum pro Ecclesia Mediolanensi, tum pro aliis ejusdem Diœcesis: illud certe verum est, Ecclesiam Mediolanensem, dum Italæ aliæ ad Roma-

num

num Ritum migrabant, noluisse antiquum ritum suum mutare, & renuisse alium amplecti, assumta ratione D. Ambrosii, a quo illum acceperat.

Studium Hispanorum pro suis Ritibus servandis. Ecclesia quoque Lateranensis adhæsit perpetuo antiquissimo Officio Romano, dum cæteræ ejusdem Urbis alia suscipiebant, & nihil opus fuit minus, quam Decreto Nicolai III., ut ex Radulphi Tungrensis observatione, ad illud immutandum compelleretur. Olim in Hispania, ubicumque Gothi dominabantur, singularis Missarum ritus invaluerat, in cujus locum, etsi Gregorius VII. in omni pene Hispania suffecerit Missam Romanam, non potuit tamen obesse, quominus aliquæ Hispaniarum Ecclesiæ vetustam Missam suam tenerent, inter quas Toletana, & Salmantina hactenus propria utuntur. Porro Hispani egregium studium suum celebrarunt pro Ritibus priscis servandis, atque adventitiis, novisque propulsandis.

Petrus de Marca hist. Beart. Ep. Greg. VII. Quod si Arragonii ante alios mutarunt ritum, opus tamen fuit, ut illuc Alexander II. Cardinalem S. R. E. legaret. Sancius autem Arragoniæ Rex, Navarici Regni potitus opera, & subsidio Gregorii VII. Missam, aliaque Officia Romana in Regnum suum importavit, at non sine populorum illorum repugnantia multa.

Ad hæc, aliud exemplum habeo, cui centum alia succrescere possent, studii hujus, quo pro servanda antiqua disciplina Ecclesiæ semper flagrarunt. Alphonsus Castellæ Rex non facile cessit impulsionibus Pontificis hujus: Clerus, & Populus Castellanus Romanam Missam observare detrectavit; neque unquam huic rei assensionem suam Rex præbuisset, nisi Regina ex Galliis, ubi jam mos hic obtinuerat, profecta, id ab hoc Principe multis precibus impetrasset.

Ecclesiæ itaque vetustorum Rituum suorum perstudiosæ nullam mutationem passæ sunt sine singulari repugnantiæ argumento, & sine illata sibi pene vi: & persuadere nobis quis poterit, omnes Occidentis Ecclesias absque Superioris Ecclesiastici Decreto, aut Lege, immo absque ratione ulla discessisse ultro a panis fermentati usu, ut ad azymos se reciperent, & nihil super hac re inclamasse, vel restitisse: quin etiam latente prorsus hujus mutationis origine, atque ætate; num sensim contigerit, vel simul eodemque tempore; num inceperit ab Ecclesia aliqua singulari, vel omnes una in idem conspiraverint? Id omne insolitum adeo, atque extraordinarium videtur, ut nemo fateri dubitet, fieri, ut sunt humana, non potuisse, ut azymorum usus ad Ecclesias Latinas manaret, secundo, aut tertio ex prædictis modis. Igitur cum hæc mutatio Lege, aut Decreto Ecclesiastico constituta non sit, oportet necessario ad Traditionem confugere, quæ VIII. jam sæculo radices egerat, atque per manus hominum ab Ævo Apostolico descenderat. *Congruæ rationes, quare mutatio hæc facta non sit.*

ARTICULUS XI.

Ecclesia Occidentalis adhibuit Panem Azymum ad usque VIII. seculum ex Traditione Apostolica.

Nullum traditionis hujus argumentum, e scripturis erui possumus. Tertul. de Cor. Mil. c. 3. Orig. hom. 5. in lib. Num. Frustra a me peteret quis Traditionis hujus momenta, e scriptis depromta, cum profitear aperte, hujusmodi nulla esse, imo, ut opinor, neque esse posse. Quod si hac in re urgeas, nihil habeo, quod respondeam præter verba Tertulliani de re non prorsus absimili: *Harum, & similium Disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* Vel cum Origene respondebo: *In Ecclesiasticis observationibus esse nonnulla, quæ cum omnibus facere necesse sit, eorum tamen ratio non omnibus patet.*

Nulla itaque suppetit mihi ratio, ut Traditionem de usu panis azymi in Ecclesia Occidentis ad priora sæcula traducam, nisi quod expensis viis omnibus, quibus Ritus hic introduci potuit; & pro certo habito, illum propagari non potuisse altero ex tribus allatis modis, mihi visus sum effici inde licere, ut institutum hoc ad Traditionem referamus, in Ecclesia ante sæculum VIII. receptam: & profiteor me ab hac sententia recessurum, statim ac mihi palam facient, id alia quaque ratione contingere potuisse.

Porro manifestum est, me haud recensere Traditionem hanc in Traditionum divinarum numerum, cum neque ad fidem, neque ad mores pertineat, & res non sit de Dogmate, quod Apostolos suos docuerit Christus Dominus, sed de quodam capite Ecclesiasticæ Disciplinæ. Sed neque traditionem hanc adnumerare possumus Ecclesiasticis illis, quæ vel a Pontificibus, vel ab Episcopis introductæ sunt, quæque paullatim in Legem definunt. Puto namque me ostendisse, nullum extare ante VIII. Ævum Decretum, vel Legem Ecclesiæ, quæ jusserit Latinis, ut a Fermentato ad Azymos consecrandos se traducerent. Adeoque, posita origine moris hujus a Traditione, hæc non potest esse nisi Apostolica. *Mos hic e Traditione Apostolica descendit.*

Quo sensu hæc est Traditio Apostolica. Ut autem statim vocum ambiguitatem tollamus, meminisse præstat, duplex Traditionum genus Apostolos reliquisse. Aliud attinet ad Fidem, aliud ad Ritus, & Disciplinam. Apostoli, tanquam organa Spiritus Sancti, primas a Jesu Christi ore, vel divino afflatu proxime hauserunt, ut loquitur Concilium Tridentinum *: alias vero, tamquam Pastores

* *Quæ ab ipsius Christi ore, ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt . . . . Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas*, &c. Concil. Trid. sess. 4. de sacris Trad.

Pastores, & Episcopi in Ecclesiam invexerunt. Multæ ex his Traditionibus aliquo dumtaxat tempore perseverarunt: ut Traditio immergendi ter in aquam pueros Baptisma recipientes; abstinendi a sanguine, & suffocatis &c.. Aliæ vero steterunt semper, quemadmodum traditio miscendi in calice aquam cum vino, uti accepimus a Cypriano; Institutio Festorum multorum, quorum meminit Augustinus, & id genus alia instituta de administratione Sacramentorum, vel de sancto Missæ Sacrificio. In quorum Classem referenda est consuetudo consecrandi panem azymum, quæ ab omni vetustate in Occidentis Ecclesia perseveravit.

Cyprian. l. 2. Ep. 3.

August. ep. 118. c. 1.

Regula S. Augustini *Aug. l. 1. contra Donat. c. 22.*

Hoc loci firmare possem Traditionem hanc quodam Sancti Augustini principio, dicentis: *Multa esse, quæ universa tenet Ecclesia; & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*. Verum quidem est Ecclesiam Latinam, Ecclesiam universam non esse; nihilominus cum panis azymi usus communis sit apud omnem Occidentis Ecclesiam a sæculo VIII. vel IX., ejusque institutio non legatur in ullo Pontificis vel Concilij Decreto; videtur pronunciatum Augustinianum sufficere posse argumentum satis simile vero, quo consuetudinem Sacra faciendi in pane Azymo e Traditione Apostolica desumamus. Ast ecce aliud fortasse probabilius.

Traditio hæc innititur regulæ S. Irenæi. *Irenæus de Hær. l. 3. c. 3*

Fundatur istud in præclara regula Sancti Irenæi, qui docet, cum pius mos aliquis generatim tenetur in Ecclesia, ab aliquo Apostolo fundata, cujus nunquam interrupta successio sit, atque alias mos hic a nemine successorum suorum sit institutus; fit inde, inquit S. Doctor, morem hunc constanter in illa Ecclesia perseverasse, atque ab Apostolica tantummodo Traditione descendere posse. Cujus enuntiati vi, cum olim Episcoporum successio existeret non modo Romæ, sed Antiochiæ quoque, Hierosolymis, Alexandriæ, Ephesi, Corinthi, alibique; tum orta controversia, num usus aliquis, vel observantia e Traditione Apostolica venerit nec ne, Ecclesiarum illarum consuetudinem sciscitabantur. Inde pariter factum est, sanxisse Theodosium Imperatorem, ut omnes fideliter tenerent, quæ Damasus Papa Romæ, & Petrus Patriarcha Alexandriæ observabant, tamquam duo præcipuarum Ecclesiarum ab Apostolis erectarum, Episcopi.

Theod. l. cunctos populos, cap. de summa Trinit. & fide catholic.

Hæc Irenæi regula traducitur ad rem nostram.

Auctores IX. aut VIII. sæculi prodiderunt Litteris, Ecclesiam Romanam ætate sua panem azymum consecrasse, & Traditionem hanc ab Apostolis accepisse. Atqui ante illud tempus non extat memoria, Pontificem ullum id moris instituisse; atque alias Romanorum Episcoporum successio nunquam intermissa fuit. Igitur extra omnem controversiam positum videtur ex Regula S. Irenæi, Apostolos in Ecclesia Romana firmasse consuetudinem utendi azymis ad sancta Mysteria.

Deinde cum universæ Occidentis Ecclesiæ a Romana non dissentirent de hujus capitis Disciplinæ observatione, saltem sæculo XI. immo Anglicæ, Gallicæ, Hispanicæ, & Germanicæ VIII. non levem habet veritatis speciem, ad Ecclesias hasce omnes ex eodem Traditionis Apostolicæ fonte derivasse usum panis sine fermento. Ad hæc, cum omnes Occidentis Ecclesiæ secundum Innocentii I. animadversionem, Evangelii lumen susceperint ab Apostolis Petro, & Paulo, vel a Petri Successoribus; est sane cur præsumamus Ecclesiarum istarum Institutores in eas intulisse, quidquid Romæ ea de re usurpari cœptum erat. Alias difficillimum longe esset duo comperta habere: Primo, singularem hanc Ecclesiarum omnium Latinarum consensionem, quæ tot sæculorum intervallo stetit, nullique obnoxia mutationi fuit: Secundo, qui potuerit mos hic, si modo ab Institutoribus Ecclesiarum particularium exordium habuit, insequenti tempore citra cujusvis repugnantiam propagari: nullumque fuisse, qui se dederit sancte ad priscum retinendum morem panis fermentati: quandoquidem nulla prorsus superest Ecclesiastica Lex, quæ particulares Ecclesias ad panis fermentati usum coegerit.

Innocent. 1. ep. ad Decen.

Argumentū, quod in hanc traditionem objicitur.

At enim, inquies, nonne Petrus, & Paulus Ecclesias Orientis multas instituerunt? Unde igitur factum est, Ecclesiam Græcam panis fermento admixti consuetudini adhæsisse? Ideo ne, quia Sancti Apostoli isti alium in Oriente, aliumque in Occidente Ritum statuerint? Cui argumento occurres primo, ubi dicas: Ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis Ecclesiam Græcam, & Latinam distractas fuisse super non unius Disciplinæ capitis observatione. Controversia de die Paschatis celebrandi, quæ inter Victorem Pontificem, atque Asiaticos efferbuit; atque aliæ quæstiones multæ inter S. Anicetum Papam, & Polycarpum Romæ, ut narrat Irenæus, * agitatæ, ostendunt plane, utramque Ecclesiam, simul atque fundatæ fuerunt, in varios omnino mores abiisse. Jejunium certe Sabbathi, Festa Nativitatis Jesu Christi, Magorum adorationis, Baptismi ejusdem, & id genus alia ab ipso Ecclesiarum istarum ortu dissimili admodum ratione celebrata sunt.

Apostoli quidem eamdem undique Fidem nunciarunt, quæ ubique locorum, omnique ætate servata est religiose, sibique perpetuo respondit inviolate, atque ad postremum sæculum usque responsura est. Id tamen dici nequit eodem modo, quod attinet ad disciplinam, quam Apostoli ipsi eorum arbitrio & moderationi reliquerunt, qui Ecclesiæ gubernacula tractaturi erant, ut quod congruentius videretur, decernerent: adeoque Disciplina hæc in diversis Ecclesiis diversa fuit, atque identidem mutationi obnoxia: *Si variæ quædam institutiones sunt*, inquit Augustinus, *quæ fidem non mutant, hæc pertinent ad vestis sponsæ varietatem, Ecclesiæ scilicet, in vestitu deaurato circumdatæ varietate*. Quamobrem licet Apostoli Petrus, & Paulus azymi panis usum in Ecclesias importaverint, quas erexerant in Oriente: mirum non esset, ab ipso-rum

S. Aug. in Ps. 44.

* *Beatum Polycarpum Aniceti Papæ temporibus Romam venisse, atque inter illos, cum de Paschate, tum de quibusdam aliis rebus modicam fuisse controversiam*, apud Euseb. Hist. l. 5. cap. 24.

rum Successoribus immutatam fuisse consuetudinem istam, postquam Apostoli ad Occidentem transmigrarunt.

Responsio altera.

II. Satis simile vero fit, institutionem panis azymi ad Ecclesiam quoque Græcam manasse exemplo Sanctorum Petri, & Pauli, aliorumque fortasse Apostolorum; eamdemque diu perseverasse in Ecclesia ista, quæ serius tantum ab azymo pane recessit, ut Dissertatione proxima ostendere pergo.

DISSERTATIO V.

Revocatur ad judicium, utrum Ecclesia Græca rem divinam perpetuo in Fermentato Pane celebraverit.

Sententiæ Scriptorum de controversia ista.

COmmunis virorum literatissimorum sententia est, Græcos in Mysteriis sanctis Panem Fermentatum quacumque ætate adhibuisse. Sirmondus ratus, factum istud extra omnem disputationis aleam esse, nihil in eo probando laboravit. Mabillonius totum caput tertium ad morem istum apud Græcos ab Apostolicis temporibus statuendum convertit; cujus opinionem amplexatus est Bona, eamque aliis a Mabillonio conjecturis nititur confirmare. Alexander in suum sensum transtulit, quæcumque duo præstantissimi Doctores illi pro usu Panis Fermentati apud Græcos congesserant, atque existimat, illos nunquam ab illius consuetudine defecisse. In eamdem Sententiam venit Calmetus sub finem Dissertationis de Paschate postremo, eamque traducit ad conficiendum, Jesum Christum extremo vitæ suæ anno Paschalem Agnum non comedisse. Plerique tandem Scriptores, qui Disputationi huic operam suam navarunt, ita factum Historicum hoc certum, & constans habuerunt, ut ab eo probando sibi supersedendum esse censeant.

Mabil. diss. de Azymo c. 3.

Bona Rer. Liturg. Lib. 1, c. 23. Alexand. Hist. sec. XI, & XII. Dissert. XI. art. 3.

Calmetus in S. Matthæum pag. 158., & seq.

Quare genus quoddam impudentiæ videtur esse, opinioni in universum receptæ non assentiri. Nihilominus nemo ægre ferat, me huc conjecturas aliquas afferre, quarum vi omnino non abhorreat a veritate, diversam plane sententiam tueri. De his penes Lectorem judicium sit, postquam momenta pensitaverit accurate, quibus fulciri potest Traditio de Pane Azymo a Græcis semper adhibito. Propterea, communi Sententia minime rejecta, aut falsitatis nota inusta, satis habeo, ut dubitationis cujusdam instar proponam novam istam mentis meæ super hac re perceptionem; qua in medium allata, respondere curabo testimoniis Patrum, Autorumque conjecturis pervagatæ opinioni faventibus.

ARTICULUS I.

Simillimum vero est, Ecclesiam Græcam sacrum fecisse in Pane Azymo ab ætate Apostolorum ad septimum seculum.

Decet magis in Pane Azymo confectare, quam in Pane Fermentato.

COnveniat statim necesse est, quamquam Christus Dominus Eucharistiam in Pane Azymo instituerit, exemplum tamen ejus non imposuisse Ecclesiæ Legem utendi Azymo Pane: omnia namque Jesu Christi facta præcepta non sunt; alias necesse esset quoque post Cœnam Mysteria Divina peragere. Nihilo secius author est Bona, decere magis Panem Azymum, quam Fermentatum in Christi Corpus convertere; quod confirmat loco quodam Divi Anselmi scribentis, Panem sine Fermento aptiorem esse, puriorem, & diligentia majori confectum: *tum quia hoc Dominus fecit*. Cum eo sentit Mabillonius, *ad insigniorem Dominici exempli commemorationem*. Alexander tandem instituit Dissertationem, ut probet adversum Græcos, Jesum Christum in mortis pervigilio Pascha celebrasse, Eucharistiam in Pane Azymo instituisse, & laudabilius esse, ipsius exemplum sectari.

Mabil. ibid cap. 2 Alexander ubi sup. art. 1.

Ex qua Sapientum istorum doctrina, communi suffragio roborata, efficio, maxime ad veritatem accedere, Græcam Ecclesiam ab Ævis prioribus Panem Azymum in Sacrificio adhibuisse. Patribus etenim cum Græcis, tum Latinis insedit opinio, Jesum Christum pridie mortis suæ Pascha legis manducasse, usumque pane azymo fuisse ad Eucharistiam instituendam. Longe igitur admodum probabile est Græcos eumdem imitaturos fuisse, 1. Quia nulla nobis cognita ratione moveri poterant, ut secus facerent. 2. Quia panis azymus aptior est, purior, aliisque qualitatibus affectus, ut pani præstet fermentato. 3. Non constat, Lege ulla Ecclesiæ Orientalis decretum fuisse usum panis fermentati. 4. Laude dignum est Jesum Christum imitari, ejusque exemplo in consecrando adhærere. Denique consuetudo hæc nulla Lege cauta est, vel incommodo obnoxia. Colligere itaque possumus inde simillimum vero esse, eos, qui Græcorum disciplinam ante alios moderati sunt, panis azymi usum constituisse.

Tres eruditi Scriptores, a nobis paulo superius laudati, nihil intentatum reliquerunt, ut panis fermentati morem perpetuum apud

Sententia Philoponi.

loca

Græcos propugnarent. Congerunt namque loca multa, e veteribus deprompta, pro hac Sententia; sed fatentur simul, nullum esse ex his testimoniis, quod ambiguitate non laboret, præter verba Philoponi, quæ apertissima videntur, & momenti loco ponunt, rem hac conclusse probantis. Philosophus hic Tractationem de Paschate conscripsit, in qua agressus est ostendere, Jesum Christum pridie quam pateretur, Pascha legitimum non celebrasse, adeoque Eucharistiam in pane azymo non instituisse; cujus rei id affert argumentum: *Neque Azymum proprii Corporis Antitipum discipulis suis dedit Christus; nam & hoc etiam nunc fieret.*

Philop. de Paschate.

Locus Philoponi refellitur.

Hoc autem solidius momentum est, quod tribus Scriptoribus istis perpetuum Fermentati panis apud Græcos usum persuadeat. At vero si recta est Philoponi argumentatio, sique Sapientum istorum consecutio accurate deducta, oppositum omnino inde colligendum est, Græcos nimirum ab ipso Ecclesiæ exordio panem Azymum, non Fermentatum consecrasse. Si Jesus Christus, ait Philoponus, in Eucharistia instituenda panem Azymum adhibuisset, idem pariter ejus ætate factum fuisset. Quibus adjungit Mabillonius: *Satis apparet Philoponi mentem esse, nusquam in Ecclesia Græca Panem alium, quam qui tunc usui erat, hoc est Fermentatum, adhibitum fuisse*. Id tamen non dicit Philoponus, neque aliud hic sensui proximum; atque istud cogitatum sine ulla ratione eidem tribuit Mabillonius. Utut tamen se res habeat, argumentum nostrum urgeamus.

Mabil. de Azymo c. 3.

Mabil. de Azymo c. 1

Ecclesia Græca non dubitavit, Jesum Christum in pane Azymo consecrasse.

Ecclesia Orientalis a primis seculis non dubitavit, Jesum Christum in extrema Cœna panem Azymum comedisse. Asiatici namque, teste Mabillonio, confirmabant usum suum celebrandi Pascha Luna decimaquarta exemplo Jesu Christi, qui eo die Agnum Paschalem manducaverat. Didicimus ab Origene, Salvatorem celebrasse postremum Pascha more Judaico, in qua opinione Sectatores habuit Theophilum, S. Cyrillum, & S. Proterum, Alexandrinæ Sedis Antistites; necnon Epiphanium, Theodoretum, ante alios vero S. Joannem Chrysostomum, aliosque Patres Græcos bene multos. Atque opinio hæc adeo pervagata fuit, ut eum Photius *, tum Victor Antiochenus animadvertant, non modo S. Joannis Chrysostomi, sed universæ Ecclesiæ Græcæ documento, Jesum Christum Pascha legis celebrasse.

Victor Antioch. in Marc. c. 4.

Conjectura de pane Azymo Græcorum.

Porro si Ecclesia Græca persuasum habuit Jesum Christum Pascha legis peregisse, atque Eucharistiam in pane Azymo instituisse, ad veritatem non parum accedit, Græcos ab seculis primis pane sine fermento usos fuisse, quod certe non fecissent, ubi Salvatorem nostrum Fermentato usum novissent. Quandoquidem igitur Patres Græci tradiderunt, Jesum Christum in Mortis pervigilio Agnum Paschalem comedisse, corpusque suum sub Panis Azymi specie Apostolis commendasse, probabile admodum fit, tum Græcos, tum etiam Latinos morem hunc ab Apostolis accepisse, atque utrosque aliquorum seculorum spatio ad exemplum Jesu Christi religiose observasse. Quod si conjectura hæc probabile argumentum non parit pro usu Panis Azymi inter Græcos, necesse pariter erit, ut Critici nostri deserant momentum illud, quod a Philopono petunt, ad statuendum in Orientis Ecclesia, præsertim ab Ævis primis, Panem Fermentatum.

Philoponus loquitur tantummodo de temporibus suis.

Verbiusculum etenim illud Philoponi probat solum, id moris ætate sua invaluisse in Ecclesia aliqua particulari, non vero toti Ecclesiæ Orientis commune fuisse, neque illam ab omni vetustate in Azymo Pane sacra fecisse. Hæc sane non affert Philosophi hujus locus, & neutram inde eruere quis poterit consecutionem; licet Mabillonius aliter sentiat. ** Verum tametsi daremus ultro, hujus Philosophi ætate, Ecclesiæ Græcæ consuetudinem fuisse, Pane uti Fementato; quo pacto ad secula prima eamdem consuetudinem ascendere facient? Bivium tantummodo ad rem hanc esset, Authoritas, vel Traditio. Quod attinet ad Scriptorum testimonia, frustra illa desiderabis. Neque ita blandiri sibi quis potest de vi Traditionis ad id ostendendum. Quo igitur fundamento rem tantam assequeris? Non verbis Philoponi, qui de ea nihil loquitur; neque Ecclesiarum consensione, quæ nulla prorsus via cognosci poteit.

Objectio.

Nonne liquet, inquies, saltem Cerularii ætate universam Ecclesiam Græcam in Fermentato Pane Divina Mysteria confecisse? Qui mos cum generalis sit, iisdem Sanctorum Augustini, atque Irenæi regulis, quibus Traditionem de Azymorum usu temporibus Apostolicis roboravimus, æque possumus asserere; morem utendi Pane Fermentato apud Græcos ab Apostolorum ætate repetendum esse.

Traditio Ecclesiarum Græcarum intermissa fuit.

At vero Cerularii ætate Ecclesiæ Patriarchales, ut alias prætercam, contaminatæ fuerant ab Episcopis Schismaticis, Hæreticis, qui identidem ad hasce Sedes obrepserant, & legitimorum successio vel sublata omnino fuerat, vel saltem interrupta. Ab eo tempore, quo Jerusalem in Saracenorum potestatem venit sub annum 633. ad finem usque seculi XI., quo Latini hac Urbe potiti sunt, non semper Sedes hæc Antistites habuit, & quinque dumtaxat, aut sex Patriarcharum memoria ad posteros traducta est. Quamvis Alexandrinorum Patriarcharum series ad medium circiter VIII. Ævum certo continuata sit; Operosum nihilominus esset aliorum nomina exequi, qui Ecclesiæ hujus titulo tantum insigniti sunt, postquam Alexandria sub imperio fuit Barbarorum. Antiochia quoque, Saracenorum furori relicta, qui eam cæperunt ad annum 685. trium seculorum intervallo Episcopis caruit; aut saltem omnium ferme Patriarcharum nomina latent.

* *Consideratione sane dignum, cum Chrysostomus, & Ecclesia, tunc ipsum doceant legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret Cœnam*, Phot. Cod. 116.

** *Sola Philoponi authoritas sufficere videtur ad probandum, Fermentatum apud Græcos ab initio Ecclesiæ, aut certe prope ab initio receptum, perseverasse ad seculum VII.* Mabill. de Azymo c. 3.

latent. Non vacat hic de Ecclesia Constantinopolitana mentionem habere, cum apud omnes liqueat, eam minime ab Apostolis institutam fuisse.

Regula S. Irenæi non favet Græcis.

Quæ eum animadverterimus, facile est percipere, non posse Sancti Irenæi præceptionem accommodari, ut Traditio Panis Fermentati in Ecclesia Orientali ad usque Apostolica tempora perveniat. Quo itaque roborabis usum Fermenti inter Græcos? Num standum erit Sapientum illorum dictis? Aut verbiusculum Philoponi satis est, ut nos certos efficiat, Ecelesiam Græcam ab initio VII. seculi sacra fecisse in Pane Azymo, & consuetudinem hanc perpetua observatione servasse? Nonne veritati magis affines videntur conjecturæ a nobis allatæ, ut deducamus Panis Azymi morem ad tempora Apostolica? Mirari certe non subit, Ritum hunc, ab Apostolis invectum, aliquorum seculorum spatio perseverasse; donec plerique Orientalis Ecclesiæ Antistites, a Fide Catholica deficientes, disciplinam quoque de re Eucharistica inverterunt, ut magis ab Ecclesia Romana recederent, in qua, nunquam intermissa Pontificum serie, nunquam pariter Azymorum usus obsolverat.

Conjecturæ de Græcorum mutatione.

Quare non possumus æqua ratione præsumere, tot falsos Patriarchas, & Episcopos, vel intrusos, vel Hæreticos, postquam fidei Traditionem, sanamque doctrinam de summa Religionis deseruerunt, flocci fecisse observantiam vetustæ disciplinæ, ab Apostolis, vel eorum successoribus constitutæ? Nisi velimus fortasse dicere, eos, ut longius distarent ab Ecclesia Romana, quam tot infectationibus divexarant, honori duxisse, alios plane sequi Ritos, & nota hac ab Orthodoxis germanis magis distingui.

Si vero Episcopi Græci, cæterique tot diversarum Hæresum Antesignani mutationem hanc septimo seculo non fecerunt; præsumtio tamen nostra ratione non caret. Quis admirabitur, tot indignos Pastores implevisse in sex priorum seculorum aliquo, quod in postremo Schismate Græci conati sunt: *Et postquam Tunicam Domini inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, Sacrificii Ritum temere mutasse*, ut scribit quidam egregius Pontifex; sive ex animadversione Jacobi de Vitriaco, Fermentum Azymis substituisse, *ne Romanorum Ecclesiam imitari viderentur*? Numquid non Panis Fermentati usum habuerunt semper tamquam indicium præcipuum suæ ab Ecclesia Latina defectionis, & separationis? Adeoque exemplo ducto a decessoribus suis, perfecerunt hi opus iniquitatis, quod illi aggressi fuerant; immo ipsis antecellere studuerunt, rem splendidius moventes, Ritumque Latinorum, & Panis Azymi usum diris, & execrationibus configentes, quod majores eorum præstare non auserant.

Innoc. III. l. 4. de Missa c. 30.

Hist. Occid. c. 38.

Quare postremum Græcorum Schisma ante sex, vel septem secula tantopere pervagatum, ansam dedit reputandi animo, Ecclesiam Orientalem semper abhorruisse a Pane Azymo; quamquam ejus rei nullum præsto sit argumentum ante decimum seculum, præter pauca quædam voculas Philopono excisas. Interea tamen gravibus conjecturis suspicamur, Græcos Ritum immutare cœpisse sub finem seculi sexti, quod sequenti articulo examinabimus.

ARTICULUS II.

Aliæ Conjecturæ pro usu Azymorum in Ecclesia Græca a primis seculis.

Conjectura prima ab Ebionitarum more petita.

Ebiniotarum mos, quem nos superius recitavimus, & quem adhibent in rem suam Mabillonius, Sirmondus, & Bona, prior quidem pro statuendo Pane Azymo in Ecclesia Latina, alter pro Fermentato, tertius vero pro usu promiscuo utriusque; hic inquam mos suppeditat nobis conjecturam primam pro Azymo Græcorum a seculo primo. Ecce locus Sancti Epiphanii, qui de Hæreticis istis loquitur in hunc modum: *Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui in Ecclesia sunt, quotannis in Azymis*. Omitto interpretationes dissimillimas Eruditorum, atque his verbis dumtaxat adhæreo: *Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia*, quæ non omnibus, opinor, ponderibus examinarunt. Convenit inter omnes, Hæreticos illos rem Divinam in Pane Azymo peregisse; sed Sirmondus putat, eos non offensuros propter id fuisse apud Epiphanium, si tum in Ecclesia Latina Azymorum usus invaluisset. Mabillonius contra existimat, querelam Sancti hujus Doctoris ad aquam pertinere, quam adhibebant in partem Sacrificii sui. Bona tandem ait, Ebionitas imitatos fuisse in Mysteriis Sanctos, non vero in mysteriorum materie. Interim tamen locus S. Epiphanii sine ulla dubitatione contrarium sensum edit.

Epiph. Hæres. 30.

Quam Ecclesiam imitarentur Ebionitæ.

Cum Ebionitæ ex Azymis perficiebant mysteria ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, ante omnia peto, cui Ecclesiæ essent Sancti isti, quibus imitandis operam dabant? Hac voce Ecclesiæ venit ne Græca, vel Latina, vel generalis ex Orientali, atque Occidentali composita? Si verbum hoc posteriori significatione sumamus, consequens erit Sanctos Ecclesiæ universalis Pane Azymo usus fuisse, idque moris post seculum primum cum Græcæ, tum Latinæ Ecelesiæ commune fuisse. Quod si vocem ad solam Ecclesiam Græcam contrahamus, fateri necesse erit, Græcos tum temporis Azymum Panem ad Sacrificium sumsisse. Tandem si placeat, Ebionitas imitatos fuisse Sanctos Ecclesiæ Latinæ, id susdeque vertet opinionem Sirmondianam, & Romanæ Ecclesiæ traditionem confirmabit. Ceterum

rum magis ad verborum naturam accedunt duo priores vocis *Ecclesiæ* explicationes. Hæc namque verba indefinita: *Sancti, qui sunt in Ecclesia;* non indicant magis Orientalem, quam Occidentalem Ecclesiam, sed utramque communi hac dictione amplectuntur. Aut certe si ad ullam peculiarem Ecclesiam significandam vox hæc definienda sit, Græca tantummodo intelligenda erit; cum simile vero non appareat, Hæreticos, qui in media Ecclesia Græca versabantur, sibi in exemplar proposuisse Sanctos Ecclesiæ Latinæ, cum quibus nullam cognationem habebant.

Argumentum in adversum.

Si vero, inquies, Ebionitæ imitabantur Sanctos, qui sunt in Ecclesia; numquid sancti isti in aqua sine vino mysteria celebrabant more Ebionitarum? Cum tamen nunquam Ecclesiæ Sancti aquam solam ad Sacrificium Divinum adhibuerint, Ebionitæ in hoc ipsorum exemplum sequi non potuerunt: adeoque non item in Panis Azymi usu, quia utramque rem Epiphanius connectit. Igitur hinc colligat Bona, Ebionitarum imitationem ad mysteria ipsa, non autem mysteriorum materiem spectasse.

Explicatur locus S. Epiphanii.

At qui magni hujus Cardinalis responsio per se ruit, quis etenim dixerit verba hæc: *Mysteria perficiunt in Azymis*, non in materiam Sacrificii, sed in Sacrificium tantum desinere? Non repugno Hæreticos istos in aquam solum consecrationem protulisse; sed in hoc Sanctos non imitabantur; neque id asseruit S. Epiphanius, cum duo aperte distinguat. Primum est, Ebionitas ex imitatione Sanctorum perfecisse Mysteria sua in Azymis. Alterum, aquam solummodo adhibuisse, in quo Sanctorum exemplum non sectabantur, sed pingui errore laborabant. Audi rursus locum Sancti Patris: *Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, quot annis in Azymis*, deinde subdit: *alteram autem mysterii partem in aqua sola*. Quibus mihi videor efficere, Sanctum Doctorem istam ponere Ebionitarum imitationem in usu Panis Azymi, non vero solius aquæ, qui sectæ hujus error insignis erat.

Græci celebrabant eo tempore in azymis.

Opus est itaque affirmare, Sanctos, Hæreticorum istorum ætate, Mysteria Divina in Pane Azymo confecisse, quandoquidem D. Epiphanius diserte tradit, Ebionitas hoc usos ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia. Unde namque in mentem ipsis venisset, Panem sine Fermento ad rem Divinam adhibendi, ut Sanctos imitarentur, nisi scivissent, Sanctos Ecclesiæ, in qua incolebant, adhibere solitos eundem sine Fermento Panem, vel cognovissent, illos Fermentato uti? Denique si Sanctos imitabantur, ut inquit Epiphanius, dicendum est, Sanctos id fecisse in quo ipsis Ebionitæ adhærebant. Porro adhærebant ipsis in usu Panis Azymi. Non obstat autem, Sanctum Epiphanium redarguisse Hæreticorum istorum institutionem, cum non redarguerit in eis Panis Azymi usum, utpote propter Ecclesiæ Sanctorum exemplum adhibitum, sed quod contenderent observandam esse simul cum Evangelio Legem Mosis, & Sacrificii partem in aqua sola collocandam.

Secunda Conjectura ab Armenorum consuetudine depromta.

Armeni etiam nunc celebrant in Pane Azymo, quod ab omni vetustate præstiterunt ex Traditione Sancti Gregorii Armeniæ Episcopi, Martyrio confecti a Tiridate Armenorum Rege, ineunte seculo IV. Sanctus iste vir educatus Cæsareæ in Cappadocia importaverat profecto in Armenam Ecclesiam a se constitutam eumdem consecrationis usum, quem Cæsareæ usurpari viderat. Quod vero Armeni ab omni ævo Pane Azymo usi sint, atque hanc disciplinam acceperint a Sancto Gregorio primo Episcopo suo, nunc probaturi sumus, postquam animadverterimus, asserere Mabillonium eos a *Tempore Theodosii Pane Azymo usos videri in re sacra, ut ipsi tradunt Armeni*: quod idem est, atque a condita Ecclesia sua.

Mabill. Diss. de Azymo c. 4.

Demetrius Cyzicenus de Hær. Jacobit. Chatzitariorum apud Combef. post hær. Manich. p. 267.

Demetrius Cyzicenus hæc habet verba, *Oblationem faciunt Azymam, inque Calicem communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Veteres autem eorum Doctores Sanctum a Deo afflatum, ac Martyrem Gregorium magnæ Armeniæ Episcopum oblationem ejusmodi sine Fermento, ac Calicem sine aqua eis ideo tradidisse calumniantur, quia inquiunt, quem Christus Panem Discipulis tribuit in Cœna mystica, Azymus erat, ac Calix sine aqua, quos tamen Ecclesia Catholica, Apostolicam, ac Patrum Traditionem legitime servans, non probat*. Quod idem refert Nicephorus in Historia sua. Hinc colligendum est primo utrosque Authores istos crimini vertere Armenis Panis Azymi in sacris Mysteriis usum; quod mirum non est in duobus Scriptoribus, absoluto jam Græcorum Schismate, viventibus, siquidem hac de re post illud tempus nihil Ecclesiæ Latinæ pepercerunt. 2. Vinum non admixtum aqua, cum medio circiter VI. seculo Armenorum pars quædam Hæresim Jacobitarum amplexa sit, atque hunc cum aliis multis errorem hauserit. 3. Demetrius, & Nicephorus affirmant morem sacrum peragendi in Pane Azymo, & non miscendi aquam cum vino adversari consuetudini Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ Traditioni. In quo satis constat eos falli; quoniam licet Ecclesia, Traditione ferente, aquam cum vino in Calice misceat, nihilosecius Panis Azymi morem neque improbavit, neque ex fide usurpavit. Quapropter id, quod Traditionem Catholicam, atque Apostolicam vocant, nullo modo Azymum Panem attingit.

L. 18. c. 4.

Novi isti Græci demulus Armenos accusant.

Accusationes istæ mendaces sunt.

Postremo loco volunt Authores isti falso Armenos venditare, se mores istos a Sancto Gregorio Ecclesiæ suæ conditore recepisse. Verum quibus fidem nostram citius adjungemus, num duobus recentibus Græcis istis, qui quod affirmant, haud probant, an veteribus Gentis illius Doctoribus, qui Ecclesiæ suæ Traditioni dicunt testimonium? illud quidem certo liquet, ex ipsius Bonæ, aliorumque Sapientum confessione, tempore VI. Synodi anno 680. celebratæ, Armenos Pane Azymo usos fuisse: & tamen Concilium Constantinopolitanum *in Trullo* coactum anno 692. quod in Armenos edidit decreta multa, atque inter alia pœna depositionis indicta, aquam in Calice cum vino miscere

ipsis

ipsis imperavit: Patres, inquam Concilii hujus non vituperant Armenos de Panis Azymi consuetudine ; & propterea non existimant morem istum, tamquam errorem Traditioni contrarium, sed potius tamquam Ecclesiæ institutionem haud damnandam, quippe quæ antecedenti, aut tertio saltem abhinc ævo communis fuisset toti Ecclesiæ Græcæ, aut saltem Armenæ.

Conjectura Tertia.

Adde his argumentum aliud non pœnitendum. Mauritius Imperator, qui Tiberium excepit anno 582. Armenia universa in suam ditionem redacta, jussit omnibus Provinciarum istarum Episcopis, ut se Constantinopolim conferrent. Sed Moses Catholicus, * primæ Armenorum Sedis Antistes, quam ab initio Gregorius occupaverat, renuit illuc migrare, dicens: *Absit ut transeam Fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam. Simili quoque ratione Episcopi Provinciæ Aspouran, quotquot sub Persarum ditione erant.* Hæc autem verba referunt Episcopi isti ad duos Græcorum mores; primum, quo in pane Fermentato consecrabant; alium, quo calidam aquam in Calicem immiscebant, & per eos gravissima mysteria signabat.

Narrat. de rebus Armeniæ apud Combef. Hist. Hæres. Monoth. pag. 282

Quare Moses Constantinopolim petere recusaverit.

Tametsi igitur instituta ista ad disciplinam tantummodo pertinerent, nihilominus Moses, aliique Episcopi noluerunt ullam cum Ecclesia Byzantina communionem habere; atque adeo duo monet obtentus hic non migrandi ad Urbem Imperialem. Primo Armenos tam fuisse addictos consuetudini suæ de usu Panis Azymi, ut Græcorum consuetudo ipsis fuerit offensioni, & putarerint hac de causa posse se ab illorum societate abdicare. Secundo usum panis Fermentati recentissimum fuisse apud Græcos. Si namque Episcopi Patriarchæ Constantinopolitano subjecti consecrassent ab omni ætate Panem Fermento commixtum, num id Armenos latere potuisset? Præterquamquod, unde fit Armenos ante finem VI. seculi nunquam non communicasse cum Episcopis Byzantini Patriarchatus, ut compertum sit ex Conciliis habitis, quibus hi quoque interfuerunt, & sub exitum ejusdem seculi ab eodem abstinuisse? Dicendum igitur erit, Græcos tum immutasse materiem consecrationis, & Panem Azymum respuisse, ut Fermentatum adhiberent.

Neque vero dubitare fas est Armenos tum Catholica germana fide claruisse, cum ipsorum Episcopi adstiterint Concilio anno 553. Constantinopoli, Vigilio Pontifice, celebrato, in quo Anathemate perculsi sunt Origenes, Evagrius, Didymus, Nestoriani, Jacobitæ, Julianitæ, atque in universum quicumque Nestorii, atque Eutichetis erroribus imbuti fuerant. Ut autem extaret memoria, Armenos exeeratos fuisse in hoc Concilio errores aliquos, qui in quasdam Ecclesias suas irrepserant, exinde appellata est *Porta Armenorum* illa, per quam in S. Sophiæ Templum ingressi fuerant: Non tamen inficior, redeuntibus Episcopis in Armeniam, nonnullas Ecclesias pristinis erroribus adhæsisse, qui imposterum propagati sunt, atque adeo Armeniæ partem a Fide Catholica non deflexisse, reliquam variis Hæresibus infectam fuisse: sed Moses superius laudatus vere Religioni omni tempore firmiter animum convertit, necnon alii Episcopi non pauci, qui post illum sedem eamdem tenuerunt.

*Ibidem ubi supra p.*279.

Ibidem pag. 291.

Illud etiam manifesto constat, Armenos, sive Hæreticos, sive Catholicos, nunquam ad hanc diem ab adhibendo Pane Azymo destitisse, & S. Nico, qui sub finem seculi X. floruit, primus est Armenorum, qui genti suæ Panis Azymi usum exprobraverit. ** Qua in re mirari non desino Sanctum virum hunc eis culpæ dare, quod Divina Mysteria Azymis conficerent, quandoquidem Concilium in *Trullo* iisdem pœnas Ecclesiasticas non minitatur, nisi propter aquam in Calicem non immissam. Nisi dicamus, Sanctum Niconem ægre tulisse, Armenos non stare consuetudini Panis Fermentati, quæ inter Græcos obtinere jam cœperat, & nimio ardore commotum, id errorem censuisse, quod nunquam revera fuerat.

Usus panis Azymi apud Græcos perseveravit.

Post ultimum vero Schisma Græci ediderunt hanc formulam Fidei, quam ab Armenis extorquebant, ubi ad Græcam Ecclesiam redire voluissent, *si quis in Panem oblationis non immittit Fermentum, & Sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit.* Quod argumento est, Armenos post Ecclesiæ Græcæ a Latina defectionem priscum Ritum servasse. Atque ipse Cardinalis Bona author est, eos constanter in Azymo pane post sextum seculum sacra fecisse.

Apud Jo. Cotel. in Not. ad lib 5. Const. Apost. pag. 237.

Bona Rer. Liturgic. lib. 1. *c.* 23.

Maronitæ pariter sustinent, Azymorum morem in Ecclesiis suis vetustissimum esse. Abrahamus Ekcllensis id probat testimonio cujusdam Davidis Archiepiscopi Maronitæ, qui scribebat anno 1053. Quod cum deprehendisset Bona non exigui momenti fore pro usu Azymorum in eadem Ecclesia ante omnem memoriam, operam posuit, ut enervaret; causatus simile vero esse, Maronitas tum Azymos recepisse, cum ad nostram fidem conversi sunt, quod contigit Guillelmi Episcopi Tyrii *** tempore, ut ipse narrat in Historia sua. At vero satis erit legere citatum locum, ut planum fiat, Guillelmum Tyrium de Maronitarum ad bonam frugem conversione disputantem, ne verbum quidem facere de Azymorum receptione. Fateor sane Maronitas non inficiari post aliquos annos se formam Panis consecrandi mutasse, ut ad Ecclesiæ Romanæ Ritum se componerent; sed quod attinet ad materiam, hæc nihil est minus antiqua, quam Ecclesia ipsorum, quæ ante seculum V. fundamenta posuerat.

Maronitæ in pane azymo consecrarunt.

In Annot. ad Catalog. lib. Chald. Chaldaic. p. 134.

Alexandriæ, & Hierosolymis panem azymum adhibebant.

Baronius recitat Epistolam Michaelis Cerularii ad Patriarcham Antiochenum, in qua conqueritur de Patriarchis Alexandrino, & Hierosolymitano, postquam illos accu-

* Antiquitus nomen Catholici titulus dignitatis erat, & Primatem, & Patriarcham significabat; Armeniæ Catholicus præerat Episcopis plus mille.

** *In pane mystico utuntur azymis, & in sanctum Calicem aquam non immittunt.* S. Nico de pess. Relig. Armenorum.

*** *Ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reversi sunt, Fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesiæ Traditiones cum omni veneratione amplecti, atque observare.* Guillelm. Tyr. Hist. l. 22. c. 8.

accusavit tamquam Fidei desertores, & in Sacrificio Missæ nomen apponentes Pontificis Romani, ipsumque in eorum Dypticis exscribentes. *Nec hoc solum*, subdit, *verum etiam ad aures nostras pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ non solum alios Azymis vescentes recipiant; sed etiam ipsi aliquando in Azymis conficiant Sacramentum.*

Bona Tom. XI. anno 1054.

Quæ Cerularii querimoniæ nos docent, ante Schisma Ecclesias istas in pane Azymo rem Divinam peregisse: & satis simile vero fit, Schismaticum ideo cum eis hoc expostulare, quod scilicet noluerint priscum Ritum suum abjicere, ut super hoc capite Græcorum cæterorum exemplum sectarentur.

ARTICULUS III.

Refelluntur diligenter, quæ contra sunt.

Objecta Mabillonii *Diss. de Azym.* c. 3.

INitium facio a conjecturis, quæ Mabillonium compulerunt, ut agnosceret usum panis Fermentati apud Græcos ab ipso Ecclesiæ exordio. Inquit ante omnia, gentem hanc mordicus adhærere moribus constitutis a majoribus suis, & nunquam fere hactenus eos immutasse. 2. a seculis primis aliquod discrimen fuisse inter Ritus Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, ut narrat Eusebius; immo abs re non esse dicere, materiam Eucharistiæ (ait Mabillonius) hujus generis esse. 3. Conjecturam hanc roborat loco quodam Origenis, qui disserens de fermento Pharisæorum, ait: *Annon & aliquando Fermentum offertur super Altare?* Innitur quoque loco cuidam, e Chronico Dacii Episcopi Mediolanensis deprompto, atque alteri Photii affirmantis, variare nonnihil Ecclesias super Missæ Sacrificio, quod (inquit celebris hic Benedictinus) de pane Eucharistico intelligere possumus. Deinde profert testimonium Cardinalis Humberti, quod habet, tempore VI. Concilii, Græcos in alio Pane a Latinis Sacramentum Eucharistiæ celebrasse. Postremo citat Philoponi locum, de quo satis superius locuti sumus.

Refutantur.

Non possumus non fateri, conjecturas hasce omnes pauci faciendas esse. Eusebius, & Photius nihil dicunt, quod panem Fermentatum, vel Azymum indicare possit. Quod est Origenis, non constat, utrum de novo, vel veteri Testamento loquatur. Chronicon Dacii alibi ostendimus adulterinum opus esse, aut saltem maxime ambiguum, ut non negat ipse Mabillonius. Denique citra omnem dubitationem est, quidquid afferat Humbertus, in VI. Concilio nullam fieri de pane Azymo, vel Fermentato mentionem.

Alia ejusdem conjectura.

Hic pariter nolo citatus præterire conjecturam aliam, quam capit eruditus hic Benedictinus a veteribus Græcorum Liturgiis, quæ præcipiunt, ut panis Sacrificii integer sit, spissus, & justæ magnitudinis, e quo dividantur lanceola in hunc usum parata, particulæ consecrandæ, quod ad hanc quoque diem præstant Græci. At vero Lanceolarum usus quam certissime recens admodum est, uti adnotavit Jacobus Goar in Euchologio. In Liturgiis etiam nulla mentio fit panis Fermentati; & non video, quare Panis Azymus ita confici non possit, ut postulant Liturgiæ, cum fieri eum non repugnet integrum, justæ magnitudinis, & non modica densitate constantem.

Argumentum Cardinalis Bonæ adversus usum azymorum apud Græcos.

Ab eadem sententia est Cardinalis Bona; at illa firmat testimonio multorum Græcorum * Patrum dicentium, Panem, pro consecratione dispositum, esse panem *Communem, vulgarem, usitatum**. Porro panis communis nomine, inquit magnus hic Cardinalis, quo passim utuntur homines, accipiendus non est, nisi Panis Fermentatus. Cæterum ubi expenderis diligentius Patrum omnium istorum loca, liquido fiet, eos, non sumere verba communis Panis in sensu proprio, atque ex adverso panis Azymi, sed ut opponitur Pani consecrato, nimirum Corpori Jesu Christi. Alias cum panis Azymus ex eadem materia fiat, ac Fermentatus, vocari æque potest Panis communis; immo fatetur idem Cardinalis ex Cornelii Celsi auctoritate, azymum Panem cum apud Romanos, tum apud alias etiam nationes in usu fuisse.

Corn. Cels. l. 2. c. 24 & 28.

Alia Cardinalis hujus conjectura.

Contendit insuper, querelas Græcorum in eos, qui Patriarchæ Constantinopolitano obedientes, vel conjuncti, adversus Ecclesiæ Græcæ morem, Panem Azymum in Christi Corpus convertebant, non leve ipsi sufficere argumentum pro Pane Fermentato semper a Græcis adhibito. Sed in medium nemo producere poterit authorem illum, qui insurrexerit in Ecclesias utentes Azymis ante S. Niconem, cujus excessus incidit in finem seculi X. Quod etenim est Ebionitarum, nunquam S. Epiphanius eos de Panis Azymi consuetudine reprehendit, quam acceperant *ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia*, sed aliis de causis, ut vidimus in anteactis.

Alia ejusdem Authoris conjectura.

Firmissimum autem, quod afferat hic Cardinalis pro usu Panis Fermentati inter Græcos monumentum, quodque non admodum vetustum probat apud Armenos Panis Azymi morem, ducitur a Verbis Galeni. Inquit enim hic, Homaro Saracenorum Principe, quosdam Episcopos Armenos, & Syros coegisse Concilium in Hircanæ Provinciæ finibus, atque Urbe Manaschierti; ibique sanxisse, in Jesu Christo unam tantum naturam esse, unam voluntatem, atque operatio-

Galenus de reconciliatione Niersæ Patriarchæ cum Ecclesia Romana c. 17.

* *Non enim ita sumimus, ut communem panem, & communem potum.* Just. Mart. in 2 Apol. *jam non communis panis est, sed Eucharistia.* Irenæus l. 4. c. 34 *Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit, &* *dicitur.* Greg. Nyss. orat. de Bapt. Christi. Loca S. Cyrilli Hierosolymitani Cath. myst. 3. S. Isidori Pelusiotæ, & Theodori Abucaræ, ab isto Cardinali laudata, eodem recidunt.

rationem, & cavisse, ne imposterum in sancto Sacrificio uteretur quis Pane Fermentato, vel aquam in Calice immisceret. Quod, ait Bona, VI. Concilii Generalis ætate contigit.

Dispellitur.

Attamen non est dubitandum, ante tempus istud Græcos cæpisse in sancto Sacrificio adhibere panem Fermentatum, quod discimus a Philopono; sed locus Galeni non efficit, morem hunc fuisse Ecclesiæ Græcæ communem, neque Armenos tum solum temporis panem Azymum adhibuisse; ante namque plus centum annos consuetudo hæc obtinuerat apud Armenos, cujus specimen exhibet recusatio Mosis, Patriarchæ Armeni, pergendi Constantinopolim. Non in hoc Concilio itaque Manaschierti celebrato, Armeni anathema dixerunt Concilio Chalcedonensi, sed in alio habito in Civitate Thevin anno 554. tribus supra centum a IV. Concilio Generali annis. Tunc Armenorum pars secundum S. Isaachi prophetiam a Catholica Ecclesia deficit. Porro in hac Synodo Thevin celebrata ne verbum quidem fit de usu Azymorum, sed tantum depositas fuisse Traditiones quasdam, a Sancto Gregorio primo Geotis Patriarcha, eorumque Antecessore receptas.

Narratio de rebus Armeniæ apud Combefis. pag. 290.

Quo in loco illud cavendum puto, ne Armenis omnibus tribuamus, quod paucorum tantummodo Episcoporum est: multi namque Fidem inviolate custodierunt, quamdiu Germani ipsorum Patriarchæ extitere, quod plane demonstrat, Armenos ab ipso Ecclesiæ suæ exordio semper in Azymo pane sacra fecisse; omnesque Ecclesias utrique Patriarchæ subjectas, nunquam institutionem hanc dereliquisse, sive Fidem servaverint, sive Hæresibus contaminatæ fuerint, sive tandem ad Ecclesiam Catholicam identidem se receperint: idque etiam num retinent incorrupte. Habes, nisi fallor, quæ magis probabilia protulerint Sapientes nostri ad statuendum panis Fermentati apud Græcos usum a temporibus Apostolicis.

ARTICULUS IV.

Inquiritur quo fere tempore Græci cæperint uti Pane Fermentato.

Græci rem divinam peragebant in Fermentato seculo VI.

NUllum profecto extat certum testimonium, vel ratio constans, sed tantum indicia quædam, Græcos ab Azymis recessisse quinquaginta annorum spatio, quod inter medium seculum VI., & initium VII. interfluxit. Non vacat ambigere ex verbis Philoponi, Græcos exeunte VI. seculo panem Fermento commixtum adhibuisse; quamquam explicet Author hic, quænam Orientis Ecclesia morem hunc receperit, vel si consuetudo hæc prisca tum esset, maximeque communis. Nihil etiam minus perspicuum est, eodem tempore Græcam Ecclesiam universam huic Ritui minime adhæsisse, quandoquidem Ecclesiæ sub dictione Patriarchæ Armeniæ, quæ non mediocrem Ecclesiæ Græcæ partem efficiebant, cum millenarium numerum excederent, azymis utebantur, quod in causa fuit, ut Moses Patriarcha, aliique Episcopi bene multi Constantinopolim concedere detrectarent, quo eos conciverat Mauritius Imperator.

Diximus etiam, anno 553. Armenos interfuisse V. Synodo Generali, quæ fuit II. Constantinopolitana: atque adeo satis simile vero fit, tum Ecclesiam Constantinopolitanam Azymum Panem ad sancta Mysteria sumsisse; siquidem non recusaverunt Armeni cum Patriarchatus hujus Clericis communionem habere; ut Moses Catholicus Armeniæ, aliique multi ejusdem Societatis Episcopi constanter renuerant, nulla alia de causa, nisi a nobis recitata; nimirum ne comesturi essent panem in furno coctum, scilicet Fermentatum. Nonnullæ aliæ Ecclesiæ Græcæ exemplum Constantinopolitanæ sectatæ sunt, quæ cæteris eminebat; quod sensim propagatum est ad postremum usque schisma, Tum Michael Cerularius, ejusque defectionis consortes, crimini verterunt Ecclesiæ Latinæ, quod pane azymo uteretur, tametsi eorum Antecessores morem hunc vel legitimum, vel indifferentem existimaverint; & Patres Concilii Constantinopolitani *in Trullo* Armenos de illo minimo redarguerint.

Patriarchæ Constantinopolitani quinquaginta annorum spatio.

Cum igitur res ista e conjecturis tantum, atque indiciis pendeat, exequar illa, quibus augurari possumus, transitum Græcorum ad panem Fermentatum contigisse tempore a nobis præstituto. Ab anno 553. ad usque seculi finem, quatuor Patriarchæ Sedem Byzantinam obtinuerunt. Post excessum Mennæ anno 553. evectus Eutichius fuit ad Cathedram Constantinopolitanam, qui post renunciationem suam ad Vigilium Pontificem Litteras dedit, orans, ut Concilium indiceret, quo controversia de tribus capitibus Ecclesiam perturbantibus dirimetur. Voti compos effectus est, Concilio V. OEcumenico eodem anno congregato. Paullo post hic Patriarcha Justinianum Imperatorem, novo alio imbutum errore reprehendit, quod moleste adeo tulit Princeps, ut in Episcoporum a se vitiatorum Synodo, illum Episcopatu depellendum curaverit anno 564.; atque in ejus locum suffecto quodam Joanne, Eutichium exilio mulctaverit. Joannes hic nomine III., & cognomento *Scholasticus* Apocrisarius erat, videlicet Legatus Ecclesiæ Antiochenæ Constantinopolim, ubi Hæreticorum partibus dedit manus, qui hactenus elaborarunt, ut eum Justinianus in Eutichii Sedem substituerit. Hanc igitur occupavit injuria ad annum usque 568. quo, e vivis sublato Joanne, Eutichius ad Ecclesiam suam reversus est.

Joannes III. Patriarcha Constantinopolitanus.

Joannes IV. *Jejunator* nuncupatus, Imperatoris Tiberii II. studio Cathedram Episcopalem

Joannes IV. eandem Sedem obtinuit

palem Constantinopolitanam conscendit post Eutichium anno 583., quamquam hic morti proximus, cum novisset Joannem hunc sibi in Successorem delectum iri, testatus fuerit, se id non probare, quod videlicet hominem funditus cognosceret. Joannes itaque anno 587. Synodum convocavit Episcoporum, qui in Aula Regia versabantur, aut non longe distabant, ut dijudicarent causam Gregorii Antiocheni, cujus innocentia hostium vi opprimebatur. In hoc pariter Concilio Episcopi Oecumenici, sive Universalis nomenclaturam sibi vindicavit, quod Pelagius Pontifex egerrimæ tulit. Eadem quæstio emersit rursus sub Pontificatu S. Gregorii, qui de nomine isto loquitur, perinde, atque de nomine profano, novo, blasphemiæ, erroris, veneni, schismatis, & diabolicæ significationis. Joanne autem e vivis erepto anno 596. In ejus vicem renunciatus est Patriarcha Constantinopolitanus Cyriacus, Synodumque congregavit inscio Gregorio; qui veritus, ne Episcopi Universalis titulum sibi Patrum illorum suffragiis confirmaret, scripsit ad Episcopos Orientis, ut huic Consilio intercederent: ac reipsa vulgato a Phoca edicto, ne cuipiam, præter Episcopum Romanum, Oecumenici nomen imponeretur, Cyriacus dolore confectus interiit anno 606.

Oecumenici nomen assumit.
Greg. l. 4. Epistola 38. 39.
Cyriacus elegitur post mortem Joannis IV.

Quæ omnia, ubi animadverterimus, non erit multi operis sibi persuadere, Joannem IV., vel Cyriacum potuisse operam dare, ut priscus in azymis consecrandis Ritus inverteretur. Cum etenim hi duo Patriarchæ ausi sint assumere titulum Oecumenicorum, ut a Pontifice Romano magis recederent, & immunes esse viderentur; mirum non esset Fermentatum etiam panem in azymi locum substituisse. In hoc certe tempus, vel huic proximum incidit, Mosem Patriarcham Armenum renuisse Constantinopolim se conferre, ne cum ejus Urbis Patriarcha communionem haberet, quod nimirum panem Fermentatum in sacris adhiberet, cujus consuetudo recentissima non esse non poterat. Moses sane aliique Armeniæ Episcopi nullam aliam attulerunt caussam, qua ab illo itinere sibi abstinendum esse dicebant: licet antea semper cum Ecclesiæ illius Episcopis societas illorum intercessisset. Atque illud credere necesse est, consecrationem in pane Fermentato novum fuisse magnæ offensionis inventum; quoniam hoc utuntur Armeni, tamquam ratione, quare Imperatoris mandatis non obtemperent; quamvis alia speciosiore uti potuissent. Satis namque futurum erat, si ob oculos Mauricii posuissent propter Joannis IV., vel Cyriaci facinus, qui Episcopi universalis nomen usurpabant, non posse se iter illud ingredi; ne viderentur titulum hunc probare, aut novis istis Oecumenicis subjici.

Mutatio Græcorum hoc fere tempore contigit. Indicium primum.

Sequitur conjectura alia, quæ alicujus fortasse momenti videbitur, si ad eam diligenter attendamus. Admiratione non caret, Philoponum ad id pene tempus Constantinopoli agentem, etsi ab Alexandria oriundus esset, edidisse Tractatum de Paschate, in quo ostendere nititur Jesum Christum non comedisse Paschalem Agnum, atque Eucharistiam in Fermentato instituisse. Habeto autem operis hujus consilium, in quo Philosophus hic nullum sibi propofuit authorem, vel opinionem novam hac de re profligere. Compertissimum est, ab ipso Ecclesiæ exordio, persuasum fuisse Græcis ipsis, Jesum Christum Pascha Legis peregisse, & Panis Azymi usu Sancta Mysteria instituisse. Hæc erat communis Ecclesiæ opinio, & nullum reperies authorem Græcum, vel Latinum, cujus opera non interciderint, a contraria sententia stetisse. Philoponus profecto, qui Alexandriæ fuerat institutus, ignorare non poterat, Theophilum, S. Cyrillum, S. Proterum, aliosque eruditos Antistites multos Sedis illius, qui a Concilii Nicæni Patribus designati fuerant, ut singulis annis diem Paschatis celebrandi statuerent, & Summo Pontifici indicarent; non poterat, inquam, ignorare Philosophus hic, omnes istos Patriarchas Alexandrinos censuisse, Jesum Christum in Eucharistia instituenda azymum panem adhibuisse. Unde igitur ipsi in mentem venit nova hæc cogitatio edendi Tractatum, ut opinionem eatenus in Ecclesia inauditam, & sine ulla, quæ in ejus Opere appareat, ratione confirmaret?

Indicium II.

Eccur inepta conjectura esset, asserere, consilium Philoponi, Tractatum de Paschate scribentis, fuisse, ut a novo, qui inducebatur, Ritu consecrandi panem Fermentatum, crimen novitatis eriperet? Contendens namque, Christum Dominum Pascha Legis minime celebrasse, & ante Christum Eucharistiam instituentem non fuisse, nisi panem Fermento admixtum; ostendebat pariter mutationem panis azymi nihil nisi pium præsesferre, quippe qui ob Jesum Christum imitandum deserebatur. Quæ animadversio eo videtur æquitati magis consentanea, quo Græci deinceps nullam aliam potulerunt caussam, qua morem suum faciendi sacra in pane Fermentato a culpa liberarent, & Latinæ Ecclesiæ consuetudinem reprehenderent.

Indicium III.

Denique cum Philoponus in Tricheitarum Hæresim inciderit, & duas conscripserit Tractationes, alteram adversus Resurrectionem Mortuorum, alteram vero contra Concilium Chalcedonense; non est incredibile, eum opusculum suum de Paschate confecisse, ut mutationi novæ authoritatem adderet; morem gereret Episcopis illius authoribus, eorumque existimationem tueretur; vel demum, ut hoc pacto divisionem foveret inter Summos Pontifices, & Byzantinos Patriarchas. Porro non est difficile creditu mutationem hanc paullatim incrementa fecisse in Patriarchatu Constantinopolitano sub quinque, aut sex Patriarchis Hæreticis, qui Sedem hanc ad annum usque 668. occuparunt; aliasque Orientis Ecclesias hujus exemplum secutas fuisse ad postremum usque schisma, in quo usus hic habitus a Græcis fuit separationis eorum ab Ecclesia Romana tanquam obterius, atque indicium.

Photius Cod. 55.
Aliud indicium.

JOANNES LAURENTIUS BERTI
FLORENTINUS
Ex Ordine Sancti Augustini
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Tom. VII. Lib. 33. Cap. IV. pag. 191., & seqq.

PROPOSITIO II.

Viguit in Romana Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hanc usque perpetuus Azymi usus.

SCimus oppositum docere viros eruditione, & sapientia conspicuos: inter quos omnes fere scholastici in IV. Sentent. asserunt utcumque Ecclesiam Latinam, & Græcam initio adhibuisse azymum panem, sed exorta hæresi Ebionitarum, qui simul cum Evangelio custodiebant legalia, ad hujus hæreseos detestationem in sacris mysteriis prælegisse fermentum: cui sententiæ adhærere videntur præstantissimi viri, qui cum Jacobo Sirmondo in dissert. *de Azymo* tenent per octingentos saltem annos consecratam Eucharistiam ex communibus Fidelium oblationibus, panibusque fermentatis, nec azymum fuisse receptum ante tempora Schismatis Photiani; adeo ut Michael Cerularius renuntiatus Patriarcha Constantinopolitanus anno 1043. post decem, vel undecim annos, ideſt 1054. sedente sancto Leone IX. de receptis azymis Latinam Ecclesiam accusaverit. Doctissimus etiam Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. docet ad sæculum usque decimum Latinos promiscue fermentatum, & azymum adhibuisse, deinceps vero obtinuisse ritum azymi; cum Græci a priscis sæculis solo fermentato usi fuerint: sed viris aliis præclarissimis pugnantibus pro antiquo usu azymi apud Latinos, adhærendum esse arbitramur. Sunt hi Franciscus Macedo in disquisitione *de Ritu Azymi*, Joannes Cabassutius in *Notitia Eccles.* sæcul. 4. dissert. 12. Joannes Mabillon. in ea, quam inscripsit *de Azymo, & Fermentato* cap. 7. & sequentibus, Christianus Lupus in diss. *de Sancti Leonis IX. Actis* cap. 7., Joannes Ciampinus in conjecturis *de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina*, aliique ab eodem laudati.

Trahunt autem me in hanc sententiam hæc argumenta. I. Consuetudinis, cujus certo non possumus demonstrare principium, præsertim si divinitus institutam esse noverimus, arcessere initia debemus ab ipsamet institutione. Quod vero universalis apud Latinos consuetudo consecrandi *Azymum* nata sit post schisma Photianum, nulla certa argumenta demonstrant, & alia ex parte certum est Dominum Jesum Azymum consecrasse. Ab hac ergo Dominica institutione universalis illa consuetudo Latinorum est repetenda. Hinc Græcis novitatem objicientibus respondit S. Leo IX. Epistola 1. cap. 5. *Ecce jam post mille, ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda.* Et Cardinalis Humbertus: *Vestra duplicitas suo fermento contenta Romanæ, & Latinæ simplicitati azymum extorquere nequit*, & infra: *Prima scilicet Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Ac Sanctus Gregorius VII. Epistola 1. lib. 7. hortatur Armenios *Azymum* nobiscum consecrantes, ut de *temeraria* Græcorum *garrulitate* multum mirentur. Et Innocentius III. de Myst. Missæ lib. 4. cap. 2. inquit: *ab ipsis ergo Beatis Apostolis Petro, & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit Romana Ecclesia, quem hactenus inviolabili cultu servavit.* II. Etsi non aperte, satis tamen indicat usum azymi Tertullianus, dum lib. 2. ad uxorem cap. 5. illam ad occultam Eucharistiæ sumptionem exhortans, ait: *non sciet Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur.* Qui sane locus pertinet ad azymum; nam si maritus vidisset uxorem manducantem panem usualem ante omnem cibum, nil sinistrum fuisset suspicatus. Revincitur ergo Ivenin, qui q. 2. art. 4. profert hunc Tertulliani librum ad comprobandum usum fermenti. Etiam Epiphanius Heres. 30. de Ebionæis scribit: *Mysteria vero perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem, in aqua solum.* Ex quo testimonio inferunt quidem nonnulli, Epiphanium notasse Ebionæos, quod celebrarent in azymis; sed longe melius ratiocinatur doctissimus Mabillonius pag. 127. ad hunc modum: *Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quod sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ saltem Latinæ: eos vero hoc tantum nomine arguit isto loco, quod pro aliqua sacrificii parte aquam solam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia e pane azymo sacrificium conficiebat.* Utitur eodem argumento Franciscus Macedo pag. 24., atque ante istos scripserat Gabriel Vasquez disput. 174. cap. 1. *constat ex Epiphanio, antiquitus tempore Ebionitarum etiam Ecclesiam Græcam in azymis consecrare consuevisse.* III. Cum antiqui Patres ea, quibus constant sacra *Mysteria*, singulatim exponerent, nullibi meminerunt *Fermenti*, sed farinæ tantum, & aquæ, ut tertio sæculo Cyprianus Epistola ad Cæcilium, quarto sæculo Gaudentius Episcopus Brixiensis Tract. 2. de Paschæ observatione, & sæculo quinto

Sanctus

Sanctus Pater Augustinus serm. 227. & 229. editionis postremæ. Etsi autem argumentum istud negativum est, nihilominus, cum hi Patres farinam commemorent, aquam, conspersionem, massam, & ignem quoque, cujus calore coquitur panis, & harum rerum symbola exponant; inverisimile est *Fermentum* silentio fuisse prætermissuros, si & istud in conficiendo pane Eucharistico fuisset adhibitum. IV. Idem evincitur ex forma, & qualitate sacrarum *hostiarum*, quas olim factas ex azymis aperte demonstratur ex illarum exilitate, figura, formaque impressa ferro *characterato*, & quarum vetustas imagines exhibent nobis viri de literaria Republica optime meriti, prælaudatus Mabillonius cap. 8., Martenius lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 3. artic. 7., & Harduinus Embolo 2. At de his proxima quarta propositione. V. Falsissimum est quod aiunt adversarii, *azymum* post decimum dumtaxat sæculum obtinuisse. Primo enim, si id verum foret, nunquam Leo IX. natus eodem sæculo, & circa medium undecimi scribens, neque Humbertus Cardinalis doctissimus, ausus esset repetere ab Ecclesiæ primordiis natam ætate sua consuetudinem: unde perperam conantur adversarii horum elevare auctoritatem, quod juniores sint; licet namque tales dici queant, si conferantur cum temporibus Apostolicis, recentiores tamen non sunt respectu sæculi X., quo contendunt plerique azymum invaluisse. Extant præterea apud D. Thomam 3. p. q. 74. art. 4. hæc Magni Gregorii verba: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem*. Verum fatemur hæc modo inter Gregorii opera non reperiri; quamvis eo loci, & in IV. contra Gentiles, necnon in opusculo contra errores Græcorum producantur a Divo Thoma, eaque urgeat Gennadius Scholarius, qui floruit tempore Florentini Concilii, in ejusdem Concilii defensione cap. 2. sect. 8. In vetustissima quoque Missa, quam Walafridus Strabo in lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. scribit a Divo Ambrosio ordinatam, atque dispositam, ubi exprimuntur oblationes, legitur: *oblationes panis azymi cum patenis*. Vide Joannem Ciampinum de Azymo, & Fermentato cap. 3. pag. 46. In usum denique fuisse azymum ante Photii dissidium invicte probant Christianus Lupus Tom. 3. pag. 689., & Mabillonius cap. IX. testimoniis Alcuini, & Rabani. Alcuinus enim, qui obiit sæculo IX. ineunte, Epistola 69. ad Lugdunensem Ecclesiam: *Panis*, inquit, *qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde mundissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquæ purgatissimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua, & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi*: & Rabanus, qui e vita migravit biennio ante Photium intrusum, idest anno 856. lib. 1. de institutione Clericorum cap. 31. ait: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi sanctificari oportet*. Apertissimis itaque testimoniis constat azymos invaluisse ante Photianum dissidium. VI. Postremo si aliter se res haberet, non potuissent Leo IX., & Humbertus opponere Michaeli Cerulario antiquissimam Romanæ Ecclesiæ traditionem; immo jure objecissent schismatici, Latinos a veterum more desciscere, se autem sequi exempla majorum; ideoque sententia eorum, qui repetunt a decimo sæculo usum azymi, non tantum est falsa, verum etiam videtur addere follem, atque incitabulum Græcorum garrulitati.

Plura opponuntur ab adversariis, quorum præcipua hæc sunt. I. Consecrabatur olim Eucharistia ex oblationibus Populi, & quod supererat, distribuebatur viduis, ac pauperibus. Illæ ergo oblationes erant e panibus usualibus, & fermentatis. II. Idem videtur innuere lib. 2. ad uxorem Tertullianus. Epiphanius vero morem consecrandi *azyma* h. 30. adscribit Ebionæis. Ex Dialogis etiam Gregorii Magni colligi consecrationem *Fermenti*, scribunt in Commentario de sancta Communione Georgius Corcyrensium Metropolita, & in libro de Missa, & templo Simeon Thessalonicensium Archiepiscopus. III. Ambrosius lib. IV. de Sacramentis cap. IV. n. 14. Panem Eucharisticum appellat *Panem usitatum*, ideoque confectum fermento. IV. Photius non objecit Latinis, quod azyma consecrarent: Eo ergo temporis utraque Ecclesia, Latina, & Græca in sacris Mysteriis fermentato utebatur. V. Ex Melchiadis denique, Siricii, & Innocentii Decretis apparet oblationes consecratas, quæ ad Titulos, & Ecclesias deferebantur, dictas fuisse *Fermentum*, certe non ab aliam causam, nisi quod ex pane fermentato fiebant.

Resp. ad I. Evanescere difficultatem omnem, si distinguantur duæ oblationes olim in Missa factæ, una ante Evangelium, in qua offerebantur panis, vinum, & quodcumque aliud in supplementum sacerdotum, & egenorum; altera lecto jam Evangelio, in qua offerebantur panis, & vinum ad consecrationem, & ex qua si quid supererat, ab Archidiacono tradebatur servandum custodi, ut deserviret privatis aliorum dierum sacrificiis. Primam oblationem fuisse Panis fermentati, concedimus: alteram fuisse ejusdem panis, negamus. Hanc enim oblationem fuisse azymorum, colligimus ex antiquissima Missa Ambrosiana, & ex more, qui etiam num a prima institutione Mediolanensi servatur, ut viri, & Matronæ, quas *Veglones*, & *Vegloníssas* appellant, instante oblationis tempore offerant Sacerdoti, cum vasculo vini, sacrificii materiam panes azymos. Atque id confirmatur ex dicendis infra *de Hostiis*. Videsis tamen Parergon Francisci Macedo *de oblatis ad Altare*, pag. 88. Mabillonium cit. dissert. pag. 119., Martenium lib. 1. pag. 309. &c. Secundum vero argumentum nullius momenti est: siquidem ex Tertulliano, & Epiphanio potius sententia nostra confirmatur: & Gregorius nihil ait in Dialogis, quod juvet sententiam oppositam; immo plura tradit Sanctus Doctor, quæ nostram confirmant, Homil. 22. in Evang. num. 8., ubi exponens Eucharistiæ mysteria, ait, illum come-

i 2 dere

dere panes sine fermento, qui est *sine admixtione peccati*, quamvis ibi allegoricum sensum tradit, non litteralem. Mitto, quæ paullo supra dicta sunt de testimonio quodam Gregorii producto a Divo Thoma Aquinate, & a Gennadio Scholario. Observat præterea eximius Lupus cit. differt. cap. 8. Armenios a sancta Romana Ecclesia, atque a Magno Gregorio accepisse *Azymum, Mitram Episcopalem, & modum signandi Cruce*, ut ad Haytonem Cœnobitam scribit Gregorius Sisensis Armeniorum Patriarcha. Quod sequitur tertio loco, facile expeditur, nam Ambrosius appellat azymum ante consecrationem *panem usitatum*, quatenus opponitur consecrato: quo sensu etiam Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 3. de Spiritus Sancti Operibus cap. 21. panem azymum a Domino in ultima cœna consecratum vocat *panem communem*. Illa insuper verba, *tu forte dicis, meus panis est usitatus*, demonstrant apud Ambrosium admirationem Neophyti primo sacra mysteria adspicientis, unde liquido apparet nihil ea facere ad quæstionem, in qua versamur, ut adnotarunt Benedictini tom. 2. pag. 367.

At Photius, ut ad objectionem IV. veniamus, ideo nullam de azymis litem movit, quoniam id judicavit esse dissimulandum, propterea quod azymum ex facto Christi Domini haberet auctoritatem. Ita respondet Mabillonius Præfat. I. in sec. III. Bened. n. 74., nam ipse Photius in Biblioth. Cod. 116. scripserat juxta Chrysostomum, & Ecclesiam universam Christum peregisse legale Pascha secundum Legis præscriptum, ideoque in azymo consecrasse: quod & a nobis observatum supra cap. 1. prop. 3. Addunt viri eruditi, nec Photium vitio tribuisse Latinis tonsuram capitis, unicam aquæ infusionem in baptismo, ritum, ac dilationem confirmationis, & alia plura, in quibus Latini discrepant a Græcis: non potuisse demum id Photium objectare, qui Epistola 64. scripserat sustinendam esse absque reprehensione in variis Ecclesiis *differentiam, ac dissimilitudinem in mysticis sacrificiis*. Cæterum, ut supra dictum est, comprobatur usus azymi testimonio Scriptorum, qui originem Photiani schismatis præcesserunt.

PROPOSITIO III.

Fermentum, *quod olim ad Titulos, seu ad Ecclesias dirigebatur, erat Eucharistia Pane Azymo consecrata*.

Ultima objectio præcedentis propositionis solvi poterat respondendo, *Fermentum* ad titulos transmissum fuisse Eulogias, non Eucharistiam, & consequenter nihil hinc inferri adversus azymi antiquum usum. Id enim de Fermento illo senserunt Baronius ad An. 316. n. 49., Severinus Binius in notis ad Decretum Melchiadis, & ad Epistolam Innocentii I. ad Decentium, Franciscus Macedo Disquis. de ritu azymi cap. XI., Joannes Cabassut. dissert. 12. sæculi 2.: aliique bene multi. Sed veritati magis consona est sententia doctissimorum virorum, qui *Fermentum* illud interpretantur Eucharistiam, inter quos Antonius Augustinus in Epistola ad Latinum Latinium, noster Lupus cit. differt. cap. 9. q. 4. Cardinalis Thomasius differt. de hoc argumento, Mabillonius cap. 10. Joannes Ciampinus in conjecturis de azymo cap. 7., Schelestratius de disciplina Arcani art. 5., Bencinus in notis ad Anastasium, & alii, qui de hoc argumento accurate tractarunt; & quorum sententiam certam, & inconcussam arbitratur Not. cxv. in Dominicam Palm., & cccxxvi. de sacrif. Missæ BENEDICTUS XIV. His accedo, primum, quia de Melchiade in libro Pontificali legimus: *hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*: quibus verbis aperte innuitur, non quamcumque oblationem ad Ecclesias fuisse directam, sed partem ejus, quam Episcopus consecraverat, quod ex pristina disciplina a Melchiade circa annum 312., quo tempore Manichæi in Urbe inventi sunt, iterum præscriptum fuit, ut eadem participatione *Sacramenti* plebs Christiana cum Presbyteris, atque hi cum Romano Pontifice custodirent fidei unitatem. II. Idem statuit ex eodem libro Sanctus Siricius ad Pontificatum evectus, ineunte anno 385., cum rursus Manichæi latitarent in Urbe. *Hic constituit*, inquit Anastasius, *ut nullus Presbyter Missas celebraret per hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*. Quo item in loco non possumus nisi improprie, & coacte *consecratum Episcopi* interpretari Eulogias. III. Tertio non leve depromitur argumentum ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Acolytho Tarsicio, qui hoc Fermentum ad Titulos deferens sedente Stephano I., & a Paganis inventus, cum nollet eis *Sancta* prodere, subiit gloriosum Martyrium, ut legitur in actis Stephani apud Baronium ad annum 259. & 260. num. 5. Tarsicium vero non portasse Eulogias, sed Eucharistiam, constat ex iisdem Actibus, in quibus ista leguntur: *Invenerunt milites Paganorum acolythum nomine Tarsicium, Christi Corporis Sacramenta portantem. Discutientibus quid gereret, ille indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria: qui eum tamdiu fustibus, & lapidibus mactaverunt, quousque spiritum exhalaret; revolutoque ejus corpore, nihil valuerunt de sacris mysteriis invenire*. Similia leguntur in Romano Martyrologio die xiv. Augusti. Eidem Tarsicio Sanctus Damasus hos versus insculpsit:

Tarsicium Sanctum Christi Sacramenta ferentem,
Cum malesana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere cæsus,
Prodere quam canibus rabidis cœlestia membra.

Vide acta Sanctorum tom. 3. Augusti pag. 201. In his non habetur quidem, quod deferretur ad Titulos *Fermentum*: sed habetur tamen quod deferebatur Eucharistia; ideoque Eucharistia erat *consecratum Episcopi, quod nominabatur Fermentum*, ac deferebatur ad Titulos. IV. Idem probatur ex Epistola Sancti

cti Innocentii I. ad Decentium cap. 9., ubi hæc scribit: *De Fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos; quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam.* Quibus sane verbis videtur mihi non uno ex capite demonstrari, quod *Fermentum* istud sit Eucharistia: primum, quia dicitur *Sacramentum* ab Episcopo, & a Presbyteris *confectum*: quod utique quid plus notat, quam benedictionem Eulogiarum. Deinde quia ait Innocentius, *non longe portanda Sacramenta*, nimirum ne profanentur, & ne veniant in Paganorum manus, quod de simplici Eulogia non adeo cavendum erat. Præterea, quia *Fermentum* mittebatur in tesseram communionis Presbyterorum cum Romano Pontifice: consuetum autem erat hanc ob rem non Eulogias tantum mittere, sed & Eucharistiam, ut ex secunda (alias prima) Apologia Justini, ex Epistola Sancti Irenæi ad Victorem, & ex monimentis aliis probat Illustris Lupus tom. 3. in Concil. pag. 702., & post Lupum Emmanuel a Schelestrate de disciplina Arcani pag. 137. Mabillon. in dissertat. de Azymo pag. 133., aliique præstantes viri. V. *Fermentum*, quod Sabbato ante Dominicam Palmarum distribuebatur *in Consistorio Lateranensi*, ut habetur in antiquo Calendario Romano edito a Joanne Frontonio, est Eucharistia transmissa ad Episcopos suburbicarios, ad hoc, ut saltim recurrente Paschate suam cum Romano Pontifice communionem profiterentur participantes de uno, eodemque mysterio, ut apud Ciampinum de azymo pag. 214. docet vir pietate, & eruditione clarissimus Cardinalis Joseph Maria Thomasius, cujus doctrinam amplectuntur Ciampinus idem, & præcit. Nota cxv. in Dominicam Palm. summus Ecclesiæ Pastor BENEDICTUS XIV.. Idem ergo asserendum est de Fermento ad Ecclesias constitutione Melchiadis, & Siricii transmisso. VI. Nequit hæc sententia labefactari, ut quidam putant, Canone XIV. Concilii Laodiceni, *Ne sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ ad alias Parochias transmittantur*. Immo hoc Canone sententia nostra confirmatur, quoniam in illo *sancta* ab Eulogiis distinguuntur; & decernitur ne *Fermentum*, sive Eucharistia, quæ *sanctum Domini* dicitur a Græcis, Latinisque Patribus, ad Forenses transmittatur, quemadmodum deferebatur ad Ecclesias constitutas in Urbe, sed ad longinquas mittantur dumtaxat Eulogiæ, prout etiam Innocentius I. sancivit: quare subscribendum est Christiano Lupo, qui citato Volum. 3. pag. 710. censet Canonem Laodicensem omnino agere de Eucharistia.

Ex his vero nemo inferet, Ecclesiam Latinam consecrasse olim Fermentatum. *Quid enim*, ut verbis utar Cardinalis Thomasii, *opus erat dicere hujusmodi oblationem a Pontifice consecratam declarari, aut nominari Fermentum, si eam ob causam ita appellaretur, propterea quod fermentata esset?* Præterea inter *Fermentum*, & *Fermentatum* multum est discriminis; ideoque hinc perperam viri, alioqui perspicacissimi, argumenta desumunt aut pro usu Fermenti in Ecclesia Romana, aut pro relegando *Fermento* ad Eulogias. Insuper aptissimum est *Fermenti* nomen ad significandam Eucharistiam, tametsi confectam in azymo; quoniam sicut Fermentum farinæ commixtum totam conglutinat, ita Eucharistia unitionis, & communionis Ecclesiarum est vinculum, ut scribit Petrus Coustant. in Epistolis Rom. Pontif. tom. 1. pag. 859., Benedictus XIV. citato in loco, Lupus pag. 712., & alii multi. Rursus per id temporis, quo scriptus est *Ordo Romanus*, Latina Ecclesia utebatur Pane azymo, & nihilominus in illo præscribitur, ut *Fermenti particula* mittatur in Calicem ab Episcopo, vel a Presbytero, absente summo Pontifice. *Fermentum* itaque illud erat azymum. Tandem inverisimile non est, hoc nomine appellatam Eucharistiam, ut obscuriori vocabulo hoc mysterium profanis occultaretur, quemadmodum arbitrantur præstantissimi viri, Schelestratius de disciplina Arcani art. 5., & Mabillon. de Azymo cap. 10.. Concludamus ergo, nullum argumentum desumi adversus azymum ex Melchiadis, & Siricii decretis, quamquam in his sit sermo de Eucharistia, eisque vim maximam inesse crediderint cum Eminentissimo Cardinali Bona viri alii clarissimi; atque ante hos omnes supra commemoratos, Nicetas Archiepiscopus Nicomediensis, qui cum Anselmo Episcopo Havelbergensi, & Legato Lotharii ad Joannem Comnenum Imperatorem acerrime in Absida Sanctæ Sophiæ disceptavit. Quamobrem ejusdem argumenti nullam rationem habendam esse judicavit Jacobus Sirmondus, cujus capite V. disquisit. de azymo, hæc sunt verba: *Quid hoc tandem ad nos, si Eucharistiam hic constat Fermentum ex eo dictam, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, ejusque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum Massæ, cui commiscetur?* Et infra: *Manet igitur, quod principio institueramus, per oblationes consecratas in decreto Melchiadis sacram Eucharistiam intelligi, non Eulogias*. Vide Tom. V. Edit. Reg. Paris. p. 526.

PROPOSITIO IV.

Azymi Panes in Eucharistia consecrandi debent esse exiles, & figura rotundi ex antiqua Ecclesiæ disciplina.

De figura extat testimonium Sancti Epiphanii, qui in Anchorato num. 57. docens posse panem esse corporis Christi symbolum, etiamsi figuræ sit circularis, ait: *τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδές*, scilicet, *hoc enim est rotundæ formæ*, quem locum frustra cum Novantibus aliis elevat Vossius disputat. XIX. th. 2. propterea quod *στρογγυλοειδὲς* notet illud

illud, quod teretis, & oblongæ figuræ est, non circularis; utrumque enim significat, cum idem sit apud Græcos, ac γραγγύς, sive *rotundus*, aut *tortuosus*. At inquiunt, mirus est hominum stupor adducere pro figura hostiarum Patrem Græcum, cum nihil certius sit, quam Græcos urgere necessitatem panis fermentati. Verum primo improbabile non est ætate Epiphanii etiam Græcorum Ecclesias, aliquas saltem, azymum adhibuisse, ut liquet ex præcit. Epiphanio her. XXX. Ebionæorum. Deinde falsum est Græcos nunquam adhibere panes circularis figuræ: scribit enim Gabriel Philadelphiensis in Apolog. pro Ecclesia Orientali de Pane Eucharistico: *Is Panis præsefert sigillum figuræ circularis, vel quadrangulæ cum has inscriptione: Jesus Christus vincit*. Ubi etiam Philadelphiensis notat in *circulari* figura significari Divinitatem, in *quadrangula* autem quatuor mundi partes, quibus Christus salutem attulit. II. Gregorius Magnus lib. IV. Dialog. cap. 55. inquit de quodam Presbytero Diœcesis Centumcellensis, *Duas secum oblationum coronas detulit*, ubi Editores Benedictini Tom. 2. pag. 467. hanc notulam apposuere: *videntur fuisse panes rotundi in modum placentæ*. III. Cæsarius frater Nazianzeni Dialogo 3. de Fide Catholica num. 169., comparans Corpus Christi, dum inter nos degeret, cum eodem in Sacramento: *Illud*, inquit, *est artubus compositum, hoc rotundum*: quod accipiendum est de exteriori specierum panis apparentia. IV. Cum olim Sacerdotes sepelirentur cum rebus illis, quibus in peragendo sacro solebant uti, in sepulchro Sancti Otmari inventas fuisse *Panis rotulas, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, narrat in ejus vita Iso Monachus apud Cl. Mabillonium Præf. 1. in sæculum III. Benedict. Id vir eximius confirmari ait perantiquis picturis. V. Hostias rotundas, & circulari figura repræsentant quoque imagines ex vetustis Codicibus descriptæ, non Latinorum tantum, verum etiam Syrorum, Alexandrinorum, atque Græcorum, ut diximus, licet hi consecrent quoque panes quadratæ figuræ, apud Jacobum Sirmondum disquis. de Azymo cap. 4., & Edmundum Martenium lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 3. art. 7.. Quibus addo Franciscum Alvarez narrantem de Peregrinat. Æthiop. cap. 12. etiam modum, quo apud Æthiopes hostiæ circularis figuræ parantur, & Sollerium exhibentem in Append. ad Patriarch. Alexandr. num. 201. effigiatam hostiam Coptorum Jacobitarum. VI. Hanc eamdem hostiarum figuram confirmat revelatio Sancti Eldephonsi Archiepiscopi Toletani habita anno 845., de qua paullo infra, Ernulphus Roffensis Episcopus, qui obiit anno 1124. Epistola ad Lambertum, aliique permulti laudati a Sirmondo, Martenio, & Mabillonio citatis in locis, necnon ab Eminentissimo Joanne Bona lib. 1. de rebus Liturg. cap. 23. & a recentiorum compluribus. Honorius demum Augustodunensis in Gemma animæ cap. 66., & ex eo Durandus in Rationali lib. 4. cap. 41. scribunt Hostias *in modum denarii* formandas, tum quia Panis vitæ pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vinea laborantibus præmium erit.

Hostias autem exiles, tenuesque formandas, primum constat ex antiquis picturis nuperrime commemoratis, ac præsertim ex revelatione Eldephonsi. Hanc optabat maxime ut in lucem prodiret Christianus Lupus pag. 699., idque nos acceptum ferimus Mabillonio, qui eam publici juris fecit cum dissertatione de azymo anno 1673. Apparet in ea Revelatione, Sacerdotum majores hostias, communicantium minores esse; una ferri impressione formatas hostias quinque, majorem unam, quatuor vero minores, & ex una Farinæ libra centum majores hostias confici potuisse. II. Uldaricus in 3. libro consuetudinum Cluniacensium cap. 13. scribit in ferramento, quod *characteratum* appellat, simul hostias sex confici, quod earum exilitatis est pariter argumentum. Floruit Uldaricus sæculo undecimo. Eadem ratione oblatas, impressas, & decoctas ferro, narrat in libro de miraculis Sancti Wandregesili Abbatis cap. 29. Monachus Anonymus, qui sæculo vixit nono: ex quibus simul & Panis azymi quantitas, & figura probatur. III. Synodus Toletana XVI. celebrata anno Christi 693. can. 6. adversus quosdam, qui consecrabant rotundam panis crustulam, sic statuit: *Temeritatis hujus, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*. Concludamus igitur cum Raymundo in Summa:

> *Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda,*
> *Expers fermenti, non salsa sit hostia Christi.*

PROPOSITIO V.

Licet incertum sit a quo tempore invaluerit apud Græcos fermentati usus, videtur tamen obtinuisse ante exortum schisma Photianum.

NOn consentiunt Scriptores circa tempus, quo primum cœperunt Græci in re sacra adhibere panem fermentatum. Nam Innocentius III. lib. IV. de mysteriis Missæ cap. 4. scribit Græcos sacrificii ritum temere mutasse, *postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt*, nec aliter sentit Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Historia Occidentalis Ecclesiæ cap. 38., Alex. autem de Ales, S. Thomas, Scotus, aliique veteres Scholastici in IV. Sentent., necnon Cardinalis Hosius in libro de expresso Dei verbo, & Estius dist. VIII. §. 8. censent inductum Fermentatum occasione Ebionæorum tam in Ecclesia Græca, quam in Latina; & hæresi illa cessante, Latinos ad morem pristinum rediisse, Græcos autem perstitisse in recepta consuetudine: quod utique, quantum ad Latinos spectat, falsum evincitur ex proposit. 2. Gregorius Sisensis Orthodoxus

thodoxus Patriarcha Armeniorum, apud Lupum citata differt. de actis Sancti Leonis IX. cap. 10. ait Apostolos interdum azymum, interdum vero fermentatum consecrasse, pro loci, ac temporis opportunitate, atque hinc derivatum utriusque Ecclesiæ discrimen; id vero censet esse probabile idem Lupus Volum. 111. pag. 716., Franciscus Macedo, & Gabriel Vasquez ex verbis Epiphanii productis prop. 2. inferunt Græcos ante exortam hæresim Ebionitarum consecrasse azymum, quæ sententia cohæret cum pervulgata Scholasticorum: at potest Epiphanius accipi *de Ecclesia tantum Latina*, ut supra animadvertimus cum Mabillonio, ubi etiam diximus eos decipi, qui ex Epiphanio inferunt antiquum usum fermentati. Demum recentiorum permulti putant Ecclesias omnes Orientales per sex priora secula consecrasse *Fermentatum*, quod probant ex oblationibus fidelium, & ex Patribus, qui Panem Eucharisticum appellant *communem*, *&* *usitatum*: quæ utique argumenta esse infirmissima constat ex dictis, atque ex eo, quod nonnullæ etiam per Orientem Ecclesiæ a priori institutione consecrent azymum, prout ostendam proximo capite.

Cum itaque omnes hæ opiniones pugnent invicem, nec ulla certis momentis innixa sit; hoc unum statuo, antiquiorem esse Græcarum Ecclesiarum consuetudinem schismate Photiano. Quod assero primum, quia Sanctus Leo IX., & Cardinalis Humbertus pugnarunt quidem pro vetusta Romanæ Ecclesiæ consuetudine, sed nunquam objecerunt Græcis usurpatum ab ipsis fermentatum panem occasione dissidii paullo ante exorti sub Photio Sedis Constantinopolitanæ invasore: quod objecissent utique opponentibus ex adverso Judaismum, defectionemque ab Apostolicis institutionibus, si hujusce novitatis manifesta habuissent indicia. Immo Humbertus in responsione ad Nicetam innuit anno 680., quo celebrata est sexta Synodus, Græcos alio pane a Latinis usos fuisse, ut dicam postea. Deinde constat Græcos non minus proclives esse ad nova dogmata, quam tenaces in antiquorum rituum observatione; in quibus fere a principio Christianæ Religionis discrepasse ab Ecclesia Latina, tam in controversia de Paschate, quam *in quibusdam aliis rebus*, scribit S. Irenæus apud Eusebium lib. v. Hist. Eccles. cap. 24. pag. edit. Valesii 193. Deinde Datius Mediolanensis in Chronico, cujus tamen ambigua est auctoritas, scribit Sanctum Ambrosium in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini, imitatum Græcorum Ecclesiam, *fermentatum cum nostro azymo benedixisse*: & longe antea Origenes in cap. xvi. Matthæi scripserat aliquando fermentatum *imponi super altare*, quæ tamen duo loca de oblationibus, & eulogiis populo distribuendis arbitror esse accipienda. Tandem, quod assertionem nostram certissimam esse commonstrat, Joannes Philoponus Alexandrinus, qui vivebat Constantinopoli anno 535. ut ad eumdem annum n. 75. & 76. demonstrat Cardinalis Baronius, nitebatur ostendere in disput. de Paschate, Dominum consecrasse in fermentato, argumentatione petita ex more tunc temporis vigente, scribens: *Neque azymum panem antitypum discipulis suis dedit Christus; fieret enim id etiam nunc*. Saltem ergo in Ecclesia Constantinopolitana, & Alexandrina vigebat usus *Fermentati* sexto vertente sæculo. Adeas Mabillonium differtat. de Azymo cap. 3. pag. 41.

PROPOSITIO VI.

Valide tam in azymo pane, quam in fermentato conficitur Eucharistia.

DEmonstratur prima pars ex hactenus disputatis; primum, quia Christus Dominus revera consecravit in azymo: deinde, quia Ecclesia Latina semper ab Apostolorum ætate azymi usum retinuit: ulterius quoniam panis azymus revera est *panis*, & conspersio farinæ, & aquæ, ut loquuntur Ecclesiæ Patres, & nos supra ostendimus adversus Græcos: insuper, quia nunquam Græci ante Michaelem Cerularium hac de re Latinam Ecclesiam accusarunt, immo Photius auctor schismatis, & fœdifragorum antesignanus, & ductor, Epistola 64. hujusmodi differentiam minime reprobat in mysticis sacrificiis.

Altera pars probatur. I. Ex hac definitione Florentini Concilii in litteris unionis: *definimus, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici*. II. Nec Leo IX., nec Humbertus R. E. Cardinalis, neque Latinorum aliquis sacrificia Græcorum unquam repudiavit, quia e fermentato pane conficiuntur, sed veritate, & caritate falsas Græcorum calumnias, causasque dissidiorum prætextas vicerunt. III. Sancti Gregorii VII. Epistola 1. lib. VIII. hæc sunt verba, Latinorum omnium consensione, animoque prolata: *Nos azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum Fermentum non reprobamus*. IV. Omnes communionis nostri Theologi subscribunt beato Thomæ 3. p. q. 74. art. 4. distinguenti quid sit Sacramento *conveniens*, & quid *necessarium*, ac *necessarium* censent, ut panis sit triticeus, *azymus*, *aut fermentatus*; conveniens vero, ut unusquisque servet *ritum Ecclesiæ suæ*. V. Sunt communia inter nos ad rem sacramentariam pertinentia principia, in substantia *materiæ* Ecclesias convenire singulas, ac differentiam accidentariam, qualis est inter azymum panem, & fermentatum, sacramenti non tollere veritatem. VI. Tantum abest, quod Latini improbent fermentum Græcorum, quin Pius V. Constitut. *Providentia Romani Pontificis*, edita anno 1566. inhibuit, *ne deinceps Presbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrare facere præsumant*. Quod pariter prohibuit BENEDICTUS XIV. Const. *Etsi pastoralis*, emanata superiori anno 1742., in qua omnia decreta Clementis VIII., Innocentii IV., Pii IV., aliorumque Romanorum Pontificum *super Græcorum Ritibus* apte inveniuntur disposita, dilucide explicata, iterumque supremo judicio definita. VII. Demum in Professione Orthodoxæ Fidei a Græcis facienda,

&

& Græce, ac Latine edita jussu Gregorii XIII. legitur: Ἔτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς τούς τε ἱερεῖς ἐν θατέρῳ αὐτῶν τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τελεῖν ὀφείλειν, ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, εἴτε δυτικῆς, εἴτε ἀνατολικῆς συνήθειαν: *Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem*. Finem ergo capiti quarto imponamus cum Emmanuele Cabeliau Augustinensi Poeta, ac Theologo, thesi 2. de Euch.

Ardua Romanos inter, Græcosque movetur
Lis, panibus queis Christus usus ultima
In cœna fuerit. Romani jure veterno
Volunt adhibitos azymos, Græci negant:
Sed fermentatum pugnant, quod Christus in illo
Dilectionis Epulo, Apostolis suis
Ad mensam dederit; quapropter sacrificarit
In pane posito. Hoc asserunt, sed qui probant?
Novimus, ut Christus veteres servaverit usus,
Judaica donec lex sepulta non erat.
Hunc tam solemni Festo voluisse novare
Ritum veternum? Scandalum quid si grave
Discipulis, nondum firmatis, forte dedisset?
Fuit Magister cautior, sui cavens.
Quicquid id est; tolerat binos Ecclesia ritus:
Servet Latinus proprium, Græcus suum.

P. D. CAJETANUS MARIA MERATUS

CLER. REGULARIS SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS CONSULTUUM

Tom. I. Comment. in Gavantum Par. I. in Rub. generales Comment. & Observat. prælim. num. 13. pag. 13.

EDIT. VENETÆ in f.

JOannes Ciampinus in suo Libro inscripto: *conjecturæ de perpetuo Azymorum usu*, *cap.* 3. *pag.* 43. suffragatur sententiæ Gavanti, cit. enim loc. dicit. *non temere asseritur illos* (nempe Apostolos) *si omnium, quæ eis præceperat Jesus, diligentissimi observatores, atque custodes fuerunt, fuisse etiam in usu Panis Azymi, quem a Christo Domino acceperant*. Verum Card. Bona *l. I. cap.* 23. consentire videtur Arcudio, qui *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 3. ait: *Apostolos verisimile esse pro varietate locorum, Gentium, & temporum, modo Azymo, modo Fermentato usos fuisse, & consecrasse Panem illum, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive Azymum, sive Fermentatum*. Quæ Bonæ sententia probabilior mihi videtur; nullum enim præceptum obligabat Apostolos ad consecrandum in Pane Azymo, quia licet pro certo habeam cum communiori sententia, Christum in ultima Cœna non alio pane, quam azymo usum fuisse, prout in diebus azymorum Lex vetus præcipiebat, & in eo Corporis sui Sacramentum admirabile instituisse: nihilominus nullum imposuit præceptum de Azymo potius, quam Fermentato pane adhibendo in Sacrificio Eucharistico: & sicut certissimum est, & inconcussum fidei dogma, utrumque panem, tam Azymum, quam Fermentatum, legitimam esse Sacramenti materiam, & utrumque ab Ecclesia approbari pro validitate Sacramenti; ita communis est sententia Theologorum, nullum super Azymo potius, quam Fermentato urgere divinum præceptum, sed solum Ecclesiasticum, præscribens Latinis Sacerdotibus usum Azymi, Græcis vero usum Fermenti, ut liquet ex Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino, & ex litteris unionis, necnon ex motu proprio Pii V. qui incipit: *providentia Romani Pontificis* &c., in quo revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi datas Græcis more Latino, & Latinis more Græco, subdit. *Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis præcipimus in virtute S. obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis a Divinis pœnis, districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco Ritu hujusmodi licentiarum, & facultatum, aut aliovis prætextu Missas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant*.

Mox laudatus Ciampinus in fine capitis primi allegati Operis recenset Catalogum Auctorum, qui usque ad Concilium Florentinum, in quo concordia Græcorum cum Ecclesia Latina inita fuit, scripserunt de usu Azymi, & Fermentati. In sequentibus vero capitibus congerit varias aliorum sententias circa eamdem materiam, post dictum Concilium ab iisdem expositas, & propugnatas: Præcipui vero, qui de Azymi, & Fermentati usu in Ecclesia Occidentali scripserunt, sunt doctissimus Jacobus Sirmondus, qui in singulari de hac re Dissertatione edita an. 1651. & reperitur in Tom. 4. suorum Operum, probare conatus est usum Fermentati octingentis, & amplius annis in Ecclesia Latina viguisse, recepta autem Azyma, medio illo intervallo, quod a Schismate Photii sub Pontifice Nicolao I. usque ad turbas Michaelis Cerularii sedente Leone IX. effluxit, idest medio illo tempore, quod ab anno 867. ad 1054. intercessit. Hanc rigidam Sirmondi sententia, solus quod sciam, tuitus est Launoyus in Dissertatione, quam memorant Parisienses Ephemerides anno 1697. pag. 20.

Opinionem hans mitigavit nunquam sine laude nominandus Cardinalis Bona *lib.* 1. *Re-*

rum

rum Liturgicarum cap. 23., qui statuit usum Azymorum in Ecclesiis Occidentalibus communi Lege sancitum, & ubique receptum fuisse prope finem noni seculi, vel initio decimi; a temporibus vero Apostolorum usque ad prædictum tempus promiscuum fuisse usum Azymi panis, ac Fermentati. Hanc Bonæ opinionem, cum nonnulli acriori censura perstringerent, ejus verba in pravum sensum detorquentes, clarius postmodum explicavit, & solidioribus momentis firmavit in secunda sui operis editione, quam etiam plures eruditi secuti sunt, nimirum Franciscus Maria Florentinius in disquisit. de antiquo usu fermentati panis, & azymi a filio ejus edita, Edmundus Martene *lib.* 1. *de antiq. Eccl. Rit. pag.* 308., Grancolas *Tom.* 1. *de antiquis Liturg. pag.* 564. Juvenin. *Dissert.* 4. *de Sacram. Eccl. quæst.* 2. §. 5. Contra vero Sirmondi, ac Bonæ sententiam impugnare conati sunt laudatus Ciampinus, Franciscus a Sancto Augustino, Macedo *in Dissert. Thologica de Ritu Azymi, & Fermentati* in 16. capita divisa, quam Veronæ anno 1677. in lucem emisit. In eo autem Cardinalem Bona nimis acriter impugnare videtur, præsertim cum Eminentissimi Auctoris sententiam ineluctabilibus principiis inniti ipsemet fateatur in Epistola ad eumdem scripta anno 1672. die 18. Novembris. Eamdem Bonæ opinionem refutavit doctissimus Mabillonius in Disset. de pane Azymo, ac Fermentato, quam scripsit, & evulgavit ad eodem Cardinale Bona rogatus, ut ex pluribus constat Cardinalis Epistolis. Reperitur hæc Dissertatio post Præfationes Mabillonii, in seculo Benedict., & in Bibliotheca selecta de Ritu Azymi, & Fermentati impressa Venetiis 1729. Uno tandem capite auctam, quod Bonæ consilio in prima Operis editione Mabillonius omiserat, edidit Antonius Vincentius Thuillier inter opera posthuma Mabillonii, & Ruinartii, ubi legi etiam potest celebre Thomasini de hac Mabilloniana Dissertatione Judicium. Scripsit etiam de hac re eruditissime Christianus Lupus in Scholiis ad acta Sancti Leonis IX. a capite V. usque ad XII., quibus addere lubet nuperum clarissimum Scriptorem Antonium Sandini, qui inter 12. Dissertationes, quas ex Ecclesiastica Historia depromtas Patavi edidit anno 1729. undecimam composuit de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina, & P. Honoratum a Sancta Maria, qui eamdem sententiam eruditissime propugnavit Vol. 2. Differt. IV. & V. ejus operis Gallicæ exarati sub titulo *Reflexions sur les Regles de la Critique*, quæ nunc latino sermone donantur, & prælo Veneto parantur. Pro dicta opinione scripserunt etiam nonnulli ex Græcis viri doctissimi, quos inter Barlaamus *Tom.* 26. *Biblioth. PP.* Edit. Lugdun. Gennadius in eodem *Tom. pag.* 573. Hi omnes ut perpetuum Azymorum usum apud Latinos tueantur, provocant ad traditionem Apostoli Petri, de qua vide Cotelerium *Tom.* 3. *Monum. Ecclesiæ Græcæ pag.* 665., & exemplum Christi, quem in Eucharistici Sacrificii institutione Pane Azymo usum fuisse non solum omnes fere Orthodoxi fatentur, sed etiam plerique Hæretici, inter quos Scaliger de *emendatione temporum pag.* 567. Buxtorphius *Disser. Philologico-Theolog. pag.* 146., & Basnagius *in Annal. polit. Eccl. anno Domini* 33. aliique; attamen, ut dicam, quod sentio, mihi persuadere non possum Latinam Ecclesiam nusquam in Fermento pane consecrasse, nam cum invictissimis argumentis ostenderint Sirmondus, ac Bona Eucharistiam per plura secula ex populi oblationibus fuisse confectam, incredibile omnino videtur fideles panem Azymum semper paratum habuisse, quem Altari consecrandum offerrent, quod argumentum meo quidem judicio nunquam plene solvetur.

Pro Fermentati panis usu videndus est Meletius inter opera Joannis Damasceni *Tom.* 1. Edit. Michaelis Le-Quien *pag.* 647. & Maximus Peloponesius Hiero-Monachus in Disser. de Eucharistia contra Latinos cum versione Jenkini Thomasii edita inter hujus Dissertationes Aledorf. 1712. 8. *pag.* 385. *& sequent.* aliique Scriptores a Ciampino laudati, quibus addere lubet Anonymum quemdam Syrum in Codice Colbertino, qui teste Renaudotio *Tom.* 1. *Liturg. Oriental. pag.* 140., de hac controversia omnium eruditissime scripsit; sicut & Joannem cognomine Ebn-Botlan Medicum Bagdadensem, cujus Tractatum Arabice scriptum pro Michaele Cerulario anno Alexandri 1365., Martyrum 760. Hegire 445. idest anno Christi 1053. se reperisse testatur in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ idem Renaudotius *Tom.* 2. *pag.* 65. Porro usque adeo exarsit Orientalium quorumdam in Latinos odium, ut propriam sententiam, non sine Evangelici textus depravatione, Liturgiæ etiam inserere non dubitarint. Hinc legimus in Liturgia Matthei Pastoris apud eumdem Ranaudotium, *cumque Testamentum novum, quo vetus aboleretur, tradere vellet, panem fermentatum, in quo Mysterium vitæ tegebatur, accepit*: quod etiam additum reperitur in Liturgia Marutæ. In ea vero, quæ dicitur Ignatii Patriarchæ Antiocheni, sic habetur: *Accepit Panem perfectum*, quasi innuere vellent Panem Azymum non esse perfectum: Notat tamen Renaudotius temerarium hoc facinus recentiorum Orientalium esse, non veterum. Quamvis autem pleræque Orientales Ecclesiæ utantur Pane Fermentato (cui Syri, & Nestoriani addunt salis micam, & stillam ollei) attamen nonnullæ Latinorum consuetudinem imitantur. Sic Armeni ab antiquissimis temporibus Azymo Pane usi sunt; Maronitæ etiam præter cæterorum morem Eucharistiam in Azymo Pane conficiunt. Quo tempore, & qua de causa Azymo uti cœperint, difficile est invenire, ut ait Cardinalis Bona; ipsi tamen affirmant, antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, quod Bonæ non omnino placet; inquit enim, quod ejus initium designare non possunt; atqui hoc ipso probatur Ritum quempiam esse vetustissimum, cum ejus initium ignoratur. Et revera jam a sexto seculo Syrorum Ecclesia ad Sacrificium Azymis utebatur, ut testatur Joannes Asiæ Episcopus, qui sub Justiniano floruit. Verba Joannis

nis hæc sunt relata a doctissimo, & eruditissimo Ascemanno *Tom. 1. Bibliothecæ Orientalis pag.* 410., *&* 411. Ea propemodum tempestate excogitavit Diabalus in regione Perrhorum errorem quorumdam, qui nec panem comedere, nec aquam bibere se se jactabant. Quidam itaque ex fratribus, quorum Monasteria necdum cognita sunt, & alii Archimandritæ ejus loci inanem gloriam, & vanum nomen apud vulgus aucupantes, de se ipsis falso prædicabant, quasi panem non comederent, nec aquam biberent, & a vino abstinerent, Nazaræorum more; necessitati autem cibi, & potus Sanctorum Mysteriorum usu per summam impietatem succurrebant. Sacra ergo oblatione plerumque sustentabantur. Eapropter Bucellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant, & data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius, quam in Mysterium Corporis Christi, quod in Azymis manducatur. Nil clarius afferri poterat ad probandam vetustissimam Syrorum consuetudinem in Azymis consecrandi. Merito igitur Illustrissimus Ascemannus post Joannis testimonium ista subtexuit. Hinc colligas Azymi usum ad sacram Liturgiam in Syrorum Ecclesia esse antiquissimum, quem Maronitæ, & Armeni in Oriente adhuc retinuerunt. Ritum conficiendi sacrificium in Azymis observabant etiam Ebionitæ seculo quarto, teste Epiphanio. An Orientalium Catholicorum morem imitabantur? Fatentur nonnulli, inficiantur alii; rem plane incertam definire non audemus.

Ex recentissimis Additionibus

P. CAJETANI MARIÆ DE PETIO

Cler. Reg. ad P. Felicis Potestatis Moralem Theologiam,

Neapoli cusis anno 1742. pag. 229. & seqq.

DISSERTATIO VI.

De Azymorum usu in Sacrificio Missæ.

AD nonum usque sæculum Ecclesiam Latinam solo usam fuisse Fermentato, late propugnat doctissimus Sirmondus *Tom.* IV. suorum Operum *in tract. de Azymo, & Fermentato*: cui & Launoyus accedit in opusculo de hac re, quod memorant Ephemerides Parisienses ad annum 1697. Tum Azymo, tum Fermentato indiscriminatim toto eo tempore usam fuisse, eruditiss. Cardinalis Bona contendit, tum *Lib.* 1. Rerum Liturgicarum, tum *in Epistola* ad Mabillonium; cum quo sentiunt Bocquillot. *in tractatu historico de sacris Liturgiis*, aliique Recentiores; quod & probabile putat Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ sæculo XI., & XII. Dissertat. XI. artic. 3. a num. 3. Cum Bona sentit Claudius de Vert Benedictinus Cluniacensis *in explicatione Sacrarum Cæremoniarum*, cujus tamen in multis displicet opus; Missæ Canonem, aliaque secreta esse alta voce dicenda inter alia contendit, & sacris Cæremoniis, quibus utimur in Missa, uti luminaribus, thurificationibus, &c. nullum tribuendum esse Mysterium. Cum Bona sentiunt alii, sed solum pro sex primis Ecclesiæ sæculis; sic Auctor Dominicanus *De re sacramentaria lib.* 4., Tournely *quæst.* IV. *de Eucharistia, artic.* 5. Juveninus in *Commentario de Sacramentis disput.* 4. *quæst.* 2. *art.* 4. *c.* 5. aliique.

Semper Ecclesiam Latinam in solo azymo celebrasse (tempora si excipias Apostolorum) Mabillonius contendit tum in Præfatione ad sæculum 3. Benedictinum, tum in *disput.* de Azymo, cui accedunt Christianus Lupus Augustinianus *Tom.* III. Scholiorum in Decreta, & Canones Conciliorum, *Dissert. de Actis S. Leonis IX. a cap.* 7., Martene *Tom. I. de antiquis Ecclesiæ Ritibus, lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 7., aliique. Nec tempore Apostolorum excepto, Latinam Ecclesiam semper in solo Azymo sacrificasse, propugnant doctissimi alii recentiores, Campinus *in conjecturis de Azymo, & Fermentato*, Honoratus a S. Maria Discalceatus *tom.* II. *Animadversionum Criticarum lib.* 4. *Dissert.* 4. Edmundus Simonnet *Disput.* 2. *de Eucharistia*, *art.* 3. Boucat *par.* 3. *de Sacramentis*, *art.* 4. *de Eucharistia sect.* 2. *punct.* 2. §. 2.; Antonius Sandini *Dissert.* 11. *ex Historia Ecclesiastica*, aliique plures. At in prioribus octo sæculis nullum apud Ecclesiasticos Scriptores positivum extare documentum pro solo azymorum usu, summa eruditione contendit Honoratus.

Latinam Ecclesiam in solo Azymo ab initio celebrasse, sed adveniente Ebionitarum hæresi, (qui contendebant, cum lege nova servanda esse legalia, atque in Azymis sacrificandum) ritum mutasse, tantum in Fermentato celebrando; cessante deinde illorum hæresi, iterum ad solum Azymum rediisse: antiqui Scholastici propugnant in 4. *Sententiarum dist.* 11.; sic Alensis, Durandus, Scotus, S. Thomas, S. Bonaventura, & passim alii: at non multum in hoc audiendi, cum res non scholastica sit, sed historica.

Ecclesiam Latinam semper in Azymo, nunquam in Fermentato (neque tempore Apostolorum excepto) consecrasse videtur: siquidem Leo IX., qui medio sæculo XI. summus erat Pontifex, in celeberrima illa Epistola doctrinali, quæ est 1. ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum,

num, de hac materia loquens, hæc habet *cap. 5. Ecce jam post mille, ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis ejusdem sit recolenda, quasi nihil contulerit ei, &c. mors pretiosa illius venerabilis Senis, cui specialiter Christus dixit: Beatus es Simon Bariona*, &c.; *& cap. 20. quapropter a tanta amentia jam resipiscite; & Latinos vere Catholicos, atque maxime Petri familiares discipulos institutionis ejus devotiores sectatores, cessate subsannando Azymitas vocare*, &c., *& cap.* 24. ait: *quotquot extitere Martyres in Ecclesia Latina, Azymis saginatos fuisse*; eadem repetit *in epist.* 6., quæ est secunda ad eundem Cerularium, sic illum redarguens, *illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti a Passione Salvatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans eos quicumque participarent ex azymis, &c.*

In duabus his Epistolis quatuor sunt, quæ docet Leo IX. (cujus tempore certum est universam Latinam Ecclesiam in solis azymis consecrasse) Primum est, Christum Eucharistiam instituendo in Azymis consecrasse; quod fuse in 2. Epistola probat: secundum, quod Latina Ecclesia Christi exemplum secuta per mille, ac viginti annos in solo Azymo consecraverit: Tertium, quod praxis hujusmodi a nullo ante Cerularium blasphemata fuerit, sed eam laudaverint omnes, cum a Divo Petro fuerit instituta, atque a devotioribus ejus sectatoribus executioni mandata. Quartum, quod Martyres omnes ab initio Ecclesiæ in solis Azymis susceperint Eucharistiæ Sacramentum, ex quo illos dicit *Azymis saginatos*: His autem documentis Leo merito ab Ecclesia Latina sæculo XI. in solis Azymis celebratum fuisse, ostendit.

Eadem habet Humbertus Cardinalis Legatus ejusdem Pontificis Leonis IX. tum in refutatione Michaelis Cerularii, tum in responsione adversus Nicetam Pectoratum; dicit in prima: *jam quia sufficienti auctoritate novi, & veteris Testamenti constat, Dominum nostrum Jesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in Azymo discipulis suis sub ipsa Cœna commendasse, sicut hodieque Sancta Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere; dicere debetis, cujus institutionem in Fermentato tam obstinate defenditis*: Igitur Ecclesia Romana, & Latina ab ejus initio, usque ad tempora, in quibus scribebat Humbertus, memoriam Passionis Christi recolebat in Azymo, videlicet non Fermentatum, sed Azymum consecrando. In altera dicit: *non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso Christo Domino traditum est nobis, non de phase judaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere*; quis autem dubitabit, Ecclesiam Romanam, ac Latinam, quod a Christo, ejusque Apostolis acceperat, non semper servaturam esse, semperque servasse?

Perpetuam hanc Ecclesiæ Romanæ traditionem, quam Leo IX., & Cardinalis Humbertus opposuere Græcis, etiam illi testantur, qui sæculo XII. scripserunt; ait S. Algerus *lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap. 10. omnis autem Ecclesia, præter Græcam, primordio sui ex traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet, & Pauli in Azymis consecravit*: Græcam excipit Ecclesiam, cum suo tempore Apostolorum illa traditio a Græcis interrupta, ac violata jam esset. Hugo Tuscus, seu Eterianus *lib. 2. de hæresibus cap. 17. Latinorum Ecclesia æternaliter Azyma offert, & immolat &c. secundum Christi traditionem*: Rupertus Abbas Tuitiensis *lib. 2. de divinis officiis cap. 22.* scribit: *Ecclesiam Romanam Fermentatum nunquam adhibuisse*: eadem habet summus Pontifex Innocentius III. *lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 4.*, ubi de ritu loquens in Azymis celebrandi, ait: *ab ipsis ergo Apostolis Petro, & Paulo, quos vivos habuit, & defunctos custodit Ecclesia Romana, hunc sacrificandi ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit.*

Perpetuo Azymorum usui in Ecclesia Latina favent ejusdem XVI Scriptores Græci, Michael Cærularius, Leo Acridanus in Bulgaria Archiepiscopus, ac Nicetas Pectoratus; qui etsi apertissimo mendacio, in suis scriptis, vel Epistolis Christum in Azymis in ultima Cœna celebrasse negent, eumque in Fermentato sacrificasse velint; nunquam tamen recentem aliquam, vel antiquam in hoc ritu factam fuisse mutationem, opposuere Latinis, quod longe facilius ipsis erat, quam negare Christum in Azymis celebrasse, *quod omnino falsum esse* (inquit Leo IX. *cit. Ep.* 2. ad Cerularium) *ex utroque testamento facillime deprehenditur*; hoc ipsum deinde invictissime probans: supponunt ergo a Latinis semper Azymorum usum religiose fuisse retentum, sæculo igitur XI., & XII. communis hic erat Latinorum Ecclesiæ sensus.

Respondent, recentes esse hujusmodi Scriptores: adeoque non multam in re antiqua fidem illis esse adhibendam. At contra Sirmondum, ac Bona nostrum urget argumenmentum, allatique Scriptores; non ergo facta est hujusmodi mutatio tempore illo, quod inter Photium mediat, ac Michaelem Cerularium, nempe a sæculo IX. declinante usque ad medium sæculum XI. Siquidem relate ad hoc tempus allati Scriptores, qui XI., & XII. Ecclesiæ sæculo floruere, satis antiqui sunt, ac proximi. Facta credimus, quæ primo, vel secundo Ecclesiæ sæculo evenerunt, si a Scriptoribus narrentur, qui quarto, vel quinto scripserunt Ecclesiæ sæculo; ut Eusebius esset, S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Basilius, SS. Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Alexandrinus; sic Beatam Virginem Mariam Ephesi mortuam esse, ac sepultam, tenent non pauci severioris Criticæ sectatores, ut Serrius, Baillet, Tillemontius; sed qua ducti auctoritate? Concilii generalis Ephesini, quod habitum est sub Cœlestino I. anno 431., a quo id asseri putant: quanto magis credenda sunt, quæ IX. vel X. sæculo evenerunt, a magnis narrata Scriptoribus, qui proximo eo tempore, nempe sæculo XI ac XII. floruere.

Item si Fermentati usum pro sacrificio medio illo tempore inter Photium, ac Cærula-

rium, Latina prohibuisset Ecclesia, potuit ne tam insigne factum latere Cerularium? Vel si non latuit, quomodo Cerularius potuit tam sibi favorabile factum silentio praeterire, illudque non objicere Latinis perantiquum Ecclesiae Latinae morem rejicientibus? At ne verbum quidem de hoc habet Cerularius in sua ad Joannem Episcopum Tranensem Epistola, in qua totus est in Latinis de Azymorum usu impugnandis, eosque sola sacrarum Scripturarum auctoritate vincere tentat.

Caeterum & ante tempora Photii solum Azymum fuisse in Latina Ecclesia consecratum, contra Sirmondum, Bona, & Natalem, ex Alcuino, & Rabano Mauro, qui VIII. saeculo florebat, satis innotescit: Alcuinus (qui anno decessit 804. *in Epist.* 69. ad Fratres Lugdunenses sic habet: *panis, qui in Corpus Christi consecratur, absque Fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus*: sic enim scribit homo Anglus ad Gallicanos, utriusque Ecclesiae consecrationem demonstrans; Rabanus Maurus (qui anno scribebat 819.), Moguntinus Archiepiscopus *lib.* 1. *de institutione Clericorum cap.* 31. dicit: *ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi sacrificari oportet*: quae verba non solum in editis, sed etiam in MSS. Codicibus extant; & *cap.* 33. postquam de Azymorum usu egerat, addit, *istum ergo ordinem ab Apostolis, & Apostolicis Viris traditum Romana Ecclesia, & per totum pene Occidentem omnes Ecclesiae eandem traditionem servant*: ubi vides Rabanum saeculo IX. ineunte, nempe anno 819., quando opus de Clericorum institutione composuit, usum testari Azymorum, nedum de Ecclesiis Germaniae, sed etiam de Ecclesia Romana, ac de omnibus Ecclesiis Occidentalibus, simulque affirmare esse hunc usum ab Apostolis, & Apostolicis Viris traditum: hinc & male concludit sua critica Sirmondus, Azymum in Ecclesia Latina eo temporis spatio introductum fuisse, quod inter Photium mediat, ac Michaelem Cerularium, seu ab anno 867. usque ad 1054., cum ipso saeculo IX. ineunte, & ante Photium, solus Azymus Panis in universa fuerit Ecclesia usitatus, creditumque ab *Apostolicis Viris*, imo & ab *ipsis Apostolis* emanatum.

Nec dicas l'y *per totum pene Occidentem* &c. saltem significare, aliquam Occidentis Ecclesiam tunc in Fermentato consecrasse. Contra, sunt verba illa ad significandum non quae incerta, sed quae certa omnibus erant; siquidem de omnibus fere Occidentis Ecclesiis in Azymis tunc consecrasse constabat, sed non certum de singulis hoc erat Ecclesiis; esto de nulla Occidentis Ecclesia constare oppositum.

Certum est quoque contra Bocquillot, Du Vert, & Honoratum, auctoritate Legatorum, quos Agatho Papa ad sextam Synodum generalem misit, habitam anno 681. ut ejus nomine praesiderent, qui ut scribit Humbertus Cardinalis Episcopus Silvae Candidae in responsione adversus Nicetam Pectoratum (quam habes apud Baronium Annalium *Tom.* XI. *in Appendice*, & in Bibliotheca Patrum Lugdunensi) peracta Synodo a Constantino Imperatore interrogati, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret; responderunt: *In Calice Domini non debet offerri solum vinum, sed aqua mixtum, &c. Oblatio vero, quae in sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem Fermenti habere debet; sicut Beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit, & peperit &c.*, additque Humbertus: *tunc placuit piissimo Principi Constantino haec traditio Apostolicae Sedis*. Testimonium hoc Legatorum, cum exploratum omnibus esset, negare ausus non est Pectoratus: ex quibus primo deduces, saeculo VII. Ecclesiam Romanam in solis Azymis consecrasse, ut notant verba illa: *nullam commixtionem, aut corruptionem Fermenti habere debet*: secundo, quod saeculo 7. antiqua haec erat, ac universalis Apostolicae Sedis traditio: tertio, quod tantae antiquitatis erat, ac universalis traditio in solis Azymis consecrandi, quantae antiquitatis erat universalis traditio consecrandi in vino aqua mixto; cum de utraque traditione Legati Agathonis pari modo loquantur: nec refert de hac allocutione in Actis sextae Synodi nihil haberi, cum sexta Synodo jam peracta, habita fuerit.

Clarum etiam est contra Natalem, Sirmondum, aliosque recensitos ex Concilio Toletano XVI., quod habitum fuit saeculo VII. labente, hoc est anno 693. *can.* 6. sicque habet: *ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & studio praeparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed de panibus suis usibus praeparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant: quod factum nequaquam in sacrae auctoritatis Historia gestum perpenditur*; & deinde: *unde temeritatis hujus, atque nescientiae cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostrae delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit praeparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*.

Mandat ergo Concilium, Ecclesiarum consuetudinem inviolabiliter servari, *secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*, de pane in sacrificio adhibendo, quod nullo sit Fermento commixtus; quid enim est *Panis integer, nitidus, & ex studio praeparatus*, nisi azymus Panis? Nec enim panis consecrandus in posterioribus Conciliis, & Constitutionibus alio nomine vocatur; sic Concilium Coyacense in Dioecesi Ovetensi habitum medio saeculo XI. (quando & certum est in solis azymis fuisse celebratum,) *cap.* 3. his utitur verbis: *Hostia sit ex Frumento sana, & integra*; & Canonibus sub Eadgaro Rege in Anglia collectis X. saeculo declinante, nempe anno 967. *Can.* 39. Panem consecrandum vocat, *oblationem puram, vinum purum, & aquam puram*, & saeculo VIII. Egbertus Eboracensis Episcopus in suis exceptionibus *Can.* 98. ait: *ut*

panis

panis, vinum, & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura, & munda fiant: tunc autem certum est ex dictis præsertim ex Alcuino, & Rabano Mauro, in solis Azymis fuisse celebratum; hinc de pane loquitur Toletana Synodus, de quo solum *in sacræ auctoritatis Historia gestum perpenditur*, seu in sacra Scriptura nobis in Evangelio Christi exemplum proponente, qui non in Fermentato, sed in Azymo Pane Eucharistiæ Sacramentum instituit; quid clarius? Brevius hoc deinde S. Anselmus Episcopus Cantuariensis expressit in Epistola ad Valerianum de tribus quæstionibus: ubi *quæst.* 2., quæ est de Fermento, & Azymo, sic habet: *apertissimum est, quod melius sacrificatur de Azymo, quam de Fermentato; tum quia valde apertius, purius, ac diligentius fit, tum quia Dominus hoc fecit.*

Nec dicas, Concilium non Panem Azymum requirit, sed *nitidum, & studio præparatum*, seu ex selectioribus frumenti granis confectum: hinc panem Fermentatum consecrandum, *panem purum* vocant Græci. Contra, sive panem purum Græci vocent, sive purissimum, nihil ad rem nostram: siquidem nullum panem Fermentatum, studio præparatum, cum Sacramentum instituit Eucharistiæ, Christus adhibuit, ut sacra docet Historia; adeoque omnem panem Fermentatum, etiam nitidum, & studio præparatum, Concilium reprobat, ut verba illa ostendunt: *quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis Historia gestum perpenditur*; quodnam est hoc factum? Si novum legas Testamentum, exemplum est Christi, qui quocumque Fermentato relicto, in azymis consecravit. Si Testamentum respicies antiquum, pro Sacrificio Domini Fermentum prohibitum esse videbis: hinc *Levitic.* 2. sic habetur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque Fermento fiet, nec quidquam Fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini*; unde & Anselmus Havelbergensis Episcopus sæculo XII. hæc scribit *lib.* 3. *Dialogorum* ad Nichetem: *nusquam in veteri Testamento præcipitur, vel etiam conceditur, Fermentum offerri in Sacrificio Domini, immo prorsus interdicitur, & sicut ingratum Deo ubique in lege offerri prohibetur*: nunquam ergo pro sacrificio Domini Fermentum in sacra Scriptura legimus usurpatum. Dictis non officit, quod habetur Amos *cap.* 4. *Sacrificate de Fermento laudem*, vel ut Aquila vertit: *Sacrificate de Fermento Eucharistiam*: cum certum sit, verba illa ad facti reprobationem dici, ut quæ præcedunt verba demonstrant: *Venite ad Bethel, & inique agite ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem*: quod vero dicitur de oblatione Panis Fermentati *Levitic. cap.* 7., *&* 23., *& Numerorum cap.* 15. non est de oblatione Deo facienda super Altare, sed facienda ipsis Sacerdotibus, & Levitis, qua & ipsi vescerentur.

Nec dicas iterum, ergo usque ad sæculum VII. non deerant in Hispania Sacerdotes in Fermentato celebrantes. Contra, non deerant id facientes, sed ex temeritate, vel ignorantia, & deceptione, secus autem ex rationabili aliqua consuetudine; hinc temeritatis, ac ignorantiæ redarguit eos Concilium, *quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati &c.*, & deinde: *temeritatis hujus, atque nescientiæ cupientes terminum ponere &c.*, illisque venerandam Ecclesiarum consuetudinem inviolabiliter observandam proponit, *secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*: & quidem Christi exemplo comprobatam, *quod in sacra auctoritatis Historia gestum perpenditur*: adeoque ut contra novos insurgentes errores pugnare consuevit Ecclesia, sic & contra novum de Fermentato conficiendo errorem se Toletani Patres opposuere, & quidem ostendentes morem in solis Azymis consecrandi, nec novum esse, neque peculiarem; sed antiquam, ac universalem Ecclesiæ consuetudinem in Christi exemplo fundatam; alias nec Sacerdotes illi, qui in Fermentato conficiebant, tanta fuissent reprehensione digni.

Item contra Iveninum, Tournely, Honoratum, ac recentissimum Auctorem de Re Sacramentaria, præstantiora suppetunt Antiquitatis monumenta pro solo Azymorum usu in Ecclesia Latina, siquidem Concilium Carthaginense III., IV. sæculo labente habitum *Can.* 24. inquit: *in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum*; sermo hic est de eo, quod Christus tradidit exemplo suo, & quod ipse fecit; secus autem de eo, quod præcepto tradidit, & de substantia est Sacrificii; cum certum sit, talem non esse mixtionem aquæ cum vino a Concilio præceptam: mandat ergo Concilium in eo pane consecrandum esse, quem Christus suo exemplo tradidit, & facto suo probavit, atqui Christus Dominus suo exemplo tradidit in Azymis consecrandum esse, & in vino aqua mixto; mandat ergo Concilium in Azymis consecrandum esse, & in vino aqua mixto.

Nec dicas, consecrationem etiam in Fermentato Christus exemplo suo probavit; nonne Christus post resurrectionem, panem consecravit? habetur Lucæ 24.: *dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis*: panis autem ille Fermentatus erat. Contra, post resurrectionem suam Christum panem consecrasse dubitant Patres; quæ habetur in Emmaus facta, Lucæ 24. talis est: cum nulla ibi legatur consecratio vini, & una specie sine altera de jure Divino consecrari non possit; nulla quoque legitur consecrationis forma in panis benedictione a Christo prolata, quæ tamen est de consecrationis essentia: item nec verisimile videtur, Christum Discipulis Corpus dedisse suum in fide non satis firmis, imo & de ipsius resurrectione dubitantibus; quod vero Christum Discipuli in fractione panis cognoverint, effectus esse poterat immediatus ipsius virtutis Christi, qui jam in Discipulorum cordibus ante panis benedictionem operabatur; hinc dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

At omisso, panem illum a Christo benedictum, consecratum fuisse in Corpus Christi, quid inde? Panis erat Fermentatus? minime

nime gentium. Panis erat Azymus, & fine Fermento; siquidem certum eſt, Chriſtum tertia die reſurrexiſſe a mortuis, & conſequenter tertia die Azymorum ſurrexiſſe, cum prima ſolemni die Azymorum Cruci affixus fuerit; atqui eadem Reſurrectionis die Diſcipulis apparuit euntibus in Emmaus, cum illis cœnavit, panem benedixit, ac fregit &c., ut certum eſt ex illis verbis Diſcipulorum, Lucæ 24. *tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt*: contigit ergo panis hæc benedictio, ſeu conſecratio tertia die Azymorum, quando certum eſt, nullum panem fuiſſe Fermentatum, ſed omnem panem Azymum, juxta præceptum Domini, Exodi 12. *Septem diebus Fermentum non invenietur in domibus veſtris: qui comederit Fermentum, peribit anima ejus*, &c., & Levitici 23.: *quintadecima die menſis hujus* (ideſt primi menſis) *ſolemnitas Azymorum Domini eſt; ſeptem diebus Azyma comedetis* &c. non ergo Fermentatus, ſed Azymus, & fine Fermento fuit panis, quem Chriſtus benedixit, ac fregir; factam hanc fuiſſe conſecrationem ſecunda die Azymorum ait, ſed fallitur Iveninus.

Item omiſſo panem illum fuiſſe Fermentatum, nec evincirur intentum: cum non fuerit pro noſtro data exemplo conſecratio illa: alias & panem ſine vino conſecrare poſſemus, & panem ſine verborum forma a Chriſto Domino inſtituta conſecrare, quod nullus unquam dicere ſomniavit; ſola conſecratio ſub utraque ſpecie a Chriſto facta, *in qua nocte tradebatur*, ex Apoſtolo I. *ad Corint. II.*, *& pridie quam pateretur*; ut habetur in Canone Miſſæ, & Scripturis, & Conciliis, & Patribus, pro noſtro data eſt exemplo; de hac ſola Chriſtus ait: *hoc facite in meam commemorationem*: in qua & certum eſt in Azymo fuiſſe conſecratum; manet ergo, ſolam panis Azymi conſecrationem fuiſſe Chriſti exemplo comprobatam.

Nec dicas iterum, allatum Concilium Carthaginenſe circa panem conſecrandum, aliquam inducit mutationem, ut verba illa oſtendunt: *nihil amplius offeratur, quam &c.* ergo ſi Concilium præcipit Azymum adhibendum eſſe panem, ſignum eſt in Azymum panem factam eſſe mutationem, adeoque ad quartum uſque ſeculum panem conſacrandum fuiſſe Fermentatum. Sed contra, & quæ opponitur inſtantia, ipſos urget adverſarios contendentes, Concilium non de pane Azymo, ſed de pane triticeo, & quoad ſubſtantiam eſſe intelligendum; ſiquidem ſi de pane Fermentato Concilium intelligas; ergo uſque ad quartum ſeculum pane Azymo uſa eſt Eccleſia, quem in Fermentatum deinde mutavit: ſi vero Concilium de triticeo pane loquatur; ergo uſque ad quartum ſeculum pane non triticeo uſa eſt Eccleſia, quem in triticeum panem deinde mutavit, ut verba illa oſtendunt; *nihil amplius offeratur, quam* &c.: quid ad hæc adverſarii? Nullam ergo circa panem Azymum ſignificant verba illa mutationem; uti hæc nullam ſignificant circa mixtionem aquæ cum vino, cum pari modo ad utrumque referantur: *nihil amplius offeratur*, (Concilium ait) *quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum*: verba illa *nihil amplius offeratur, quam* &c. quid faciendum ſit oſtendunt, non quod aliter factum ſit; ut allatæ omnes inſtantiæ probant. Evangelicis verbis certe illudebat Helvidius, cum impie dicebat, Beatiſſimam Virginem Mariam poſt partum carnaliter fuiſſe cognitam a S. Joſepho; cum dicatur *Matthei I.* de Maria, & Joſepho: *antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Convenerunt ergo poſtea*, ait Helvidius. Cui S. Hieronymus in Commentariis ibidem reſpondet; *quod dicitur antequam convenirent, non ſequitur, quod poſtea convenerint; ſed Scriptura quod factum non ſit, oſtendit*: ſic & verba illa, *nihil amplius offeratur*, non quæ facta non ſunt, ſed quæ ſunt facienda demonſtrant; de pane Azymo nullam dicunt mutationem, uti & nullam dicunt de vino aqua mixto; immo ut de vino aqua mixto, ſic & de Azymis perpetuam ſupponunt Eccleſiæ tradirionem, cum pari modo de utriſque loquantur. Hinc allata verba Concilii, ut perpetuum Azymorum uſum in Sacrificio probant; ſic & Fermentum ſemper excluſum evincunt.

Nonne eadem habet ſeculo III. S. Cyprianus in celeberrima ſua Epiſtola ad Cæcilium? quæ eſt 63. ibi: *ſic vero Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage ſolidatum*, &c. *ſi in Sacrificio, quod Chriſtus obtulit, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit*; ubi nullam vides fermenti mentionem, ſed ſolius mixtionis farinæ cum aqua, ſeu panis azymi; ſimilibus ac Cypriani verbis utuntur IV. ſeculo S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus *Tract.* 2. *de Paſchate*; ſeculo V. S. Auguſtinus *Serm.* 83. *de Diverſis*; ſeculo VII. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *Lib.* 1. *de Officiis Eccleſiaſticis cap.* 18. adducens verba ipſa Cypriani: ſeculo IX. eadem adducit Amalarius *Lib.* 3. *cap.* 19. quando & jam univerſalis erat ſolus Azymorum uſus in Eccleſia Latina, ut ex Alcuino, & Rabano Mauro oſtenſum fuit.

Nec dicas, ſermonem ibi eſſe de ſubſtantia Sacrificii; adeoque præſcindendo ab Azymo, & Fermentato: contra, oppoſitum præcedentia verba oſtendunt; *ſic vero Calix Domini non eſt aqua ſola, neque vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur; quomodo nec Corpus &c.* Certum eſt autem, mixtionem aquæ cum vino non eſſe de ſubſtantia Sacrificii; ſic enim loquitur Cyprianus de farina aqua mixta, ut de vino loquitur aqua mixto relate ad Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini: atqui de vino aqua mixto loquitur, ſed non prout eſt de ſubſtantia Sacrificii: adeoque etiam de farina aqua mixta loquitur, ſed non prout eſt de ſubſtantia Sacrificii; non ergo loquitur præſcindendo ab azymo, vel Fermentato.

Si dicas, de illa mixtione loquitur Cyprianus, quam Chriſtus Dominus *fecit, & faciendam eſſe mandavit*; quod non verificatur

de

de mixtione panis sine fermento; cum de hoc nullum extet divinum præceptum, ut certum est. Contra, de mixtione loquitur, quam Christus Dominus faciendam esse mandavit, non quidem præcepto, sed exemplo suo, ut illa verba ostendunt, *quod Christus fecit*; nec enim alio modo mixtionem aquæ cum vino Christus *mandavit*.

Nec dicas iterum in illis Cypriani verbis, *adunatum, copulatum, & solidatum*, Fermenti satis fieri mentionem; quod enim copulat, adunat, & solidat, Fermentum est. Contra, oppositum posteriora verba demonstrant: *si in Sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est, utique id nos &c.*: de utraque illa mixtione loquitur Cyprianus, & in qua Christus obtulit, & quam exemplo suo comprobavit: certum est autem Christum cum Sacramentum instituit Eucharistiæ, panem sine Fermento consecrasse, & vinum aqua mixtum: siquidem in eo adunato, cupulato, ac solidato, ex aqua, & farina fieri debet Corpus Christi, in quo Christus obtulit, ex Divo Cypriano; atqui Christus obtulit in adunato, copulato, & solidato ex aqua, & farina sine Fermento; ergo ex Cypriano in adunato, copulato, & solidato ex aqua, & farina, quod est sine Fermento, fieri debet Corpus Christi.

Si dicas, recentem fuisse, ac peculiarem Carthaginensis Ecclesiæ consuetudinem illam, panem sine Fermento consecrandi; contra est, illa S. Cypriani verba obstant, *quod Christus fecit, & faciendum esse mandavit*; quæ ut de vino aqua mixto, sic de pane sine Fermento enunciantur; & pari modo de utrisque loquitur Cyprianus; certum est autem vinum aqua mixtum pro Sacrificio adhiberi, neque recentem esse, neque peculiarem Carthaginensis Ecclesiæ consuetudinem, sed omnibus Ecclesiis communem, ac universalem, antiquam, immo & a Christo inceptam.

Idem secundo Ecclesiæ seculo docuit Summus Pontifex Alexander I. ad Pontificatus apicem assumptus juxta Petavium, & utrumque Pagium, anno 108. juxta Henschenium 109., juxta Calmetum 110., juxta Ricciolium, Brietium, Cabassutium, Moreri 119., juxta Baronium, Sandinum, Berninum, aliosque 121., decessit autem nono, vel decimo sui Pontificatus anno.

Habent vero antiquissima hujus Pontificis acta, quæ Romana Ecclesia in divinis Officiis die tertia Maii nobis legenda proponit; *hic constituit, ut tantummodo panis, & vinum in Mysterio offerantur. Vinum autem aqua misceri jussit*: concordat quæ sub nomine hujus Pontificis circumfertur Epistola, relata *de Consecratione dist. 2. Can. I.* in illis verbis: *panis tantum, & vinum aqua permixtum in Sacrificio offerantur; non enim debet (ut a Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum* &c. Quam Pontificis Epistolam præ oculis habuisse videtur S. Cyprianus, cum ad Cæcilium scripsit in allata *Epistola 63.*, dum verba illa repetit; *sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur* &c.: vocans hoc idem *Dominicam traditionem*.

Constituit ergo Alexander Papa, ut *tantum panis, & vinum offerantur* in Sacrificio, & quidem, *secundum quod a Patribus accepimus*, ut ipse testatur. Loquitur ne Pontifex de vino prout est de substantia Sacrificii? Minime: cum certum sit talem non esse mixtionem aquæ cum vino; adeoque Pontifex nec de pane loquitur, ut est de substantia Sacrificii; cum de utrisque pari modo loquatur; sicque de pane loquitur secundum quod Christus suo facto commendavit, suoque firmavit exemplo, nec enim alio modo loquitur de vino: igitur de solo Azymo hæc dicta fuere; cum certum sit, ex perpetua Ecclesiæ Latinæ traditione, immo & universæ Græcorum Ecclesiæ, teste Photio, in sua Bibliotheca *Codice 116.*, Christum in Azymis consecrasse. Hinc Alexandrum Papam præcepisse in Azymis consecrari, secus in Fermentato scribunt Barlaamus Hieracensis Episcopus *in Epistola ad Græcos*; Radulphus Tungrensis Libro *de Canonum observantia, proposit. 23.* Martinus Polonus in Chronico ad ann. 132. Platina in vita hujus Pontificis, aliique.

Nec dicas ex Platina, & Polono, Alexander Papa præcepit, *ut oblatio ex Azymo fieret, non autem ex Fermentato, ut antea fieri mandavit*: ergo saltem antea, seculo namque primo consecrabatur in Fermentato. Contra, ut supposititium tale decretum habent Critici Tournely, Honoratus, Sandinus, & alii, cum undecim seculorum spatio a nullo unquam fuerit Scriptorum relatum ante Martinum Polonum, qui seculo XIII. declinante florebat; & cum antiquis Alexandri actis minime concordet.

At legitimum esse hoc Alexandri Decretum, libenter admitto; cum ex dictis cum actis hujus Pontificis mire concordet: nec me verba illa terrent, *non ex Fermentato, ut antea*, quasi ante Alexandri tempora Fermentato in sacris usa fuisset Ecclesia; cum l'y *ut antea* non ad præcedentia verba, sed ad sequentia referri debeat, nempe ad l'y *fieri mandavit*, cum Pontifex fieri mandaverit, *ut antea*, quod nempe ante fiebat, *quodve a Patribus acceperat*; explicandum ergo hoc Pontificis decretum eodem plane modo, ac verba illa explicavimus *Canon. 24.* Concilii Carthaginensis tertii, quod seculo quarto labente habitum est, *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum*; ubi notandum l'y *nihil amplius*.

Immo & longe ante Alexandrum, nempe ante secundum seculum (quo ineunte fuit ille ad Pontificatum assumptus) solum Azymorum usum fuisse in Ecclesia, satis denotant verba illa Pontificis, *ut a Patribus accepimus*: sicque jam I. seculo solus erat in Ecclesia Azymorum usus; quod & conjecturæ omnes, præsertim quæ in negativo fundantur argumento, confirmant. Siquidem antiquissimæ hujus consuetudinis in Ecclesia Latina consecrandi in Azymu pane, nemo assignare

gnare

gnare potest Auctorem , vel tempus , quo ipsa incepit. Ergo recurrendum est ad Apostolorum tempora , & instituta ; hæc enim est regula , juxta Sanctos Patres , Apostolicas dignoscendi traditiones. Hinc & consuetudo in Ecclesia Latina consecrandi in solo Azymo ab Apostolis incepta , semper duravit ; *quod universa tenet Ecclesia* , inquit S. Augustinus *lib.* 4. contra Donatistas *cap.* 24. , *nec Conciliis institutum , sed semper retentum est , nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* ; *& lib.* 5. *cap.* 23. *sunt multa quæ universa tenet Ecclesia ; & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur , quanquam scripta non reperiantur* .

Item nulla lex extat , nullus Canon de mutando Fermentato , & recipiendo Azymo proferri potest , sive sit a Summo Pontifice , sive a Concilio , sive ab aliquo Episcopo emanatus ; eo vel maxime , quod Pontifices , Concilia , Episcopi de pane in Eucharistia consecrando , ejusque præparatione plures ediderint Sanctiones ; adeoque nunquam talis mutatio facta fuit in Ecclesia Latina , sicque semper in Azymis consecratum . Item contra talem mutationem nulla unquam reclamavit Ecclesia , ut constat ; reclamassent autem , si aliquando de mutando Fermentato , & Azymo recipiendo fuisset illis impositum . Cum de mutatione agebatur Divinorum Officiorum temporibus Caroli Magni , ac successorum , nempe ut Ecclesiæ Romanæ in Divinis Officiis ceteræ uniformarentur Ecclesiæ ; quot Ecclesiæ reclamarunt ? Esto longe minoris momenti res esset . Quot habuit oppositores Gregoriana correctio , seu celeberrima illa Kalendarii Romani Emendatio , Gregorio XIII. jubente facta , atque probata ? Contra illam quam acri calamo scripsere Josephus Scaliger tum *de emendatione temporum* , tum *in Elencho anni Juliani* , Sethus Calvisius *in Elencho Kalendarii a Gregorio XIII. comprobati* ; Michael Mestlinus *in examine Kalendarii Gregoriani* , aliique , nullus ignorat : quibus tamen doctissimi viri fecere satis , Scaligero Dionysius Petavius in celeberrimo illo Opere *de Doctrina temporum* ; Calvisio Paulus Guldinus tum *in Refutatione Elenchi Calvisiani* , tum *in Paralipomenis ad Refutationem ejusdem Elenchi* ; Mestlino Christophorus Clavius tum in Opere , quod Clemente VIII. jubente composuit , *Romani Kalendarii a Gregorio XIII. restituti explicatio* ; tum *in Computo Ecclesiastico* ; tum *in novi Kalendarii Romani Apologia* ; tum *in Appendice ad Apologiam , Tomo V.* Operum Clavii hi tractatus habentur ; sicque alii summa eruditione præditi fecere Scriptores . Si tot excitavit motus Gregoriana correctio , quot majores excitare debuisset mutatio in ipsa facienda materia Sacrificii ? At nulli contra ipsam , ad seculum usque XI. , quo Cerularianum Schisma vigebat , excitati unquam fuere in Ecclesia motus : nunquam ergo talis fuit facta mutatio .

Quæ Sirmondus opponit , minime obstant , nempe olim Eucharistia ex populi oblationibus consecrabatur ; ex quibus , quod supererat , Sacrorum Ministrorum , pauperum , & viduarum usibus inserviebat , ut Ecclesiastica docet historia : id autem nonnisi de pane Fermentato intelligi posse videtur ; nam Ministri , pauperes , & viduæ non Azymo , sed Fermentato pane vescebantur .

Contra est , plura sunt , quæ falso , & sine probatione in suo assumit argumento doctissimus Sirmondus . Primum est , solum panem Fermentatum panem fuisse usitatum , atque communem primis Ecclesiæ seculis ; cujus oppositum antiqua docet Historia : siquidem nedum Fermentatum panem , sed etiam Azymum , tum apud Romanos , tum apud exteras Nationes panem fuisse communem , ac usitatum , tradunt primi Ecclesiæ seculi Scriptores , Plinius *lib.* 18. *cap.* 11. , Galenus *lib.* 1. *de Alimentorum facultatibus cap.* 2. *de tritico* , & Cornelius Celsus *lib.* 2. *cap.* 18. 24. , & 28. , & late probat doctissimus Ciampinus *cap.* 2. *de Azymo , ac Fermentato* ; pro divitum mensis usitatior erat panis Fermentatus , quia gratior , sapidior , elatior : pro mensis vero pauperum usitatior erat Azymus , substantiam , non saporem , vel apparentiam quærentium panis . Sic respondet seculo XI. Humbertus Cardinalis in sua Michaelis Cerularii confutatione , ibi : *perquiramus , an Fermentum ad humanas mensas præparatum sincerius , ac mundius sit plebejo Azymo* . Panem Azymum communem panem vocat seculo XII. Rupertus Abbas Tuitiensis , dicit enim *lib.* 3. *de Operibus Spiritus Sancti cap.* 21. de Christo , *panem communem accepit , sed benedicendo longe aliud , quam fuerat , transmutavit* : certum est autem apud omnes , quod seculo XII. in solis Azymis tota Occidentalis consecrabat Ecclesia ; si ergo panis Azymus etiam usualis erat , & communis primis Ecclesiæ seculis , nullum est dubium , quod panis consecrandus Azymus esse potuerit . Quo etiam modo facile explicatur Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. ; S. Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4.

Secundum est , quod consecrabatur Eucharistia ex pane communi , ac usuali a populo , seu a fidelibus oblato : cujus oppositum etiam antiqua docet Historia ; siquidem omisso , Eucharistiam ex pane a fidelibus oblato fieri consuevisse , certum est panem illum panem non fuisse communem , ac usualem , sed peculiarem , & speciali modo , ac diligentia confectum ; constat ex Concilio Toletano XVI. (quod seculo VII. labente habitum est) *Can.* 6. ubi dicitur *de pane consacrando , quod sit integer , ac nitidus , qui ex studio fuerit præparatus* ; idque ex aniqua traditione mandat , *secundum quod Ecclesiæ consuetudo retentat* : & Theodulphus Episcopus Aurelianensis , (qui medio seculo VIII. vivebat) in sua instructione Pastorali hæc Sacerdotibus mandat : *panes , quos Deo in Sacrificium offertis , aut a vobis ipsis , aut a vestris pueris coram vobis nitide , & studiose fiant* ; hinc & duplicis oblationis a fidelibus fieri solitæ meminit seculo IX. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus *lib.* 1. *Capitularium cap.* 16. una ante Evangelium fiebat , altera vero post Evangelium , & quidem pro Eucharistia conficienda . Si ergo panis in Eucharistiam consecrandus non

erat

erat de communi, & usuali, nil prohibet, quod Azymus esse potuerit.

Dices, si panis in Eucharistiam consecrandus de communi, ac usuali non fuisset, de pane consecrando non dixisset S. Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4. *tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi*: ergo ex Ambrosio panis consecrandus panis est usualis, atque communis, cum de illo dicat, *meus panis est usitatus*: neque dixisset S. Irenæus *lib.* 4. adversus hæreses *cap.* 34. *jam non communis panis est, sed Eucharistia*. Tertullianus *lib.* 2. ad uxorem suam *cap.* 5. ait: *non sciet maritus* (infidelis) *quid secreto ante omnem cibum gustes; & si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*: non ergo panis consecrandus, panis erat peculiari, & speciali modo, ac forma confectus; sed usualis, & communis, alias vir infidelis scivisset, aut saltem suspicatus esset, ibi adesse Corpus Christi.

Contra, quid si iisdem omnino verbis loquatur seculo XII. Rupertus Abbas Tuitiensis, ac loquuntur seculo IV. S. Ambrosius, & seculo II. S. Irenæus? Panem Azymum, panem communem vocat Rupertus *lib.* 3. *de Spiritu Sancto cap.* 21. in allatis verbis: *panem communem accepit, sed benedicendo longe aliud, quam fuerat, transmutavit*: certum est autem ejus tempore solum in Azymis fuisse in tota Occidentali Ecclesia consecratum: idem ergo de Sanctis Ambrosio, ac Irenæo dicendum. Secundo, certum est, non loqui Patres illos de pane usitato, & communi ad discernendum inter Azymum, & Fermentatum; sed solum ad discriminandum inter panem profanum, & sacrum, terrenum, & cœlestem; naturalem, ac supernaturalem: uno verbo, inter triticeum panem, & verum, ac reale Corpus Christi, ut clarissime ostendunt verba illa Irenæi; *non panis communis, sed Eucharistia*; illa etiam Ambrosii, *de pane fit Caro Christi*.

Tertio, retorquetur argumentum, cum Ambrosius, ac Irenæus de pane loquuntur communi, ac usitato, de consecrando pane loquuntur, ac relate ad Corpus Christi, ex verbis allatis: atqui panis relate ad Corpus Christi, seu panis consecrandus, panis erat peculiaris, & quidem speciali modo, ac forma confectus, ut ostensum est: cum ergo de pane communi, ac usitato Ambrosius, ac Irenæus loquantur, de pane peculiari, ac speciali modo confecto sunt intelligendi. Hinc in Missa sub nomine Ambrosii (cujus meminit Walafridus Strabo *Lib.* 2. *de rebus Ecclesiasticis cap.* 22., & quam ex antiquo MS. Codice doctissimus Pamelius edidit in Liturgicis) habetur expresse, *Oblatio Panis Azymi cum patena*.

Quarto, nullum est fundamentum, nullaque ratio, cur panis Azymus, panis communis, ac usitatus dici non possit; est enim quoad substantiam idem, ac Fermentatus, cum sit ejusdem cum illo substantiæ, ac materiæ: nonne uterque panis ejusdem est frumenti, ejusdemque farinæ, eadem confectus aqua naturali, eodemque igne decoctus? Sic Petrus non est Paulus, sed ejusdem est cum illo humanitatis, ac naturæ.

Tertulliani auctoritas easdem patitur instantias, cum de scientia loquatur discernente inter panem triticeum, & verum Corpus Christi, secus vero inter Azymum, & Fermentatum, ut verba illa ostendunt: *et si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*, nempe Corpus Christi; nec ideo panis ille communis erat, & usualis formæ, alias suspicari potuisset infidelis, ibi esse Corpus Christi, ut opponit Tournely: nam primo, Sacramentorum materiæ, ac formæ ignotæ infidelibus erant; unde & ignotum illis erat, an in Fermentato, vel in Azymo Sacramentum conficeretur Eucharistiæ, ut Ecclesiastica docet Historia; siquidem celabantur infidelibus sacra, ne profanarentur ab illis, ut late Schelestratius probat *cap.* 7. *de Disciplina Arcani art.* 5., & ex ipso Franciscus Pagius; cum de Innocentio I. *num.* 14. & satis constat ex hoc Pontifice in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum *cap.* 3. ubi loquens de forma Sacramenti Confirmationis, ait, *verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*: Idemque ostendunt Jamblicus *lib.* 2. *de Vita Pithagoræ cap.* 28. & Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromatum*.

Secundo, etiam omisso, notum illis fuisse, in Azymis consecrari solitum, non ideo Azymum panem videndo, jam consecratum putarent, & Corpus esse Christi; nonne scimus & nos in solis Azymis consecrari? Nec ideo omnes, quas videmus extra Ecclesiam, vel in Sacristia particulas, consecratas esse putamus, ac esse Corpus Christi suspicamur; poterant ergo infideles panem videre non communem, & usualem, seu Fermentatum, sed specialem, & peculiari modo, ac diligentia confectum, nempe Azymum, simulque nihil de Christi Corpore suspicari. Hæc pro adversariorum solatio dicta sint: cæterum a vera Tertulliani intelligentia longissime aberrant Critici, & communiter utriusque oppositæ Sententiæ Patroni; siquidem alloquitur in eo libro Tertullianus uxorem suam (de cujus consensu jam erat ad Presbyteratum assumptus) eamque pluribus hortatur argumentis, ne si forte prior ipse moriatur, alium ducat virum, præsertim infidelem, hujusque inter alia ignorantiam narrat, atque incredulitatem de illis, quæ nostra respiciunt Sacramenta, atque Fidem: hinc ait uxori suæ; *non sciet maritus*, si aliquando maritum duceres infidelem, *quid secreto ante omnem cibum gustes*; cum ignorent Sacramenta nostra infideles, & qua frequentia utantur illis Christiani, *& si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*: quod si cibum viderit, quem tentas gustare secreto, sine dubio panem esse putabit, non Corpus Christi: infidelis est, atque incredulus; panem videbit peculiarem, & speciali modo, ac diligentia confectum, te loquentem audiet, atque dicentem, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam &c.* non credet, ridebit, semperque panem esse putabit, non

Corpus Christi: *& si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*, nempe Corpus Christi: hæc, aliaque multa narrat uxori suæ Tertullianus, ne aliquando illa virum ducat infidelem.

Tertium est, quod Eucharistia consecrabatur ex pane a fidelibus oblato; sed unde hoc Sirmondus habet? Antiqua sunt in oppositum documenta; admitto panem consecrandum fieri ex oblationibus fidelium, & etiam panem fuisse a fidelibus oblatum; sed de hoc pane fuisse consecratum, quo probat argumento Sirmondus? Siquidem inter panem a fidelibus oblatum, & fidelium oblationes, ex quibus conficienda erat Eucharistia, aperte distinguit antiquitas. Concilium Nannetense I. quod celebratum est anno 658. de mandato Vitaliani Romani Pontificis *Can. 9.* sic habet; *ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyteri convenienter partes incisas habeant in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, & illa, unde Eulogias Presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicas &c.* eadem habet Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in suis institutionibus *cap. 7. ut de oblatis, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certo de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido*, &c.

In quo ergo consistebant oblationes istæ pro Sacrificio? Farinam, fuisse ex qua deinde fiebat panis consecrandus, putat eruditissimus Vicecomes *Tom. III. de antiquis Missæ Rit. lib. 2. cap. 10.* at satis verisimile puto, pecuniam fuisse, vel frumentum; favet modernus Ecclesiæ usus, quo pro Missarum celebratione Sacerdotibus dari solent eleemosynæ, ut de Sacrificio participemus; favent quoque a primis Ecclesiæ seculis Tertullianus in Apologetico *cap. 39.* cum dicit: *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert*: & S. Cyprianus *lib. de Oper. & Eleemosyna*, cum divitem, & matronam sic reprehendit: *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis; quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Ubi notanda sunt verba illa: *quæ corbonam omnino non respicis, & quod pauper obtulit, sumis*. Dationi frumenti clarissime favet Concilium Carthaginense III. habitum anno 397. sub Aurelio Episcopo Carthaginensi *Can. 24.* ubi dicitur: *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum; nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis, & frumentis*; cum dicitur *panis*, sermo est de oblatione, non quidem a populo facta, sed a Sacerdote consecrante; ut enim vinum aqua mixtum, sic & panis nonnisi a Sacerdote consecrante offertur; secus autem a populo; a quo tamen uvæ offerebantur, ac frumentum, ad participandum de Sacrificio Missæ, ut verba illa demonstrant: *nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis, & frumentis*: unde cum ait S. Ambrosius in *cit. cap. 4. Tu forte dicis, meus panis est usitatus*: l'y *panis meus*, panem significat mea pecunia emptum, vel ex mea oblatione confectum: secus vero panem a me oblatum; ut gratis Tournelyus explicat; quo etiam modo intelligendus est in allatis verbis S. Cyprianus: *quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Siquidem dives illa, Eucharistiam sumendo, quod erat pauperis accipiebat: panis enim consecrandus, pauperis erat, quia pauperis oblatione confectus. Quæ vero de his oblationibus supererant, sive pecunia, sive frumento datis, sive de panibus a fidelibus oblatis, tum pro Eulogiis inserviebat, tum pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, pauperum, ac viduarum.

Nihil Sirmondus evincit facto Sanctæ Radegundis in Gallia, quæ oblationes suis manibus faciebat, & venerabilibus locis incessanter (teste Fortunato in ejus vita) dispensabat; vel illius matronæ, quæ Romæ (ut narrat in vita S. Gregorii Magni Joannes Diaconus) interrogata, cur risisset, cum ei porrigeretur Eucharistia, Sancto Pontifici respondit: *quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, Tu Corpus Domini eum perhibebas*: nihil, inquam, evincit; nonne poterant piæ illæ matronæ peculiaris devotionis causa, aliquos pro Eucharistia Azymos conficere panes? Quid enim, si ab aliquapia fœmina hoc ipsum hodie fieret? Diceretur ne etiam hodie panem oblatum a populo, vel Fermentatum panem in Eucharistiam consecrari? Minime gentium; putas, incredibile quod illos piæ fœminæ confecerint? Sed incredulitatem evidentia tollet. Nonne hoc ipsum fit a mulieribus hodie? Certe nostra hæc S. Pauli majoris Ecclesia particulis utitur ab honesta quadam fœmina confectis: nihil ergo facta illa evincunt.

Neque Sirmondi probant intentum, quæ habet antiquus Ordo Romanus, cum dicit: *Archidiaconus accipiens oblatas, ponit tantas super Altare, quantæ possunt populo sufficere*; vel illa Sacerdotis celebrantis verba: *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum* &c. vel alia, quæ in feriis paschalibus frequentatur oratio: *Suscipe quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum* &c. cum ex dictis quocunque modo fideles ad Sacrificum suis concurrant eleemosynis, allata verba verificentur; nonne etiam hodie a celebrante Sacerdote verba illa proferuntur? Quæ tamen falsa dici non possunt; etsi panem ipsum consecrandum non offerant fideles.

Arguunt Cardinalis Bona, Tournely, & noster Meratius; verisimile est, Apostolos post Christi in Cœlos Ascensionem, Fermentatum sæpius adhibuisse; furtim enim, & clanculum (urgente persecutione) Sacris operam dabant, nec in promptu erant Azyma, quæ distribuerent ingenti fidelium numero, apud quos ex improviso divertebant, & nonnunquam medio noctis silentio.

Contra

Contra est primo, inopinatus Apostolorum adventus apud fideles ad sacrificandum eos aliquando in Fermentato celebrasse, minime probat, cum insignium Scriptorum auctoritate suffulti dicamus, tunc panem etiam Azymum, panem fuisse usualem, atque communem, præsertim apud Hebræos, & maxime in eorum sacrificiis, ut visum est, & habetur *Levitic.* 2. *Exodi* 29. & passim alibi.

Secundo, retorquetur in adversarios argumentum; in eo pane celebrabant Apostoli, qui ex inopinato apud fideles adventabant, quem facilius erat apud eosdem persecutionis tempore invenire, longe autem facilius erat Azymum invenire, quam Fermentatum; siquidem illum panem longe facilius habebant domi fideles, persecutionis tempore, quem facilius conficiebant: certum est autem, longe facilius confici panem Azymum, quam Fermentatum; hic enim plures dies ad fermentandum requirit, ille modico temporis spatio statim conficitur; sic Hebræi de Ægypto exeuntes, urgentibus Ægyptiis, panes azymos comederunt, *Exodi* 12. deficiente illis tempore ad fermentandos panes. Igitur Apostoli ex inopinato apud fideles adventantes ad sacrificandum, nonnisi in azymis celebrabant.

Dicendum ergo Apostolos nunquam sine Azymis celebrasse, cum ea parata semper ad sacrificandum haberent; furtim, & clanculum (urgente persecutione) sacris operam dabant, etiam inopinato apud fidelium domos adventantes; at vel secum Azyma deferebant, cum modicum panis, etiam pluribus, ut quotidiana docet experientia, satis esse potuerit; quot enim fracta etiam particula Eucharistiam suscipere possunt? sicque certe communicabant, qui domi vel nullum habebant panem, vel non habebant, nisi hordeaceum, fabaceum, avenaceum, milliaceum &c. quid enim hoc facillus persecutionis tempore? vel ipsi fideles inopinatum aliquem Apostolorum adventum ad sacrificandum sperantes, de materia sacrificii ab Apostolis instructi, Azymos confectos panes apud se, vel amicos peculiari studio pro sacrificio servabant: & quidem incredibile satis, Apostolos Christi exemplum, qui in azymis consecraverat (nulla gravissima urgente causa) statim reliquisse; vel casu, & nullo prævio apparatu tantum peregisse sacrificium.

Arguunt Iveninus, & Auctor Anonymus de Re sacramentaria: usus Fermenti in sacrificio Missæ, satis colligitur ex decretis Romanorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. Legitur enim in vita Melchiadis: *hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*, & de Siricio: *hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per hebdomadas, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*. Innocentius vero I. Epistola ad Decentium Eugubinum in Umbria Episcopum, *cap.* 5. consultus, an exemplo Romani Pontificis, qui Fermentatum mittebat ad absentes, Episcopis quoque liceret ad rurales Ecclesias idem mittere Fermentum, sic respondet: *de Fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos, quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta*.

Contra, *quod multipliciter intelligitur, ejus veritas ignoratur*; axioma est commune Sapientum: quam æquivoca, quam varia sit vocis huius *Fermenti* significatio, innumeræ, quæ ab Eruditis dantur illi explicationes, satis ostendunt; uti videre est apud Ciampinum *cap.* 4. Honoratum *artic.* 3., & Sandinum ad vitam Melchiadis Papæ: nullum ergo est argumentum ab unica illa voce *Fermenti* desumptum: quid si in decretis illis Romanorum Pontificum non Eucharistia intelligatur nomine *Fermenti*, sed panis benedictus? qui & *Eulogia*, & *Charitas*, & *Oblatio* passim in sacra vocatur Historia; de quibus sermo est tum in Concilio Laodiceno *Can.* 14., quo prohibetur Eucharistiam loco Eulogiarum mittere (habitum est hoc Concilium sæculo IV.) tum in Concilio Nannetensi I. (quod habitum est anno 658.) *Can.* 9., ubi statuitur: *ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominica, & in diebus festis exinde accipiant*: assignatur deinde forma Eulogias benedicendi, tum in Concilio Calchutensi in Anglia anno 787. *cap.* 10., in quo de Eulogiis reperuntur verba Concilii Nannetensis, quæ etiam repetit Hincmarus Rhemensis inter capitula, quæ dedit Presbyteris suis anno 852. *cap.* 7. Hinc de Eulogiis intelligenda illorum Pontificum decreta, scribunt Cabassutius in *Historia Eccles. Diss.* 11. & 12. Salmaticenses *disp.* 10. *de Eucharistia num.* 18. Baronius, Binius, Cardinalis Cusanus, Raynaudus, Macedo, Dadinus, Altaserra, Contensonius, aliique apud Ciampinum.

Hæc ipsa Romanorum Pontificum decreta Græci, conflato jam schismate, opposuere Latinis, sed frustra; respondentibus Latinis de Eulogiis, seu de pane benedicto, secus de Eucharistiæ Sacramento ibi esse sermonem: siquidem sæculo XII. id Latinis opposuit pro usu Fermentati Græculus quidam, nempe Nichetes Archiepiscopus Nicomediensis; cui statim respondit Anselmus Episcopus Havelbergensis, dicens *lib.* 3. Dialogorum *cap.* 15. *Melchiadis, & Siricii decreta non de Fermentata Hostia, sed de Eulogiis potius intelligenda sunt, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesiam distribui jubentur*.

Neque obstat, quod in illis Decretis Fermentum dicatur: *Res consecrata, & Sacramentum*, ut opponit Natalis: nam etiam res benedictæ sacræ, & Sacramentum dici solent, in quo sensu ait Concilium Carthaginense III. *Can.* 5. *placuit, ut per solemnissimos dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solum sal*: & S. Augustinus *lib.* 2. de peccatorum meritis *cap.* 26. dicit: *quod accipiunt Catechumeni, quamvis non sit Corpus Christi; sanctum est tamen, & sanctius, quam cibi quibus*

alimur, quoniam Sacramentum est.

At omitto, in Decretis illis nomine *Fermenti* Eucharistiam significari. Siquidem verum est, Episcopos olim, ac Presbyteros Eucharistiam in unionis signum mutuo aliquando misisse inter se: antiquum hunc Ecclesiæ morem testantur Eusebius *lib.* 5. Historiæ Ecclesiasticæ *cap.* 24. Evagrius *lib.* 1. *cap.* 13. Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 39. Joannes Moschus in Prato Spirituali *cap.* 22. aliique; quid inde? Forsan Eucharistia *Fermentum* dicebatur, quia ex pane conficiebatur Fermentato? minime, satis enim constat ex illis Decretis Fermenti nomen Eucharistiæ esse adscititium, non ex natura rei petitum, ut verba illa ostendunt: *quod declaratur Fermentum, & quod nominatur Fermentum*: Fermentum ibi dicitur Eucharistia ob mysticam rationem; siquidem Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem gerebat, eisque unionis inter se vinculum erat; sicuti Fermentum massæ, cui commiscetur, ut etiam ootant Porterus, Ciampinus, Mabillonius, Marteoe, Sirmondus ipse, aliique passim: unionis enim tum Christi cum fidelibus, tum fidelium inter se, signum est Eucharistia; *quoniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*, ex Apostolo 1. ad *Corinth.* 10. mystica hæc est significatio tributa *Fermento*. Nonne & Christus ipse extra Eucharistiam *Fermentum* nominatur a Patribus? ut patet ex Epistola Episcoporum Phæniciæ Maritimæ ad Leonem Imperatorem de Concilio Chalcedonensi; de quo ibi dicitur: *eos, qui prodigiose non ex Dei Genitrice Virgine, esse nostrum Fermentum credunt, destruxit*.

Arguit iterum Cardinalis Bona ex Concilio Calchutensi, quod habitum est in Anglia sæculo VIII. declinaote, nempe anno 787. ubi habetur *can.* 10. *oblationes fidelium tales sint, ut panis sit, non crusta*, quasi tunc primo usus Fermeotati cœperit prohiberi. Contra, quis dicat crustam esse non posse, nisi ex Fermento? oppositum sane habetur *Exodi* 29. ibi: *Tolle panes Azymos, & crustulam absque Fermento*: quid ergo Canone illo prohibetur? panis nimio calore adusti, & exsiccati pro Eucharistia conficienda usus inhibetur. Scholasticorum auctoritatem opponunt alii: contra, historica res est; Historicis ergo potius, quibus aotiqua documenta favent, standum est, quam scholasticis: de Ebionæis io Azymo celebrantibus, certe meminit Epiphanius hæresi 30., at nil habet, illorum causa aliquam factam fuisse in sacrificio ab Ecclesia mutationem.

Arguit item Sirmondus, quod Photius nunquam Latinis usum objecit Azymorum, licet alia plura opposuerit, in quibus a Græcorum moribus, ac ritibus discrepabant: tunc ergo in Fermenti usu cum Græcis Latini conveoiebant; tum quia ante Photii ætatem nulla de Azymorum usu lex condita assignari potest. Contra, etiam Græcorum Ecclesias tunc in Azymis consecrasse, potius evincit objectum: item ante Photii ætatem nullam conditam esse legem de Azymorum usu, nimis fidenter Sirmoodus asserit; noone Alcuini, ac Rabani Mauri asserta; Concilii Toletani XVI., ac Legatorum Romani Pontificis Agathonis testimonia; S. Cypriani, ac summi Pontificis Alexandri auctoritates, accedeotibus Ambrosio, Gaudentio Brixiensi, Augustino, ac Isidoro Hispalensi; immo & conjecturis omnibus præsertim in argumento negativo fundatis, jamque suo loco discussis; oppositum clare satis ostendunt?

Hæc de Latinorum Azymis, sed quid de Græcorum Ecclesiis? Illas perpetuo in solo consecrasse Fermentato, recentes Eruditi fere omnes sentiunt, ut Calmet, Iveninus, Natalis, Mabillonius, Bona, Sirmondus. At Græcorum Ecclesias a primis Ecclesiæ sæculis in solis Azymis consecrasse, longe probabilius est, ut cum antiquis doctissimi Recentiores sentiunt, Simonet, Boucat, Honoratus, Sandinos, Macedo, Clericatus. Et quidem earumdem Ecclesiarum perpetua hæc traditio fuit. S. Epiphanius *hæresi* 30. §. 16. hæc de Ebionitis habet: Μυστήρια δὲ δῆθεν αὐτοὶ κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ Ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ Μυστηρίου δι᾽ ὕδατος μόνου: *Mysteria vero videlicet perficiunt secundum imitationem Sanctorum, qui sunt in Ecclesia ab anno in annum per Azymum, & aliam partem Mysterii per aquam solam*; in sacrificando duo faciebant Ebionitæ, in Azymis consecrabant, & in aqua sine vino; sed quid ad Sanctorum imitationem faciebant? Consecrare io aqua sola? Minime gentium; cum hoc semper fuerit in Sanctorum Ecclesiis inauditum: faciebant ergo ad Sanctorum imitationem hoc, quod est in Azymis consecrare; adeoque & qui tunc erant in Ecclesia Sancti, in Azymis consecrabant. At qnænam in verbis illis, *Sanctorum, qui sunt in Ecclesia*, intelligitur Ecclesia? Ecclesia sine dubio Græcorum, cujus ritum in sacrificando Græci, inter quos Ebionitæ, sectantur: adeoque in Azymis, secus io Fermentato Ebionitarum tempore Græcorum Ecclesiæ sacrificabant. Primo Ecclesiæ sæculo fuisse Ebionitas (quidquid Dupinius dicat) scribit S. Hieronymus *de viris illustribus cap.* 9. ibi: *Joannes Apostolus, novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Episcopis Asiæ &c. maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens*.

Testantur hoc ipsum sæculo III. Origenes *part.* 1. *pag.* 271. juxta editionem Danielis Huetii, sive Coloniensem, sive Rothomagensem, in illis verbis: Οὕτω δὲ μήποτε ζύμη οὐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον: *ita autem nunquam Fermentum non offertur super Altare*; nunquam igitur Origenis tempore offerebatur in Fermento; siquidem duæ negationes apud Græcos vehementius negant, ut omnibus compertum est, notatque Sandinus: Origenis versio, quam Sandinus habet, cæteris est præferenda; cum simplicior sit, ac de verbo ad verbum facta translatio. Longe ante Origenem idem saltem de suis Ecclesiis habet S. Justinus Martyr, Græcus & ipse Dialogo cum Tryphone *pag.* 159. cum ait: *oblationem similæ pro iis, qui a lepra purgabantur, fuisse figuram Panis Eucharistici*; certum est autem illam fuisse sine Fermento ex *cap.* 2. & 7. *Levitici*. S. Justinus medio secundo Ecclesiæ sæculo decessit. Idipsum ratio

suadet

suadet; Christum Pascha legale celebrasse, ac instituisse Eucharistiam in Azymis prima die Azymorum, ac pridie quam pateretur, certum Græcis Patribus erat, teste Photio *Codice* 116., & Victore Antiocheno in Marcum *cap.* 14., inquiunt enim *S. Joannem Chrysostomum, & universam Ecclesiam sic sentire*: item ad Christi exemplum imitandum etiam in minutioribus, addictissimi erant Orientalis Ecclesiæ Patres; siquidem non alia ratione Pascha celebrare volebant Asiani Luna 14. in quamcumque illa diem incideret, uti videre est apud Eusebium *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 24.: adeoque incredibile, illos maxime in materia Sacrificii, sine nova gravissima causa, Christi morem imitari noluisse; in Azymis ergo a primis Ecclesiæ sæculis Patres illi celebrarunt.

Inquies, panem consecrandum, *panem vulgarem, communem, ac usitatum* vocant Græci Patres; *non enim ita meminimus, ut communem panem, & communem potum*, ait S. Justinus *Apologia* 2. Contra, *Panem communem* vocant ad differentiam panis consecrati, seu Corporis Christi, secus vero ut inter Azymum distinguant, ac Fermentatum, ut ostensum est. S. Epiphanius reprehendit Ebionitas, quod in Azymis celebrarent; cum de celebratione in Azymis pari modo loquatur, ac de celebratione in aqua sola. Minime; cum tantum de secundo, ut visum est, Ebionæos damnet Epiphanius; de primo laudat, cum illud facere dicat *secundum imitationem Sanctorum*: nec dici potest, Epiphanium loqui de sola substantia Sacrificii, cum l'y *per Azymum* materiam etiam in specie aperte designet. Si quæ fuit ab antiquo diversitas inter Latinam, & Græcam Ecclesiam in sacris Ritibus, & in sacrificio Missæ, de qua Eusebius *cit. lib.* 5. *cap.* 24., & Photius *Epistola* 64. facile salvatur in aliis, cum de materia Sacrificii nulla ibi sit mentio; aliunde satis antiquum sit Græcis, paullo ante communionem calidam aquam cum Christi Sanguine miscere, ut antiquæ illorum Liturgiæ testantur, præsertim Sanctorum Basilii, & Chrysostomi. Chronicon Dacii Mediolanensis, in quo legitur, Div. Ambrosium *Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis imitatum fuisse, & sacrificium eorum, scilicet Fermentatum cum nostro Azymo in celeberrimis festivitatibus benedixisse*, minime nobis obstat; cum Eruditorum judicio suppositium sit opus, ex Pagio, Oudino, Cavio, & omnium sensu incredibilia narret; quis enim dicat S. Ambrosium Fermentatum simul cum Azymo consecrasse? Pro pane consecrando panem turgidum, atque integrum requirunt Liturgiæ Græcorum, quid inde? etiam panis Azymus talis esse potest, nisi nimio sit calore exsiccatus, adustus, atque depressus; sicque Cerulario respondet Cardinalis Humbertus. Ex indole Græcorum Mabillonius probat, qui majorum suorum ritibus tenacius semper adhæserunt: at Græcos levis esse animi, & passim a suis recessisse majoribus, pluribus adductis exemplis, Leo Allatius ostendit *lib.* 3. *cap.* 13. *de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis*.

Primis decem Ecclesiæ sæculis non quidem in Fermentato, sed in Azymo Græcorum Ecclesiæ sacrificabant (quidquid Honoratus dicat, Sandinus, Boucat, Tournely); siquidem sæculo XI., ac sequentibus, ut visum est, Græcos reprehendunt, quod sacrificent in Fermentato, Latini; secus ante: item ab eo tempore solum azymorum usum in sacrificio Græci opposuere Latinis, secus ante; adeoque præcedentibus sæculis in materia sacrificii inter Græcos, ac Latinos nulla certe fuit discrepantia: non Synodus Trullana sæculo VII. labente habita, non Photius sæculo IX. non alii Græci, Latinos de Azymorum usu damnant; damnassent autem, ut in cæteris fecerunt minoris etiam momenti, si ab illis in celeberrimo hoc ritu discrepassent: Latinos autem eo tempore solum in Azymo sacrificasse, ex Alcuino vidimus, Rabano Mauro, & Legatis Apostolicæ Sedis ad sextam Synodum in allocutione cum Imperatore Constantino habita. Immo nec undecimo currente sæculo, omnes Græcorum Patriarchales Ecclesiæ in Fermento consecrabant; siquidem Ecclesiæ Hierosolymitana, & Alexandrina tales erant: de prima sic habet Humbertus Cardinalis in Epistola responsiva ad Michaelem Cerularium, *quam reverendam Angelis, & hominibus institutionem, prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis recepit, fideliter retinuit; adeout quidam Hierosolymitanorum Pontificum, datis Epistolis, significaverint, quantum illorum institutio discrepet a Græcis*. De utraque Ecclesia idem scribit Cerularius ipse Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum, ibi: *Ad nostras aures pervenit*, quod prædicti duo Patriarchæ, *non solum alios Azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in Azymis sacrum conficiunt Sacrificium*: nec obsunt quæ sequuntur verba: *& nos quidem cum non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re illos scrutaremur; quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ sanctitati requirendam relinquimus, ut de hac re cum omnia diligenter fuerint scrutata, humilitati nostræ singula faciat manifesta*: siquidem Petrus Cerulario rescribens, & factum omnibus exploratum negare non valens, tacet omnino, factique veritatem proprio silentio firmat. Cardinalem Humbertum ibi *de Azymis minime loqui*, male Iveninus ait: *cum revera de illis cum Græcis erat concertatio*.

Nullius sunt momenti quæ nobis opponunt: S. Nicon, decimo currente sæculo, in opusculo de pessima Religione Armenorum, illos reprehendit, quod *in pane mystico utantur Azymis, & in sanctum Calicem aquam non immittant*. Contra, non ad Azymi usum, sed ad Calicis abusum objurgatio illa refertur; alias S. Gregorius VII. minime XI. currente sæculo dixisset in Epistola ad Archiepiscopum Sinnadensem, de Azymorum usu Armenos *esse laudandos*; esto *ab imperitis Græcis* dicatur oppositum. Theodorus Abucara, IX. currente sæculo in opusculo 22., Saracenum sic alloquentem Christianos inducit: *ex eadem farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulas*

culas partitum populis distribuitis , nominatisque Christi corpus , &c. Contra , nobis Abucara favet , cum non dicat *ex eadem massa* , sed (quod omnino diversum est) *ex eadem farina duobus panibus confectis* , nempe Azymo , & Fermentato , hunc ad communem usum, illum pro Eucharistia servando . Synodus Trullana septimo labente sæculo *can.* 11. de Christianis habet : *ne Judæorum Azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat* . Contra , de Eucharistico pane nulla ibi mentio , sed solum de communi , ac familiari mensa Judæorum , seu cum Judæis habita . S. Thomas *pàr.* 3. *quæst.* 74. *art.* 4. verba hæc adducit S. Gregorii in Registro : *Romana Ecclesia offert Azymos panes , &c. sed Græcæ offerunt Fermentatum* . Contra , fatentibus cum Ivenino adversariis , sunt verba illa S. Gregorii VII., qui XI. labente sæculo , & Cerulariano jam schismate consummato , ad Pontificatum fuit assumptus .

Moyses Catholicus , (seu Magnus Armenorum Patriarcha) sexto labente sæculo a Mauritio Imperatore Constantinopolim vocatus cum cæteris Armenis Episcopis ire noluit ob factam ibi sacrificii mutationem ; respondítque : *absit, ut transeam fluvium Azat ; vel furno cocto comedam , aut calidum bibam* ; sic & alii responderunt Armenorum Episcopi , ut habet narratio de rebus Armeniæ apud Combefisium . Contra , Moyses, aliique Armeniæ Episcopi ire noluerunt ; & quidem ob Sacrificii mutationem , non Constantinopoli , sed ab ipsis Armenis factam , nolentibus in Calice aquam vino miscere ; unde illos Trullana Synodus damnavit *can.* 32. ibi : *ad nostram cognitionem pervenit , quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt , aquam illi non miscentes &c. si quis ergo Episcopus , vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit , & aquam vino non miscens , sic immaculatum offert Sacrificium , deponatur , &c.* Minus etiam obstant , quæ sexto labente sæculo Philoponus ait in disputatione *de tempore celebrandi Paschæ* in illis verbis : *neque Azymum proprii Corporis antitypum discipulis suis dedit Christus , nam & hoc etiam nunc fieret* : cum supposititia sit disputatio illa , nec ante sæculum XI. fuit illa conficta ; siquidem Philoponi opera in sua Bibliotheca Photius, & in suo apparatu Possevinus accuratissime recensent ; illius tamen disputationis nulla facta mentione : item sit illa Philoponi , quid inde ? potuit de peculiari sua hæreticorum secta loqui ; cum ait : *nam & hoc etiam nunc fieret* , nempe in Azymis Sacrificium . Hæreticum illum fuisse Tritheitam , Priscillianistam , & Eutychianum , ejus scripta testantur contra Severum , & Proclum , contrà mortuorum resurrectionem , & Chalcedonense Concilium ; unde fuit in sexta Synodo generali actione undecima damnatus . At demus , locutum fuisse Philoponum de universa Græcorum Ecclesia ; quis homini mendacissimo credat ? Cum & apertissimo mendacio , & universa Græcorum Ecclesia reclamante , negare sit ausus , Christum Dominum in Azymis consecrasse .

Sed quid de illo anathemate dicendum , ab Armenis proferendo ad Græcorum Ecclesiam redire petentibus ? (quod habes apud Cotelerium in notis ad quintum librum Constitutionum Apostolicarum) *si quis in panem oblationis non immittit Fermentum , & sal , nec aquam cum vino in sanctum Calicem , anathema sit* : dico , undecimo currente sæculo fuisse confictum ; cum nullo antiquiori monumento possit ostendi . Idemque dicendum de illa Melchitarum sententia contra Maronitas apud Tournely , & Faustum Naironum, *& qui in Fermento offerunt , nos simul cum Occidentalibus , & Armenis , dicentes , Azymum non esse panem* ; quis enim unquam ante schisma Michaelis Cerularii hæc dicere somniavit ?



Ad

Ad idem Caput XXIII. Appendix altera,

SIVE

COLLECTIO SELECTARUM EPISTOLARUM,

Quas tum ipse Cardinalis Bona ad varios Eruditos Viros scripsit; tum isti ad eumdem de celebri Azymi, & Fermentati Controversia.

Ex Regesto Epistolarum dicti Cardinalis Bona.

EPISTOLA I.

Em. D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA JOANNES MABILLONIUS.

Illius judicio suam de Azymis sententiam subjicit.



NON putassem fore aliquando, ut contrarius existerem Eminentiæ tuæ, at præter opinionem accidit, ut offenderem in tuum judicium, cui me, meaque omnia subjecta semper esse volueram. De Azymis loquor, de quibus in eximio opere tuo aliter sentis, quam ego scripseram, antequam ea de re sententiam tuam rescirem. Verum quodcumque super hoc argumento scripsi, illud censuræ tuæ libens subjicio, idque a benignitate tua, quæ in te est maxima, spero, ut si minus tibi placeat, quod dixi, approbetur saltem veritatis amor, quo dixi. In hoc siquidem studio scio me convenire cum Eminentia tua, cui nudæ veritatis inquisitio non minus cordi est, quam purioris disciplinæ caritas. Misi folia de hac nostra quæstione a me edita D. Antonio Durbano, ut ea offerat tibi, Eminentissime Domine, referatque mihi, quid de illis sentias, si modo sententiam tuam ei exponere dignaberis, id quod opto quam maxime, atque enixe expostulo. Quod superest de studiis nostris, &c. Parisiis III. Idus Decemb. 1671.

Reperitur hæc Epistola inter Opera posthuma Mabillonii a Thuillierio edita tom. 1. p. 81.

EPISTOLA II.

D. LUCÆ DACHERIO M. B. JOANNES Card. BONA.

Censuram Tractatus Liturgici expectat, paratus ab azymorum sententia discedere.

DUdum scripsi D. Billaine, eique gratias egi, quod librum meum isthic recudi elegantissimis typis curaverit. Nunc autem gaudeo, quod editio absoluta sit, eique rursum ex me gratias ages. Sententiam de illo, immo censuram Dominorum Arnaud, (a) & Nicolet plurimi æstimabo, utpote Virorum purgatissimi judicii. Si opinio mea de Azymis illis displicet, & mihi quoque displicebit; jam enim protestatus sum me protinus ab ea recessurum, si quis certiora docuerit. Veritatem amo, & eam quæro, paratus non solum a doctioribus, sed & a puero edoceri. Congessi quæ mihi visa sunt eam sententiam, quam probabilem putabam, stabilire, & si quis ea omnia exacte, & solide confutaverit, rem mihi gratissimam faciet. D. Baluzio salutem precor, cujus notas ad Reginonem legi valde eruditas, ut sunt omnes ejus lucubrationes. Accepi epistolam a D. Joanne Mabillonio, cui responsum dabo, quale exigit & optat, postquam legero Tractatum suum de Azymis, quem non dubito accuratum fore, & dignum suo authore. Ipsum interim meo nomine salutabis: utrique autem novum annum felicissimum auguror, meque vestris orationibus, ac sacrificiis enixe commendo. Romæ die 18. Decembris 1671.

(a) Duos hos Sorbonicos Doctores plurimum laudat Card. noster, nondum enim Jansenio aut Quesnellio eos adhæsisse cognoverat, cum fatis cesserit, antequam ab Ecclesia judicarentur.

EPISTOLA III.

JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi JOANNES Card. BONA.

Ut Editio Amstelodamensis Operis Liturgici integra prodeat, nonnulla eidem operi addenda transmittit.

A paucis diebus audivi Liturgica mea recudi Parisiis, & jam opus finem respicere, quod licet mihi non displiceat, valde tamen me angeret, si illa editio vestræ, quæ istic paratur, incommodo esset, quam non dubito futuram elegantissimam. Miseram dudum monitionem ad Lectorem libro jam edito additam, & post præfationem cudendam, de qua, quia siles, nec scio utrum ad te pervenerit, iterum his adjungo, ne illa careat hæc editio. Hæc suis locis addenda sunt.

Pag. 185. lin. 29. post illa verba: *ad imitationem Sanctorum*, adde: *eodem loquendi modo idem usus est hæresi 46., quæ est Tatiani, dicens: Mysteria quædam ad Ecclesiæ Sanctæ imitationem instituit, sed ad ea nihil præter aquam adhibuit-ubi pates Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere*. Pag. 189. in fine §. 7. *post inconsulte judicavi*, adde-*quod si adsint veteres Codices cum editis consentientes, ex quibus tollatur omnis suspicio interpolationis, advertendum insuper est, quod Rabanus nimis probat, cum ait oportere exemplo Christi panem infermentatum esse: nam Ecclesia utrumque admittit. Deinde testis singularis est, & cum dicit oportere sic facere, non dicit sic revera factum esse; multa enim dicimus fieri oportere, quæ non fiunt: & fortassis hæc fuit ejus particularis opinio*, &c. Romæ die 4. Januarii 1672.

EPISTOLA IV.

JOANNÌ MABILLON M. B. JOANNES Card. BONA.

Indicat quid sibi reprehendendum videatur in Mabillonianis de Azymo argumentis. (*a*)

QUod a mea opinione de Azymis dissenseris, nihil amicitiæ nostræ detractum est; ambo enim veritatem quærimus, & ego forsitan erravi, non ipsam veritatem, sed ejus larvam amplexus. Homo sum, humani a me nihil alienum puto. Atque utinam præfationem tuam vidissem, antequam Tractatus meus ederetur, multum sane ex tua multiplici, & recondita eruditione profecissem. Quæ mea mens sit, jam dignoscere potuisti ex monitione, quam libro jam evulgato addidi, ubi dixi gratissimum mihi fore, si quis prolatis ex antiquitate textibus amice ostenderit, me erasse: profers autem plura in tua observatione nova, de quibus quid sentiam, non contradicendi studio, sed ut petitioni tuæ morem geram, breviter judicabo.

Num. 65. A facto Christi argumentum desumis, sed nimis probat, nam si ideo Azymis utendum est, quia Christus in Azymis Eucharistiam instituit, quomodo Ecclesia usum Fermentati Orientalibus permittit?

Num. 66. Ex testimonio Isidori nihil certi concluditur. Ejus Epistolæ (*b*) ad Redemptum nullam rationem habui, quia supposititia est, ut tu recte mones, & alii dudum observarunt. Jacobus Vitriacus recentior est authoritate Concilii Toletani, qua ego utor ad probandum fermentatum. Tu pro Azymo uteris, ac si *panis nitidi* nomen soli azymo conveniat, sed pace tua id non persuades, nec mihi nunc tantum est otii, ut in hac re diutius immorari possim. Num.

(*a*) Argumentum hujus Epistolæ Thuillierii est, Tom. 1. pag. 182. operum posthum. Mabillonii.

(*b*) Ea de causa in lib. de Scrip. Eccl. Card. Bellarm. edition. Venet. an. 1728. hæc habentur: Ea quæ ad Redemptum dicitur (Sermo autem est de prædict. Epist.) non fuit ab Hispalensi scripta, sed ab aliquo posterioris ævi, cum jam exortæ essent Græcorum adversus Latinos simultates.

Num. 67. Testimonium Hildephonsi magni ponderis esset, si extaret. Scrutabor Codices Vaticanos, ex quibus asseris Holstenium illud accepisse. (c)

Num. 68. Ratio pro Azymis ex Beda, & Paschasio conjectura est, sed Rabani Mauri testimonium azymi usum tempore Photii viguisse evincere videtur; sed si exactiùs examinetur, non erit forsitan tanti momenti, etiamsi Codices MSS. omnem tollant interpolationis suspicionem. Nam primum testimonium singulare est. Secundo. Nimis probat, cum ait exemplo Christi oportere panem infermentatum esse. Tertio. Expendendæ sunt rationes, quibus hoc probat. Quarto. Non asserit tunc azymum fuisse in usu: aliud enim est dicere, quod oporteat aliquid facere, aliud quod fiat, & fortassis hæc fuit particularis ejus opinio.

Num. 69. Ex oblatis ferro characterato impressis non videtur concludi, quod sine fermento fuerint: nam Orientales panem suum fermentatum figuris ac Caracteribus imprimunt. Pistores autem nos docebunt, an etiam panis cum fermento sic confici possit.

Num. 70. Quod S. Thomas, & alii de Ebionitis asserunt, ego quoque notavi. Leonem IX. ego sic interpretabar, ut non de ritu, sed de dogmate loqueretur: declamat enim adversus hæreticos, & agit de Fide Petri, quæ nunquam deficier, Græcosque perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem, & Christum consecrasse in fermentato facta ultima cœna ante diem Azymorum. Non igitur ritum, qui mutationem admittit, sed dogmata videtur mihi impugnare S. Leo. Humbertus autem, & Rupertus Abbas putant perpetuam fuisse consuetudinem, quæ tunc Romæ in usu erat. Tu vero nosti quam fidem mereantur, qui asserunt aliquam consuetudinem per annos mille, & amplius viguisse, nullo teste adhibito, qui sæculis præcedentibus vixerit, ita ut soli eorum verbo standum sit. Certe juris periti hujusmodi testimonia rejiciunt.

Num. 71. Certum est, quod panis consecrandus offerebatur a Populo, ut ego ostendo, & probabilius existimo fuisse communem, & fermentatum. Si quid usui Sacerdotis, & communicantium supererat, id pauperibus tribui solebat, sed prima intentio offerentium sacrificium respiciebat.

Num. 72. Hoc utique indagandum est, an Latini, & Græci initio convenerint, quinam primum mutaverint, quo tempore, qua occasione.

Num. 73. Verba Epiphanii ego aliter intellexi; & ni fallor, ipsemet Epiphanius se ipsum explicat hæresi 46. a te citata, dicens: *Tatianum Mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse*; ubi vides Ecclesiæ imitationem non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

Num. 74. Argumentum ex verbis Ambrosii, & Photii silentio non omnino dissolvis, ut ipse fateris, sed dilui, ais, certis veterum authorum testimoniis a te prolatis. De illis tamen quid sentiam, jam dixi. Et dato etiam quod aliquando concludant, testes singulares sunt suorum temporum, non sæculorum, quæ præcesserunt. Quod si libet recentiorum testimonio pro rebus antiquis uti, sicut tu pro azymis Jacobum Vitriacum, ita ego pro fermentato Simonem Tessalonicensem afferam, qui libro de Templo, ac Missa apud Goar in Euchologio pag. 214. ait: *S. Gregorius author ille dialogorum non modo cum fermentato pane sacrificium offerri testatur, verum & in veneratione magna sacras habuit ædes*. Scio quid huic opponi possit, ac proinde ejus testimonio usus non sum. Eum tamen laudat Goar loco citato.

Tandem opto scire quid sentias de Melchiadis, & Siricii Romanorum Pontificum fermento, quorum decreta attuli, & examinavi, paratus semper de mea sententia decedere, si quid certius a te, & ab aliis eruditis prolatum fuerit. Hæc a me festinanter dictata inter graves, & continuas horum dierum occupationes, quæso, ut benigne excuses, & ubi erravi, doceas me, nihil enim mihi gratius contingere potest, &c. Romæ 4. Januarii 1672.

(c) Hildephonsi opusculum de pane Eucharistico, ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice exscriptum Eminentissimus Card. ad Mabillonium transmisit, prout idem Mabillonius testatur in præmonito ad idem opusculum, editum in Calce dissertationis de Azymo.

EPISTOLA V.

D. JOANNI S. R. E. Card. BONA JOANNES MABILLON.

Mittit nonnullas suæ de Azymis sententiæ explicationes.

COgit me tenere silentium Eminentiæ tuæ demissio summa, dum verba mihi præripis, tibique sumis, quibus ego ipse uti debueram. Justum quippe est, ut postulem me moneri, & corripi abs te, atque errata, quæ sane multa sunt, agnoscam mea. Cum vero id tu occupes, quid mihi reliquum est, nisi ut repetam ea verba a te usurpata, aut certe in gratiam mei dicta in me recipiam? Habeo itaque duplicem gratiam, & quod sic me doceat modestiam Em. tua, & quod dignatus sis legere, & expendere nugas meas. Responsiones tuæ ad argumenta, quæ pro azymo adduco, graves quidem sunt, & fortes, quales ferre potest causa, quam propugnas. Neque decet, ut aliquid reponam, ne otio, & benignitate tua videar abuti. Verum quia exigis a me, ut rescribam, mitto D. Antonio Durban quasdam explicationes sententiæ meæ, quas tibi, si per otium liceat, ipse referet. Qua in re me non juvenili fervori, sed Eminentiæ tuæ paruisse, quæso ut existimes. Hodie primum vidi exemplum novæ editionis operis tui, cujus lectio plane animum meum rapit, & instruit. Minus dico, quam sentiam, ne minus sincerus tibi videar. Ita perge informare Ecclesiam, cujus ornamento, & gloriæ in multos annos vivas ex animo precor. Parisiis IV. Kal. Februarii 1672.

Explicationes quædam Præfationis meæ.

NUm. 65. non intendo probare necessitatem consecrandi in azymo ex facto Christi Domini, sed quæro, cur Patres non meminissent relicti azymi, quod in ultima cœna adhibitum fuisse consentiunt.

Num. 66. Cum tantopere Sirmondus urgeat Photii silentium, æquum est etiam, ut rationem habeat silentii Isidori, Bedæ, & aliorum, qui diserte explicando hostiæ compositionem, fermentum nusquam nominant. Alcuinus in epist. 69. cujus testimonium reposui in editione mea, fermentum quodcumque a pane sacro excludit. Jacobus a Vitriaco legitimus auctor est ad probandas res sæculi XIII., in quo vixit: nec ejus auctoritatem alio animo refero, quam ut probem, Mozarabes suo tempore in azymis Eucharistiam celebrasse. Ulterius vero contendo id accepisse a majoribus suis, siquidem ad duellum usque (a) pro patriis ritibus adversus Romanos pugnaverint; nec proinde verisimile esse eos a fermento ad azymum, ut se Romanis accommodarent, descivisse. Auctoritas Concilii Toletani mihi semper visa est magni momenti in azymi causa, non solum, quod nitidum panem Eucharisticum, sed quod tenuem, non densum, sed tamen integrum, studio præparatum, non communem esse velit.

Num. 68. Paschasius Rhatbertus utitur verbo *conspersionis* eo sensu, quo Apostolus in epist. prima ad Corinthios, ubi monet expurgandum esse fermentum, ad hoc ut fiat conspersio. Rabani testimonium nullatenus detorqueri posse mihi videtur aut ad privatum morem alicujus Regionis, aut ad propriam authoris sententiam. Etsi enim fortasse nimis probet ipse, tamen admittendus est ut legitimus testis rei suo tempore usitatæ. Sic authores sexti, septimique sæculi, ac sequiores non recte eruditorum judicio tonsuram clericalem adstruunt exemplo D. Petri, & tamen idonei testes sunt vulgatæ suo tempore tonsuræ.

Num. 69. Inter Panem characteratum Latinorum, & Græcorum illud discriminis est, quod Latini, secus quam Græci, panem ab antiquo coquunt intra ferrum caracteratum, nec ex solida massa, ut Græci, sed ex simila diluta in aqua frigida illum conficiunt. Quo in genere fermentum nunquam adhiberi, testes sunt pistores. Num.

(a) Innuere videtur Mabillonius factum relatum a Roderico lib. 6. de rebus Hispaniæ cap. 26. tom. 2. Hispaniæ illustratæ, de cujus fide videndus Joannes Binius e Soc. Jesu in dissert. de Liturgia Mozarabica pag. 50. præliminari ad rom. 6. actorum SS. Julii. Vide etiam epist. 131. a D. Nicolao Antonio ad Joannem Bona directam.

In schola autographa Mabillonii nonnulla repeciuntur diversa ab editis a Thuillierio pag. 85.

Num. 70. Leonis, & Humberti testimonia pro Azymorum præscriptione opposui Sirmondo, qui eos negabat se unquam isto præscriptionis titulo defendisse. Ad id solum eos retuli, quamquam non parum valent ad probandum usum Azymorum ante Photii tempus, a quo non longe distabant, ut factæ innovationis ignorantes esse debuerint.

Num. 73. Si Epiphanius Azymi usum inter errores computasset, eum refutasset alicubi, ut alios solet. Contra vero usum Azymi in ultima Cœna agnoscit.

Num. 74. Argumentum ex verbis Ambrosii parum me movet. Objectio est adversus fidem ab experimento sensuum petita, quæ æque valet in Azymo ac in Fermentato. Photii silentium contra azymum morale argumentum est, quod proinde morali responso dissolvi potest. Atqui ego, ni fallor, silentii ejus congruas attuli rationes. Porro si fuisset animus adhibere authorum recentiorum testimonia, non omisissem Anselmum, Rupertum, & alios pro perpetuo usu Azymorum in Ecclesia Latina. At vero Jacobum a Vitriaco, ut jam dixi, hac tantum ratione profero, ut probem Mozarabes suo tempore Azymis usos fuisse.

DE MELCHIADIS, SIRICII, ET INNOCENTII

FErmento multa præclare dicuntur in Libro I. de Rebus Liturgicis, sed meo quidem judicicio non adeo manifeste evincunt fermentum apud eos in stricto significatu usurpari. Memini me legisse apud Arcadium nonnumquam Græcos ζυμε vocabulo uti ad significandum Azymum, semper vero προζυμε voce uti ad designandum Fermentum suum. Quid si id imitati aliquando sint Latini? Hæc raptim.

EPISTOLA VI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA CLAUDIUS CASTELLANUS Ecclesiæ Metropolitanæ Parisien. Canonicus.

Tractatum Liturgicum commendans, opinionem de Fermento ab eruditioribus approbari asserit, paratumque dicit volumen ad probandam fermentati praxim in Ecclesia Occidentali.

TUus ille, quem in dies expectabam de Rebus Liturgicis liber, Cardinalis Eminentissime, prodiit tandem Parisinis editus typis ineunte hoc anno. Illum vix emersum e prælo habui præ manibus, nec dimisi, donec totum evolverem. Certe eum dum legerem, secreta quadam lætitia affectus, admiratione etiam percellebar. Deus Bone, quanta antiquitatis scientia, quanta ingenii sublimitas, quanta sanioris disciplinæ elucidatio! Patere has laudes Em. Card. quas amor, & admiratio extorquet, licet reverentia premat. Ostendis certe tanta laboris pertinacia, quod magis ingenio, quam dignitate emineas; quodve Ecclesiæ illustrandæ atque ornandæ doctrina tua collimat. Multa ibi enucleas, quæ nostris Ritibus consentiunt, nec parum solatii est tanta authoritate confirmari. Viget etiamnum in nostra Ecclesia Parisiensi usus benedictionis, quæ dicto *libera nos* cum terna oratione, datur ab Archiepiscopo, statim ac Diaconus pedum in manu gestans cantavit, *Humiliate vos*: tumque dicto, *quod ipse vobis*, *& benedictio Dei*, dicitur *& pax ejus*, non autem *Pax Domini*, nec datur alia benedictio in fine. Perseverat itidem in Ecclesia nostra usus non recitandi ad Altare ultimum Evangelium, sive sit S. Joannis, sive sit proprium, sed simulatque Diaconus pronunciavit *Ite Missa est*, Chorus dimittitur, vel si dies exigat, subhebdomadarius confestim sextam horam inchoat non præmisso *Pater*, nec *Ave*, ipseque celebrans regreditur in vestiarium cum Ministris, ubi Evangelium recitat.

Quod de Pane Fermentato scribis Em. Card. fere omnis flos eruditorum, qui Parisiis celebrantur, in tuam sententiam descendit. Unus ex nostris paratum habet volumen bene multis suffultum auctoritatibus, quo hanc Ecclesiæ Occidentalis per novem sæcula praxim tuetur ac propugnat. Hoc opus tum profe-

ret in lucem, cum imbecilles oculi splendori sincerissimæ veritatis assueverint. Doleo equidem, quod tam pauci veritatem sapiant, quodve tam multi detestam, & lucentem repudient. Est tamen adbuc terra ferax, quæ bonum semen admittit, licet sit, quod a spinis suffocetur. Semen illud, quod serit Em. vestra, maturescet aliquando, & Ecclesiæ horrea copiosissima fruge locupletabit. Hinc Eminentiæ tuæ coronam texemus, quæ utilitatem nobis, & voluptatem attulit amplissimam. Rogo Deum Opt. Max. ut Eminentiam tuam ad multos annos servet, quo malis consuetudinibus abolendis semper incumbas, mores nostros emendes, sacrosque ritus ad disciplinam antiquo nitori restituendos cures. Lutetiæ Parisiorum pridie nonas Februarii 1672.

EPISTOLA VII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA LUCAS DACHERIUS

Observationes & Epistolam D. De-Voisin in ejus Opus Liturgicum transmittit, & rogat ut eidem præstet, quæ expostulat.

QUamvis octo ab hinc diebus Eminentiam tuam litteris convenerim, cogit tamen amicissimi mei V. Cl. Domini De-Voisin Epistola, quam ad me heri scripsit de tuo opere Rerum Liturgicarum, quod accurate ac diligenter perlegit me rogante, tibi litterulam exarare. In ea observatiunculas videre est, queis vir ille integerrimus juxta ac eruditissimus quædam notat sibi non arridere tuo in opere. Atque ut clarius Eminentiæ tuæ innotescant, transmitto Epistolam, & quæ in ipsa ab Eminentia tua expostulat, obnixe rogo, ut illi præstes, si commode fieri possit, utpote digno (ausim dicere) tua benevolentia, & gratia. Incumbit siquidem operi longe utilissimo, ut quidem sentio, nimirum continuata serie probat in Ecclesia Missam celebratam, referens Missas in unoquoque seculo solitas decantari, ac proferri. Unde conjicies haud dubie opus ipsius abs tuo fore dissimile, licet de Missæ Sacrificio pertractet. D. O. M. animitus exoro Te nobis diutissime servare incolumem. Parisiis in Monasterio S. Germani die 26. Februarii 1672.

EPISTOLA VIII.

Reverendiss. Patri D. LUCÆ DACHERIO JOANNES De-VOISIN

De Libro Rerum Liturgicarum Emi. Card. Bona.

LEgi accurate librum Rerum Liturgicarum ab Em. Card. Bona editum. Nihil in illo genere eminentius, nihil elegantius, nihil solidius hactenus vidi. Unum est, in quo hæreo. Optime probat Eminentia sua Ecclesias Provinciarum Galliæ, quæ erant in ditione, ac potestate Gothorum, uti solitas Missa Gothica. Sed quod spectat ad alias Galliarum Ecclesias, quo minus id mihi persuadeam, facit auctoritas Fortunati Episcopi Pictaviensis, qui longe ante receptum in Galliis Ordinem Romanum vixit. Is Libro quarto de Vita S. Martini describens Missæ celebrationem Sanctissimi illius Præsulis Turonensis hæc refert.

Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
Et Pater attonitus ceremonia diva sacraret,
Munera vel Christi Benediceret ore Sacerdos
Imposita Altari rata Corporis, atque cruoris &c.

Ubi clare designantur hæc verba Canonis Ambrosiani & Romani: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata*: quæ in Gothico Missali non reperiuntur. Præterea in Tomo Spicilegii tui edidisti Codegrandi Metensis Episcopi Regulam Canonicorum, in qua nullum verbum extat de mutatione Officii Gallicani, quamvis postea is primus fuerit, qui cantilenam, morem, atque Ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præceperit. In capite L XVII. suæ Regulæ hæc verba Romani, seu Ambrosiani Canonis leguntur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumstantium*: Micrologus etiam cap. XI. libri de Ecclesiasticis obser-

observationibus hanc refert orationem super oblatione juxta Gallicanum Ordinem: *Veni Sanctificator, omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrum:* quæ verba non leguntur, ut opinor, in antiquo illo Missali Gothico Reginæ Sveciæ. Rogo te, ut hac de re consulas Emin. Cardinalem, & petas ut hanc ab eo consequi gratiam mereamur, ut jubere velit describi nobis integrum ordinem Missæ, cum integro Canone ex antiquo illo Missali Gothico Serenissimæ Reginæ, cum integra Missa diei Paschatis, sive Resurrectionis Domini, nam in Missali mixto Mozarabum pleraque sunt inserta ex veteri Missali Toletano. Existimo in MS. Reginæ Sveciæ aliam reperiri præparationem Missæ, quam te enixe obsecro, ut petas describi nobis cum integro ordine, & cum forma confessionis, & cum benedictione Paschali eo ordine, ac loco, quo est in illo Missali Gothico MS. Si hoc nobis beneficium conferre voluerit Em. Card. pete, obsecro, ut rubricæ exacte describantur; nam illa, quæ est in Missali Mozarabum, scilicet *Oratio post pridie* non est, ut conjicio, in Missali antiquo Gothico Reginæ. Hæc etiam benedictio in Sabbato Sancto Paschæ, quæ sic incipit in Missali Mozarabum: *Deus qui solus habes immortalitatem* &c. utrum sic legatur in MS. Gothico Reginæ, plurimum interest scire. Pete, obsecro, ut etiam illa describatur, si est diversa ab illa Mozarabici Missalis.

Et nisi molestus tibi sim, roga etiam, ut Em. sua velit nos docere qualis sit benedictio Episcopalis in Missa Paschali juxta ordinem Mediolanensis Ecclesiæ, & quo in loco Missæ dicatur: nulla enim reperitur in Missalibus Ambrosianis impressis. Poterit reperiri vel in Manuscriptis Missalibus antiquis, vel in Pontificali Mediolanensi. Vale Reverendissime Pater, & me ama.

EPISTOLA IX.

CLAUDIO CASTELLANO Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis Canonico JOANNES Card. BONA.

Propriam aperit mentem circa fermentati disquisitionem.

BEnevolentiæ tuæ, ac veteri amicitiæ tribuo, quod meam Rerum Liturgicarum lucubrationem aliquid esse putas, & conatus meos, improbumque laborem in multis Codicibus, præsertim manuscriptis evolvendis benigne commendas; nam mihi satisfuperque foret, si erroribus, quibus scatet, & tu ignosceres, & ab aliis eruditis veniam impetrares. Noveram hoc opus vires meas excedere, atque ideo invitus, & nonnisi ex præcepto Cardinalis Pallavicini, ac ipsius Summi Pontificis Alexandri VII. coactus illud agressus sum, ut in Præfatione dixi. Quod vero attinet ad fermentatum, disquisitionem illam scripsi, cum essem in Monasterio, urgente eodem Pallavicino, qui cum in ea sententia esset, quam probabilem defendo, jussit, ut diligenter inquirerem, quidquid ad eam pertineret. Cui cum paruissem, ille immatura morte decessit. Ostendi autem illud Capitulum aliquot viris judicio, & eruditione non mediocriter præditis, qui meæ opinioni subscripserunt, & eam auctoritate sua, quam plurimi faciebam, confirmarunt. Vix tamen editus est liber, cum statim a quibusdam scholasticis non distinguentibus a rebus fidei ea, quæ rituum, & disciplinæ sunt, excitatæ sunt turbæ, quas certe si prævidissem, vel illam disquisitionem omisissem, vel problematice pertractassem. Sed fortasse id permisit divina Providentia, ut veritas, quam solam quæro, tandem purior emergat, & illucescat. Ego enim protestatus sum me semper & ex animo paratum certiora docentibus consentire. Deinde usum Azymi non negavi, & fortassis ut dixi, promiscuus tam Azymi, quam Fermentati usus fuit; sed quando cœperint Orientales uti Fermentato, an primis Ecclesiæ seculis omnes convenerint, quo tempore, qua occasione mutatio facta sit, certe non liquet. Fateor etiam me nihil habere, quod demonstret, & evincat usum fermentati in Occidente; nam argumenta, quæ profero, nonnisi probabiliter concludunt. Sed nodi multi sunt in utraque parte accuratius emendandi; nec mihi occupatissimo, ut ipse nosti, tantum otii fuit, ut emergentes difficultates accuratius examinare potuerim. Nuper vir eruditus monumentum quoddam attulit mihi, ex quo constare existimat tempore Photii viguisse apud Latinos usum Azymi, & ex hoc corrueret argumentum, quod ex silentio Photii deduxeram, & mihi magni ponderis

ris videbatur. Utinam ille Doctor, qui prælo paratam habet de hac re eruditam dissertationem, illam citius edat, ut latens veritas detegatur. Item si posses argumenrorum, quibus potissimum nititur, certiorem me facere, id gratissimum mihi esset. Officium S. Raymundi de Pennafort sub ritu semiduplici de mandato Clementis X. Sanctissimi Pontificis celebratur die 23. Januarii, sed totum accipitur de communi. Vale, & adjuva me in orationibus tuis, ego vero vicissim Deum oro, ut te diu incolumen servet, donisque cœlestibus locupletet. Romæ Kal. Martii 1672.

EPISTOLA X.

LUCÆ DACHERIO JOANNES Card. BONA

De erroribus in Opere Liturgico emersis admoneri petit.

GRatissimæ mihi fuerunt Litteræ N.N. amici tui, utpote viri, quem ob insignem sapientiam mihi summopere commendas, precorque ut meas, quas a D. Antonio Durban recipies, illi tradas. Librum meum nolo ut laudes, sed potius oro, ut ignoscas temeritati meæ, quod opus aggressus sum viribus meis impar, & de erroribus, qui multi sunt, me amice, & sincere admoneas. Jussus scripsi, & hoc nomine veniam mereor; alioquin nunquam ausus fuissem augustissimi Mysterii dignitatem ingenii mei temeritate violare. Vere, & ex corde loquor.

Cum relego, scripsisse pudet, nam plurima cerno
Me quoque, qui feci, judice digna lini.

Reverendissimo P. Generali, & D. Joanni Mabillonio plurimam salutem dico. Vale, & ora pro me. Romæ die 15. Martii 1672.

EPISTOLA XI.

LUCÆ DACHERIO JOANNES Card. BONA

Observationibus D. De-Voisin facit satis, seque curaturum spondet, ut quæ desiderat, exscribantur.

LIbentius audio libri mei censuram, quam laudes, atque ideo vellem, ut D. de-Voisin errores mihi indicaret, quos in eo reperit, quandoquidem scribit a se accurate perlectum. Sed pepercit mihi, & in hoc dumtaxat a mea sententia discedit, quod officium Gothicum putat ad eam solam Galliæ partem restringendum, quæ Gothorum imperio subdita erat. Et quia de hac re, quid ipse sentiam, exquirit, ideo obsecro primo, ut expendat quod scripsi cap. 12. lib. 1. §. 5. nam Hilduinus, & Carolus Calvus diversum a Romano ritum in universa Gallia ante Pipinum fuisse affirmant: qualis autem is fuerit, testatur Carolus, qui ab Ecclesia Toletana Presbyteros adscivit, ut prisco ritu in Galliis olim usitato coram se celebrarent. Deinde non videntur mihi evidenter concludere argumenta, quibus nititur. In versibus Fortunati sacrificium oblatum a S. Martino describentis memorantur *dona*, & *munera* imposita altari; ergo, inquit, designantur verba Canonis Romani, *Hæc dona*, *hæc munera* &c. Sed his vocabulis communiter utuntur Sancti Patres agentes de Sacrificio. Codegrandus a te editus revera agit de Canone Romano cap. 77. suæ regulæ: sed hic vixit tempore Pipini, qui ritum Romanum in Galliam introduxit, & aliunde constat Ecclesiam Metensem Romanis ritibus addictissimam fuisse. Ex Micrologo nihil prorsus concluditur, nam anthor illius libri vixit post annum millesimum. Cæterum quæ sibi describi optat ex Missali Gothico Serenissimæ Reginæ Sveciæ, mittam quamprimum: non tamen omnia, quæ desiderat in eo codice sunt; desunt enim Rubricæ, & alia multa, ut ipse notavi capite citato §. 6. post Missam Sancti Martini. De benedictionibus Episcopalibus juxta ordinem Ecclesiæ Mediolanensis, scribam Eminentissimo Cardinali Litteræ ejus Archiepiscopo, qui me de his certiorem faciet. Si qua alia in re operi utilissimo

ipsius

ipsius D. de Voisin prodesse potero, operam meam libenter impendam. Hoc opto, ut sciat, meque tuis precibus enixe commendo. Romæ 22. Martii 1672.

EPISTOLA XII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA MICHAEL HERKIUS Ord. Eremit. S. Augustini.

Continuum Azymorum usum in Eucharistia conficienda probare contendit, ut Eminentissimo Cardinali morem gerat.

JUssus non parere tantæ dignitati, merito arrogantiæ mihi attribui posset, aut incapacitati; proinde ex mandato Eminentiæ tuæ paucis perstringam, quæ de pane Azymo latius particulari scripto deduxi ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum ex institutione Christi Domini nostri.

In primis autem certum est, Christum Dominum nostrum hoc Sacramentum cum Apostolis suis in pane Azymo celebrasse, sive, ut pressius loquar ad scholam, ex pane Azymo confecisse Sacramentum Corporis sui in ultima Cœna. Hoc habetur ex Matthæo cap. 26. ex Marco cap. 14. & ex Luca 22. *Erat autem Pascha, & Azyma*. Unde Joannes Chrysostomus Homil. 1. in Matthæum: *post esum legalis Paschæ*, ac proinde quando ex lege tantum Azyma reperiebantur apud Judæos, *mysterium tradit, dicens: accipite, & comedite* &c. *quoniam imposterum cessare legalia oportebat, & legalium festivitatum caput, & ad alteram transit mensam formidabilissimam novæ legis*. Cum igitur Christus post esum Legalis Paschatis instituerit hoc mysterium, certum jam esse debet ex hoc S. Patre Græco instituisse in azymo, quali tantum tempore Paschæ vesci licebat. Unde idem Homilia 31. in Matthæum: *In omnibus usque ad extremum diem ostendit legi se non esse contrarium: ne autem legi contrarius esset, legem peragebat*: & in eo cum S. Joanne Chrysostomo omnes latini Patres conveniunt.

II. Certum est, quod si Christus post Resurrectionem aliquando consecravit, ut S. Augustinus primus in Ecclesia docuit, tantum in azymo confecerit mysterium, nusquam in Fermentato. Hoc manifeste convincitur ex sacris Litteris, quæ referunt expresse decem apparitiones Christi, ut pulchre concentum format illarum S. Augustinus lib. de consensu Evangelistarum cap. 25., dicens, *invenimus apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post Resurrectionem*, nempe usque ad Ascensionem; ex illis autem decem tantum quater cum Discipulis suis comedisse refertur, ut patet ex Evangelica Lectione.

III. Certum est non constare, immo nec levi argumento apparere ex sacris Litteris, quod Christus post Resurrectionem unquam consecrarit in Fermentato, e contra certum est, quod si aliquando consecravit, nonnisi in Azymo confecit mysterium Corporis sui, & hoc ex decem apparitionibus per Evangelistas commemoratis, & quatuor comestionibus manifestum evadit legenti, & intelligenti textum.

IV. Certum est ex Actis Apostolorum, quod Apostoli confecerint mysterium in Azymo.

V. Certum est non posse probari ex Scriptura, vel Traditione, quod aliquando confecerint in Fermentato.

VI. Quod si in hoc mysterio conjecturis utendum, certior, & firmior conjectura est, quod semper confecerint in Azymo: Si enim cum aliqua ratione fundata adstruitur, quod pro hoc Sacrificio habuerint in certis domibus Christianorum certas, & deputatas vestes, quibus inter sacrificandum utebantur; quanto magis in certis domibus istis certum, & selectum Azymum panem habuisse, præparatum ad hoc mysterium, quo viderant, & sciebant Dominum Jesum Christum in ultima Cœna usum fuisse?

VII. Et inde bona conjectura est, quod Apostolo Paulo, * qui accepit a Domino quod & tradidit nobis, *quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem* &c. a Domino traditum fuit, quod ipse in pane Azymo hoc mysterium confecerit in ultima Cœna. Quod si verum est, uti verisimile prorsus apparet, evadit etiam certum, quod Apostolus tradidit nobis in eo pane conficiendum, quem ipse a Domino acceperat. Unde his verbis ad Corinthios subsumit S. Cyprianus Epist. 63. *De Sacramento Calicis Domini*, quam Cypriani esse patet ex S. Augustino lib.

* 1. Corinth. 11. 23.

lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 4. *Quod si & a Domino præcipitur, & ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur, & traditur, ut quotiescumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus*, quod fecit & Dominus: invenimus non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, & nos faciamus, & Calicem Domini pari ratione miscentes a Divino Magisterio non recedamus. Ab Evangelicis autem præceptis omnino recedendum non esse, & eadem, quæ Magister docuit, & fecit, Discipulos quoque observare, & facere debere, constantius, & fortius alio in loco Apostolus docet &c.

Quæ si sumantur in suo rigore, manifestius important, quod sicut Dominus docuit, & fecit, hoc est accepit Calicem, & vino aquam miscuit, quod Sanguinem suum dixit, & fecit, ita similiter accepit panem, hoc est ex farina, & aqua compactum, & adunatum, quem in Corpus suum substantialiter convertit; ita & nos magisterio, & exemplo tanti Domini edocti accipere debemus panem Azymum, hoc est ex farina, & sola aqua solidatum, quem in Verbo Christi convertamus in Corpus ejus, sicut ejusdem magisterio accipimus Calicem, & vinum aqua mixtum, & mysticis verbis convertimus in ejus Sanguinem.

VIII. Certum est, hoc voluisse S. Cyprianum, quando in eadem Epistola dogmatice subjungit. *Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unjus compage solidatum; quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum multa grana in unum collecta, & commolita, & commixta &c.* Ecce quam distincte recenset omnia: Primum *in unum collecta*, nempe in acervum: Secundum, *commollita*, nempe in farinam: Tertium commixta, nempe per aquam, quia videlicet, *nec farina sola, nec aqua sola* facit panem: *sed utrumque adunatum & copulatum panem unum faciunt: sic in Christo, qui est Panis Cælestis, unum sciamus esse Corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.*

Quod autem hic panis Sacramentalis ex sola farina, & aqua adunandus sit, neutiquam Fermento commiscendus, ex intento S. Cypriani patet clarissime, qui uti docet esse sequendum exemplum, & magisterium Christi, qui nec vinum solum, nec aquam solam obtulit in Calice, sed *vinum aqua mixtum*: ita eodem exemplo, & magisterio docemur, nec farinam solam, nec aquam solam, sed *farinam aqua copulatam* esse offerendam, qualem panem dumtaxat obtulit Dominus. Unde subdit ad Cæcilium Episcopum, cui scribit: *Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinem ..... quærendum est enim, ipsi quem sint secuti. Nam si in Sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est, qui utique panem ex farina, & aqua sine fermento coagulatum obtulit; id nos obaudire, & facere oportet.*

IX. Certum proinde mihi videtur Ecclesiam Romanam exemplo, & magisterio Christi per Petrum & Paulum edoctam obtulisse in solo Azymo a Clemente I. in varias Ecclesias ritum, & usum derivando, & usque ad Clementem X. rectissime conservatum, quod per omnia secula facile ostendi potest.

X. Certum puto Tertullianum, Cyprianum, & Augustinum, & alios quosdam in contrariam opinionem adductos facile posse vindicari ab impositione, & magis pro Azymo stare, uti ex Cypriano patuit: Sed non urgente controversia parcius hac de re, utpote usu, & consuetudine satis nota, locutos fuisse.

XI. Certum habeo proinde hunc Azymi usum descendere a traditione Apostolica juxta regulam Augustini de iis, quorum usus, & consuetudo scitur, & tamen origo, ac principium non cognoscitur, ab Apostolis fuisse traditum.

XII. Tandem Græcos ab hoc Sancto usu desciviffe, quando se ab Ecclesia Romana cœperunt separare, & dum sciderunt Ecclesiæ unitatem, permittente Deo, etiam discesserunt ab unius selecti panis puritate. Atqui hæc raptim perstricta habeo latius deducta cum aliis multis eo pertinentibus, quæ videre poterunt publicam lucem, si quando Eminentiæ vestræ pacifico calculo fuerint comprobata. Dabam ad S. Augustinum ipso S. Thomæ Apostoli die 1672.

EPI-

EPISTOLA XIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA JOANNES MABILLON.

Quæstionem de Azymis retractaturum se ait, postulatque, ut si quæ hac de re Cardinalis habet, submittere non gravetur.

QUod mihi favorem operamque tuam polliceri dignaris, rem facis moribus tuis, ac spei meæ convenientem. Quod vero citra ullum meritum facis meum, gratias habeo quam maximas. Indicem opusculorum, quæ petebam ex Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sveciæ, jam dudum transmisi non semel D. Antonio Durban, cui etiam nonnulla scripseram de Libris a me repertis in Belgio, ut tecum de illis communicaret. Jam animo destinaveram id, quod mihi persuadet Eminentia tua, nempe ut in præfatione seculi quarti statum controversiæ Eucharistiæ, quæ in illud tempus incurrit, breviter exponam, facta mentione opusculorum, & novarum observationum, quæ mihi quasi aliud agenti occurrerunt. Specimen totius præfationis meæ faciam quam primum, transmittamque ad nostrum D. Antonium, ut, quidquid illud erit, judicio tuo discutias, & si quid hujusmodi habeas in adversariis, mecum pro tua benevolentia communicare digneris. Interim moneo, fore ut argumentum de Azymo (nisi mentem mutare contingat) in ipsa præfatione, aut forsitan dissertatione singulari retractare cogar, id suadentibus amicis, & occasione favente. Si quid ea de re submittere, aut suggerere dignabitur Eminentia tua, reipublicæ litterariæ ex Te offeram, plurimam ex hoc habiturus gratiam, & auctoritatem. Christo Domino Te tuamque salutem obnixe commendo. Vale. Lutetiæ Parisiorum VI. Kal. Februarii 1673.

EPISTOLA XIV.

Eminentiss. Ecclesiæ Principi JOANNI BONA S. R. E. Presbytero Cardinali JOANNES MABILLONIUS M. B.

Hæc Epistola jam impressa præfixa est Dissertationi Joannis Mabillonii de Pane Eucharistico &c.

EO me adduxit, Eminentissime Ecclesiæ Princeps, modestia tua, ut si libellum hunc meum tibi non obtulero, ingrati animi vitium incursurus sim; si obtulero, imprudentis. Cum enim hic libellus te monente ac præcipiente conceptus sit, te materiam suppeditante ac delineante formatus, te etiam procurante editus in lucem; indignum est, ut sub alieno prodeat nomine, qui te primarium auctorem agnoscit. At vero cum modum tractandi argumentum de Azymo ita præscripserit Eminentia tua, ut non quod tute sentias, sed quod e rei veritate magis esse intellexero, sincere exponam; fit ut a tua sententia tantisper discedere cogar, reluctante observantia in te mea; eoque minus acceptum fore libellum merito subverear, quo ad judicium tuum minus accesserit. Et id idem jure timerem, si esses ex eo genere hominum, quibus id unum sapit quod sentiunt. Verum tanta est animi tui magnitudo, & æquitas, Eminentissime Cardinalis, ut cum in scriptis tuis uni studeas veritati, in alienis unam maxime quærendæ veritatis sinceram voluntatem probas; plusque de te meriturus sit, qui a sententia tua veri studio recesserit, quam qui tibi subscripserit fallaci assentationis obsequio. Quapropter in hoc elaborando opusculo id in primis curæ mihi fuit, ut illud componerem, non tam ad tuæ sententiæ, quam ad animi tui imitationem: ratus in hoc magis splendere dignitatem moresque tuos, si etiam contra sentientes benigne accipias, quam si omnes tibi ambitiose applauderent. Quamquam in tota hac disputatione nihil contradicendi studio a me dictum, nihil definiendi pertinacia assertum. Sed id totum quantulumcumque est, perfeci animo tibi obsequendi, consecrandique opellam meam: ut si aliquando permittente otio, idem argumentum secundis curis pertractare tibi placuerit, habeas præ manibus hoc officii mei monumentum. Nihil enim mihi felicius gloriosiusve contingere potest, quam si quidpiam momenti contulero in subsidium studiorum

tuorum, quibus Catholicam Ecclesiam atque Rempublicam Litterariam mirifice illustras. Hæ sunt consilii atque operis mei rationes, Vir Eminentissime, quas si probaveris, spero etiam munusculum hoc non ingratum fore Eminentiæ tuæ, quod etiam, atque etiam opto. Vale & æternum vive. Lutetiæ Parisiorum, in suburbano Sancti Germani Monasterio VI. id. Octobris M.DC.LXXIII.

EPISTOLA XV.

Eminent. Cardinalis BONA ad Dissertationis auctorem JOANNEM MABILLONIUM,

Post prædictam jam subsequenter impressa.

CUm animadvertissem displicuisse nonnullis, quæ de Azymo, & Fermentato scripseram lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23., decreveram hoc argumentum accuratius pertractare, meamque sententiam clarius & distinctæ explicare: sed novis quotidie supervenientibus negotiis, quæ nec differre, nec prætermittere possum, a proposito recedere compellor, ac tibi, qui de hac re in præfatione tertii seculi Benedictini copiose & erudite scripsisti, & sicut ex literis tuis didici, de eadem re in Prolegomenis quarti iterum acturus es, hanc Spartam exornandam relinquere. Tua enim multiplici eruditione efficies, ut e ruderibus antiquitatis veritas emergat & elucescat, meque tibi arctius adstringes, si errores meos benigne correxeris. Hoc nimirum semper optavi, scire, & cognoscere veritatem: nec unquam erubescam, si quid forte ab ea alienum incaute scribenti exciderit, expungere, & emendare. Ut tuæ autem petitioni morem geram, breviter indicabo, qua methodo putabam in hac disquisitione procedendum esse.

Et primo quidem mens erat certa ab incertis, & dogmata Fidei a ritibus Ecclesiæ secernere. Certum enim est Christum Redemptorem in ultima Cœna Panem Azymum comedisse, & in eo Eucharistiam instituisse: idque stabiliendum adversus Græcos Schismaticos, & aliquot etiam Latinos. Verum ex hoc facto Christi non licet inferre, quod in solis Azymis conficere oporteat; nam si hoc necessarium foret, nunquam Ecclesia usum Fermentati permisisset. Certum est item tam azymum, quam fermentatum vere panem esse, & in utroque validam esse consecrationem: certum denique est convenientius esse Christi exemplum sequi, & in azymis conficere. An vero Latina Ecclesia aliquando Fermentato usa sit, res facti est ad historiam, & ritum pertinens, qui mutationi, & novitati subjectus est; non ad fidem, quæ inconcussa, & immutabilis semper manet. Id vero tanquam indubitatum probari debet adversus quosdam, qui rem natura sua indifferentem in Fidei dogma convertunt. Optime Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini Cap. 10. *Utrum ex Azymo, an ex Fermentato Pane Corpus Christi confici debeat, inter Latinos, & Græcos magna concertatio est, cum tamen non sit contra Fidem Christianam, seu Azymum, seu Fermentatum sacrificetur: tum quia utrumque Panis est, tum etiam quia quamvis Christus de Azymo Pane Corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia Cœna, in qua hoc factum est, Panem alium non exhibebat: Panem tamen Fermentatum non probibuit.*

Hoc posito velut fondamento, indagandum est, quo pane in Sacrificio usi sint Apostoli, & eorum successores per aliquot sæcula, Azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim: Et ego sane utroque indifferenter usos, sive Fermentato, qui communior, magisque obvius erat; sive Azymo, qui nitidiore farina facile parari, & sub cinere, vel in parvis clibanis statim coqui poterat, non improbabiliter opinatus sum. Etenim sæviente persecutione, quando in carceribus, in privatis domibus & in cryptis aut in speluncis terræ clam celebrabant, eo pane uti oportebat, qui tunc fortuito occurrebat. Pro usu Fermentati multa ego congessi, nunquam tamen, ut monui post Præfationem, usum Azymi negavi. Dixi enim Apostolos panem consecrasse, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive Azymum, sive Fermentatum. Tu vero pro Azymis multa profers in tua Præfatione; de quibus quid sentiam, non contradicendi, sed inveniendæ veritatis studio breviter indicabo.

Num. 65. A facto Christi argumentaris, sed hæc ratio nimis probat, ut supra dixi.

Num.

Num. 66. Testem producis Isidorum, qui agens de compositione Panis Eucharistici, non meminit fermenti. Porro Isidorus illam sententiam transcripsit ex Epistola 63. Cypriani ad Cæcilium, sed nihil certi ex ea concluditur. Nam non excludit fermentum, & fortasse intelligitur illa voce *copulatum*: cum ait Corpus Domini esse non posse similam solam, aut aquam solam; *nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum*; quod autem copulat, adunat, & solidat, fermentum est. Epistola vero Isidori ad Redemptum procul dubio supposititia est, ut ipse agnoscis. Auctoritatem Concilii Toletani tu pro Azymo affers, qua ego pro Fermentato usus sum. Quis vero mentem illorum Patrum melius perceperit, non est meum judicare.

Num. 67. Testimonium profers Hildephonsi Toletani ex relatione V. C. Emerici Bigotii, sed quid de eo sentiendum sit, ipse cum legeris, pronunciabis. Integrum enim tractatum ad te mitto, ex Codice Vaticano, quem laudabat Holstenius, accurate transcriptum.

Num. 68. Bedæ, & Paschasii testimonia usum universalem Azymorum non probant: neque etiam Rabanus Maurus id evicit. Ex eo tamen constat, si non ubique, saltem in aliquibus Ecclesiis Occidentalibus, Azymorum usum viguisse tempore Photii. Clare enim loquitur, & suspicio interpolationis tollitur, quando quidem afferis antiquissimos Codices MSS. cum editis consentire. Nimis tamen probat, cum ait oportere panem infermentatum esse.

Num. 69. Ex oblatis ferro characterato impressis infers, quod sine fermento fuerint. Et hoc etiam magni momenti est ad probandum, quod seculo nono Azymi panes in usu essent in Occidente. An vero hic mos ubique viguerit, non liquet.

Num. 70. Leonem nonum testem adhibes perpetuum in Ecclesia Romana Azymorum usum astruentem. At ego Sanctissimum Pontificem sic interpretabar, ut non de ritu, sed de dogmate intelligendus sit. Declamat enim adversus Hæreticos, & agit de fide Petri, quæ nunquam deficiet: tum Græcos perstringit, qui dicebant Azymum non esse verum panem, & Christum consecrasse in Fermentato, facta ultima Cœna ante diem Azymorum. Non igitur ad ritum, qui mutationem admittit, sed ad fidei dogmata spectare mihi videntur verba S. Leonis, si serio perpendantur. Humbertus autem, Rupertus Abbas, & alii testes sunt suorum temporum: nec est improbabile, quod perpetuam fuisse crediderint eam consuetudinem, quæ ipsis viventibus in usu erat. Tu vero nosti, quæ fides illis præstanda sit, qui a Christo ad sua tempora morem aliquem viguisse testantur, nullo teste adhibito, qui seculis præcedentibus vixerit. Certe Jurisperiti hujusmodi testimonia prorsus rejiciunt.

Num. 71. Primum Sirmondi argumentum pro fermento diluis ex vetusto fidelium more, qui panem offerebant, panem utique consecrandum pro communione Sacerdotis, & Fidelium. Quamvis enim si quid supererat, pauperibus distribui soleret, prima tamen intentio offerentium Sacrificium respiciebat. Hunc vero panem fuisse communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qualis in domibus reperiebatur, ego post Sirmondum asserui, testem advocans Ambrosium, qui de pane consecrando loquens vocat eum usitatum. Addo nunc Justinum Martyrem, qui prope finem secundæ Apologiæ de Sacrificio Missæ sermonem habens; *non enim*, ait, *ita sumimus*, *ut communem panem*, *& communem potum*: sive ut alius interpres vertit; *ut vulgarem panem*, *& vulgare poculum*. Similiter Irenæus Lib. 4. Cap. 34. *jam*, inquit, *non communis panis est, sed Eucharistia*: panis autem usitati, communis, & vulgaris nomine intelligi Fermentatum certum mihi videtur. Scio quidem utrumque panem Romanis, & aliis gentibus in usu fuisse. Nam Cornelius Celsus Lib. 2. Cap. 24. inter ea quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine Fermento, & capite 25. panem Fermentatum stomacho nocere ait: utriusque etiam meminit Cap. 28. Nihilominus communem, atque, ut ita dicam, quotidianum Fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ cæteris laudat Plinius Lib 22. Cap. ultimo. Et Galenus de pane agens Lib. 1. de Alimentorum facult. Cap. 2., eum qui Fermento caret, nemini esse accommodum docet. Idem pro certo ponit Ambrosius Serm. 21., explicans parabolam Fermenti. Si ergo panem communem offerebant Fideles, & hic Fermentatus erat; hinc non leve argumentum desumitur ad probandum Fermenti usum in Sacrificio.

Num. 72. Non constare dicis, utrum Latini, aut Græci variaverint panis materiam.

teriam. Hoc utique verissimum est, & inde caligo oritur, qua obvolvimur, nescientes utrum initio omnes Ecclesiæ unius moris fuerint, an utroque pane indifferenter, an solo azymo, vel fermentato determinate uterentur; & quis primum veterem usum mutaverit, quo tempore, qua occasione; quando mordicus cœperint Græci fermentato, Latini azymo adhærere; an diversarum Ecclesiarum diversi mores fuerint; sicut olim erant in celebratione Paschatis: cur per annos mille inter Græcos, & Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia: Cur Photius Græcanici schismatis parens, qui multo minora & etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ postea tanta contentione inter partes agitata est: cur inter Orientales soli Armeni, & Maronitæ azymo utantur, quando & qua occasione eo uti cœperint. Hæc omnia dubia discutienda diligentissime forent & dissolvenda. Veteres scholastici ab hujus quæstionis difficultate se facile expediunt, asserentes utramque Ecclesiam Græcam & Latinam ab initio, & deinceps in azymis consecrasse, donec hæresis Ebionæorum exorta est, docentium legem Moysi simul cum Evangelio servandam esse, & azymum panem necessario consecrandum, in quorum detestationem Orthodoxa Ecclesia ubique gentium fermentatum adhibuit: illa autem hæresi extincta Orientales fermentatum retinuerunt; Occidentales ad pristinum morem azymorum reversi sunt. Sed huic historiæ nullam fidem adhibendam esse ego in Liturgicis ostendi. Armenios azymum recepisse, cum recesserunt a Græcis, quo etiam tempore vinum aqua miscendum non esse decreverunt, ibidem narravi. Idemque constanter illarum gentium historici affirmant, & hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armenii Episcopi, & Sacerdotes a me interrogati, & aliqui etiam ex nostris rituum, & linguæ eorum periti confirmarunt. Ideo inter errores, quos abjurabant Armenii, cum redibant ad Fidem Orthodoxam, hic legitur in veteri formula, quam D. Cotelerius edidit in Notis eruditissimis ad librum quintum Constitut. Apostolicarum pag. 237. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum, & sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit*. Maronitas credibile est usum Azymorum recepisse, cum abjurata hæresi ad Fidem Catholicam conversi sunt, quod Gullielmus Tyri Archiepiscopus, suo tempore, & se præsente contigisse, scribit lib. 22. suæ historiæ cap. 8. Ipsi tamen hoc negant, & Scriptores proferunt antiquissimos, asserentes gentem illam semper Romanæ Ecclesiæ adhæsisse. Vidi nuper librum de Expositione Liturgiæ e Syro sermone in Latinum translatum a D. Fausto e Monte Libano Abrahami Ecchellensis nepote, & S. Maronio adscriptum, quem vixisse ajunt seculo v., vel vi., cujus capite 16. hæc leguntur: *Ad illud quod petiistis, an conveniens sit offerre de Pane Azymo, vel Fermentato, respondemus quod de hoc non habemus præceptum Dominicum, vel Apostolicum, quod hoc jubeat, & illud vetet. Quapropter hi in hoc, & illi in illo conficiunt juxta morem decentum. Nam qui in fermentato offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus, atque Armeniis, dicentes, quod Azymus non est panis*. Tum ex Scriptura probat vere Azymum esse panem, & quod Christus in Azymo confecit. Verum hic liber post exortum Græcorum schisma, & post excitatas azymorum turbas scriptus videtur, quod eruditioni tuæ examinandum relinquo.

Num. 73. Aliud argumentum solvis, notatos scilicet Ebionæos, quod pane azymo præter morem aliorum uterentur, & auctoritatem Epiphanii adfers ad probandum usum azymorum tempore Ebionæorum, ac si illi ad imitationem Ecclesiæ in Azymis sacrificium offerrent. Sed ego sub tua & aliorum Eruditorum censura, verba Epiphanii aliter intellexi, & ni fallor, ipsemet Epiphanius seipsum explicat hær. 46., dicens Tatianum mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse. Ubi vides Ecclesiæ imitationem non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

Num. 74. Ex silentio Photii nihil certi concludi ostendis, quod & ipse agnosco, tum propter rationes, & conjecturas a te allatas, tum propter ea, quæ Leo Allatius notavit initio Exercit. 28. adversus Creygtonum pro Concilio Florentino. Scire tamen optarem, qua de causa post duo fere sæcula a morte Photii, acerrima de Azymis controversia orta sit. Vellem quoque ut ea dilueres, quæ pro usu fermentati a me allata sunt ex decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum. Nihil enim gratius contingere mihi potest, quam ab amicis corrigi, & emendari.

Ne quid autem prætermittam, quod ad præsentem causam facere possit, moneo extare Mediolani Chronicon MS. & ineditum, S. Dacio Mediolanensi Episcopo

copo adscriptum, in quo leguntur hæc verba: *Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui & sacrificium eorum, scilicet fermentatum cum nostro Azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedicebat*. At Chronicon illud suppostitium esse, & recentioris ævi, jam multi notarunt. Nullius quoque momenti est Simeonis Thessalonicensis testimonium, utpote recentioris, & Schismatici, qui libro de Templo, & Missa apud Goar in Euchol. pag. 214. ait: *S. Gregorius auctor ille Dialogorum cum fermentato pane sacrificium offerri testatur*. Similiter Fehlavius scriptor heterodoxus pag. 366. Comment. ad librum Christophori Angeli de statu Ecclesiæ Græcæ, asserit, Apollinarem primum azymorum inventorem fuisse, sed hæc Græcorum schismaticorum adversus Latinos scribentium fabula est, quemdam scilicet discipulum Apollinaris nomine Leucium, sive Felicem, Romam migrasse, & simulata vitæ sanctimonia ad summum pontificatum evectum, azymum apud Latinos introduxisse. Scriptor etiam Anonymus, quem vidi in Bibliotheca Barberina inter Codices Græcos MSS. num. 75., ait Carolum Magnum, cum Romam profectus est tempore Leonis III., viæ comites habuisse aliquot Monachos Arii, & Apollinaris erroribus infectos, qui urbem ingressi præverterunt populum, docentes Spiritum Sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere, & oportere in azymis sacrificare, ita ut azyma e Francia prodierint. Hæc ille, cui consonant alia apud Leonem Allatium libro citato pag. 571. & sequentibus, ubi etiam prædictam Felicis fabellam ex quodam Simeone Hierosolymitano recenset. Omitto alia Græcorum recentiorum figmenta, ne tempus in nugis inutiliter prodigam.

Hæc autem scripsi, ut studium tuum & diligentiam excitarem, sicut scriptum est: *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia*. Ceterum Deum oro, ut incerta & occulta sapientiæ suæ manifestet nobis, deinque idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut sicut hortatur Apostolus, expurgato veteri fermento epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. Romæ die 14. Martii 1673.

EPISTOLA XVI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA JOANNES MABILLON.

Se denuo de Azymis disserturum dicit, cum id oneris sibi Cardinalis imponat.

Statueram equidem in quarto nostro sæculo de azymo aliquid iterum scribere, sed modo meo, non modo illo sublimi, quem mihi præscribit Eminentia tua. Longe quippe distat observationum forma, ubi quid occurrerit, profers in medium, a legibus dissertationum, in quibus argumenti alicujus tota ratio pro dignitate explicanda est. Illud vero in azymi negotio difficultatem auget, quod secundum viros eruditione, & auctoritate summos dicendum est, idest secundum te ipsum, qui quantum dignitate, tantum doctrina & sapientia mihi, meique similibus antecellis. Verum quoniam id operis mihi imponis, aggrediar Deo dante, non tam perficiendi spe, quam tibi obsequendi voluntate. Absit tamen ut eo animo id suscipiam, quasi in eruditissimis tuis Rerum Liturgicarum libris errores carpere, aut explorare velim. Ita enim modeste, & sapienter ubique, maxime in controversia de azymis, temperasti sententiam tuam, ut mirum sit nonnullos, quemadmodum scribis, in eam fuisse commotos. Ego vero ita sentio, totam hanc meri facti quæstionem esse, nec reum violatæ Religionis censendum, qui azymorum usum in Ecclesia Latina perpetuum fuisse negaverit. Quinimmo eos contra Religionem pugnare, qui quod Ecclesia Romana tolerat in Græcis, citra injuriam Latinis adscribi non posse existimant. Verum hæc alias. Quamprimum patientur alia studia, quibus occupatus sum. Si quibus indignum videbitur, quod ego tantillus post Sirmondum, Holstenium, ac demum post te ipsum, Eminentissime Domine, utrique parem, hæc de re scribere ausim, factum præstabit jubentis auctoritas. Tibi vero jubenti, si res non cedit in votum, reponam quod Theodosio vestro noster Ausonius quondam accinuit.

Te modo, te jussisse, Pater Romane, memento,
Inque meis culpis da tibi tu veniam.

Curabo certe, ut in azymis nostris sinceritatis, & veritatis amorem non desideres. Vale, & æternum vive. Lutetiæ Parisiorum e Monasterio S. Germani de Pratis, Nonis Aprilis 1673. &c.

EPISTOLA XVII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA JOANNES MABILLON

Ultima folia tractatus de Pane Eucharistico Cardinali mittit, una cum responsione ad libellum P. Macedonis.

Ante hos octo dies misi Eminentiæ tuæ primos quaterniones Libelli mei de Pane Eucharistico, nunc tertium mitto, & ultimum una cum responsione ad libellum P. Macedonis, quæ omnia tibi in manus tradentur per nostrum Antonium Durban, cui ea direxi. Promiseram etiam misurum me hac vice specimen Epistolæ dedicatoriæ, qua opusculum hoc meum nomini tuo dedicare statui. Verum, quominus hoc facerem, prohibuit status valetudinis tantisper affectæ, quæ res etiam impedimento fuit, ne manu mea descriptum haberes libelli mei exemplum, quod ab amanuensi non satis accurato exaratum est. Interest non mea solum, sed etiam tua, Eminentissime Domine, qui mihi hujus operis suasor extitisti, ut errata mea severe animadvertas, mihique per nostrum Antonium significes, ne judicium tuum, quod hactenus suspiciunt omnes, aliquod per me existimationis suæ detrimentum patiatur. Erit etiam prudentiæ tuæ æstimare, num dignitati tuæ conveniat, ut hunc libellum nomini tuo voveam, quod magnopere cupio, si modo tibi non displiceat. Interim dum rescíam, precor Emin. tuam, ut solita obsequii mei testimonia non dedignetur. Lutetiæ Parisiorum VII. Kal. Octobris 1673.

Licet Emin. Cardinalis epist. num. 324. ad Mabillonium data die 23. Octobris eumdem obtestetur, ut caput 12., sive appendicem ad prædictum Tractatum omnino expungat, quæ appendix nihil aliud continet, quam responsionem ad Macedonis libellum; & idem Mabillonius Cardinali morem gerens, eam omiserit: cum tamen caput illud XII, seu appendicem nuper ediderit inter opera posthuma Mabillonii D. Vincentius Thuillier Tom. I. pag. 167., existimans novæ editioni impune adjungi potuisse, cum Eminentissimo Cardinali, Franciscanoque mortuis, nec ille jam aliquo indigeat, per quem se experiatur, nec iste gloriari possit se fuisse a Mabillonio confutatum, eamdem appendicem hic addere operæ pretium visum est. Ea autem ex ejus autographo descripta hujusmodi est.

JOANNIS MABILLONII de Libello R. P. FRANCISCI MACEDONIS,

Cui Titulus: *Azymus Eucharisticus*, Judicium.

Postea quam hæc (*idest dissertationem*) de Pane Eucharistico absolveram, incidit in manus meas libellus, cui titulus est *Azymus Eucharisticus*, scriptus contra sententiam Em. Card. Bona, & Jacobi Sirmondi de Azymo. Author est R. P. Macedo Minorita observans, Lector publicus Patavii, ubi libellus creditur editus, non Ingolstadii, vir aliis lucubrationibus suis haud ignotus. Statim hunc libellum legi eo animo, ut si rem pro azymo conficeret, meum supprimerem: aut certe ex eo, quod e re publica esset, cum authoris præfatione in usus meos transferrem. Eo lecto probavi authoris conatum, ac dicendi libertatem, qui nulla personarum dignitate perterritus est a propugnanda sententia, quam veritati magis consentaneam judicavit. Sed ut ingenue dicam quod sentio, orator mihi visus est vehementior, quam causa postularet. Nam rejectis in marginem argumentis, quæ pro causa erant, rem pene totam conficit exclamationibus, salsis, &

& amarulentis verbis: eoque modo cum adversariis agit, quasi rei sint violatæ Religionis. Quod magnopere vereor, ne æquis rerum æstimatoribus parum probatum sit, nedum Ecclesiæ, ac summo Pontifici, cæterisque Episcopis acceptum, qui azymorum usum inter adiaphora esse reponendum cum majoribus suis censent. Non quod cuivis pro libito uti fermentato, vel azymo pane licitum sit, sed quod id pendeat ab Ecclesiæ arbitrio, & potestate. Certe si Eminentissimi Cardinalis, aut Jacobi Sirmondi ea esset sententia, non licere uti azymo, vel convenientius Eucharistiam confici in fermentato, laudarem impugnantis fervorem. At cum in hac materia contrarium asserat Em. Cardinalis, non video cur in illum tam acerbe fuerit invehendum. Verum his relictis consideremus in primis libelli titulum, tum contextum cum marginalibus notis conferamus.

Libellus hunc titulum præfert: *Reverendissimi Patris Frat. Joannis Bona Abbatis Generalis Cistercensis ex Congregatione Fuliensium, doctrina de usu Fermentati in sacrificio Missæ per mille, & amplius annos a Latina Ecclesia observato, dum esset Abbas, antequam Rom. Eccl. Cardinalis* (qualis nunc est) *crearetur, examinata, expensa, refutata a P. F. Francisco a Sancto Augustino Macedo Min. Observ. Lectore publico Patavino, producto textu Authoris, & adhibita responsione in libro* [supple primo] *inscripto Rerum Liturgicarum cap. 23.*

Hic libelli exigui titulus amplissimus, in quo fingit Author eam doctrinam non esse Bona Cardinalis, sed Bona Abbatis. Sed tamen a Bona Cardinali absolutum est opus Rerum Liturgicarum, editumque in lucem, ut constat tum ex anno editi libri, tum ex dedicatione prævia, & præfatione ad Lectorem. At Macedoni commodior visa est hæc Rethorica figura, sive quod doctrinam hanc Cardinale indignam putaret, sive potius quod indigna de Cardinali scribere vereretur.

Libellus constat responsionibus octo, & viginti ad totidem loca Operis Liturgici. In prima responsione Author maxime improbat studium inquirentis de antiquo usu Azymorum: inquisitioni opponit traditionem, *quam demonstrat*, inquit, *Diatriba per quatuor capita*. Hæsi hoc loco, ignorans quæ esset illa Diatriba, cujusve authoris. *Viginti Patres* Leone Papa IX. antiquiores in ea pro azymo afferri identidem repetit, authoris *summam eruditionem* prædicat in responsione &c. Et in vigesima prima, *Prodeat*, inquit, *in lucem Diatriba: omnia patebunt. Cur absconditur? Liber apud Te eminet Sirmondus, & luce fruitur, jacet in tenebris Diatriba luce dignissima; servit arbitrio tuo, qui christiana libertate traditionem asserit; patitur miseram servitutem vinctus compedibus liber, qui per omnium manus volitare debuerat*. Ænigmata sunt hæc, quæ obscuris verbis animum legentis accendunt. At tandem in responsione 27., & aliis consequentibus deprehendi ipsummet Macedonem esse Diatribæ authorem, quod certe non crederem, nisi ipsemet dixisset.

Ad demonstrandam azymi traditionem refert ad marginem Leonis Papæ IX. Testimonium, non levis quidem momenti ad id probandum. Verum quod azymum Christi exemplo convenientem ac legitimum definit Pontifex, assentit Em. Cardinalis. An autem usus ille perpetuus, constans, & universalis apud Latinos fuerit, quæstio historica est, nequaquam pertinens ad fidem, a Pontifice non satis explicata, quæ veterum cujusque sæculi authorum monumentis comprobanda est, ut certa constet de azymorum usu historica traditio. Magnopere proinde optandum est, ut prodeat in lucem Diatriba illa, quæ viginti Patrum Leone antiquiorum testimoniis afferat azymi traditionem.

In secundo articulo R. P. Macedo proposito sibi loco Eminen. Cardinalis, ubi Sirmondi disquisitionem de azymo laudat & probat, censuram plane iniquiorem profert adversus Sirmondum, virum, si quis alius, de Republica christiana, & literaria benemeritum, eamdemque reflectit in Em. Cardinalem. *Hic antiquarius*, inquit, *novitatem induxit, & novus in antiquis fuit. Antiquum non servavit Sirmondus excluso azymo: nec ex eo profecit author Liturgicus, sed eo cum defecit*. Non bene quadrant Grammaticales isti ludi in tantos viros, quibuscum ratione, non verborum inani conflictu agendum erat. Antiquarius fuit Sirmondus, non veternosæ, sed purioris, sanctioris, reconditiorisque antiquitatis scientia instructus; idemque author studiosis temporis nostri, ut transcensis Scholasticorum scholis, ad S.S. Patrum, & Ecclesiæ traditionis studium pene abjectum progrederentur.

Hanc viam quisquis tenet, Sirmondo authore aut adjutore proficit: errat quisquis aliam viam, aut adversum sequitur ducem. At sequentia videamus: *Antiquius esset consulere Leonem IX., Gregorium VII., Innocentium III., Humbertum* Car-

Cardinalem, *Algerum*, *Anselmum*, *Tostatum*, *Bellarminum*, *Baronium*, *& integram scholam*. Et hos certe authores consulere Viri eruditissimi, & ex eorum libris intellexerunt ratam esse traditionem azymi ab annis amplius sexcentis, non ab annis mille, & sexcentis, quod Macedoni probandum, & explicandum erat. *Huic se nubi testium*, ait Macedo, *Sirmondus opposuit*, *cui tamen uni maluit Liturgicus adhærere*, *quod ille jactabat antiquitatem*, *ex qua nihil præter situm*, *& pulverem collegit non antiquarius*, *sed antiquandus*; *venditabat fumos*, *lucem credidit Liturgicus*; *Fumos emat*, *qui fumos vendit*. Fumos venderet Sirmondus, si vera pro falsis, aut verborum sonos pro veris argumentis venditaret, si vel immodice de suis, vel indigne de alienis sentiret. At longe ab hoc fumo aberat viri integritas, ac modestia, qua loquitur Em. Cardinalis.

In responsione quarta R. P. Macedo ex silentio Photii sequi negat Ecclesiam Latinam tum in fermentato consecrasse; immo ex eo colligit eo tempore in Ecclesia Græca usum azymi, non fermentati viguisse. Verum contrarium constat, maxime authoritate Joannis Philoponi, cujus ætate, idest sæculo sexto vigebat apud Græcos panis fermentatus, & S. Niconis Græcis addicti, qui vix annis post Photium quinquaginta usum azymorum in Armenis reprehendit. Accedit, quod nusquam Leo IX., aut alii ejus temporis authores fermentum Græcorum arguerunt novitatis.

Sexto loco adducit Macedo hunc locum ex Liturgico Libro: *Precor etiam eruditos Viros*, *ut me doceant*, *an post Christum*, *& deinceps per mille annos unquam de azymis eorumque usu in sacrificio mentio habita reperiatur*, *nisi occasione Sectariorum*, *qui illis usi sunt*, *ut a consuetudine Catholicæ Ecclesiæ se alienos ostenderent*, *sicut de Armeniis diximus supra*, *& de Ebionæis mox videbimus*. Ad hæc exclamat R. P. Macedo. *Non sine horrore lego quod Author scribit*. Ubi hæc legi, suspicatus sum in præmissis aliquam latere hæresim, quam advertere non poteram. At videamus quænam sit illa hæresis. *Deum immortalem! Numquamne azymi consecrati mentio in Ecclesia? An in Evangelio quod legimus*, *audimusque*, *assidue non est mentio azymorum innocentium? Nonne in iis Christus consecravit*, *& in suo vero Corpore Ecclesiæ suæ corpus significavit*, *ut Fideles eo symbolo afficeret*, *& notaret? Qui ergo illa Azymorum consecratio poterit trahi ad significandos alienos*, *idest hæreticos?* Hæc illa hæresis, quæ R. P. Macedoni horrorem injecit. At non negat Eminentissimus Cardinalis azymum frequenter in sacris litteris commendari, Christum ejusque Discipulos azymis usos fuisse, & Eucharistiam in azymis ab eo institutam. Negat vero inde impositam Ecclesiæ necessitatem consecrandi in azymis. Nam si quidquid egit Christus, continuo a Christianis faciendum esset, antiquæ legis observatio, quam Christus servavit, revocari deberet. Et tamen hæretici ab Ecclesia notati sunt Ebionæi, quod legalia servari oportere docerent. Multa improbavit Ecclesia ob hæreses ingruentes, aliasque rationes, quæ postea probavit cessante causa. Et ne vagemur extra propositum, hæreseos notam Ebionæorum tempore fuisse azymorum usum existimarunt veteres Scholastici, Alexander Alensis, SS. Bonaventura, & Thomas, aliique, a quorum tamen Sententia non abhorret Ecclesia.

Septimo loco ad hoc quod Em. Cardinalis dixerat, argumentum scilicet, quod Christi exemplo plerique Scholastici petunt, non magni esse roboris, reponit R. P. Macedo persuasum omnibus esse, quo pane Christus consecravit, in eo consecrandum. Non quod id sit a lege præceptum, sed quod exemplo Christi commendatum. Neque tamen inde necessitatem importari vult consecrandi in azymis, sed tantum convenientiam. At convenientiam illam vertit in necessitatem, cum ex ea inferat negari non posse Ecclesiam per mille annos in azymo consecrasse: alias *fecit ergo*, inquit, *hoc quod erat minus conveniens*. Verum convenientia rerum ex multis rebus pendet, quibus mutatis aliquando mutari necesse est, quæ convenientia prius videbantur. Et azymorum convenientia tanta non est, ut etiam obsimiles, si non pares convenientiæ rationes pro tempore, & loco fermentum obtinere non possit.

In responsione nona usque ad decimamquartam multa dicit in gratiam, & laudem Scholasticorum, quos ur nemo non laudat, si debitum modum teneant: ita nemo est in rebus sacris versatus, qui concedat ex eorum placitis quamlibet controversiam esse dirimendam, maxime ubi de Eucharistica historia & traditione agitur. Multa dicta sont in scholis sine delectu, quibus exoccupatus esse debet quisquis bono ac integro animo in arcana traditionis penetrare cupit. Hæc præjudicia

cia sunt, a quibus vacare necesse est veritatis studiosos cultores. Verum magnopere cavendum est, nec inter hæc præjudicia reponantur prænotiones, quas pueri de fide, atque de Deo a teneris annis imbibunt, quod certe nollem a R. P. Macedone commissum.

Quæ in responsione decimaquinta usque ad decimamnonam dicuntur ad Epiphanii locum de Ebionæis, probabilia sunt, si quædam duriuscula verba excipias. Summa est Ebionæos fuisse notatos hæreseos, non quod in azymis consecrarent, cum potius id fecerint ex imitatione Ecclesiæ, sed quod aqua sola in calice utebantur, & quod assererent legalia servari oportere; Ebionæos habuisse errores cum veritate commixtos; itaque discernendos esse, ac separandos; Bonum apud eos fuisse Baptismum: malam rebaptizationem. Bonum fuisse panem azymum: malam solam aquam. Neque penitus improbanda videntur, quæ subdit de Armeniis, *qui cœperunt*, inquit, *offerre panem azymum & vinum legitime, ex quo Romam venit eorum Patriarcha magnus ille illuminator Gregorius tempore Silvestri, idque a Romana Ecclesia didicerunt*. Cujus rei authorem laudat Clementem Galanum tom. 2. de Eucharistia, sec. 1., qui Metaphrasten allegat, tametsi id rejicit Demetrius Cyzicenus in tractatu de hæresi Jacobitarum Chatzitzariorum, qui Armenii sunt. Illud certum mihi videtur, azymum panem non fuisse oblatum in signum secessionis a Catholica Ecclesia. Siquidem Joannes Philoponus, ut superius ostendi cap. 3., & ipse sectæ Eutychianæ, sicut Armenii, fermenti usum probat.

In responsione vigesimaprima ad id quod scripserat Em. Cardinalis, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum, & quotquot fuerunt sanctitate, & doctrina conspicui Sacerdotes in Ecclesiis Orientalibus, non alio, quam fermentato pane usos, ad id, inquam, reponit P. Macedo veteres Patres Græcos cum Latinis omnes in azymis consecrasse. Hæc testimonia producit in Diatriba ex Cypriano, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, & Gregorio Magno; tum subdit: *Prodeat in lucem Diatriba: omnia patebunt, cur absconditur? Liber apud te eminet Sirmondus, & luce fruitur; jacet in tenebris Diatriba luce dignissima, servit arbitrio tuo, qui Christiana libertate traditionem asserit. Patitur miseram servitutem vinctus compedibus liber, qui per omnium manus volitare debuit*. Nescio apud quem miseram servitutem patiatur vinctus compedibus liber; unum scio non stare penes Em. Cardinalem, quominus in lucem prodeat, cum ipse propriæ sententiæ longe præferat veritatem, ac veritatis libertatem. Et tamen id significare videtur R. P. Macedo in responsione vigesimaseptima, ubi fatum Diatribæ suæ rursum deplorat his verbis. *Illa infelix in carceres, & casses nata indicasse nusquam apparet*. O injuriam! *Misi eam ad Patres: tradita est Patri & Patri judicanda, & opprimenda. Quanta lux ea producta causæ oborietur*. At fieri ne potest, ut ne unum quidem exemplum superfuerit penes Authorem? Ita ne vero tot Patrum testimonia, quæ in ea producuntur, etiam amissa Diatriba excidere, ut ne unum quidem ex præmissis Patribus in medium afferre liceat.

Omissa responsione vigesimasecunda, & tribus sequentibus, in quibus verborum antithetis ludit Auctor, venio ad articulum vigesimumsextum, ubi hæc verba ex Opere Liturgico referuntur: *Hinc etiam confirmatur quod superius dictum est, orto jam schismate Græcorum adhuc in Latina Ecclesia usum fermentati perseverasse*. Ad hæc R. P. Macedo: *Ergo tempore Leonis IX., & Michaelis Cerularii Azymus nondum incœperat*. Immo vero incœperat, ut diserte docet Eminen. Cardinalis, qui hoc in loco non agit de schismate Michaelis, sed de Photiano, ut ex toto capite manifestum est.

In articulo vigesimoseptimo adducit verba Em. Cardinalis dicentis, omnes Patres a tempore Apostolorum, & deinceps usque ad Photium de Pane Eucharistico ita loqui, ut nonnisi de communi, & fermentato commode intelligi, & explicari possint. Ad quod R. P. Macedo: *Basilice*, inquit, *quasi omnes illi veteres Patres perspecti ei sint, & omnis antiquitas explorata*. An vero omnium Litteratorum antiquitatem perspectam, & Patres exploratos non habuit R. P. Macedo, cum subdat: *Libuit mihi omnium Litteratorum omnino scrutari antiquitatem, & Patres consulere: inveni plusquam viginti, qui de Azymis mentionem faciunt ante Leonem?* Proferat aliquot ex illis. Ecce tibi ad marginem adducit Cyprianum, sive auctorem de Cœna Domini. Optimus auctor Cyprianus, ast malum. Auctor ille totis nongentis annis posterior est Cypriano, Leone centum. Istius quippe operis, quod de Cardinalibus Christi Operibus inscribitur, author est Arnoldus Bonæ-vallis in Agro Carnotensi Abbas, ut jam eruditis Viris notum est, is, ad quem Sanctus

Bernardus morti proximus extremam Epiſtolam ſcripſit.

Quod R. P. Macedo in reſponſione trigeſima ſcribit pro teſtimonio Rabani, dicentis : *Panem ſacrificii ſine fermento eſſe oportere*, non improbo. At quod ſequitur in reſponſione trigeſimaprima, intolerabilem contumeliam ſapit. Rabani locum pro azymo interpolatum eſſe, ſuſpicatus fuerat Em. Cardinalis; propterea conſuluit MS. Codicem Bibliothecæ Vaticanæ, in quo hoc Rabani opus multum ab editis diverſum eſſe deprehendit, ſuamque ſuſpicionem haud temerariam fuiſſe cognovit.

Quid ad hæc R. P. Macedo : *ſuſpicione affectus manuſcriptum quæſivit, & legit, non tamen declarat quid invenerit in eo, quem recognoſcebat, libro manuſcripto. Nam ſi juſtum teſtimonium, uti ſuſpicior, reperit, cur diſſimulavit? ſi non reperit, cur non expreſſit. Deinde ut non inveniſſet, tanti eſt unum exemplar, ut ex eo reliqua omnia debeant æſtimari*. Hactenus argute; at verba ſequentia putidam calumniam continent. *Illud conſtat*, inquit, *Rabanum ita ſenſiſſe, & in MS. illo ſic prorſus haberi*. Credo Rabanum ita ſenſiſſe, & idipſum jam confitetur Eminentiſſimus Cardinalis in Epiſtola huic libro præfixa. At vero in Vaticano Codice ſic prorſus haberi nemo aſſerere poteſt, quin turpe mendacium integerrimo viro impingat. Quod facinus quantum ſit, æſtimandum relinquo æquis hominibus, quibus tanti viri mores ab omni labe, & fuco immunes perſpecti ſunt. At vide qualem tantæ calumniæ probationem : *Nam ſi ſecus eſſet*, author, ideſt Em. Cardinalis, *in rem ſuam traxiſſet, & triumphaſſet*. Nempe triumphum non quærit Em. Cardinalis, ſed veritatem, quæ modeſto, ac puro animo quærenda eſt, ac defendenda. Triumphum permittit R. P. Macedoni, qui in fine libelli ſui, *O Triumphe!* ingeminat, fateturque ſe victum Em. Cardinalis, ubi res non ratione, & argumentis, ſed argutiis, & conviciis agitur.

EPISTOLA XVIII.

JOANNI MABILLONIO JOANNES Cardinalis BONA.

Obſervationes a ſe factas in librum de Pane Euchariſtico mittens, rogat, ut Caput XII., *ſive Appendicem, in qua de P. Macedone agit, expungat.*

COgnoſcendæ veritatis amore diligentiam tuam excitavi ad controverſiam de Azymis uberius pertractandam, nec ſum fraudatus a deſiderio meo: Tua enim multiplici eruditione, ac doctrina rei ſatis obſcuræ multam lucem attuliſti: quia vero corrigi potius, quam laudari a me optas : ne in hac parte modeſtiæ tuæ obſequar, obſtitit ſedulitas & accuratio a te in ſcribendo adhibita, quæ nullum animadverſioni locum eſſe ſinit. Quædam tamen notabo, ut ab omni ſuſpicione adulationis me alienum eſſe oſtendam.

Armenios uti azymis, ut ipſe refers cap. 4. certiſſimum eſt; ſed æque certum puto eos azymum recepiſſe, cum a Græcis defecerunt, ut notavi initio cap. 23., idque conſtanter aſſeverant Sacerdotes & Monachi Armenii, qui Romæ & Liburni degunt a me requiſiti, & hanc eſſe aiunt Nationis ſuæ traditionem, cui conſentiunt veteres Rerum Armeniarum Scriptores.

Nullo modo dubitandum eſt, quin Chronicon Datii, de quo agis capite ſexto, ſuppoſititium ſit, ut Menardus veſter ait a me citatus in tractatu de divina Pſalmodia pag. 376. editionis Pariſienſis. Vidit ille vir doctus Mediolani, & aſſeruit mihi nihil in eo reperiri, quod redoleat antiquitatem.

Quod attinet ad Canonem Concilii XVI. Toletani, probabilia ſunt argumenta tua; ſed panem illum nitidum azymum fuiſſe, mea ſane ſententia non evincis. Chriſtianus Lupus in diſſertatione de actis Leonis IX. cap. 8. non negat panem fuiſſe fermentatum, ſed ait errorem illum fuiſſe ſolius Hiſpaniæ, quæ tunc Græcizabat.

Cum oſtenderis cap. 3. ſemper Græcos fermentatum adhibuiſſe, oro ut expendas, an tibi ipſi contradicas cap. 10. ex Epiphanio Græco teſtimonium proferens pro azymis.

Hæc obiter. Serio autem & enixe rogo, ut caput XII. ſive appendicem omnino

nino expungas. Si nosses hominem, (*a*) abstinuisses ab ejus censura. Satius est eum non curare, quam confutare. Iterum igitur atque iterum obtestor, ut nullo modo ejus memineris, adeout nec ejus invectivam Te legisse significes: hoc enim exigit & tua, & mea existimatio. Plura de illo audies a D. Antonio Durban. Ego autem multum illi debeo, nam per eum licuit me experiri. De Diatriba, quam tantopere jactat, ne sollicitus sis; nihil continet præter injurias, quibus me indigne afficit, ac veluti violatæ fidei reum insectatur; multa Patrum loca collegit, in quibus de azymis tropologice, sive allegorice agunt, eaque inepte de azymo Eucharistico interpretatur. Parcat illi Deus, sicut ego ex toto corde peperci.

Tandem quod tuum Opusculum mihi dedicare statuisti, gratias ago; & interim ipsam Epistolam nuncupatoriam (*b*), quam te missurum scribis, expecto: qua lecta decernam, quid facto opus sit. Valetudinem tuam cura, & cave ne plus æquo studiis incumbens ad ipsa studia te inhabilem reddas. Romæ 23. Octobris 1673.

(*a*) Loquitur de P. Macedone, quem Mabillonius impugnandum susceperat, & confutandum in illo Capite, sive Appendice, quam supra dedimus post Epistolam, quæ incipit: *Ante hos octo dies.*

(*b*) Ea est, quam superius scripsimus, quæ incip. *Eo me*.

EPISTOLA XX.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Cardinali BONA JOANNES MABILLONIUS.

Dissertationem de Pane Eucharistico Cardinali mittens, eidem gratias agit, quod eam suo nomine exornari sit passus.

QUod libellum meum de Azymo nomine tuo exornari, tibique dedicari passus sis, gratias ago immortales: Id enim ornamentum operi meo simul, & patrocinium futurum est. Jam editam mitto Dissertationem, quam noster Antonius Eminentiæ tuæ ex me offeret ceu fructum crescentis arboris, qualem scilicet producere potuit hyems, idest conatus hominis ægrotantis. Fortassis aliquid absolutius facere potuissem, si licuisset integrum me præstare editioni, cui vix dimidiatam operam conferre licuit. Tu vero, Eminentissime Cardinalis excusabis, ut spero, duritiem, & acrimoniam fructus, cujus prægustum jam Tibi non displicuisse testatus es. De aliis secus timerem, nisi condimentum præstaret succus nominis Tui, tuæque Epistolæ latens sub primo cortice. Si quid tamen boni succi respergere potuit veri ac sinceri studium, fateor me nonnihil etiam de meo respersisse. Sic fere securus de gustu æquorum hominum, non verebor invidorum morsus, qui, si quid in me carpendum invenerint, certe nihil a me detrahere poterunt. Parce homini serio ludenti, Eminentissime Domine, & benignis, ut soles, oculis accipe, quod integro animo tibi offero in xenium redeuntis anni, & in perpetuum observantiæ erga Te meæ monumentum. Quod superest, felicia tibi natalia ex corde apprecor, felicemque totius novi anni decursum. Vale. Lutetiæ Parisiorum XVII. Kal. Januarii 1673.



Ad Caput XXV. §. X. ubi de Libris Liturgicis,

EX GUILIELMO CAVE

Differt. secunda de Libris Ecclesiast. Græcorum, præcipue Liturgicis, ad Calcem Hist. Lit. pag. 179.

De Libris Ecclesiasticis Græcorum acturo, liceat mihi L. Allatii, viri in his literis summi verbis præfari. „ Græcorum „ Ecclesiastici Libri plures nec unius ge„ neris sunt, in eamque jam excreverunt „ molem, ut attentius introspicienti haud fie„ ri posse videatur, ut per annum, ab ho„ mine id studiosius incumbente, nec aliis „ negotiis implicito, recitentur, tantum „ abest, ut cantu etiam, & per intervalla „ temporum respirante, commode accen„ seantur. Illius etenim gentis religio incre„ brescens unicuique de novo, dummodo „ Sanctorum res pertractentur, accessionem „ facere, & ingentia duplicare volumina „ permisit. Hinc maximam Librorum co„ piam majorem fecit, & novis semper ad„ ditis, molem in immensum adauxit. „ Hæc vir in rebus gentis suæ egregie instructus, Græcorum sui temporis longe doctissimus, qui duplicem proinde *Dissertationem* hac de re instituit, ad Gabrielem Naudæum unam; ad Joannem Aubertum alteram edit. *Paris.* 1645. in 4. Verum cum Allatio divinorum officiorum potiores solummodo, & usitatiores Libros, idque modo satis prolixo percensere placuit, non minutiores etiam libellos sæpe, & particulares magni alicujus operis, vel officii formulas, & διατάξεις in censum nostrum referemus, idque summatim, & paucis, Lectores, qui plura desiderant, ad Lexicographos Ecclesiasticos, aliosque, qui de his latius scripserunt, remittentes. Neque enim hæc doctis scribimus, sed in juniorum φιλαρχαίων gratiam, qui libris ad hunc usum commodis destituti sunt. Quo vero meliori ordine res agatur, observationes, & collectanea nostra, methodo Alphabetica disponemus. Sic itaque exordimur.

ἉΓΙΑΣΜΌΣ. De vulgaribus hujus vocis significationibus jam non agitur. Notat hoc loco solemnem aquæ benedictionem, juxta quam apud Græcos peragi solet. Cujus duplicem habemus ordinem seu διάταξιν in Euchologio. Prima dicitur, Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου ἁγιασμοῦ τῶν θείων Θεοφανίων, & semel tantum in anno usurpatur, in Festo nempe *Theophaniorum*, quando aqua solemni ritu consecratur. Extat apud Goarum in *Euchologio* pag. 453. Ex quo etiam discimus duplicem hoc tempore aquæ fieri benedictionem, primam in festi pervigilio, ex qua bibitur, Populus aspergitur, domus lustrantur; alteram, quæ ipso die festo inter Missarum solemnia facta est, quæ proinde sanctior habetur, majorique cura asservatur, & pœnitentibus nondum in Ecclesiæ communionem plene receptis propinari solet. Hoc etiam ritu memoriam baptismatis Christi, hoc die olim peracti renovabant, cujus baptismo aquarum omnium naturam adeo usque sanctificatam fuisse crediderunt veteres, ut aquæ profunda hac nocte haustæ, domumque portatæ non in unum modo, sed quandoque in plures annos incorruptæ servabantur, diserte id testante Chrysostomo Homil. *de Baptism. Christi*, Tom. 1. p. 278. Altera dicta est, Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, & recitatur in communi aquæ benedictione, non modo in Theophanis, sed & singulis mensibus, vel urgente quavis necessitate, a Sacerdote fieri potest. Habetur *ibidem* pag. 441. Utrumque officium in notis suis præclare illustrat eruditissimus Goarus. Videsis Codin. *de Offic.* Constantinop. cap. XIV. nu. XXVI. XXVII. &c. p. 79. ubi ἁγιασμὸν, sive aquæ benedictionem describit, quæ cujusvis mensis initio (exceptis solummodo Septembris die XIV. Januarii VI.) coram Imperatore in Palatio fieri solebat.

ἈΝΑΓΝΏΣΕΙΣ. *Lectiones*, seu, ut Latini potius dicerent, *Lectionarius*, in quo Libro partes, seu segmina ex veteris testamenti libris excerpta, variisque anni diebus pro festorum dierum solemnitate, in Ecclesia recitari solita, continentur, in unum Volumen redacta, ut facilius, & commodius præ manibus habeantur. Prostat liber MS. passim in Monasteriis Græcorum, & potissimum in Bibliotheca Vaticana, & Barberina, *nu.* XVI. & XVII. monente L. Allatio *Differt. I. p.* 53. & *Diatr. de Georg.* p. 417., qui tamen notat hunc librum diversum esse ab aliis Lectionibus prolixioribus, quas non ex sacris Litteris, sed ex Sanctorum Patrum opusculis desumptas iidem Græci inter divina sua Officia recitant.

ἈΝΤΙΦΩΝΑ. Sensu primo, proximeque proprio, hæc vox notat canticum Ecclesiasticum alternum, cum Psalmi, aut Hymni ab utraque parte Chori alternatim canuntur. Habet vero & strictiorem significationem; sumitur enim pro officio Ecclesiastico, ex variis Psalmis diversorum versuum, qui magis solemnitatis mysterium exprimunt, collecto. Et hæc Antiphona pro magna anni parte in diebus Dominicis recitantur. Dividuntur in primum, & secundum Antiphonum; de quibus L. Allatius *Differt. I.* p. 15. hæc nos docet. In primo post singulos versus recitatur ταῖς πρεσβείαις τῆς θεοτόκου Σῶτερ σῶσον ἡμᾶς, *precibus Deiparæ salvator salva nos*. In secundo pro solemnitatum diversitate versui adnectitur formula solemnitatem exprimens, ut in die Paschatis dicitur, Σῶσον ἡμᾶς, υἱὲ Θεοῦ ὁ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ψάλλοντάς σοι ἀλληλούϊα, *salva nos, Fili Dei, qui a mortuis resurrexisti, canentes tibi. Alleluja*. In Pentecostes Σῶσον ἡμᾶς, υἱὲ Θεοῦ παράκλητε ἀγαθὲ ψάλλοντάς σοι ἀλληλούϊα, *salva nos*

nos fili Dei paraclete bone canentes tibi Alleluja, & sic de aliis terminatis versiculis idem repetitur. In nunc, & semper dicitur illud: ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ, ἀθάνατος, ὑπάρχων, *Unigenitus Filius, & sermo Dei, immortalis existens &c.* : postmodum tertia statio excipit, quæ & tertium antiphonum vocatur; Versiculi Psalmorum cum Tropario proprio solemnitatis, cujus vicem, cum typica dicuntur, beatitudines occupant, in quarum postremis tertiæ, sextæque ode troparia, sive paracletices recitantur. De his antiphonis vide etiam quæ habet Goarus ad *Euchol.* p. 123.

ΑΠΟΣΤΟΛΟΣ, seu ut in Euchologio Goariano p. 233. vocatur ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΟΝ, ΒΙΒΛΙΟΝ, quod potior, majorque illius pars ex Epistolis Apostoli Pauli concinnatur. Continet quippe Lectiones ex Epistolis Canonicis Apostolorum, præsertim Sancti Pauli desumptas; hinc in ordinatione Lectoris Pontifex tradit ei τὸν Ἀπόστολον, *Euchol.* pag. 236., & *in Liturgia Chrysostom.* pag. 68. Lector profert: τὸ προκείμενον Ἀποστόλου καὶ τῆς ἡμέρας, *Propositum Apostoli, & diei*, mox καὶ τοῦ Ἀποστόλου πληρωθέντος, *& lectione Apostoli completa Sacerdos exclamat*, &c. Hic liber tempore S. Sabæ jam in usu fuit, teste Cyrillo Scythopolitano in *vita ejus* num. LXXV. ap. Cotel. *Monum.* T. III. p. 351. Lector, qui Epistolas Sancti Pauli Apostoli publice in Ecclesia legit, ἀποστολάριος vocatur, cujus meminit Codinus *de offic.* CP. c. VI. num. XIV. p. 44. Editus est hic liber Venet. 1641. hoc titulo Ἀπόστολος σὺν Θεῷ ἁγίῳ De Πραξαπόστολῳ agemus suo loco.

ΑΠΟΣΤΟΛΟΕΥΑΓΓΕΛΟΝ. Liber complectens lectiones Apostolicas simul & Evangelia, quæ in sacris Liturgiis, singulis diebus aut festis, præsertim dominicalibus, iisque, quæ Beatæ Virginis, Martyrumque honori dedicata sunt, leguntur. Agit de hoc libro *Euchologium* non uno loco. Extant Ἀποστολοευάγγελα, totius anni, juxta XII. menses disposita certis quibusdam diebus recitanda, summatim exposita in *Euchologio* p. 904., ubi etiam habentur Ἀποστολοευάγγελα in mulieres Martyres, in Moniales, in Moniales simul & Martyres, & XI. matutina Evangelia: τὰ ἀναστάσιμα, seu *memoriam Resurrectionis habentia*.

ΔΙΑΚΟΝΙΚΟΝ. Hæc vox non unam apud Scriptores Ecclesiasticos significationem obtinet. Sumitur quandoque pro ea Ecclesiæ parte, in qua dum sacra fiunt, Diaconi consistere solebant; nempe in solea, & ad Bematis cancellos, aliquando pro æde Ecclesiæ adjuncta, in qua vasa sacra, & vestes reponebantur, quorum curam habebant Diaconi, de quo non pauca congessit Gothofredus ad *Philostorgii* lib. 7. cap. 3. p. 276., quandoque pro collecta, seu ea precum publicarum parte, quam Diaconi pronuntiabant. Hoc vero loco Librum denotat Ecclesiasticum, quo omnia inquit L. Allatius, quæ ad Diaconi munus obeundum requiruntur, in agenda re divina, & singulis officiis uno veluti fasce continentur. De eo videtur intelligendus esse Joannes Euchaitarum Episcopus, cum carmina: εἰς τὸ βιβλίον τῆς Διακονίας τὸ τρισκαιδεκάφορον, scripsit, vide Allat. *Dissert.* 1. *p.* 97.

ΕΙΣΟΔΙΚΟΝ. Officium est, quod peragitur, quando Evangelia, vel dona sacra solemni procedendi Ritu, a Sacerdote ad Altare deferuntur. Duplex vero apud Græcos notante Goaro ad *Euchol. p.*124. est εἴσοδος. Prima μικρά, quæ & in Euchologio Allatiano in consecratione Episcopi ἡ πρώτη εἴσοδος τῆς θείας λειτουργίας dicitur, libri nempe Evangeliorum, quem ante faciem elevatum defert Diaconus, in sacrarium introductio. In Liturgia Chrysostomica pag. 67. hoc modo describitur; Sacerdos acceptum sacrum Evangelium tradit Diacono, atque ita Porta Septentrionalis partis egressi veniunt ad consuetum locum; καὶ ποιοῦσι τὴν μικρὰν εἴσοδον. *& ingressum minorem peragunt*. Habetur *ibidem*: εὐχὴ τῆς εἰσόδου quæ μυστικῶς, seu *secreto* recitanda est: εἴσοδος μεγάλη, seu *ingressus major est*, quando sacra dona pompa magis solemni, & augusto apparatu, Altari inferuntur. De quo vide, quæ prolixe notavit Goarus *ibid.* pag. 131.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ. Codex, in quo descripta sunt Evangelia, non quidem continuata historiæ Evangelicæ serie, sed incerta τμήματα, sive περικοπὰς divisa, quæ proprias lectiones constituant, ad usum singulorum dierum, & festivitatum, modo unius, modo alterius Evangelistæ, textu quandoque etiam plurimis in locis, ut opus fuerit, interposito, non ita tamen ut seriem Evangelicam prorsus interrumpant. Exceptis enim solemnitatibus, quæ peculiare sibi poscunt Evangelium, in reliquis anni diebus ita dispertiuntur, ut unius prius Evangelistæ textum in themata dividant, & diebus applicent, donec finiat; postmodum alterius continuent, donec omnia ad exitum perduxerint, & diebus Dominicis a Scriptore Evangelii nomen imponant. Dicunt enim Ἡ πρώτη κυριακὴ τοῦ Ματθαίου ἡ δευτέρα τοῦ Ματθαίου, & sic de aliis. Ubi Codex Evangelistarum tetrabiblos fit τετραευαγγέλιον nuncupatur. Pluribus hæc persequitur L. Allatius *Dissert.* 1. p. 34. &c. pluribus Meursius in voce εὐαγγέλια, Pluribus Du-Fresnius *Gloss. Gr.* col. 441., qui & varia Evangelia memorat; nempe ἑωθινά, quæ diebus Dominicis in matutinis leguntur; ἑωθινὰ ἀναστάσιμα, n. XI. certis diebus, ac hebdomadibus lecta; ἑορτινά, quod in festis Sanctorum, secundum menses aliquot, legantur; denique μικρὰ εὐαγγέλια, quæ a mulieribus vice φυλακτηρίων gestari solebant. Quod & suo jam tempore factum esse testatur simul, & reprehendit Isidorus Pelusiota lib. 2. *Epist.* 150. ad Epimachum p. 178. Diaconus, qui Evangelium legit in sacra Liturgia, εὐαγγελιστὴς vocatur, qui antequam lectionem suam ad altare incipiat, ut ex Liturgia Chrysostomiana liquet, conversus ad Sacerdotem Benedictionem ejus impetrat his verbis: εὐλόγησον δέσποτα τὸν εὐαγγελιστὴν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ τοῦ δεῖνος; *Benedic Domine Evangelistam Sancti Apostoli, & Evangelistæ N.* Editum est hoc: θεῖον καὶ ἱερὸν εὐαγγέλιον (hunc enim habet titulum) primum ab Emmanuele Glyzonio *Venet.* anno, ni fallor, 1599.: postea cura Theophylacti Hieromonachi apud Joan. Petr.

Petr. Pinellum *ibid.* 1645. Præmittitur præfatio, five epiſtola dedicatioria ad ſanctiſſimum, doctiſſimumque Gabrielem Philadelphiæ Metropolitam, & ad ſeverum Monembaſiæ Epiſcopum, & D. Raphaelis Patriarchæ συστατικῷ, data Julii XXIV. Vitæ IV. Evangeliſtarum ex Sophronio Hieronymi interprete, & Dorothei Synopſi deſumtæ, cuilibet Evangeliſtæ ſuo loco præfixæ ſunt. Et de Codice quidem Evangeliorum diſſertiſſime affirmat Cyrillus Alexandrinus, ubi de Synodo Ephefina agit: ἔκειτο γὰρ ἐν ἁγίῳ θρόνῳ τὸ σεπτὸν εὐαγγέλιον, μονονουχὶ ἐπιβοῶν τοῖς ἁγίοις ἱερεῦσι κρίμα δίκαιον κρίνατε. *Venerandum enim Evangelium in ſancto throno collocatum erat, illud tantum non ſanctorum Sacerdotum auribus inſonans; juſtum judicium judicate*. Ex plena ſunt Conciliorum acta; immo ipſis oculis id demonſtrant picturæ veteres, quæ etiam hodie ſuperſunt; E multis unicum exemplum dabo Bethlehemi in Eccleſia Dominicæ Nativitatis, inter alia monumenta, ex utraque parietum parte, meridionali, & Aquilonari, infra feneſtras Eccleſiæ in ſex quadratis ſpatiis ex muſivo opere totidem ſunt arcus figurati, five fornices, quæ totidem Conciliorum memoriam exhibent. Pars meridionalis ſex continet Concilia Oecumenica, Nicænum, Conſtantinopolitanum I., Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum II., Conſtantinopolitanum III.. Aquilonaris totidem provincialia, ideſt Ancyranum, Antiochenum contra Paulum Samoſatenum, Sardicenſe, Gangrenſe, Laodicenum, & Chartaginenſe ſub Cypriano contra Novatum. Unaquæque fornix ſuam habet inſcriptionem Græcam, quæ iſtam Synodum breviter deſcribit. In medio arcus viſitur pluteus, cujus in medio collocatur codex, quo librum Evangeliorum denotari, nemo, opinor, facile denegabit. Venerandum hoc antiquitatis monumentum ab Emmanuele Comneno, ut ex inſcriptiptione liquet, abſolutum, anno 1626. deſcripſit Nic. Quareſmius *Elucidat. Terræ Sanctæ* Tom. 2. lib. VI. cap. 13. Inſcriptiones Græcas, & Parietis Aquilonaris delineationem ex Oriente ſibi tranſmiſſam, & æri eleganter inciſam exhibet vir illuſtris pariter, ac eruditus Joannes Ciampinus *de ſacris ædificiis Conſtantini M.* cap. 24. pag. 150., qui & alibi de hoc more ex veterum monumentis agit, nempe in elegantiſſimo opere *de vet. monument. Muſiv.* cap. 16. p. 133. & cap. 25. pag. 236., vide etiam cap. 22. p. 201., & de Codice Evangeliorum hactenus. De Codice Canonum non adeo clara ſunt veterum teſtimonia, etſi admodum probabile eſt, & tantum non certum; cum in actis Conciliorum legimus præſto ſemper fuiſſe ad manum, & data Canones relegendi occaſione a Diacono in manus ſumi ſolere ſine ulla introductionis mentione. His adde, quod in ſupra memorati operis Bethlehemitici quadrato ſexto, quod ſynodi Carthaginenſis memoriam, conſervat ſub duplici arcu bini repræſentantur ſuggeſtus, Codice utrique ſuperimpoſito. An hic Codicem Evangeliorum, alter Canonum Codicem denotet, lectori erudito perpendendum relinquimus. Certe a magna verifimilitudine non abhorret. Suum denique Synodicon habet Eccleſia Æthiopica, quæ Græcorum ritus Eccleſiaſticos ut plurimum ſequitur. Præter enim librum, quem *Synodum* vocant, Apoſtolorum Conſtitutiones, & Canones, ſed a noſtris tum rebus, tum verbis, necnon ordine, & numero valde diſcrepantes, complectentem; habent Habeſſini, & Codicem Conciliorum, nempe Ancyrani, Neocæſarienſis, Nicæni, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, & Sardicenſis Canones continentem, de quo plura te docebit, Lector, vir in his litteris ſine pari Job Ludolphus *Hiſtor. Æthiop. lib.* 3. *cap.* 4. plenius *Comment. Æthiop. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 30. *p.* 301.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΤΑΡΙΟΝ. Libellus quaſi appendicis vice Evangelio ſubnexus. In eo continentur Evangeliſtarum continuatio, unde incipiant, & unde finiant, Canones XXXV. in quibus ſemper invenitur Dominicarum totius anni Evangelium matutinum, & quis tonus canitur ſingulis Dominicis, aliaque ad inveniendum diem S. Paſchatis neceſſaria, Paſchalium perpetuum, ab Emmanuele Glyzonio compoſitum. Claudunt libellum canones Evangelici Euſebii Cæſarienſis, cum ejuſdem ad Carpianum Epiſtola. Prodiit una cum Evangelio *Venet.* 1599., & 1645.

ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ, five *Rituale Græcorum* continens Ritus, & Ordines divinæ Liturgiæ, variorum officiorum Eccleſiaſticorum, tum matutinorum, tum veſperinorum, formulas ordinationum, Sacramentorum, Baptiſmatis. &c. cum benedictionibus, & orationibus, cuilibet perſonæ, ſtatui, vel tempori congruis præter integras Baſilii, Chryſoſtomi, & *Præſanctificatorum* Liturgias. Extat Gr. MS. Bibliot. Vindob. *Cod. Theol.* juxta Lambecium CCCXXVII. juxta Neſſel CCLXXXVI. num. 11. a fol. 308. Omnium antiquiſſimum videtur illud in Bibliotheca Barberina aſſervatum, in charta pergamena, quadratis litteris, ante nongentos, & plures annos accuratiſſime deſcriptum. Editum eſt a Græcis *Venetiis* non ſemel, nempe anno 1544., 1550., 1570., 1571., 1600., 1602., 1629., 1638., 1642. Hujus poſtremæ editionis curam in ſe ſuſcepit Theophylactus Hieromonachus, qui illam ſe recognoviſſe, a mendis, quæ in priores irrepſerant, repurgaſſe, nonnulliſque orationibus auxiſſe gloriatur. Verum omnium diligentiam longe ſuperavit Jacobus Goar Pariſinus Ordinis Prædicatorum Monachus, qui conquiſitis undique codicibus tum editis, tum manuſcriptis omnes hujus Euchologii formulas, & διατάξας recenſuit, & digeſſit, variantes lectiones collegit, non paucas orationes, & integra officia ex MSS. Euchologiis addidit, verſionem latinam adornavit, notis eruditis, figuris æneis, & Onomaſtico illuſtravit. Prodiit inſigne hoc opus Græce, & Latine *Pariſiis* 1645. *fol.* Ex majori Euchologio deſumptum eſt in uſum ſacerdotum σύνταγμα τῶν ἀναγκαίων ἀκολουθιῶν καθ' ἑκάστην ἀνηκόντων τῷ ἱερεῖ, *neceſſariorum quorundam officiorum ad Sacerdotem pertinentium, & ex Euchologio deſumptorum collectio*; in hac collectione continentur officium veſpertinum, & οἱ ὄρθροι, five *laudum* Ἀποστολοευαγγέλια, five *Epiſtolæ*, & *Evangelia*

gelia in varias commemorationes Sanctorum, ordo τῆ μικρῆ, ἁγιασμῷ, pro parva benedictione, ordo communis invocationis in sponsalibus, ἀκολουθία τῶ στεφανώματος, seu in coronatione sponsorum, in bigamum, preces in puerperam primo partus die, preces pro obsignando puero octavo die post partum, preces in puerperam quadragesimo die, ordo sacri baptismatis, & alia quædam quotidiani usus. Editum est hoc syntagma eleganter rubricatum, curante Emmanuele Glyzonio, *Venetiis* apud Franciscum Julianum anno 1595.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΚΟΝ, sive ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΙ. Liber in quo Liturgiarum celebrandarum series describitur, & tres Liturgiæ, Basilii, Chrysostomi, & τῶν προηγιασμένων, sive *Præsanctificatorum* continentur. Proclus Constantinopolitanus (si modo ejus sit Tractatus, de quo justa est suspicandi causa) originem Liturgiarum ad ipsa Apostolorum tempora refert, aitq; Clementem dictantibus Apostolis primum edidisse, quod & a Jacobo Hierosolymorum antistite factum est, Verum remittente post aliquot sæcula, Christianæ pietatis fervore, cum longius productæ Liturgiæ tædio afficerentur Christianorum animi, Basilius Magnus, ut legentium pariter, ac audientium commodo consuleret, in minorem formam redegit. Nihilominus cum adhuc prolixitate nimia laboraret, Chrysostomus resectis plurimis, breviorem reddidit. Liturgia προηγιασμένων quando recitatur, Corpus Christi non conficitur, sed confectum antea; Divinis laudibus decantatis, absumitur. Et hujus Liturgiæ auctorem faciunt Gregorium Papam, *Dialogum* dictum. De hac fuse agit L. Allatius *Dissert.* 1. p. 20. fusius dissertatione singulari *de Missa Præsanctificatorum*; quam operis sui *de Ecclesiæ Orient. & Occident. consensione* calci subjecit. Tres, quas recensuimus, Liturgiæ, in Græcorum Euchologio semper continentur. In celebrandis his tribus Liturgiis Græci hunc servant ordinem. Basilii Liturgia, ut ex proœmio liquet, decies per totum annum canitur; nempe vigilia Nativitatis Dominicæ, festo Sancti Basilii, vigilia Luminum, in S. Quadragesimæ Dominicis, Dominica Palmarum excepta, sancta, & magna feria V., & magno Sabbato. Præsanctificatorum, exceptis prædictis, omnes sacræ Quadragesimæ dies occupat. Quod reliquum est totius anni, Chrysostomi Liturgia sibi vindicat. Præter has habent Græci & alias Liturgias, nempe B. Petri, Marci, Jacobi, & Clementis, sed quas in communem Ecclesiæ usum non recipiunt. Sola Jacobi Liturgia in Ecclesia Hierosolymitana semel in anno recitari dicitur. Prodierunt Liturgiæ Sanctorum Patrum Jacobi Apostoli, Basilii Magni, & Chrysostomi, a Morelio editæ, Gr. L. *Par.* 1560. *fol.* Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, Præsanctificatorum, Sancti Gregorii, *Dialogi* dicti, in Fr. Ducæi *auct. Biblioth.* PP. Græcolat. Tom. 2. p. 1624. Basilii Liturgia, præterquamquod in omnibus operum ejus editionibus reperitur, habetur separatim Græce *Venetiis* 1601. 4. Chrysostomi per Demetrium Ducam Græco-lat. *Venet.* 1528. in 4.to, 1644. in 4.to ad calcem habetur ἀκολουθία, die S. Styli in Paphlagonis, h. e. Novemb. XXVI. celebrari solita, una cum aliis officiis Ecclesiasticis, quorum index præmissus est.

Frag. περὶ παραδ. τῆς θείας λειτουργ.

ὈΠΙΣΘΑΜΒΩΝΟΣ ΕΥΧΗ'. *Oratio*, quæ retro Ambonem in media Ecclesia recitatur, cum post dimissionem a Diacono pronunciatam, Sacerdos, e cancellis egressus, populo facta oratione benedicit, ad exemplum scilicet Domini nostri, qui priusquam in Cœlos ascenderet, discipulis suis benedixit. Habetur hæc oratio, extra tribunal alta voce a Sacerdote proferenda, *Liturg. S. Chrysost.* pag. 85.

ΠΙΝΑΞ. Canonem aliquando denotat, sive tabulas pœnitentiales, in quibus peccantium qualitates, pœnitentium pœnæ describuntur. Et ita quidem in officio super pœnitentes *Euchológ.* p. 680. Ὁ ἐπιτιμῶν, sive pœnitentiarius, postquam minutatim de singulis peccatis interrogaverit, jubetur τιθέναι τὸν Πίνακα *Indicem* pœnitentialem *assumere*, & quale sit peccatum inquirere, & cum hoc libro conferre, ut quale sit peccatum cognoscat. De aliis hujus vocis significationibus consulantur Lexicographi, Suidas, Hesychius, Suicerus &c.

ΤΡΙΣΑΓΙΟΝ. Hymnus est notissimus, a ter repetita voce ἅγιος, sic dictus; hac nempe formula: ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. A Græcis non modo in sacris officiis usurpatur, verum cum e lecto surgunt, vel Ecclesias ingrediuntur, & præcipue in ipso mortis articulo, recitare solent. Cantari cœpit imperante Theodosio juniore; quin & Proclo Episcopo Constantinopolitano δι' ἀποκαλύψεως, per revelationem divinitus innotuisse disserte affirmat Jobius *de Incarn.* l. VI. cap. 25. apud Phot. *Cod.* CCXXII. col. 609. respicit nempe, quod communiter referunt veteres, dum vigente tremendo terræmotu, Imperator Proclus, omnisque Populus Constantinopolitanus Litaniis incessanter incumberent, puerum e medio in aerem fuisse raptum, ubi hunc hymnum ab Angelis decantatum didicit, qui proinde cessante mox terræmotu, in publicum Ecclesiæ, & vitæ quotidianæ usum receptus est. Certe Orientales Episcopi in Synodo Chalcedonensi, anno CCCCLI. illum usurparunt, ut ex fine actionis I. liquet p. 309.. Et additamentum illud, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς ingenti Ecclesiæ scandalo, & perturbatione postea adjecit Petrus Fullo Antiochenus. De origine sacri hujus hymni, & quantas exinde turbas, & contentiones in Ecclesia excitaverit additio Fulloniana, plena sunt Historicorum Ecclesiasticorum volumina. Ex veteribus rem gestam describunt Theodorus Lector *Hist. Ecclesiast.* L. 1. p. 554. Jobius ap. Phot. loco citato, Ephraim Antiochenus, *ibidem* Cod. CCXXVIII. col. 773. Damascenus epist. *de Trisagio* ad Jordanem Cœnob. *Oper.* p. 722., & *de Fid. Orthod.* l. III. cap. 10. p. 385. Theophanes ad ann. Theod. XXX. p. 80., & ad ann. Zenonis XVI. p. 115. Nicephorus *Hist. Eccl.* l. XIV. cap. 46. p. 544. l. 15. c. 28. p. 623. lib. XVIII. cap. 51. p. 879., ut Cedrenum, Zonaram, &c. mittam. Ex recentioribus Forbesius *Instruc. Hist. Theol.* lib. 1. cap. 16. p. 29. Goarus *not.* ad *Euchol.* p. 126. Meursius, *Gloss.* p. 576. Paulo fusius

Suicerus

Suicerus, & Dufresnius in hac voce; amplissime Gretserus tractatu pecul. adv. Tho. Wegelinum sub titulo *Fullonis Redivivi*, anno 1608. in 4to. Integram vero historiam, singulari dissertatione *de Trisagii origine*, ad examen revocat, ejusque fundamentum non uno argumento subruere conatur, vir doctissimus, P. Alixius in hisce studiis haud leviter exercitatus, Rhotom. 1674. in 8vo. Ad controversiam catholicos inter, & Eutychianos de hac re rectius intelligendam Lectori non inutile erit percurrere illustriss. Norisii historicam Dissertationem nuper editam *de Uno ex Trinitate carne passo*.

ΧΕΙΡΟΤΟΝΙΑ. Ordinatio ad munus aliquod Ecclesiasticum, Episcopo manus imponente, variisque ritibus, & orationibus celebrata. Plura sunt in Euchologio, quæ huc spectant officia, & a minoribus ordinibus auspicabimur, id solum præmonentes, Ostiarium, Exorcistam, & Acolythum apud Græcos hodie pro sacris ordinibus non agnosci: Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ, Ἀναγνώστου καὶ Ψάλτου. *Ordo fieri solitus in ordinatione Lectoris, & Cantoris*, p. 233., & apud Habertum *Pontif. Græc.* p. 305., qui & ampliorem formulam exhibet juxta Liturgiam Patriarchalem *ibid.* p. 37. 2. εὐχὴ ἐπὶ χειροτονίᾳ: *Oratio in Deputati, & Ceroferarii ordinatione* p. 237. Quis fuit Deputatus, quidve ejus officium, non satis liquet. Eumdem esse cum Ceroferario, & Latinorum Acolytho, volunt plurimi, & non inter officia, sed inter ministeria deputabatur. Ejus erat, pallio indutum præire cum lampadibus sanctum Evangelium, quando in ambonem, lectionis causa, adferebatur, & sacra dona eum ad sanctum altare deferuntur, & cum ad mensam propositionis referuntur, uti nos docet Joannes Citrensis in respons ad Nicolaum Cabasilam, *Jur. Gr. Rom.* lib. v. pag. 328., sed & præter Cereos, ferulam etiam manu gestasse dicitur. Unde in descriptione Incoronationis Imperatoriæ ferula in sinistram ejus tradi solebat, ἵνα τάξιν ἐκπληρώσῃ τοῦ Δεποτάτου λεγομένου, *ut ordinem, seu locum in Ecclesia teneat illius, qui Deputatus dicitur*, ut in Andronici junioris coronatione rem describit Cantacuzenus *Hist.* lib. 1, p. 122. Et eadem plane habet Codinus *de Offic.* c. xvii. n. 35 36. p. 95. Quidquid sit, munus illud in Ecclesia Græca, suo pene tempore desiisse, & ante paucos annos in Ecclesia solummodo Thessalonicensi viguisse, nos docet Symeon Thessalonicensis *de S. Ordine* c. 1. p. 106. 3. τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Ὑποδιακόνου, *ordo observandus in ordinatione Subdiaconi* p. 244. & ap. Habert. p. 306., & ex Liturgia Patriarchali p. 45. 4. τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Διακόνου, *ordo, qui observari solet in ordinatione Diaconi* p. 249., cui subjuncta est p. 262., forma in *Diaconissæ* ordinatione observanda. Idem officium exhibet Habertus p. 308. Ordinem in institutione Diaconi observandum reperies *Euchalog.* p. 284. 5. τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Πρεσβυτέρου, *ordo observandus in ordinatione Presbyteri*, p. 292., & ap. Habert. p. 312., & juxta Liturgiam Patriarchalem, *ibid.* p. 106. τάξις ἀρχιπρεσβυτέρου, qua Archipresbyter constituitur, habetur ex Allatiano exemplari, *Euchalog.* 87. 6. τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Ἐπισκόπου, *ordo, qui in Episcopi ordinatione servari debet* p. 302. Amplior ex Euchologio Allatiano *ibid.* p. 305. Habetur & apud Habertum p. 316. prolixiori vero formula ex Liturgia Patriarchali, *ibid.* p. 66. singula hæc officia ad Codices MSS. recognita, variantibus lectionibus, & additamentis aucta, notis eruditis illustrarunt Jac. Goarus in *Euchologio*, & Isaac Habertus in *Pontificali* suo, viri de Ecclesia Græca egregie meriti. Formulas etiam conferendi sacros Ordines apud Græcos, nempe Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, Gr. & Lat. exhibet, & illustrat P. Arcudius de *concord. Sacram.* lib. vi. cap. 2. p. 480. cumulate vero præ aliis id præstitit Joan. Morinus Commentario *de sacris Ecclesiæ Ordinationibus*. Ubi Par. II. omnes pene ordinationum apud Græcos formulas, quæ variis sæculis in usu fuerunt, Græce, & Latine exhibet, & annotationibus illustrat. In his eminet antiquissimum exemplar ex Codice MS. DCCC ad minimum annorum litteris majoribus, & uncialibus scripto desumptum: Par. III. de singulis, prolixis quidem, sed & doctissimis dissertationibus agit.



Ad Idem Cap. XXV. §. 10.

Ex jam supra pag. lxxii. allato Patre CAJETANO MARIA MERATI

COMMENTAR. IN GAVANTUM

Tom. I. in fol. Edit. Ven. pag. 4. num. IV.

Ubi de Libris Liturgicis, seu Missalibus.

Liber Missæ, qui nunc Missale dicitur, antiquitus appellabatur *Sacramentale*. Item *liber Sacramentorum*, & etiam *liber Mysteriorum*, ea præsertim ratione, quia inter cuncta Ecclesiæ Sacramenta illud constat esse præcipuum, quod in Missæ Officio supra Mensam Sacratissimi Altaris celebratur, & fuit solemne apud vetustissimos Ecclesiæ Patres Sacramenta antonomastice appellare Christi Corpus, & Sanguinem, cum in Altari conficiuntur in Missa, ut advertit mox laudatus Cardinalis Thomasius in sua Præfatione reddendo rationem, ob quam sub Sacramentorum Titulo suos Codices evulgaverit.

Antiqui Libri Liturgici, & Missales, quibus Ecclesia utebatur in Missarum solemniis celebrandis, non uno, sed triplici Volumine comprehensi seorsim reperiebantur. Primus continebat Orationes, Precationes, Præfationes, & alia similia, quæ a Sacerdote celebrante ad Altare recitabantur. Aliud reperiebatur volumen, in quo continebantur Evangelia a Diacono, & Lectiones scripturales ab aliis Ministris dicendæ. Tertius denique continebat Antiphonas, Tractus, Gradualia, Responsoria, & alia hujusmodi, quæ a Choro canebantur. Primum ex prædictis voluminibus est illud, quod Sacramentarii nomen exinde est consecutum, seu Sacramentorum liber appellabatur, & de quo mox mentionem fecimus. Secundum D. Hieronymi hortatu in Ecclesiam Romanam introductum dicitur a Damaso Papa, quia distributio Lectionum per totum anni circulum, quæ in eo continentur, fuit ab eodem S. Hieronymo ordinata, ut testatur ipsius Prologus in capite ejusmodi libri, qui Comes dicitur præfixus, si tamen prologus ille genuinus est, quod video a multis in dubium revocari. Hunc Comitis librum a S. Hieronymo fuisse compositum, veteres, qui de rebus Liturgicis tractatus edidere, uno consensu fatentur. Micrologus de *Ecclesiasticis Observationibus cap.* 25. Divo Hieronymo hunc librum attribuit his verbis: *Liber etiam Comitis, sive Lectionarius, quem S. Hieronymus compaginavit &c.* In eadem sententia versatur Joannes Beleth *in Rationali Divinorum Officiorum cap.* 57. ubi ait: *Instituit Beatus Hieronymus rogatu Sancti Damasi Papæ quæcumque ex veteri, & novo Testamento leguntur in Ecclesia*. Berno Augiensis *cap.* 1. *Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipsius testatur Prologus oppositus in capite ejusdem Comitis*: (sic eum appellavit). Ab hac sententia recedunt plures ex recentioribus, qui tamen valida contra sententiam veterum argumenta non proferunt. Quamvis autem daretur Hieronymum libri hujus non esse auctorem, negari tamen non potest vetustissimum esse, & saltem paulo post Hieronymi mortem editum, hujus enim habetur mentio in Charta Cornutiana: *Item Codices Evangeliorum quatuor, Apostolum Psalterium, & Comitem*. Ex quibus verbis recte inferebat doctissimus Mabillonius *lib. 6. de Re Diplomatica* auctorem Comitis Hieronymo coævum fuisse, vel supparem. Hic liber in lucem emissus fuit a Pamelio in 2. *Tomo sui Liturgici Latini*, deinde fragmentum veteris Capitularis Evangeliorum, ac integrum Comitis librum, abundanter tamen interpolatum, (ut ait Cardinalis Thomasius in admonit. ad Lectorem) edidit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom.* 2. *colum.* 1156., & 1309. Præterea aliud ejusdem Lectionarii exemplar typis iterum committi curavit Romæ anno 1691. cit. Card. Thomasius in volumine, cui titulus *Antiqui libri Missarum Romanæ Ecclesiæ*. Optimum vero Hieronymi Comitem habebat Schultingius, quem deficiente pecunia typis mandare non potuit; *Comitem*, inquit ipse admonitione propria ad Lectorem, *sive Lectionarium B. Hieronymi, similiter ob defectum sumptuum premere fui compulsus, cum hujusmodi eo modo nunquam sit editus, qualem ego manuscriptum penes me asservo, in quo longe plus, & amplius est præstitum, quam in ejusmodi Comitis per doctissimum Pamelium ante Tomum secundum Liturgicon, editione*. Dolendum profecto est Codicem hunc in Germanicis Bibliothecis adhuc latere, & in novo Thesauro Anecdotorum a Patre Pez compilato desiderari. Jacturam fortasse reparabit supra laudatus Joseph Blanchini Congregationis Oratorii Presbyter, qui mihi asseruit se egregium Comitem invenisse in Bibliotheca Vallicellana, & hic locum habebit in magna collectione Rerum Liturgicarum Occidentalium, quam, Deo dante virisque eruditis consilium, & operam commodantibus, in lucem emittemus.

Hoc loco animadvertendum occurrit in quibusdam MSS. Codicibus alium fuisse librum Epistolarum a Subdiacono dicendarum; alium vero Evangeliorum, quæ a Diacono recitabantur. Tertius ex dictis libris, qui Antiphonarium Missæ inscribitur, Sancto Gregorio Magno ab antiquis Codicibus, & Scriptoribus attribuitur. Hoc Missæ Antiphonarium forte iis libris comprehendebatur, quos Paulus Papa Pipino in Galliam misit, ut scribit *Epistola* 25. Codicis Carolini: *Direximus*

mus excellentissimæ præcellentiæ vestræ & libros quantos reperire potuimus, idest antiphonale, & responsale. Hujusmodi pariter Antiphonarium supra laudatus Jacobus Pamelius evulgari curavit, & in 2. *Tomo sui Liturgici Latini* post Divi Hieronymi Lectionarium adtexuit, novamque ejusdem Antiphonarii Missarum, sicuti & Lectionarii, ut mox dixi, editionem curavit Clarissimus vir supra laudatus Cardinalis Thomasius, in qua sua editione officia feriarum, quæ in MSS. Codicibus erant, cum Officiis Festorum commixta discrevit eo ordine, quo in modernis libris continentur.

Præter hos libros Missales ita divisos, & discretos, reperiebatur *Missale plenarium* ita dictum, quia comprehendebat non seorsim, sed unitos omnes tres antedictos libros. De hoc Missali plenario mentionem faciunt Acta Murensis Monasterii *pag.* 31. ubi legitur: *Sunt & hic Missales libri quinque, tres pleniter scripti sunt; quartus vero habet* Graduale *cum Orationibus; quintus tantum Orationes habet*. Rursus Leo IV. Homilia de cura Pastorali præcipit, ut *Missale plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habeat*. Ratherius Veron. *in Synodica ad Presbyteros*, & Regino *in inquisitione Episc. cap.* 10. habent hæc verba: *inquirendum si Missale plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habet, nam sine iis Missa perfecta non celebratur*. Denique Leo Ostiensis *lib.* 3. *cap.* 19. librum ad Missam describi curavit: *Namque usque ad illud tempus in plenario Missali tam Epistolæ, quam Evangelia legebantur; quod quam esset inhonestum, modo satis advertitur*. Hæc collecta sunt ex Glossario Caroli Dufresne, seu Du-Cange, ut alii citant. In celeberrima Bibliotheca Angelica Almæ Urbis extat antiquissimus Codex talis Missalis plenarii, comprehendentis omnia, quæ in Missæ celebratione tam a Sacerdote, quam a Ministris, & Choro dicebantur. Quæ quidem Missalia plenaria necessaria erant cuicumque Sacerdoti, quando celebrabant Missas privatas. Vide quæ de his libris erudite scripta sunt a doctissimo Bocquillot in Tract. Historico Liturgiæ sacræ *lib.* 1. *cap.* 9.

Gravis agitatur quæstio inter Doctores Liturgicos: utrum quatuor primis Ecclesiæ seculis extarent libri Missales manu exarati, quibus uterentur Sacerdotes in peragendo Sacrificio, an memoriter tantum recitarentur ab iisdem Orationes Preces &c. dum Missam celebrabant? Eruditissimus Joseph. Vicecomes *Volum.* 4. *suarum Observat. Lib.* 7. *cap.* 10. sustinet librorum Missalium usum in re Divina vetustissimum esse, in qua sententia versatur pariter Card. Bona *Rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 8. & *cap.* 25. *num.* 10. ibi enim fatetur fuisse ab initio Ecclesiæ certas Liturgiarum formulas *ab Apostolis, & Apostolicis viris* compositas, quam veritatem propugnat *citato cap.* 8., denique in eamdem sententiam descendit, eamque validis rationum, & autoritatum momentis tuetur mox laudatus Lazarus Andreas Bocquillot in citato Tractatu Historico Gallice conscripto de sacra Liturgia *lib.* 1. *cap.* 9. contra Petrum Le-Brun, qui *Tom.* 2. *suarum Explicationum Dissert. I.* acerrime sustinet per solam traditionem servatum fuisse ordinem Liturgiæ, & normam consecrationis usque ad quintum Ecclesiæ seculum.

Verum non huic secundæ, sed primæ sententiæ libentius adhæreo, tum quia si non omnes, saltem aliquæ, quoad majorem sui partem ex prædictis antiquis Liturgiis admittendæ profecto sunt, tamquam genuini fœtus illorum auctorum, quibus communiter tribuuntur; tum quia id pariter ostenditur auctoritate Sancti Justini, qui in *Apologia* 2., quam circa Ann. Domini 140. ad Imperatorem Antoninum Pium scribebat, ait: *Solis, qui dicitur die, omnium, qui vel in Urbibus, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit. Et commentaria Apostolorum, aut Scripturæ Prophetarum quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præsidens Orationem habet, qua Populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Sub hæc consurgimus communiter omnes. Et precationes profundimus. Precibus autem peractis Panis offertur, & vinum, & aqua. Et Præsidens iterum quantum pro virili sua potest, preces, & gratiarum actiones fundit, & Populus fauste acclamat, Amen, & distributio communioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, & absentibus per Diaconos mittitur*. Ex quibus verbis Sancti Martyris conjicere licet extitisse tunc Codicem aliquem, in quo perlegebantur dictæ Preces, gratiarum actiones, scripturæ Prophetarum, &c. Rursus id evincitur auctoritate Divi Hieronymi, qui in Catalogo Scriptorum, dum loquitur de Sancto Hilario Pictavorum Episcopo, ait: *Est ejus & liber Hymnorum, & Mysteriorum alius*, ubi, *Mysteriorum libro* Codicem Missalem intelligi, compellitur fateri quicumque Missam a priscis Scriptoribus Mysterium nuncupatam fuisse non ignorat. Colligitur eadem veritas ex Epistola Sancti Athanasii *ad ubique Orthodoxos*, in qua is graviter queritur, quod Ariani labes, ac ruina Catholicæ Religionis, altis tenebris gentilitatis oppressi, quibus propositum erat Christianam pietatem evertere, sacros omnes libros, qui Ecclesiastico usui destinati erant, admoto igne, consumsissent. Sed quinam libri magis sacri, quam illi, quibus Rei Divinæ peragendæ Ritus, & Ordo consignati erant? Ita optime ponderat laudatus Vicecomes. Denique ex Divo Augustino clarissime eruitur eadem veritas antiquorum Codicum Liturgicorum; nam in Epistola ad Paulinum explicando illa verba Apostoli Pauli *ad Timotheum cap.* 1. *v.* 1. *obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, explanando inquam Sanctus Doctor in Epistola ad Paulinum *num.* 16. prædicta Apostoli verba, ait; *sed eligo in his verbis, hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut dictas precationes accipiamus, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: Orationes cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*,

tur,

tur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit. Deinde addit: *ideo in hujus sanctificationis præparatione existimo Apostolum jussisse proprie fieri orationes, vel (ut nonnulli minus perite interpretati sunt) adorationes; hoc est enim ad votum, quod usitatius in scripturis nuncupatur* Εὐχὴ, *interpretationes autem, sive, ut vestri Codices habent, postulationes fiunt, cum Populus benedicitur, tunc enim antistites velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissime offerunt potestati, quibus peractis, & participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit; quam his etiam verbis commendavit*. Liquet ergo ex Sancto Augustino hanc omnium, aut fere omnium Ecclesiarum ipsius ævo fuisse consuetudinem, ut fierent obsecrationes, antequam panis, & vinum inciperent benedici, & sanctificari; deinde orationes, quarum voce sapientissimus vir Joannes Mabillonius *Lib.* 1. *Liturgiæ Gallicanæ cap.* 4. *num.* 3. intelligi, *Canonem Missæ* ab Augustino, censet: asseverat præterea Augustinus, Antistites Populo inter Missarum solemnia benedictionem dare, preces effundere ad gratias agendas post acceptam, & distributam Eucharistiam, & hæc omnia censebat fieri ex Pauli institutione; quod quidem non nisi conjiciendo, & interpretando dicit Sanctus Doctor: sed in dubium verti nequit, quod omnes prædictæ preces, obsecrationes, & orationes fuerint in usu, ut diximus, Divi Augustini ævo apud omnem fere Ecclesiam, quo posito quis audeat opinari prædicta omnia non fuisse scriptis consignata, sed solum memoriæ mandata a Sacerdotibus? Optime ponderat Bocquillot, quod non omnis homo pollet memoria Sidonii Appolinaris ad memoriæ mandandos integros libros, sicut ipse faciebat, in sacris Mysteriis peragendis: cogimur itaque fateri, etiam primis Ecclesiæ seculis in usu fuisse sacros Liturgicos Libros, quibus Sacerdotes utebantur in Missæ celebratione.

Unicum habet hæc sententia præsidium in Magni Basilii verbis, qui *lib. de Spiritu Sancto cap.* 2. ait. *Verba invocationis, cum ostenditur Panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit?* Ex quibus verbis tam Petrus Le-Brun, quam Tillemontius in notis ad vitam S. Jacobi Apostoli inferunt, ante Basilium Liturgias scriptis non fuisse mandatas. Celeberrimam hanc objectionem solide tandem diluit eruditissimus Julianus Garnerius Monachus Congregationis S. Mauri nuperus Basilii Editor, cujus hic observationem exscribimus: non statuit hoc loco Basilius, quod ab eo eruditorum nonnulli in his præstantissimus scriptor Eusebius Renaudot *Liturg. Orient. Dissert. I. cap.* 2. doceri existimant; Eucharistiæ, & Baptismi, & aliorum Sacramentorum preces, & ritus; ne in Ecclesiis quidem ad Sacerdotum usum scripta servari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur, summam olim adhibitam fuisse cautionem, ne quid de Mysteriis non solum ad Gentiles, sed etiam ad Catechumenos permanaret: ac recte observat scriptor modo laudatus, mysteria initiandis viva voce exponi, initiatis breviter, & obscuriuscule in concionibus indicari solita, cum hac ἀποσιωπήσεως formula *norunt initiati*. Perincommode enim fuissent vulgata, quæ Catechumenis spectare non licebat, nec leve periculum erat, quod vilescerent mysteria, si violata Arcani sanctitas fuisset. Sed tamen Basilius, dum scripta negat hæc instituta, non de veterum scriptorum Libris, non de Liturgiis scripto consignatis, sed de Scripturis Sanctis loquitur. Liquet primo Pneumatomachos, dum glorificandi modum ὡς ἄγραφον rejiciunt, hoc tantum nomine argutias suas prætexuisse, quod in scripturis non legeretur *cum Spiritu Sancto*. Hinc Basilius illis instituta, non scripta opponit, in primis invocationis verba, quæ quidem negat ab ullo Sanctorum fuisse scripta, quia nec apud Apostolum, nec in Evangelio commemorantur. Sæpe alias apud Basilium ἄγραφα dicuntur, quæ non extant nominatim in scripturis. In Libro, sive Epistola de fide, moralibus præfixa, cum quidam ab eo postulassent ὁμολογίαν ἔγγραφον, *confessionem ex scripturis petitam pag.* 223. profitetur se non usurum verbis, ἀγράφοις idest, quæ in scripturis non leguntur. Unde *consubstantiale* in illa fidei confessione non reperitur. Ariani apud Athanasium *Lib. de Decret. Nic.* queruntur, quod Niceni PP. ἀγράφοις λέξεις ditiones non scriptas admisissent.

Secundo nihil veri dixisset Basilius, si confessionem Fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & alia ejusmodi instituta, quæ vocat ἄγραφα, nullo prorsus scripto consignata esse contendisset. Horum enim non infrequens apud antiquos Scriptores mentio. Quin etiam ipse Basilius glorificandi modum, quem inter ἄγραφα instituta numerandum fatetur, in scriptis veterum PP. sæpe occurrere demonstrat cap. 29. frustra ergo sententiæ suæ præsidium a Basilio petunt, qui preces Liturgiæ sero admodum contendunt litteris mandatas fuisse. Hæc Garnerius *Tom.* 3. operum Sancti Basilii: miramur autem eruditissimum Bocquillot acerrimum sententiæ nostræ patronum celeberrimum hunc Basilii textum sibi non objecisse, qui cæteroquin est præcipuum opinionis adversæ fundamentum.

FINIS TOMI SECUNDI.



ADDENDA

Ad Tom. I. seu Lib. I. Par. I.

IN PRÆFATIONE GENERALI.

PAG. lxi. §. *II. lin* 29. *post verba* Orthodoxæ fidei, *adde:* Desertores.

PAG. lxxvi. §. *IV. linea a fine* 19. *post hæc verba* sub finem, *adde*: qui & in Præf. ad Tom. III. idem amplius contra obtrectatores suos confirmat.

PAG. lxxx. *linea a fine* 8. *post* 1734. in 12. *adde*: Ignatius Antonius Palou, Hispanus Valentinus Presbyter, Liberalium Artium Magister, & Sacrorum Canonum Doctor, necnon Ecclesiæ Metropolitanæ Valentinæ Beneficiatus, Librum edidit Valentiæ Typis Antonii Bordazar de Artazu an. 1738. in 4. cui titulus: *Sacerdos instructus, & edoctus in Antiquitate, Origine, Auctoritate, & Praxi singularum Missæ Cæremoniarum*. Opus vernacula lingua compositum, utile sane ac pium, sed neque indoctum, neque ineruditum: quamvis fortasse non proxime accedat ad eam perfectionem, excellentiam, & eruditionem, quibus in eo genere eminent aliorum nostræ ferme ætatis scriptorum Opera. Eruditi Scriptores Diarii Literatorum Hispaniæ Tom. VI. Art. 4. hujus Operis specimen aliquod nobis exhibent, desiderareque videntur in hoc Scriptore meliorum librorum delectum. Putant enim, idque confirmant testimonio Eusebii Renaudotii in Præfat ad Collect. Liturg. Orient. Antiquiores Scriptores, quos iste passim sectari videtur, & alios longe absuisse a certa veri cognitione, atque a luce Critices ad similia retegenda, apteque explicanda pernecessariæ. Opus istud 3. Libris, seu Tractatibus constat, quos non sine fructu pius Lector evolvet.

PAG. lxxxviii. *§. V. lin. a fine* 4. *post illa verba* Lutherus addit per solam fidem, *adde*: Cumque rogaretur cur id fecisset, homo effrons, ac omnium petulantissimus, in hæc verba respondit: „ Si tuus Papista morosum, & difficilem se præbere volet de voce *sola*, statim dic: Papista & Asinus eadem res est: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed præceptores. Semel enim superbiendo gloriabimur adversus hujusmodi Asinos „. Et infra: „ Rogo te ne quid aliud hujusmodi Asellis respondeas de voce *sola*, sed tantum dicas: Lutherus sic vult, ille Doctor est omnium Doctorum in Papatu &c. „. Quid pejus respondisset ipse Diabolus?

PAG. lxxxix. *linea* 3. *post hæc verba* Lutherus e Canonicis detraxit, *adde*: Item in Epistola ad Ephesios cap. VI. ubi legitur: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*, abstulit τὸ, *perfecti*, ut nihil unquam perfecti in homine statueret, sed omnia peccatum esse blasphemaret, & ad Thessalonic. 4. id quod habetur, *ut abstineatis vos a fornicatione*, omisit, ut liberius operibus carnis vacare posset.

Ad Lib. I. Cap. XII.

PAG. 252. §. *VII. num.* 5. *col.* 2. *lin.* 34. *post verba* diserte astruit, *adde*: His addenda sunt ex Pontificali Anglicano MSS. Monasterii Gemmeticensis optimæ notæ virorum peritorum judicio ætatis ann. 900. cujus sæpe meminit, ejusque Ordines refert Edm. Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus; ibi itaque apud eumdem lib. 2. cap. 13. de Bened. ac Dedic. Eccl. pag. 263. hæc leguntur; *Hunc quoque lapidem salutaribus celebrandæ redemtionis mysteriis præparatum rore cœlestis unguenti asperge, & aromatibus divinæ sanctificationis perfunde, ac munus gratiæ consecrantis super illum sacrificia impone, digneque sic supra quod*

electas

electas ad Sacrificium creaturas in Corpus & Sanguinem Redemptoris virtus secreta conversat, & in sacras Agni hostias invisibili mutatione transcribat, ut sicut Verbum caro factum est, ita in Verbi substantiam benedicta oblationis natura proficiat, & quod prius fuerat alimonia, visa hic efficiatur aeterna. Per Dominum &c.

PAG. 259. *ad Appendicem ejusdem capitis lin. 17. col. 2. post verba* Ecclesia Parisiensis, *adde:* Rhemensis item Ecclesia in Missa solemni peculiarem Ritum habet usque nunc observatum. Confessionem, & alia ante *Gloria in Excelsis Deo*, in Sacristia Sacerdos cum Ministris facit: sed cantante Choro introitum Sacerdos ad Altare accedit, fanonem (idest manipulum) digito portans, ac facta reverentia Altari, ad cornu accedit, ubi extra Altare legit, & cantat quæ cantanda sunt, nec ad Altare ante Offertorium accedit: pro offerendo multi sunt ritus particulares. In fine Missæ nemo unquam nisi Archiepiscopus benedicit: sed dicto per Diaconum, *Ite Missa est*: nisi adsit Archiepiscopus, omnes in Sacristiam revertuntur. Ita Ruinartius ut supra *Tom. III. pag.* 495. testis oculatus Remis horum rituum. Attamen Edmundus Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. IV. art. 3. pag.* 359. asserit quidem Celebrantes omnes Ecclesiæ Remensis nihil recitare, aut cantare ad Altare, sed in Pulpito ad Altaris latus collocato, non in Sacristia, ut Ruinartius supra affirmat.

Ad Lib. I. Cap. XIII. §. VI. num. 1.

PAG. 275. *col. 1. lin. 1. post hac verba* dolens & ipse audivi, *adde:* Id jam pridem & in eumdem sensum scripserat Edm. Martene de Ant. Eccl. Rit. Tom. I. cap. 3. in fine num. x. „ Pudet, inquit, conjugatos viros rebus secularibus implicatos, rusticos, sordidos, puerosque nulla mysteriorum nostrorum, aut saltem levissima cognitione imbutos, quorum incompositis moribus non offerentes tantum, sed etiam assistentes a debita Sacrificio attentione, & devotione avocantur, ad tremendum, & Angelis ipsis formidandum Officium deputari. Certe longe alia erat mens S. Ottonis Babebergensis Episcopi, qui licet esset Pontifex, ipse nihilominus *Presbyteris ad Altare ministrabat, modo stolam offerens, modo cingulum porrigens, praeparandis aquam etiam manibus fundens &c.* quæ videre est in ejus vitæ lib. 1. cap. 48. apud Surium 2. julii. Hæc de hujusmodi indisciplinatis Missæ inservientibus Martenius.

Ad Cap. XVII. §. VI. Nota 5.

PAG. 394. *col. 2. lin. 27. circa medium, post illa verba* tutum esse nemo jure negaverit, *hæc adde:* Præclarissimum porro pietatis, ac Pœnitentiæ publicæ admirandum exemplum, æque celebratissimum spectaculum illud fuit, quod seculo medio XIII. anno scilicet 1260. evenit post mortem impii Tyranni Ecceliní de Romano; nam, ut verbis utar Monachi Patavini lib. 3. Chronic. Tom. VIII. Rerum Italicarum Ludovici Muratorii, *quum tota Italia multis esset flagitiis, & sceleribus inquinata; quædam subitanea compunctio, & a seculo inaudita, invasit primitus Perusinos, Romanos postmodum, deinde fere Italiæ Populos universos. In tantum itaque timor Domini irruit super eos, quod nobiles pariter, & ignobiles, senes, & juvenes, infantes etiam quinque annorum, nudi per plateas Civitatis, opertis tantummodo pudendis, deposita verecundia bini, & bini processionaliter incedebant: singuli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu, & ploratu se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes &c. centeni, milleni, decem millia quoque per Civitates Ecclesias circuibant &c. Tunc fere omnes discordes ad concordiam redierunt. Usurarii, & raptores male ablata restituere festinabant &c.* Multus est in hisce describendis Monachus Patavinus, qui simul tradit, repentinum hunc, & mirabilem Pœnitentiæ ardorem *ultra fines Italiæ per diversas Provincias fuisse diffusum*. Ejus quoque mentionem fecere Ricobaldus, Franciscus Pipinus, aliique non pauci, ut habent Chronica edita in eodem Tomo VIII. & IX. Rerum Italicarum. Plura de hujusmodi societatibus, vel Confraternitatibus Pœnitentium, seu flagellantium dictis Clarissimus Muratorius Tom. VI. Antiquit. medii Ævi Dissert. 75. pag. 450. & seqq.

PAG.

PAG. 421. *post medium ante* ad Caput XVI. *hæc adde:* Ad Cap. XI. de Missa Mozarabum pro contestatione, seu confirmatione dictorum pag. 206. col. 1. circa medium, & 207. col. 2. lin. 11. adjici potest Epistola Equitis Nicolai Antonii scripta ad Cardinalem Bona; ubi idem ostendere nititur Toletanum Officium miraculose igne probatum fuisse.

Hanc Epistolam refert Joannes Pinius Societat. Jesu in Dissertatione de Liturgia Mozarabica pag. L. præliminari ad Tom. VI. Act. Sanctorum Bolland. mensis Julii, iis paucis exceptis, quæ intra duos * * asteriscos, qui prope finem Epistolæ sunt, continentur; De qua ille loco mox indicato pag. xlix. num. 259. sic inquit: „ Dicebam superius de Roderico Toletano, qui „ sæpe dictam monomachiam recenset, *si vera iis narrat*: nam sunt viri „ eruditi, quibus veritas hujus rei non probatur. Eminentissimus certe „ Cardinalis Bona lib. 1. cap. xi. *Utrumque*, inquit, *eventum pugnæ*, & „ *ignis* (de eventu ignis mox agetur) *Rodericus Archiepisc. Toletanus* „ *refert lib. VI. de rebus Hisp. cap. 26. testis unicus & singularis; qui illi* „ *non interfuit, nec potuit interesse . . . . . Alii recentiores ipsum Rodericum sequuti sunt, penes quem hujus fabulæ, vel historiæ fides sit*. Brunus item „ pag. 296. de utraque pugnæ & ignis probatione agens, satis indicat, debilem sese hisce rebus habere fidem, quando subjungit, hujusmodi probationes, dum ab auctore contemporaneo ac fide digno referuntur, molestiam „ creare posse; sed istas non inveniri nisi in Roderico Toletano, quia audita dumtaxat referat, nullo citato auctore. Ego interea, quandoquidem „ rem satis aliunde miram, duobus tamen istis Roderici & Malleacensis Chronographi testimoniis fulciri video, neque argumenta in contrarium afferre „ possum satis urgentia, ut omnem satis solide huic facto fidem detraham; „ historiam hanc in medio relinquo, & eruditorum judicio permitto; qui eam „ tamquam historice veram admittere poterunt, si duobus istis Auctoribus „ standum esse censuerint. At vero mirum prorsus mihi apparet, quod Pelagius Ovetensis, auctor adeo synchronus, ut dicto duello, si vere contigit, „ vel interfuerit, vel saltem interesse potuerit, neutiquam de illo meminerit, „ quod sciam; quod argumentum tametsi negativum, maxime etiam officit „ historiæ, quæ vult, Officium Mozarabicum per ignem fuisse approbatum: „ de qua re mox dicam. Quo autem loco habenda sit Monomachia ad sedanda „ jurgia, disces ex Baronio ad annum 659. „ Et post nonnulla §. V. pag. L. „ & seqq. num. 263. idem Pinius sic habet: Quod Eminentissimus Cardinalis „ Bona debilem huic facto fidem adhibuerit, liquet ex ejus verbis, quæ dedi „ paragrapho IV. proxime antegresso. Contra quem pro veritate rei, prout „ narratur a Roderico, stetit V. Cl. Nicolaus Antonius, ut liquet ex ejus „ Epistola hoc super argumento ad sapientissimum Joannem Bonam, tunc „ temporis sacrorum purpuratorum Ecclesiæ Principum Collegio nondum „ adlectum, data; cujus Apographum debemus amplissimo viro, ac reverendo admodum Domino Adriano de Coninck, propinquo Nicolaii Antonii consanguineo, qui istam Epistolam MS. una cum pluribus aliis ejusdem auctoris schedis ineditis, Matriti nobiscum communicavit humanissime. Illam „ itaque subdo „.

Non ita est, ut excidit heri & nudius tertius tibi, Pater Reverendissime; fidei lubricæ id esse, quod tempore ritus Romani a nobis accipiendi, & præ Isidoriano habendi, contigisse in memoriam ego tecum de re ipsa conferens revocavi. Perductam quippe Regis Alphonsi VI. Castellæ, seu potius Constantiæ Reginæ, quæ in Galliis nata, communi jam apud suos Romano Officio favebat, cum toto fere regno controversiam fuisse ad non unum examinis discrimen, quod illius ætatis mos ferebat, Rodericus Toletanus Præsul, Hispanicarum rerum Historicus eximius sesqui-seculo tantum eo tempore, quo res gesta narratur, inferior, veluti rem notissimam in Commentario retulit. Gerebatur nempe hæc res circa annum redempti Orbis MLXXXV. floruitque Rodericus sub Ferdinando Rege III. Sancto, circa annum MCCXLIII. quo Historiam suam absolvit. Perductum, inquam, negotium fuit in duelli periculum ante alia. *Ad hoc ultimo res pervenit* (ait Rodericus lib. 6. de rebus Hispan. cap. 26. Tom. 2. Hispaniæ illustratæ pag. 207. Edit. Francfort.) *militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur; cumque*

duo

duo milites fuissent electi, unus a Rege, qui pro Officio Gallicano; alter a militia, & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, Miles Regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat miles Officii Toletani. Cujus facti adeo se gnarum ille ostendit, ut qua familia miles victor fuerit, adjunxerit. *Miles autem qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Pisoricam, cujus hodie genus extat*; *atque adeo cognomen ipsum etiam hoc tempore non extinctum est*. Sed neque id examen valuit, ut ab incepto suo Rex desisteret, magnaque seditione in militia, & populo orta, Regis pervicaciæ obnitentibus; *demum placuit*, [loquentem iterum audis Rodericum] *ut Liber Officii Toletani, & Liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus jejunio a Primate* (Toletano), *& Legato* (Ricardo scilicet a Gregorio VII. in Hispaniam hoc super negotio deputato) *& Clero*; *& oratione ab omnibus devote peracta, igne consumitur Liber Officii Gallicani, & prosilit super omnes flammas incendii, cunctis videntibus, & Dominum laudantibus, Liber Officii Toletani illæsus omnino, & a combustione incendii alienus*. Hæc tam perspicue dicta sunt pro Toletano Officio, ut nulla tergiversatione perviceris aliter gestam rem esse, nisi omnem historico fidem abrogaveris. Nec temere venit hæc lectio in typorum lucem. Sancius Nebricensis, Antonii Grammatici celeberrimi filius, ita edidit primus Granatæ anno MDXLV. ex MSS., ut par est credere, bonæ notæ. Hisque omnino se conformant duo alii hujus Historiæ Codices, qui asservantur manu exarati in Bibliothecis Toletanis Cathedralis Ecclesiæ, ac Monasterii Franciscanorum Sancti Joannis, Regum nuncupati; simillimaque rei narratio extat in veteri exemplo Historiæ, quam generalem nostrates homines vulgo appellant, Alphonsi Sapientis, Castellæ Regis X. jussu, & auspiciis formatæ. Hunc Librum Matriti vidimus apud D. Gasparum Ibannez de Segovia, Acropolitanum Marchionem, eruditionis, & ingenii admodum locupletem, qui quidem veteri forma scriptus, quamvis acephalus, eamdem ipsam Historiam continet, paucis demptis; quæ sub nomine Historiæ generalis, uti jam diximus, Floriani Decampii, Regii Chronographi diligentia, ante centum annos in lucem primum edita est.

Ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris quam barbariei exstirpandæ studebant magis Majores nostri. Transcribit Historiæ auctor apertissime Rodericum Episcopum his verbis: *E quemose y el Libro Frances, e finiò y el Toledano sano.* Hoc est: „ Exustus ibi fuit liber Gallicus, remansitque ibi Toletanus illæsus „. Nec dubitare nos sinunt de Roderici mente ea, quæ sequuntur: *Sed cum Rex esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax exsecutor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus, voluit inclinari; sed mortis supplicia, & diremptionem minitans resistentibus, præcepit, ut Gallicanum officium in omnibus regni sui finibus servaretur*. Miraculum igitur, si quod contigit veterem Hispanorum ritum, quem ignis non offendit, (qui ignis Gallicanum „ hoc est Romanum consumpserat) haud temere abrogari debere, satis indicavit. Quod cum ita scriptum ab Archiepiscopo, eoque unico rei gestæ auctore sic idoneo, & gravi, sequentes legerint, quid in mentem iis venerit, nondum video, ut factum aliter, totoque Cælo, ut dici solet, diversum referrent. Historia scilicet generalis Alphonsi Regis X. tempore scripta, de qua nuper meminimus, in utroque libro rem contigisse miram, alio tamen & alio modo diserte docet. Hispana verba interserenda sunt, quæ factum continent. *Aquellos dos Libros fueron puestos en la foguera, y el Libro del Officio Frances quexabase con el fuego, que se queria apegar à el, y diò entonzes un salto sobre todas las llamas, y salliose de la Foguera, veyendole todos, e alabaron a Dios por aquel milagro tan grande, que ay quisiera mostrar: e el Libro del Officio Toledano finiò en la foguera sin todo danno, de guisa, que en ninguna cosa non le tanxò el fuego, nin le fizo mal ninguno*. Manifestissime ante oculos Auctoris fuit, cum hæc scriberet, Roderici Toletani Chronicon: nihil ex ejus verbis, relationeque prætermittit. At manifestissime etiam textum Rodericianæ Orationis aut corruptum, aut male interpunctum is offendit, aut nimis indiligenter expensum, eo modo, quo minus debuit, interpretatus est. Extra flammas saltum illæsi omnino Libri Rodericus Toletano non obscure tribuit; siquidem Gallicanum igne consumptum diserte præmiserat. Neque alteri prius debebantur adstantium conceptæ erga Deum laudes, quam miraculo intemerati ab igne, cum remansisset in medio igne, Codicis.

Qui enim asbestinum linum, quod, ut Plinius dicere amat, lib. 9. (imo 19.) cap. 1. assuescit vivere ardendo, intervenisse hic sanus dixeris? Vulgatem ritus Codicem ad Æde sacra aliqua petitum, non medicamine ullo, indumentove munitum

nitum, experimento expositum fuisse, cum rei ipsius gravitas, tùm ævi illius hominum sinceritas persuadet. Saltare autem rem igni suppositam, humiditate, quæ intus latet, ne calori cedat, expellente, quotidiana fere res est, admirationisque prorsus indigna. Et animadvertis tu ipse jam, ac perinde rides stupidam bonum Roderici verborum interpretationem - *Igne consumitur Liber Officii Gallicani*; quæ sic ille reddidit: „ E el Libro Frances quexabase con el fuego, que se quería pegar á el „ ; idest : *Liber Gallicus stridebat ab insinuante se ad eum igne*. Quasi non quidem flammis devoratæ, atque in favillas, & cineres abeuntis, sed incendium adhuc timentis, stridoreque idipsum testantis, rei consumptionem latine significatam iis verbis crediderit. Et tamen quia vulgaris, & vernacula hæc fuit Historia, inficere valuit vitio suo posteriores alias. Chronicon apud nos creditum D. Joannis Emmanuelis, Ferdinandi Sancti, ut credo, Nepotis, quod adhuc it per manus curiosorum ineditum, & quasi Epitome est generalis illius Historiæ, ita habet: *E saltò el del Officio Frances fuera del fuego a el*. Simillime concepta sunt noviorum, qui res nostras illustraverunt, monumenta; Joannis Marianæ lib. 9. cap. 18. Prudentii Sandovalis in vita Alphonsi Regis VI. Gundisalvæ Argotæ de Molina lib. 2. Nobilitatis Beticæ cap. 36. Petri de Alcozer Historiæ Urbis Toletanæ lib. 1. cap. 68. Quorum utroque librorum incolumi remanente, persuasum Populo Hispano fuisse (ait Mariana) utramque precandi rationem superis placere, atque eo temperamento rem compositam, ut in antiquis Toletanæ Urbis, ubi Curia tunc regia fuit, Ecclesiis veteri precandi forma retenta, in aliis ex Romano ritu res divina procuraretur. Hæc habui ad manum, de quibus Te, Vir eruditissime, tamquam de domesticis admonerem; scis enim in talibus testimonio etiam eorum, qui alias fide indigni sunt, adhiberi fidem. * Plane haud facile dixerim, quanam verborum forma referri hæc debeant, Romæ præsertim, quibus, si vera sunt, auctoritati Pontificiæ, quæ nonnisi justo, & rationabili semper innititur, aliquo modo derogari videtur *. Expende Tu, & mei esto memor, cum ex munere preces ad Deum effuderis. Vale. Ex hoc Palatio Excellentissimorum Hispaniæ Legatorum domo nunc habitationis nostræ die XII. Februarii *1666*.

„ Ita Vir eruditissimus probationem Officii Gothici, ac Romani, satis alioqui „ incredibilem & paradoxam, stabiliendam, atque explanandam censuit, sed quæ „ affert, rem hic controversam fortius evincerent, si non in sola Roderici au„ ctoritate fundarentur. Sic itaque juxta istum auctorem tandem aliquando post „ tot ac tantos conatus successit Romanus precandi ritus in locum Gothici, per „ Castellæ ac Legionis regna, ac cæteras, quæ Alphonso VI. parebant, ditio„ nes; atque ita anno circiter 1091. secundum dicta superiora, res tota finem „ habuit, dicente eodem Roderico : *Et tunc cunctis flentibus, & dolentibus inole„ vit proverbium:* Quo volunt Reges, vadunt Leges. *Et ex tunc Gallicanum Offi„ cium tam in psalterio, quam in aliis, numquam ante susceptum, fuit in Hispa„ niis observatum: Licet*, inquit, *in aliquibus Monasteriis fuerit aliquanto tempore „ custoditum : & etiam translatio Psalterii in plurimis Ecclesiis Cathedralibus, & „ Monasteriis adhuc hodie recitatur*. Itaque in Ecclesiis Cathedralibus, & Mona„ steriis istis, ut colligo ex Roderici verbis, non Missa antiqua Gothica tempo„ re Roderici recitabatur; nam de hac silet, & loquitur de solo *Psalterio*. Et „ revera eo deventum fuit hoc sæculo XI. ut vel ipse antiquus Gothicorum cha„ racterum usus fuerit abolitus.



INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
In Tomi II. Textum
EMIN. CARDINALIS BONA.

Numerus primus Caput, Secundus §., Tertius paginam indicat.

A

Clarissime Lector, ut tibi clarius expressa appareat hæc magna controversia, & ad manus habeatur, iste præbetur Ordo, nempe:

Ex Editione Romana, quæ sequuntur.

Ex Editione Parisiensi Billaineana, quæ sequuntur.

B

C

D

E.

Eccle-

F

G

H

I

Ejus-

N

O

P

Præ-

Tem-

INDEX

PRÆCIPUARUM RERUM, & VERBORUM

In Commentationes, Additiones, & Notas ad Librum Primum ejusque Partes

RERUM LITURGICARUM EMIN. CARDINALIS BONÀ,

sive Tom. I. & II.

Litera A. Tom. I. Litera B. Tom. II.

Numerus primus Caput, secundus §., tertius Notam, quartus Paginam indicat.

A

Cle-

B

C

f Item

D

Ejuf-

E

Ejuf-

F

S. Ger-

G

Jaco-

J

Maro-

Missa

Mo-

N

O

Item

Eo-

Q

R

Ri-

S

T

X

Z